2

Digitized by Google

NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
0 F
17

C
V
12

F

14-21 f 8

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Vsui Capucinor.

Romae

Digitized by Google



Digitized by Google

FLORES, ET FRVCTVS

PHILOSOPHICI

EX SERAPHICO PARADISO EXCERPTI.

SEV

CURSUS PHILOSOPHICI

AD MENTEM

SANCTI BONAVENTVRÆ

SERAPHICI DOCTORIS.

Per R. P. F. BARTHOLOMÆUM DE BARBERIS
à CASTRO-VETRO MVTINENSEM, Provinciæ Bononienſis
Ordinis Capucinorum Sacræ Theologiæ Lectorem.

PARS PRIMA.

Continens totam Logicam cum tractatu formalitatum.



LVGDVNI,
Sumpt. LAURENTIJ ARNAUD, ET PETRI BORDE,
IOANNIS, ET PETRI ARNAVD.
M. DC. LXXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Capuccinorum Rome
Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO II.

ESTENSI

MVTINÆ, REGII, &c.

DVCI X.

F. BARTHOLOMÆVS DE BARBERIS Capucinus Fælicitatem Precatur.

NVLLO gratiori obſequio ſupremam Principum Majeſtatem decorare poteſt venerabunda deuotio, SERENISSIME PRINCEPS, quam ſi illorum tempora pulcherrimis ſapientiæ floribus immarceſſibili corona circundentur: Hoc enim munus tantò omnem aliam munificentiam antecellit, quantò fortunæ bonis

Digitized by Google

Ex lib. 1. ſent. S. Bonauenturæ in procemium. præſtant Mineruæ ſtudia: Hortum Seraphicum penè concluſum mihi aperire Cœleſtis Hortulanus indulſit: Philoſophicos ex Theologico Seraphico Paradiſo collegi flores, quos in ſertum attexere libuit, vt Te SERENISSIMVM PRINCIPEM, virtutum Exemplar, & Clariſſimi Ateſtinorum Generis dignam propaginem coronarem: floriferis, vt apes in ſaltibus, non omnia delibaui, ſed tantùm fragrantiora, quæ nemo vſque adhuc (quod ſciam) plena, & forſan nec leui manu contigit.

Meritò Seraphicus Doctor mihi ſuccenſeret, ſi Viridarij ſui floribus, & fructibus alterius patrocinium quæſiiſſem: adumbratum enim in Te contemplor primi Cuſtodem in Æden Paradiſi Cherubinum, & Sacra virtutum decora, quæ in illo mirabiliter illuxere, in Te pariter illuſtrata coloribus admiror. Nam ſi Cherubim à ſcientia vocatur, A teneris annis totum Tibi ſapientia exhauſit affectum: Virtus tecum nata eſt, nam lactebas adhuc, quando ad paſcendos Populos Te deſtinauit Paſtor Omniparens: Iuſſa ex vagitibus exordiris, & Cunabula, dum vertuntur, conuertuntur in Thronum. Virtus tecum adoleuit, nam commiſſas Tibi pœnitus habenas tam magiſtrali dexteritate tractaſti, Ateſtini comprobans ſanguinis eſſe Heroës parere, non expectare. Tu in altitudine collocatus, vt præcipitia declines, Thronum tuum Juſtitia ſuſtinent,

Ex Corn. à Lap. in Gen. c. 2. 8 ibid. c. 3. 24. & 34.

Cornel. ibid.

Digitized by Google

ſtinent, ac Clementia, ſapientumque non blandientium corona ſtipatus, Coronam tuam clariùs illuſtras, optimè demonſtrans boni Principis eſſe Meliores ſeligere, & non mediocris ingenij, pro rebus delibrandis, & deliberandis Ingenioſiores delibare. Tu facilis ad audiendum, facillimus ad exaudiendum purgatas adeò, attentas adeò porrigis aures: Suave jugum. Populis aptas, non vt excoriati pondere condoleant, ſed vt coniugati obedientiam condiſcant. Tibi longinqui Reges beneuolentiam, Propinqui dominio tuo Principes Obſeruantiam reciprocam, Propinqui Tibi Principes venerationem profitentur, & fidem. Nobiliſſimi tui ſtemmatis Originem perſequerer, ſed cùm & ipſum tempus illius immemor omninò ſit, nulla in hac re fides major, quàm fide carere temporis, & quò antiquior origo, auguſtior fuit poſteritas aſſueta diu gemmeas induere coronas, purpuras regales, & ſacras oſtendere, ſceptra germinare, ſic dicerem, ſi minùs attenderem, quid aures tuæ ſufferre poſſint, quàm quid magnitudini tuæ, & humilitati meæ debeatur. Philoſophia igitur mea ſub tui fauoris aura in lucem prodit, SERENISSIME PRINCEPS, Perexiguum, fateor, munuſculum, & licèt ſuauiſſimos odores omnigena florum varietate diffundat, tanto tamen faſtigio dignum non apparet: Verum argumenti fiducia

maximum cenſui, quia tuo Nomini inſcriptum: Pietatem tuam reſpexi, vt gratum in eo beneuolentiæ cultum auſpicarer, libet enim pro me vſurpare, & in Te deflectere verba ſancti Cyrilli Alexandrini ad Theodoſium Imperatorem: Igitur (ô SERENISSIME PRINCEPS) dum Vobis Alij exhibent Victorias, Coronas, gratulatoriaſque Voces, & alia, quibus Principis Potentia verè honoratur, noſtri, qui Diuino fungimur Sacerdotio, muneris fuerit offerre Libros ad Diuinam potiſſimùm Gloriam, & Dei Genitricis Mariæ Laudem, ac Honorem compoſitos.

Lib. 16. adu. Julianum.

Hilari igitur fronte has meas lucubrationes ſuſcipe, opus tuum eſt, tuum agnoſce, patrocinio defende, Majeſtate nobilita, & ſolo Nomine, vt ſpero, placiturum, tum quia compoſitum de floribus Seraphicis, tum quia à Religione Capucina effluxit, quam ſingulari beneuolentia, & beneficentia proſequeris, & quam Majores tui amplexibus amoris, & ſancto fœdere cum ea æternum Victuri, colluſtrarunt. Fauſtiſſima vive ſæcula (SERENISSIME PRINCEPS) & Tibi tanta, diuturnaque ſint bona, quanta mei, meæque Religionis vota deprecantur.

In

In Philoſophiam, cui Titulus

FLORES, ET FRVCTVS PHILOSOPHICI EX SERAPH. PARADISO EXCERPTI.

Authore R. P. BARTHOLOMÆO DE BARBERIS Capucino.

EPIGRAMMA EXASTICHON.

DVM Seraphim Cuſtos doctrinæ pervigil adſtat
Huic operi, verè floridus hortus erit.
Experidum meliùs defendit cœlicus enſis,
Inuida nulla poteſt, nulla nocere manus.
Hinc flores, fructúſque nouos, qui nectare mentes
Cœleſti paſcant, ſorte beante dabit.

I. C.

Aliud
In eundem librum

Ingenio rarus qui miſcuit vtile dulci,
Nam ſemper gratum eſt omnibus illud opus.
Qui verò fructus etiam cum flore maritat,
Vnquam nil meliùs, iunxit vtrumque bonum.
Siſte igitur, Lector, flores, fructuſque legendo,
Collige, quidquid amas, Hortus vtrumque parat.

Idem.

AD

Digitized by Google

AD AVTHOREM SCRIBENTEM
IN DIVVM BONAVENTVRAM.

Epigramma.

DVm ſophiæ nobis, Barbere, recondita pandis
Doctorum Seraphim, ſolis adinſtar ades.
Inter Cæleſtes Sol aureus emicat ignes,
Tuque inter doctos ſplendor, & ignis ades.
Liberat immerſum Phœbus caligine mundum,
Tuque tua cæcos diſcutis arte dolos.

Aliud I. C.

Gaudia læta paras doctiſſima ſcripta legenti,
Barbere, in Seraphim ſcripta tuo calamo.
Nec miror, miſſus quando Deus æthere ab alto
Te ſuper effudit munera larga Seraph.
Gratia Cæleſtes mores donauit, at artes
Natura humanas officioſa dedit.

Aliud. Idem.

Dum Bonauenturam verbo velut explicas enſe,
Æqua tibi ingenij vis, & acumen adeſt:
Tu benè Verba Seraph. ſcriptis, Tu voce perenni
Cæleſtem nobis pandis in aſtra viam.
Plura quid enumerem: poſſum nil dicere, namque
Delius in Logicis fluctibus alter ades.

Idem.

ADMO

ADMONITIO AD BENEVOLVM, ET BONAVENTVRISTAM Lectorem.

IN hâc verè grandi Prouinciâ, & vires meas longè excedenti à me ſuſcepta ſcrutandi, excerpendi, & exponendi ſenſa Philoſophica ex Theologicis ſcriptis Seraphici mei Doctoris ſancti Bonauenturæ, quatuor tibi valdè aduertenda propono, humaniſſime Lector.

Primum eſt, quod in citatione Textuum S. Doctoris aliquando vſus ſum aliqua doctrina eiuſdem Seraph. Doctoris, vel ad ſolutionem difficultatum, vel ad fundandam ipſius aliquam ſententiam: quæ doctrina primâ facie tibi aliena à propoſito videbitur, (quòd & mihi obiectum aliquando fuit à quodam viro docto) at ſiſte gradum: nam ſi rectè, ac maturè perpendes antecedentia, & conſequentia eiuſdem Textus, clariſſimè perſpicies ipſam apprimè ad propoſitum inſeruire, ità quod ſi Seraph. Doctor eandem quæſtionem in terminis exagitaſſet, nulla alia doctrina aptiori, & magis ad ſua

principia Seraphica conſequente vſus eſſet: Nec eſt talis modus nouus, & invſitatus apud alios Authores ſequaces D. Thom. & maximè Scoti, qui Philoſophicos curſus ad ipſorum Mentem confecerunt, vt euoluenti ſcripta Fabri, & Maſtrij, Aliorumque, & maximè Societatis IESV patet, quod & ego in ipſis pluries obſeruaui, & hoc quidem aptiſſimè, & rationabiliter: id enim eſt aptare ſuis propriis locis margaritas ab ipſis claſſicis Doctoribus in ſuis operibus omnibus expoſitas: Quas itidem & ego ſub titulo florum, & fructuum collectorum ex Paradiſo Theologico S. Doct. tibi expono ordinatos in hoc viridario Philoſophico. Fortè etiam aliquando inuenies (licèt, vt puto, rariſſimè) non rectè citatum Seraph. Doctorem ex inaduertentia vel Scriptoris, vel Impreſſoris ob vnius numeri mutationem pro alio, verbi gratiâ 2. pro 3. & vice verſa: nec enim otium mihi fuit in relectione huius curſus conferre adamuſſim loca citata cum originali, aliis grauioribus, & multiplicibus functionibus occupatus: In quo caſu patienter recurre ad quæſtionem, vel diſtinctionem antecedentem, vel conſequentem, & citata doctrina tibi occurret:

Secundum eſt, quod ſi in aperienda Seraph. Doctoris ſententia in tot, variiſque quæſtionibus, quæ in Philoſophia exagitantur, inuenies me Seraph. Doctoris Mentem non attigiſſe, vel aliquid alienum à veritate dictitaſſe, ſit tanquam non dictum, ſed tu momi perſonam exuens, & totum meæ imbecillitati tribuens, charitatiuè corrige: memor, quod in magnis voluiſſe eſt ſatis: Si verò Mentem ſancti Bonauenturæ me attigiſſe inuenies, maximas poſt Deum eidem Seraph. Doctor. gratias age, ex cuius ope, & interceſſione in tot difficultatibus, & verè permaximis, quæ mihi in euoluendis ipſius ſcriptis occurrerunt, totum recognoſco, cuius auxilium ſenſibiliter pluries expertus ſum tum in hoc Philoſophico

co curſu conficiendo: tum & in collectione à me per plures annos facta omnium rerum notabilium ex omnibus eiuſdem Seraph. Doctor. ſcriptis, quas in vnam tabulam generalem ordine alphabetico degeſſi in duos tomos diſtributam: quorum primus adamuſſim continet res omnes notabiles ſiue doctrinales, ſiue morales, ſiue prædicabiles, ſiue myſticas à Seraph. Doctore allatas: Secundus verò continet omnia loca Sacræ Scripturæ à Seraph. Doctore expoſita: quæ tabula, ſi Deo placebit, citò lucem aſpiciet ad Dei maiorem gloriam, à quo omne donum, ad ſplendorem, propagationemque Doctrinæ Seraphicæ: ex ipſa enim patebit Seraph. Doctorem ſublimiſſimè, ſimulque compendiosè omnem, & quamcunque materiam, ſcientiam, & doctrinam pertractaſſe.

Tertium eſt: quod ſi aliquando tibi videbor nimia prolixitate quæſtiones propoſitas examinaſſe, & longiori, quàm ferat vſus, ſermone ſoluiſſe, ne mireris; ſi enim perpendes, quod cùm meum intentum fuerit ex ſcriptis Theologicis Seraphici Doctoris ſcholam Philoſophicam aperire, & fundare, neceſſarium fuiſſe cognoſces omnia adamuſſim examinare, quæ tangunt Mentem ejuſdem Seraph. Doctoris, maximéque pro ſtabiliendis ſingularibus ſententiis, quas & multas habet Seraph. Doctor contra communem aliarum ſcholarum, eáque non curſim, ſed firmo pede, & fusè in medium proferre, quod & pro modulo ingenioli mei curaui licèt maximo labore, & longo ſtudio adimplere, vt viam latam aperirem profitentibus doctrinam Theologicam Seraph. eiuſdem S. Doctoris: faxit Deus, vt ad ipſius maiorem gloriam, & eiuſdem Seraph. Doctor. ſcopum intentum attigerim.

Tandem, te humaniſſime Lector, monitum volo, quod

cùm in hoc curſu Philoſophico inueneris Seraphicum Doctorem in paucis concluſionibus conueniſſe cum Diuo Thoma, & Thomiſtis, in pluribus verò cum Scoto, & Scotiſtis, caue, ne ſicuti meritò obiectum fuit Aliquibus profitentibus doctrinam Seraphicam, nempè ipſos pertraxiſſe Seraphicum Doctorem etiam inuitum ad partes Thomiſtarum, forſan ob amorem Thomiſticæ doctrinæ, ſic pari modo mihi objicias me feciſſe Seraphicum Doctorem Scotiſtam. Reſpondeo enim huic ſcrupulo primò, quod ſi fundamentum talis obiectionis aliquid valeret, ſequeretur è contrà Scotum potiùs fuiſſe Bonauenturiſtam; Ratio eſt, quia, vt alibi etiam noto, cùm paulò ante ingreſſum Scoti in Seraphicum Ordinem ad Cælos euolaſſet ſanctus Bonauentura, & cùm recens eſſet non ſolùm in Seraphico Ordine, ſed & in toto orbe Chriſtiano memoria ipſius ſanctitatis, & ſublimiſſimæ ſuæ doctrinæ, ob id eiuſdem ſcripta præ manibus voluebantur in præcipuis Academiis, & apud celebriores Doctores, etiam Summos Pontifices, vt notat Vadingus *Tom.* 2. ſuorum Annalium, loquens de doctrina S. Doctoris: hinc & magis apud Fratres Minores erat in ſumma exiſtimatione, & præcipuè apud Magiſtros, & Lectores, quod non obſcurè infertur, tum ex Lectura Stephani Brulefer celeberrimi Magiſtri Ordinis Fratrum Minorum, tum ex Richardo à Media Villa, tum ex Chronicis Ordinis, in quibus inſeruntur varia decreta emanata in Capitulis Generalibus circa ſectandam hanc Seraph. Doctoris doctrinam. Ideò mirum non eſt Scotum eadem in iuuentute ſua enutritum à ſuis Magiſtris, ſicque imbibitum conveniſſe in tot materiis doctrinalibus cum D. Bonauentura, licèt poſteà proprio marte ob ſublimitatem ſui ingenij profundiſſimam addiderit, de nouo adinuenerit plurima, fundaueritque in Eccleſia celeberrimam ſcholam,

iureque

iureque merito adeptus fuerit titulum digniſſimum Doctoris ſubtiliſſimi. Ecce cauſam, quare iſti duo Proceres ſcholaſticarum doctrinarum decus, & ornamentum totius Franciſcanæ Familiæ in tot materiis doctrinalibus conueniunt. His tamen non obſtantibus ſecundò reſpondeo negando Sanctum Bonauenturam fuiſſe Scotiſtam, vel Scotum in rigore poſſe dici Bonauenturiſtam : nam ſi diligenter percurres ſcripta vtriuſque Doctoris, mentemque attentam porriges ad fundamenta huius Seraphici Curſus Philoſophici, facilè perſpicies, quod licèt conueniant in aliquibus materiis, tamen vt plurimùm diſcrepant, maximè in fundamentalibus principiis, quod clarè notum tibi erit in tractatu formalitatum, & magis in decurſu totius Phyſicæ. Hæc dicta eſſe volo ad maiorem cautelam, & ad tollendum omnem ſcrupulum, qui poſſet ex rationibus adductis oriri percurrenti hunc Curſum; & vt denuò menti infigatur, quod tibi promitto, ſcilicèt quod Seraphica Schola eſt valdè diſcrepans à Thomiſtica, & à Scotiſtica, & reliquis. Nec hinc minùs æquum eſt te admoneri non debere in Authoris, aut Operis iniuriam verti, ſi per Operariorum incuriam errores quoſdam irrepſerunt, tum quia eſt valdè difficile, quòd Typographorum diligentia quantumuis acurata lapſus omnes præcaueat, tum quia Aſſiſtens Impreſſioni huic prima Idiomatis Gallici elementa non ignorabat, quare, dum errores corrigere curabat, Typographus Italicam linguam, quam non nouerat, audiens, menda emendare non poterat.

Digitized by Google

Facultas Reuerendiſſimi Patris Generalis.

NOS F. STEPHANVS A CÆSENA totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum Generalis Miniſter, licèt immeritus, Opus, cui titulus eſt, *Flores, & fructus Philoſophici ex Seraphico Paradiſo excerpti, ſeu Logica, & Philoſophia Peripatetica ex multiplici Seraphici Doctoris Bonauenturæ Sanctiſſimi Doctrina excerpta*, & in moderniorem vſum in tres partes ad trium Annorum curriculum diſtributa ab Admodum Venerando Patre F. BARTHOLOMÆO A CASTRO-VETRO Mutinenſi noſtri Ordinis Concionatore, ac Lectore compoſitum, à quibuſdam Theologis dicti noſtri Ordinis, quibus id commiſimus, relectum, & approbatum, vt Typis mandari poſſit, ſeruatis ſeruandis Tenore præſentium facultatem concedimus, in quorum fidem his ſolito noſtro ſigillo firmatis manu propria ſubſcripſimus. Datum in Conuentu noſtro Immaculatæ Conceptionis Romæ die 26. Iunij 1675.

APPROBATIONES THEOLOGORVM ORDINIS.

EX Commiſſione Reuerendiſſimi Patris F. BONAVENTVRÆ A RECINETO Religionis Capucinorum Commiſſarij Generalis, necnon in vrbe Procuratoris Generalis, & à Sacris Concionibus Sanctiſſimi Domini noſtri Clem. X. lubens vidi, hilaris legi, & jucundiſſima cum voluptate, & vberrima vtilitate, accuratè introſpectum, iterum, iterumque Ego infraſcriptus relegi Opus in tres Tomos diuiſum, cui Titulus, *Flores, & fructus Philoſophici ex multiplici Seraphici Doctoris S. Bonauenturæ Doctrina excerpti*, Authore R. P. F. BARTHOLOMÆO A CASTRO-VETRO Mutinenſi Lectore in Conuentu Capucinorum S. Franciſci Ferrariæ. Huic enim Operi cenſuram metuere non debet Author, *Cenſura enim cauſam, & ſententiam exponit* (ait D. Ennodius huius Regiæ Ticinenſis Eccleſiæ Antiſtes, ac Orthodoxæ fidei decus ampliſſimum) *quiſquis quod eligit, Antiquorum Fulcris non tuetur:* Opus enim ſuum non Recentioris, ſed Antiquioris, non indeuoti, & curioſi, ſed ſanctiſſimi, & Claſſici Doctoris ſapientia tuetur, admirabili Methodo, amabili modeſtia, perſpicaci, ac perſpicua doctrina, conſilio Sydonij vtens in Epiſt. ad Claud. *potiùs implet cauſam Seraphicam, quàm paginas*; quin etiam iuxta effatum Eccleſ. *Sapiens Pater ſeipſum prodit, dum ſpiritu*, & Bonauenturæ doctrina imbutus, Bonauenturam à lumine Theologico ad Philoſophicum lumen producit. Quapropter cùm nihil in hoc opere à S. R. E. decretis, ac Orthodoxæ regulæ fidei regulis, aut, à vitæ probitate alienum reppererim, Scholaſtico in prælio prælo dignum cenſeo, ſic enim teſte Idelberto ſcientia huius Patris diſtributa ſuſcipiet incrementum auarum dedignata poſſeſſorem, niſi publicetur, elabitur, ſic enim cenſeo, vt typis gaudeat dictum Opus. Datum Papiæ in Conuentu Capucinorum S. Antonij de Padua die 18. May 1675.

F. Alexander à Grabedona Guardianus Capucinorum Papiæ, & Prou. Mediolani Definitor, olim Sacræ Theologiæ Lector, ac pro R. P. Inquiſitore Papiæ Librorum Reuiſor, ac venientium ad ſanctam Fidem Inſtructor omnium Minimus.

Digitized by Google

EX Commiſſione R. P. F. Bonaventuræ a Recineto, noſtri Ordinis Definitoris, Procuratoris, & Commiſſarij Generalis, necnon Sanctiſſimi D. N. Clem. X. in Palatio Apoſtolico à Concionibus, Ego F. Ignatius à Cremona Ordinis Capucinorum Prædicator, atque in noſtro Conuentu Ticinenſi Sacræ Theologiæ Lector, ea maiori, qua potui, diligentia, vidi Opûs mihi valdè eximium, atque laborioſum, cui Titulus eſt, *Flores, & Fructus Philoſophici ex Seraphico Paradiſo excerpti, ſeu Logica, & Philoſophia Peripatetica ex multiplici Seraphici Doctoris Bonauenturæ Sanctiſſimi Doctrina ſelecta*, & in moderniorem vſum in tres Partes ad trium annorum curriculum diſtributa à R.P.F. Bartholomæo a Castro-Vetro Mutinenſi noſtri Ordinis Lectore in Conuentu S. Franciſci Ferrariæ, & non ſolùm nihil in eo obſeruaui, quod eſſet contra fidem, & bonos mores, ſed adeò pulchrum, ſolidum, & ita benè ordinatum mihi viſum fuit, necnon Author in eo ſuis ſubtiliſſimis obſeruationibus, & clariſſimis explicationibus ità mentem Sancti Bonauenturæ aſſequutus eſt, vt ad decorem noſtræ Religionis, atque ad cupientes faciliori via ſequi doctrinam eiuſdem Seraphici Doctoris, quam primum Typis mandetur, iudicem, & affirmem. In quorum fidem has mea propria manu ſubſcripſi. Datum Ticini Regij quinto Kal. Iunij 1675.

Fr. Ignatius à Cremona Prædicator,
& Lector Sacræ Theologiæ.

OPus, cuius inſcriptio eſt, *Flores, & Fructus Philoſophici ex Seraphico Paradiſo excerpti, ſeu Logica, & Philoſophia Peripatetica ex multiplici Seraphici Doctoris Bonauenturæ SS. Doctrina excerpta*, ad moderniorem vſum in tres partes ad commodum ſtudentium diſtributa, & maximè illorum, qui cupiunt Seraphicæ Doctrinæ operam dare, à R.P.F Bartholomæo a Castro-Vetro noſtri Ordinis Lectore, elaboratum, omnia maiori diligentia, qua potui, legi, & vidi de mandato R. P. F. Bonauenturæ à Recineto noſtri Ordinis Definitoris, Procuratoris, & Commiſſarij Generalis, necnon ſanctiſſimi D. N. Clem. PP. X. in Palatio Apoſtolico Concionatoris: Nihilque, quod fidei, bonorumque morum candorem denigret, in eo meis ſeſe oculis obiecit, immò ſingulare Authoris ingenium, & ſtudium in Seraphica Doctrina ſum admiratus, & quia non niſi in magnam tam ſtudentium vtilitatem, quàm decorem Religionis eſſe aſpexi, dignum cenſui, vt typis quam primùm mandetur. Datum Ferrariæ in Conuentu Capucinorum S. Franciſci die 25. Nouembris 1675.

F. Bartholomæus à Zibello Guardianus Conuentus
Capucinorum Placentiæ, & olim Sacræ
Theologiæ Lector.

Digitized by Google

Approbatio Doctorum Sacræ Theologiæ Facultatis Pariſienſis.

Librum, cui Titulus eſt, *Flores, & Fructus Philoſophici ex Seraphico Paradiſo excerpti, ſeu Logica, & Philoſophia Peripatetica ex multiplici Seraphici Doctoris Bonauenturæ Sanctiſſimi Doctrina Selecta*, à R. P. F. BARTHOLOMÆO DE BARBERIS A CASTRO-VETRO Mutinenſi Ordinis Capucinorum, Sacræ Theologiæ Lectore, accuratè, & non ſine magna animi voluptate legi, eumque vtpotè ſanam doctrinam redolentem, fidei Orthodoxæ conformem, bonoſque mores fouentem luce dignum cenſeo. Datum Pariſiis die 16. Martij 1677.

M. GRANDIN pro Illuſtriſſimo Domino Cancellario Franciæ.

Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

CAutum eſt Authoritate Regis, ne quis in ſuo Regno, aliiſvè locis ſuæ Ditioni ſubditis intra decem proximos annos, librum, qui inſcribitur, *Flores & Fructus Philoſophici ex Seraphico Paradiſo excerpti, ſeu Logica, & Philoſophia Peripatetica* ad mentem S. Bonauenturæ Doctoris Seraphici, Authore R. P. F. BARTHOLOMÆO DE BARBERIS DE CASTRO-VETRO Mutinenſi, Bononienſis Prouinciæ Concionatore Capucino, & Sacræ Theologiæ Lectore abſque LAVRENTIJ ARNAVD, PETRI BORDE, IOANNIS, & PETRI ARNAVD, Bibliopolarum Lugdunenſium permiſſu, imprimat, aut diuendat à die publicationis horum exemplarium. Qui ſecùs fecerit, pœna indicta, provt ampliùs in Regio diplomate continetur, mulctabitur. Datum ad ſanctum Germanum in Laya die 13. Aprilis anno Domini 1677. De mandato Regis. Signatum BOVCHARD.

Prima editionis prælum ceſſauit die prima Auguſti anno 1677.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
CAPITVM SVMMVLARVM DIALECTICÆ
Ad mentem S. Bonauent. Seraph. Doctor.
In tres partes diſtributus.

PARS PRIMA
Ad primam intellectus operationem ſpectans.

CAP. I. *De Natura Logicæ, eiuſque inſtrumentis.* pag.12

CAP. II. *Quid ſit terminus, & quanam ſit prima diuiſio terminorum.* p.13

CAP. III. *Quid ſit ſignum, & quid terminus vocalis ſignificatiuus.* pag.14

CAP. IV. *De varijs diuiſionibus termini ſignificatiui.* p.15

CAP. V. *De terminis ſecundùm cauſam materialem.* p.17

CAP. VI. *De definitione quid ſit.* pag.20

CAP. VII. & VIII. *De ſuppoſitione, aliiſque proprietatibus terminorum.* p.22.& 26

R.P.Bart.de Caſtro v.Phil.P.I.

PARS SECVNDA
Ad ſecundam operationem intellectus ſpectans. p.27

CAP. I. *De nomine, & verbo quid ſint.* p.27

CAP. II. *De oratione quotuplex ſit, & quid ſit propoſitio Cathegorica.* p.29

CAP. III. *De materia, forma, quantitate, & qualitate Propoſitionis.* p.30

CAP. IV. *De propoſitione Hyppotetica.* p.32

CAP. V. *De proprietatibus Propoſitionis ſimplicis, Oppoſitione, Æquipollentia, & Conuerſione.* pag.33

CAP. VI. *De Enunciatione Modali.* p.36

CAP. VII. *Quotuplex ſit propoſitio modalis.* p.38

CAP. VIII. *De propoſitionibus exponibilibus.* p.41

CAP. IX. *De diuiſione,* p.42

PARS TERTIA

Ad tertiam operationem intellectus ſpectans. p.43

Cap.I. *De argumentatione in communi, eiuſque ſpeciebus.* p.43

Cap.II. *De legibus bonæ argumentationis.* p.45

Cap.III. *De ſyllogiſmo, eiuſque materia, & forma, multiplicique figura.* p.46

Cap.IV. *De principiis regulatiuis ſyllogiſmi.* p.48

Cap.V. *De regulis generalibus, & particularibus figurarum.* pag.49

Cap.VI. *De reductione modorum imperfectorum ad perfectos.* p.52

Cap.VII. *De arte inueniendi Medium.* p.53

Cap.VIII. *Traditur multiplex diuiſio ſyllogiſmorum ſecundùm materiam.* p.54

Cap.IX. *Conſideratur magis in particulari ſyllogiſmus ratione materiæ.* p.55

Cap.X. *De fallaciis, earumque diuiſione.* p.58

Cap.XI. *De modo diſputandi obſeruando inter ſcholaſticos.* p.60

Cap.XII. *Explicantur varij termini, quibus vtuntur ſcholaſtici in ſcholis.* p.61

INDEX

OMNIVM TRACTATVVM, TEXTVVM, & Queſtionum, quæ in hac prima parte Curſus Philoſophici ad Mentem S. Bonauenturæ continentur.

Quæſtiones Proœmiales totius Logicæ. p.65

Textus Seraphicus. p.67

Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.68

Quæſt.I. *An Logica ſit neceſſaria.* pag 69

Quæſt.II. *Quodnam ſit ſubiectum, ſeu obiectum Logicæ.* p.72

Quæſt.III. *An Logica ſit ſcientia.* pag.78

Quæſt.IV. *An Logica ſit ſcientia Practica, an Speculatiua.* p.83

Quæſt.V. *An Logica ſit vnus ſimplex habitus.* p.86

TRACTATVS I.

De Ente Rationis.

Textus Seraphicus. pag.88

Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.91

Quæſt.

Quæſt.I. *An detur Ens Rationis.* pag.92
Quæſt.II. *Quid ſit Ens Rationis.* pag.97
Quæſt.III. *Quotuplex ſit Ens Rationis.* p.101
Quæſt.IV. *De Cauſis Entis Rationis.* p.103
Quæſtio Lateralis. Reſoluitur quæſtio de Intellectu. p.105
Quæſt.V. *An alia potentia præter intellectum poſſint facere Ens Rationis.* p.108
Quæſt.VI. *An quilibet Intellectus etiam Diuinus poſſit facere Ens Rationis.* p.112

TRACTATVS II.

Bipartitus.

PARS PRIMA.

De formalitatibus, ſeu de identitatibus, & diſtinctionibus. Præludium. pag.116
Textus Seraphicus. pag.118
Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.122
Quæſt.I. *Quid ſit formalitas.* p.125
Quæſt.II. *De vnitate quid ſit, & quotuplex ſit.* p.134
Quæſt.III. *Quid ſit identitas, & diſtinctio.* p.145
Quæſt.IV. *Quotuplex ſit Identitas, & diſtinctio.* p.151
Quæſt.V. *De diſtinctione reali maxima, eiuſque oppoſita Identitate, & quodnam ſit eius fundamentum.* p.154
Quæſt.VI. *Aſſignantur regulæ ad dignoſcendam diſtinctionem realem maximam, & Identitatem, explicantur varij termini, quibus Seraph. Doct. adſtruit diſtinctionem hanc realem.* p.162
Quæſt.VII. *De diſtinctione, & Identitate formali, ſeu media, ſeu ex natura rei.* p.168
Quæſt.VIII. *De diſtinctione rationis in communi.* p.185
Quæſt.IX. *De diſtinctione rationis ratiocinantis.* p.186
Quæſt.X. *De diſtinctione rationis ratiocinatæ.* p.188
Quæſt.XI. *Lateralis. An dentur præciſiones obiectiuæ.* p.194

PARS SECVNDA.

FORMALITATVM.

De prædicationibus variis, earumque fundamentis.

Cap.I. *Quid ſit prædicatio, & in quibus terminis poſſit exerceri.* p.200
Cap.II. *De Concretis, & abſtractis in ordine ad prædicationem.* p.201
Cap.III. *De prima diuiſione generali prædicationis.* p.201
Cap.IV. *De prædicatione Identica.* p.202
Cap.V. *De prædicatione formali, ſeu per inhærentiam.* p.203
Cap.VI. *De prædicatione exercita.*

ta, & ſignata, ſeu ſecundarum, & primarum intentionum inter ſe. p.203

Cap. VII. *De prædicatione Concretorum, & Abſtractorum.* pag.205

Cap. VIII. *De aliis Prædicationibus.* p.207

TRACTATVS III.

De Vniuerſalibus, ſeu Prædicabilibus in communi.

Textus Seraphicus. p.209

Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.211

Quæſt. I. *An detur vniuerſale à parte rei, ſeu in rebus.* p.213

Quæſt. II. *An vniuerſale Metaphyſicum reale, ſeu natura communis diſtinguatur à ſingularibus, & habeat vnitatem aliquam diſtinctam ab vnitate numerali.* p.224

Quæſt. III. *Quid ſit vniuerſale Logicum.* p.244

Quæſt. IV. *Per quam operationem intellectus fiat vniuerſale Logicum.* p.254

Quæſt. V. *Quibus rebus competat Ratio vniuerſalis.* p.258

Quæſt. VI. *An vniuerſale rectè diuidatur in quinque capita, & an hac diuiſio ſit immediata, & vniuoca generis in ſpecies, an verò mediata, ſcilicet An vniuerſale immediatè, & eſſentialiter deſcendat ad omnia quinque æqualiter, an ad aliqua eſſentialiter, & ad alia ſecundariò, & accidentaliter.* p.261

TRACTATVS IV.

De Vniuerſalibus in particulari.

Caput primum.

De Genere.

Textus Seraphicus. pag.266

Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.268

Quæſt. vnic. *An genus ſit rectè definitum, & quomodò debeat intelligi eius definitio.* p.268

Caput Secundum.

De Specie.

Textus Seraphicus. p.277

Scholium ſuper Textum Seraphicum. pag.278

Quæſt. I. *An ſpecies rectè fuerit definita triplici definitione à Porphyrio, &c.* p.280

Quæſt. II. *An ſpecies in vnico indiuiduo, & Genus in vnica ſpecie poſſit conſeruari.* p.284

Quæſt. III. *De Indiuiduis.* p.286

CAPVT III.

De differentia.

Textus Seraphicus. p.289

Scholium ſuper Textum Seraphicum.

phicum. pag.291

Quæſt.I. *De diuiſione allata à Porphyrio, & de definitionibus differentiæ, an ſint rectè tradita, & quomodò.* p.292

Quæſt.II. *An compoſitio ex genere, & differentia ſit realis, an rationis tantùm.* p.295

Quæſt. Lateralis. *An accidentia habeant compoſitionem ex genere, & differentia.* p.306

CAPVT IV.

De Proprio.

TExtus Seraphicus. p.310

Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.312

Quæſt. I. *Quid ſit Proprium, & quotuplex, vbi etiam agitur de Proprio Metaphyſico.* p.312

Quæſt.II. *Explicatur Proprium Logicum.* p.318

CAPVT V.

De Accidente.

TExtus Seraphicus. p.320

Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.322

Quæſt.I. *Quid ſit Accidens primo intentionaliter ſumptum, & quotuplex.* p.322

Quæſt.II. *De Accidente prout eſt quintum prædicabile.* p.326

TRACTATVS V.

Tripartitus.

De Prædicamentis.

PARS PRIMA.

De Antepradicamentis.

TExtus Seraphicus. p.332

Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.335

Quæſt.I. *De Vniuocis, Æquiuocis, & denominatiuis, quid ſint.* p.336

Quæſt.II. *De Analogia quid, & quotuplex ſit.* p.340

Quæſt.III. *An detur vnus conceptus communis omnibus Analogatis.* p.344

Quæſt.IV. *An Analogia ſit quid medium inter Vniuocum, & Æquiuocum.* p.349

Quæſt.V. *Explicantur cætera Antepradicamenta.* p.351

Quæſt. VI. *De numero denario Prædicamentorum an ſit rectè aſſignatus.* p.352

Quæſt.VII. *Vtrum prædicamenta inter ſe diſtinguantur realiter.* p.355

Quæſt.VIII. *Quænam res ponantur in prædicamento, & quomodo, ſcilicet an in concreto, an in abſtracto.* p.356

Quæſt.IX. *An genera non ſubalternatim poſita poſsint habere aliquam differentiam communem.* p.358

PARS

PARS SECVNDA.

Prædicamentalis Ariſtotelis.

TRACTATVS VI.

De Prædicamentis in particulari

Diuiſus in quinque Partes.

PARS PRIMA.

De Subſtantia.

CAPVT PRIMVM.

De Subſtantia. p.361

TExtus Seraphicus. p.362
Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.364
Quæſt.I. *Quodnam ſit genus generaliſſimum ſubſtantiæ.* p.364
Quæſt.II. *Explicantur proprietates, & attributa ſubſtantiæ.* p.368
Quæſt.III. *De primarum ſubſtantiarum indiuiduatione.* p.369
Quæſt.IV. *An entia incompleta habeant propriam differentiam indiuidualem.* p.382

PARS SECVNDA.

De Quantitate.

TExtus Seraphicus. p.389
Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.391
Quæſt.I. *Quodnam ſit genus generaliſſimũ quantitatis, & quanam ſit eius ratio formalis.* p.392
Quæſt. II. *Quanam ſit ſpecies quantitatis.* p.403
Quæſt.III. *An numerus, & Oratio ſint veræ ſpecies quantitâtis diſcretæ.* p.408

PARS TERTIA.

De Qualitate.

TExtus Seraphicus. 417
Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.418
Quæſt.I. *Quomodò Qualitas ſit genus generaliſſimum.* p.418
Quæſt.II *Expenditur multiplex diuiſio qualitatis.* p.420
Quæſt. I. Lateralis.
Quid ſit habitus, & diſpoſitio. p.422
Quæſt. II. Lateralis.
Quid ſit potentia, & impotentia naturalis. p.425
Quæſt. III. Lateralis.
Quid ſit paſſio, & paſſibilis qualitas. p.428
Quæſt. IV. Lateralis.
Quid ſit forma, & figura. p.430
Quæſt. III. *Explicantur cætera, quæ ſpectant ad qualitatem per varia dubia.* p.431

PARS QVARTA.

De Relatione.

TExtus Seraphicus. p.434
Scholium ſuper Textum Seraphicum.

Digitized by Google

phicum. p.438

Quæſt.I. *Explicantur termini ſpectantes ad relationem, & traditur multiplex diuiſio relationis.* p.438

Quæſt.II. *Quænam relationes pertineant ad hoc prædicamentum.* p.441.

Quæſt.III. *An relatio prædicamentalis ſit accidens reale ſuperadditum extremis, & ab eis realiter diſtinctum.* p.447

Quæſt.IV. *An relatio prædicamentalis conſtituatur per eſſe In, an per eſſe Ad, vel per vtrunque ſimul, vel vt loquitur Seraphicus Doctor, an relationes ſint tantùm aſſiſtentes, an etiam inſiſtentes.*

Ab aliis ſic proponitur, an relatio prædicamentalis requirat ad ſui eſſe neceſſariam dependentiam à fundamento, & termino. p.462

Quæſt.V. *Examinatur relatio ex parte fundamenti, & ex parte termini per plura quæſita.* p.466

Quæſt.VI. *Vnde deſumenda ſit vnitas relationis tum ſpecifica, tum numerica, ſcilicet num à termino, num à fundamento, ſeu an ad multiplicationem terminorum multiplicentur relationes.* p.479

Quæſt.VII. *Quodnam ſit genus generaliſſimum huius Prædicamenti, & quomodò diuidatur in ſuas ſpecies.* p.492

Quæſt.VIII. *Explicantur proprietates relatiuorum.* p.498

PARS QVINTA.

De reliquis ſex Prædicamentis.

TExtus Seraphicus. p.499
Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.501

Quæſt.I. *Quid formaliter dicant ſex vltima prædicamenta, ideſt an eorum ratio formalis conſiſtat in aliquo intrinſeco, vel in ſola denominatione extrinſeca, & an importet quid abſolutum, an verò puram relationem.* p.502

Quæſt.II. *De actione, & paſſione quid ſint, & quomodò conſtituant duo genera prædicamentalia, & inter ſe diſtinguantur.* p.504

Quæſt.III. *De reliquis quatuor prædicamentis, & primò quid ſit Vbi, & Situs, & deinde agitur de Quando, & Habitu.* pag.506

TRACTATVS VII.

De Poſtprædicamentis.

Quæſt.I. DE *primo Poſtprædicamento an rectè fuerit tradita ab Ariſtotele diuiſio oppoſitorum.* p.508

Quæſt.II. *Explicatur ſecundum Poſtprædicamentum, quod eſt Prius,*

Prius, & Poſterius. p.511

Quæſt.III. *De reliquis Poſtprædicamentis, ſcilicet de modo ſimultatis, & de motu, & habere.* p.515

PARS SECVNDA Logicæ.

Spectans ad ſecundam operationem intellectus.

TRACTATVS VIII.

Textus Seraphicus. p.517

Scholium ſuper Textum Seraphicum. p.520

Quæſt. I. *Expenditur ratio ſigni, explicanturque ea, quæ ad ipſius eſſentiam ſpectant.* p.521

Quæſt. II. *Quid ſit Enunciatio.* p.524

Quæſt. III. *Quænam veritas, & falſitas ſit in Enunciatione.* p.526

Quæſt. IV. *An propoſitio poſſit mutari de vera in falſam, & è contra.* p.530

Quæſt. V. *An propoſitiones de futuro contingente ſint determinatè vera, vel falſa, ſeu an detur de futuris contingentibus determinata veritas.* p.539

PARS TERTIA Logicæ.

Spectans ad tertiam operationem intellectus.

TRACTATVS IX.

Quæſt. I. *An omnis ſcientifica cognitio fiat ex præexiſtenti cognitione, & qualem cauſalitatem hæc ad illam habeat.* p.541

Quæſt. II. *An, & quomodò neceſſitetur intellectus per aſſenſum præmiſſarum ad aſſenſum concluſionis.* p.547

Quæſt. III. *Quid ſit demonſtratio, & quotuplex.* p.549

Quæſt. IV. *De effectu demonſtrationis, ſcilicet de ſcientia, an ſit, & quid ſit.* p.553

Quæſt. V. *Quomodò, & vnde ſpecificantur ſcientiæ, vel vnde deſumant ſuam vnitatem, vbi aliqua de obiecto, & ſubiecto ſcientiæ traduntur.* p.556

Quæſt. VI. *De ſcientiarum ſubalternatione.* p.558

Quæſt. VII. *De Opinione, & fide.* p.559

Quæſt. VIII. *De Errore, & Opinione erronea quid ſint.* p.560

ELENCHVS

Digitized by Google

ELENCHVS AVTHORVM,

QVI IN HOC CVRSV PHILOSOPHICO *AD MENTEM.* SANCTI BONAVENTVRÆ Seraphici Doctoris citantur.

A

SANCTVS Ambroſius.
S. Anſelmus.
S. Atanaſius.
S. Auguſtinus.
Achillinus.
Academia Pariſ.
B. Albertus Magnus.
Albertinus.
Alexander ab Alex.
Alenſis.
Albertus de Sax.
Amicus.
Anglicus.
Anaxagora.
Angelucius.
Ammonius.
Antonius Ruuius.
Apollonius.
Aquilonius.
Aquarius.
Ariſtoteles.
Areſius.
Argentina.
Arriaga.
Aretinus.
Ariſtarchus.
Auerſa.
Auerroës.
Aureolus.
Auicenna.
Auicembron.

B

SAnctus Bonauentura.
S. Baſilius.
S. Bernardus.
Bacconus.
Bagatta.
Bannez.
Baſſeus.
Baſſolius.
Baſſonius.
Bargius.
Bartholomæus Manzolius.
Baudunus.
Benedictus à S. Iacobo.
Blancus.
Bonaſpes.
Baranzanus.
Blaſius à Conceptione.
Bonetus.
Bonamicus.
Bordonus.
Brulefer.
Burlæus.
Boëtius.

Elenchus Authorum,

C

SAnctus Chryſoſtomus.
S. Clemens Alexandr.
Caietanus.
Calculator.
Cannonicus.
Cabæus.
Capreolus.
Camerarius.
Carpinetulus.
Cauellus.
Capulius.
Cabrera.
Celſus.
Cœleſtinus.
Commentator.
Complutenſes.
Conimbricenſes.
Contarenus.
Copernicus.
Cottonius.
Corneio.
Coriolanus.
Coninch.
Chryſoſtomus Iauellus.
Chirches Ieſuita.
Concilium Conſtantinopolitanum.
Concilium Conſtantienſe.
Concilium Epheſinum.
Concilium Lateranenſe.
Concilium Tridentinum.
Cremoninus.
Cratyllus.

D.

SAnctus Damaſcenus.
S. Dionyſius.
Dandinus.
Democritus.
Diogenes.
Didacus à Ieſu.
Durandus.

E

ÆGidius Romanus.
Euclides.
Empedocles.
Epicurus.
Euſtachius.

F.

FAber Fauentinus.
Faſolus.
S. P. Franciſcus.
Franciſcus Bacconus.
Franciſcus Toletus.
Franciſcus Mairon.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus de Rac.
Ferchius Velienſis.
Fernelius.
Ferrarienſis.
Philoponus.
Ficinus.
Flandria.
Fracaſtus.
Fuentes.

G

GAbriel Nominal.
Gabriel Vaſquez.
Gadius.
Galenus.
Gallicius.
Gerſon.
Gillibertus Porrect.
Gianinus.
Gomez.
Gofredus.
Gregorius Arim.
Gratian. Brie.
Gregorius Nyſſenus.
Granados.
Guarinus Mutinenſis.
Gulielmus Vorril.
Gulielmus delamare.

H

SAnctus Hieronymus.
Henricus.
Heraclitus.
Hermogenes.
Herrera.
Heruæus.
Hipocrates.

Horatius

Digitized by Google

Horatius.
Hurtadus.

I

IEremias.
Iandunus.
Iauellus.
Ioannes Andr.
Ioannes Poncius.
Ioannes de Lugo.
Ioannes à S.Thoma.
Ioannes de Magiſtris.
Ioannes Lupus.
Ioannes Hus.
Iambellicus.
Iacobus Theſinus.
Iulius Iprenſis.
Iuo Pariſienſis.

K

KIperus.
Kercherius.

L

LAnſpergius.
Lao.
Leſſius.
Leo X.
Lichettus.
Lucretius.
Ludouicus à Dola.
Lalemander.
Lugus.

M

MAgiſter Sententiarum.
Marcus Antonius Gallicius.
Marcus Baudunus.
Maior.
Mairon.
Mancinus.
Maſtrius, ſeu Meldula.
Magnenus.
Manca.
Medina.
Meliſſus.
Marſilius.
Monteſinus.
Molina.
Morandus.
Moriſanus.
Mauritius.
Murcia.

N

NAzarius.
Nemeſius.
Niger.
Niphus de Niſſe.
Nominales.

O

OCham.
Ouiedus.
Orbellus.
Origenes.

P

SAnctus Paulus.
Pallauicinus.
Pariſienſes D.D.
Paſqualigus.
Patauius.
Paueſius.
Parmenides.
Paludius.
Paulus Venetus.
Pererius.
Petrus Ioan. Prouenz.
Picolominus.
Picus Mirandulanus.
Pythagoras.
Plato.
Plutarchus.
Pomponatius.
Poncius.
Porphyrius.
Priſcianus Lydius.

R

RAbeſanus.
Rada.
Raynaudus.
Raguſeus.
Recupitus.
Rheita.
Richardus Suiſſet.
Richardus de Media Villa.

Riccius.
Rochus.
Ruccelinus.
Ruuius.
Rubion.

S

SAlmaticenſes.
Scaliger.
Scotus.
Scotellus.
Serbellonus.
Sebaſtianus Baſſonius.
Simplicius.
Sirectus.
Sixtus IV.
Smiſinch.
Soncinnas.
Spinula.
Stephanus Brulefer.
Sotus.
Suarez.
Sueſſanus.
Sforcia Pallauicinus.
Sghema.

T

TAſſonus.
Tataretus.
S.Thomas.
S.Theodorus.
Tertullianus.
Theodorus Bergomenſis.
Tannetus.
Tellez.
Themiſtius.
Toletus.
Tiennenſis.
Titelmanus.
Trigoſius.
Trombeta.

T

VAlleſius.
Vallonus.
Valentia.
Valerianus Magnus.
Vaſquez.
Varro.
Venetus.
Verulanus.
Vgo Senenſis.
Villalpandus.
Villauerdo.
S. Vincentius Ferrerius.
Vorrilon.
Vtinenſis.
Vulpes.
Vuendelinus.

X

XEnophanes.

Z

ZAbarella.
Zimara.
Zenon.
Zanetus.
Zerbius.
Zanardus.

PROLO

PROLOQUIUM OPERIS AD OMNES STVDIOSOS

SERAPHICÆ RELIGIONIS, ET præcipuè Ordinis Capucinorum Seraphici Patris Sancti Franciſci.

Profunda fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita produxit in lucem. Iob c.28. *ex ſancto Bonauentura in proloq. libri primi Sentent.*

INSIGNIS ille doctiſſimus æquè, ac piiſſimus Pariſienſis Academiæ Cancellarius Gerſon, poſt exactiſſimum examen ſcriptionis, doctrinæ, & ſtyli diuerſorum ſcholaſticorum, loquens de Seraphico Doctore Sancto Bonauentura, hoc digniſſimum elogium in eius doctrinæ laudem conficit. Si quæratur à me, quis inter cæteros Doctores plus videatur idoneus? Reſpondeo ſine præiudicio, Quod Dominus Bonauentura. Quoniam in dicendo ſolidus eſt, & ſecurus, pius, & iuſtus, & deuotus: Præterea recedit à curioſitate, quantum poteſt, non immiſcens extraneas, vel ſæculares doctrinas more multorum, ſed dum ſtudet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem, & religioſitatem affectus: vnde factum eſt, vt ab indeuotis ſcholaſticis, quorum (proh dolor) maior eſt numerus, ipſe minùs

Gerſon, lib. 1. de exam. Doctor.

extiterit frequentatus. Cùm tamen nulla ſublimior, nulla diuinior, nulla ſalubrior, atque ſuauior ſit doctrina. Vnde de eo verè dicitur illud Chriſti Saluatoris de Ioanne, Matth. c. 5. *Erat lucerna ardens, & lucens.* Hæc doctiſſimus Gerſon. Dignum ſanè tanti Doctoris de Sancto Doctore elogium.

Ecce dilectiſſimi, & ſtudioſiſſimi Patres, quomodò Seraphicam concupiſcentibus ſapientiam, necnon bona ventura ſuſpirantibus nobis aptior vnquam non poterat occurrere Doctor, quàm Doctor noſter Seraphicus Sanctus Bonauentura, qui ſuo vel ſolo nomine, quaſi felici omine certo certiora nobis omnia bona pollicetur. Et ſicut idem Seraphicus Doctor *in proloq. lib.* 1. *Sent.* afferens textum ſupracitati ſancti Iob, *Profunda fluuiorum ſcrutatus eſt*, offert illa quatuor flumina Paradiſi peruadanda in quatuor libris Sententiarum, vt ad profunda ſcientiarum arcana, ſeu potiùs ad fructum ſcientiæ boni, & mali, & ad lignum vitæ percipiendum, & deguſtandum quis peruenire poſſit; ſic & nos ipſius ſalutaria documenta ſequentes firmiter aſſerere poſſumus, quòd per hæc quatuor flumina in poſſeſſionem Paradiſi ducentia intelligi poſſint quatuor viæ, quæ ſternuntur tum in Logica, tum in Phyſica, tum in Animaſtica, tum in vniuerſali Metaphyſica, per quas tanquam per flumina peruenitur ad poſſidendum Paradiſiacum Viridarium habituum ſcientiarum humanarum, & ad deguſtandum lignum vitæ, quod nobis in Theologia ſacra offertur.

Primvs namque fluuius egrediens à fonte illo Paradiſi dicitur Phiſon, ſeu Ganges, qui circuit terram Evilath, in qua naſcitur aurum, viam Logicæ ſignificat, quæ, cùm ſit ſcientiarum janua, ſui decurſus circuitu ad auream nos perducit veritatem. Secundus, ideſt Gehon, qui eſt Nilus, omnem terram Ethiopiæ circundans, eſt Phyſica via, quæ totum corpus naturale, quaſi dixerim Æthiopicum ob cauſarum ſuarum obſcuritatem

Digitized by Google

tatem, conſiderat. Tertius eſt Tygris, & interpretatur ſagitta, acutè, & velociter Aſſyriam alluens: Metaphyſicam Animaſticam diſcurrit, anima enim velociſſimè, & acutiſſimè penetrat per omnes partes corporis, eas animando, & viuificando; & ad omnia entia intelligibilia peruolat. Quartus eſt Euphrates, & interpretatur frugifer, irrigans terram Promiſſionis, nobiſque demonſtrans Metaphyſicam vniuerſalem, entiſque perfectam cognitionem, ad quam tanquam ad optimum fructum tandem Philoſophus peruenit, & in quo omnia entia veluti exſtillata, & ab omni materialitatis fæce expurgata inueniuntur, & vt dulciſſimus animæ eſurienti, & ſitienti cibus, & potus proponuntur. Hæcque ſunt quatuor flumina, quibus gradatim peruenitur ad fruitionem Viridarij Paradiſiaci habituum ſcientiarum, & ad deguſtandum tandem lignum vitæ, quod in Sacra Theologia exhibetur, offerens, & afferens cognitionem, & excitans ad amorem Dei Vnius, & Trini, & Chriſti Seruatoris, in quo conſiſtit vita æterna.

QVISQVIS igitur ad tanta bona, & ad virentia Paradiſi peruenire deſiderat, his quatuor doctrinarum alueis ſe committat, ſicque eorum aduerſo ducatu diligenter laborando perueniet ad optatam felicitatem. Sed quomodò perueniet? An non collocauit Deus ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium ad cuſtodiendam ligni vitæ viam? Ita planè, ait ſacer Textus *Geneſ. c.* 3. En dilectiſſimi diſcipuli perbellum myſterium.

TE, mi ſancte Bonauentura, te in Cherubico illo Paradiſi cuſtode, ob doctrinæ tuæ Cœleſtem planè ſubtilitatem refulgentem agnoſco. Tuum, mi ſancte Doctor, tuum planè Seraphicum erga Deum amorem in flammeo illo gladio ardere intueor: Tibi ergo iure merito Bonauenturæ Seraphico Paradiſi bona ventura commiſit, per quem, & per ſubtilem

Digitized by Google

tuam doctrinam ad veram Dei vitam, atque ſapientiam ſolus aditus patet, atque poſſeſſio.

Bonaventvra, ait citatus Gerſon (*de laud. eius*) veriſſimo nomine Seraphicus, ſimul & Cherubicus eſt, quia inflammat affectum, & erudit intellectum, reducit, & vnit ad Deum per amorem excitatiuum. Igitur quiſque ad ſcientiæ vitalis lignum in Paradiſo radicatum per doctrinas Seraphicas Bonauentura Ductore, & Doctore feſtinare contendat.

Ab his certè timor ille filialis erga Deum Patrem deuotis ſtudentibus abundè donatur, qui cum amore Diuino perfectè coniunctus, vniuerſæ ſapientiæ initium decantatur à Spiritu ſancto. *Initium ſapientiæ timor Domini.* In gladio vtique Seraphico vibratur timor, & in eodem flammeo ſpirat amor.

Hoc itidem ſcientiæ omnis breue compendium Sanctus Pater Franciſcus cuidam Fratri ſtudere cupienti propoſuit, dicens: Summa totius ſcientiæ eſt timere, & amare Deum. Hoc eſt, quod expetebat Dauid dicens: *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Super quæ verba ait Seraphicus Bonauentura: Tres ſunt viæ, quæ ducunt ad patriam: ſcientia, diſciplina, & bonitas: per bonitatem itur ad diſciplinam, & per diſciplinam ad ſcientiam. Timentes igitur, & amantes Seraphici Doctoris veſtigia proſequamur: ſic per hæc quatuor flumina ad Paradiſum optatum, & ad lignum vitæ feliciter perueniemus.

Pſal. 118. S. Bonau. ſerm. 2. & 19. in Hexaëm.

Hoc igitur Paradiſiacum Viridarium Logicæ, & Philoſophiæ vobis aperio, ad hoc vos inuito: immò ipſum vobis aperit, vos inuitat Seraphicus Bonauentura. Hoc nihil vtilius perquirere, hoc nihil iucundius reperire, hoc nihil amœnius inuenire poteritis: locus eſt genialis totus, ac plenus deliciarum, virentibus herbis veſtitus, recentiſſimis floribus ornatus, pellucidis fontibus irriguus, feliciſſimis arboribus conſitus, opacis nemoribus coronatus, pulcherrimis areolis diſtinctus, ſingulis tramitum ſulcis diuiſus,

uiſus, omnibus gaudentis naturæ donis accumulatus: & vt dicebat Horat. hinc tibi copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu, vel vt D.Baſilius de Paradiſo: Illic florem non ad breue tempus fulgentem, ſed durabilem iucunditatem habentem, gratum aſpectu, indeſinentem delectationem præbentem, inſatiabilem fragrantiam redolentem, & coloris præſtantiâ inſigniter coruſcantem, non ventorum violentiæ exſolvunt, non nouilunia tabefaciunt, non glacies congelat, non ſolis ardor comburit: locus eſt, in quo exortus eſt lucis, in quo deliciæ animæ, & pulchritudo virtutis à multifaria ſapientia initium habent. Igitur in geniale, ſcilicet vtriuſque eruditionis tum humanæ, tum Diuinæ domicilium à Seraph. Doct. introducimur, flaccidis librorum ambulationibus compoſitum, gratiſſimis problematum areolis diſtinctum, ingenioſis argumentorum puluinis ornatum, venuſtiſſimis omnibus ſapientiæ floribus coronatum, ita vt licebit cuilibet, vt libuerit, fructus excerpere, guſtumque mentis delitiis affluentibus plenum reddere.

Horat. lib. 1. od. 17.

S. Baſil. conſ. de Parad.

HABETIS igitur Paradiſum Philoſophiæ Seraphicæ apertum. Sed quo fundamento (dicet aliquis) præfigimus his tractatibus titulum Logicæ, & Philoſophiæ Seraphici Bonauenturæ, ſi de ſola Theologia, tum Scholaſtica ſuper quatuor libros Magiſtri, tum poſitiua ſuper libros veteris, & noui Teſtamenti, tum Myſtica, tum morali tractationem in decem tomos, ſeu partes diſtributam è manibus ſancti Bonauenturæ Mundus, & & Eccleſia habet? Vndenam nobis ſitientibus aquæ Philoſophicæ percurrent? At id optimo fundamento: nam, vt rectè obſeruauit Gerſon *p. 2. tit. de legend. Doct.* Seraphicus Doctor duas vias in ſuis ſcriptis nobis aperit: alia eſt, quâ à Deo vt primo rerum principio ad alias veritates habendas procedit: alia è contra progreditur à creaturis ad primam cauſam:

prima eſt Theologica: ſecunda Philoſophica; vniuerſa enim opera Domini tot ſunt riuulis Philoſophiæ diſperſa, & ex ipſis recto ordine coadunatis flumina ad noſtram ſitim explendam ſufficientia; & hinc tot flores, & fructus hoc iucundiſſimum viridarium, Paradiſumque componentes.

HINC placuit ſic inſcribere totum Seraphicæ Philoſophiæ, & Theologiæ curſum, tum propter rerum incredibilem varietatem, tum propter iucunditatem, quam inde mens percipere poteſt, tum maximè, quia hos flores, & fructus per ſcripta S. Doctoris diſperſos ſtudioſus maximo, & verè improbo labore per plures annos impenſos perpeſſo legi, & collegi: & vt dicebat Horatius, apis Matinæ More, modoque Grata carpentis thyma per laborem Plurimum circa nemus, vuidique Tiburis ripas: ex quibus ſic collectis, & redactis in ordinatum curſum, & vt efformatum in variegatum viridarium continens & flores, & fructus totius Logicæ, & Philoſophiæ, totum vobis propono. At aduertite, ne venena, vt aranea, ſed mella, vt apis ſedulò legatis: quod ſi primum facietis, Cleopatram in veſtram peſtem; ſi ſecundum, Poëtas in veſtram vtilitatem imitabimini, qui quidem floriferis, vt apes, in ſaltibus omnia libant, vt
Lib. 3. dicebat Lucretius. In id igitur mei laboris induſtria primò, ac principaliter incumbet, vt mens Seraphici Doctoris in quali-bet quæſtione, quoad fieri poterit, omnibus eluceſcat: qua poſteà cognitâ, ad celebriores Doctorum opiniones deueniam, vel vt Bonauenturiſticæ ſententiæ conuenientes approbem, vel vt ab eodem diſſentientes reprobem, nullatenus ipſum Sanctum Doctorem violenter trahendo ad partes vel Scotiſtarum, vel Thomiſtarum, vt à pluribus communiter factum eſt: qui licèt aliàs doctiſſimi, velut educati in aliqua ipſarum Scholarum, extorquentes ſenſum germanum ſancti Doctoris, pace ipſorum potiùs Aduerſarij, quàm Commentatores ſancti Bonauenturæ

exiſtiman

exiſtimandi ſunt, quod & aduertit doctiſſimus Ferchius Velienſis tomo primo de Angelis, verè fideliſſimus Bonauenturiſta: nec enim tantus Doctor, & inter Doctores ſcholaſticos facilè Princeps indiget principiis aliarum Scholarum, cùm & ipſe ſuam ſeiunctim ſcholam cum propriis fundamentis in multis ab aliis diſſentiens conſtruxerit, vt patebit in decurſu huius Philoſophicæ tractationis.

Et vos ter, quaterque felices dilectiſſimi Patres, ad hanc Seraphicam flammam vocati Bonauenturiſtæ Diſcipuli, quid non luminis, quid non flaminis percepturi eſtis in hac Schola? Ab hoc Seraphico Cherubino accipietis & gladium ancipitem, hancque appellò Dialecticam, quia & ſeparat rerum naturas, & intimas in medullas ipſarum rerum, & naturarum penetrat, & fabredolatos dolos cauillantium Sophiſtarum vno ictu præſcindit, & ad ſcientias tum humanas, tum Diuinas excolendas aptiſſima eſt: quo gladio muniti, premi quidem poteritis aliquando, ſed nunquam opprimi. Ergo perpetim volate, accedite deuoti, & in tanto Bonauenturæ lumine doctrinarum lumen videte, Diuini amoris igne ardete. Hoc Seraphicæ Scholæ ſplendidiſſimum ſtemma vobis idem propono, gladium flammeum in Paradiſi foribus Cherubico Bonauenturæ brachio vibratum, atque inſcriptum: Et vrit, et Secat: vel, Hac iter: cuius ſit ſenſus talis: Et lucet, & ardet Bonauentura Magiſter docens, & amans. Et vos ergo Diſcipuli eius doctrinâ lucentes, & eius ardore feruentes, tanto Doctore digni inueniemini: vnde tandem aliquando cum Bonauentura Seraphico in Paradiſo Scholaſtico Seraphicam vos quoque ſapientiam profitentes, bona ventura in Paradiſo beatifico poſſidere mereamini in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hic

Digitized by Google

Hic ſubijciuntur aliqua monita à Seraphico Doctore ex SS. PP. ſtudentibus expoſita in op. Phar. lib. 1. cap. 25. & ſerm. 2. de vno S. Doct. & ſparſim ex aliis pluribus locis.

PRIMÒ rectam intentionem debet in ſtudio ſibi præfigere Studens Minorita, ita vt non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, vel aliquid ſimile, ſed tantùm ad ædificationem ſuam, vel proximi addiſcere curet: vt Deo placeat, vt eius beneplacito, & obedientiæ præſcripto ſe accommodet, vt Deum magis cognoſcendo ardentiùs diligat, & feruentiùs illi ſeruiat, vt idoneus Miniſter Euangelij fiat, & vt animas Chriſti Sanguine redemptas, præcipuè rudiores, & magis doctrinæ indigas ad Deum per bonam vitam ire compellat: idque erit gratum Deo ſacrificium. Aliàs in malum omen ipſius verificabitur, quod dicit ſanctus Iob cap. 20. *Panis eius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.*

SECVNDÒ, hinc facile ſtudenti erit ſtudia cum virtute coniungere: virtus enim facit ſanctum, ſtudium literatum, quo nihil deſiderabilius: aliàs de ipſo dicetur cum Pſalmiſta: *Noluiſti intelligere, vt benè ageres: iniquitatem meditatus es in cubili tuo: aſtitiſti omni viæ non bonæ; malitiam autem non odiſti.* Pſ. 35. Ne ergo ex ſcientia damneris, aut minor, & pauperior efficiaris, cura ſcientiam cum virtute coniungere, & ad hoc illam acquirere, vt ſingulis diebus melior fias, & quò doctior efficieris, eò in maiorem animæ puritatem euadas. Hinc bonus Studens Religioſus eſt humilis ad Deum, ad Magiſtrum, & ad Proximum: attentus ad audiendum, & ad exercitium; docilis ad intelligendum, & beneuolus ad retinendum. Sic Seraphicus Doctor *in Io. cap. 6.*

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò, vt nunquam ſtudium incipiat, niſi poſtquam à Domino, qui eſt Deus ſcientiarum, & à quo præparantur cogitationes, gratiam, lucem, & intelligentiam ad diſcendum humiliter poſtulauerit, exemplo Seraphici Magiſtri, qui ad Crucifixum ſemper ante ſtudium recurrebat, à cuius vulneribus ſe proteſtatur tot lumina, & tantam intelligentiam recepiſſe. Idem & practicabat D. Thomas Aquinas.

Hinc ad rem noſtram S. Vincentius Ferrerius *lib. de Vita ſpirituali, c.* 11. admonet, vt ſtudens aliquando, dum incumbit ſtudio veritatum Philoſophicarum, vel Theologicarum, ipſum interrumpendo, ad Deum, præcipuè ad Crucifixum, & ad eius plagas mentem efferat; vel etiam oculos corporis per amoris, vel alicuius virtutis affectum eleuet. Hæc enim erat praxis Seraphici Doctoris, vt faſſus eſt Angelico Doctori. Vnde ſacrum, & ſanctum conſilium, & praxis eſt illorum, quæ lecta, & intellecta, & memoriæ mandata non ſolùm ſecum conferunt, ſed ad Dominum, cum ipſo colloquendo, tanquam balbutientes filioli, eadem repetunt, vel ad ipſum recurrunt, vt det rectam intelligentiam. Sic proteſtatur D. Auguſt. ſuam fuiſſe hanc praxim, *lib.* 11. *Confeſſ. cap.* 12.

Quartò, ſi ingenio, ac ſubtilitate intelligendi polleas, ſi ſociis emineas, ſi aliis ob tuam peritiam coniunctam cum naturalibus pergratis moribus placeas, & amoris tuæ propriæ vilitatis memineris, viam humilitatis ne deſeras, à qua ſi deuiaueris, fortè (quod & in pluribus viſum eſt) in præceps rues. Si verò hebes fueris ingenio, ineptus eloquio, & aliis poſtpoſitus, caue ne triſtitiâ abſorbearis, nec magnum aliquid & deſiderabile tibi deeſſe exiſtimes; ſed mentis puritate, & morum probitate, & omnimoda reſignatione in diuina voluntate aliis eminere curato; tempuſque, quod alii proficiendo in ſtudio inſumunt, cura vt

in oratione, vel aliis exercitiis virtutum à te impendatur: quod ſi feceris, nullâ ratione aut minor reliquis, aut vilior reputaberis.

ORATIO ANTE LECTIONEM.

DOmine, iſte viliſſimus ſeruus, & omni bono indignus vult ingredi ad videndum theſauros tuos: placeat tibi, vt ipſum indigniſſimum introducas, vt des ipſi in his verbis, & ſanctâ lectione tantùm te diligere, quantùm te cognoſcere; quia nolo te cognoſcere, niſi vt te diligam, Domine Deus, &c. Amen.

ALIA ORATIO.

CReator ineffabilis, qui de theſauris ſapientiæ tuæ tres Angelorum hierarchias annotaſti, & eos ſupra Empyreum miro ordine collocaſti, atque elegantiſſimè partes vniuerſi diſtribuiſti: tu, inquam, qui verus fons luminis, & ſapientiæ diceris, atque ſupereminens principium, infundere digneris ſuper intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis, duplices in quibus natus ſum, à me remouens tenebras, peccata, & ignorantiam. Qui linguas infantium facis eſſe diſertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi lumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, loquendi gratiam copioſam: ingreſſum inſtruas, progreſſum dirigas, egreſſum compleas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen

ALIA ORATIO EX LANSPERGIO.

IESV dulciſſime, da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo: illumina cor meum, vt ſciam, velim, & faciam quod acceptum coram te ſit omni tempore. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es. Da mihi Domine, ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, quæ intellectum meum illuminet, cor meum purificet, & affectum meum inflammet, ad cognoſcendum, & amandum te Dominum Deum meum in omnibus, & ſuper omnia. Amen.

PHILO

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS diuiſio ex Seraphico Doctore Serm. 4. in Hexaëm. & ex opuſculo, cui titulus, Principium Sacræ Scripturæ; & ex Itinerario mentis.

1. RATIONALIS Philoſophia inde dicta, quòd doceat ratiocinari, animæ actus ſeipſis obliquos rectos facere ſtudens, iure meritò à ſancto Doctore in tres partes diſtinguitur, ſcilicet in Grammaticam, Logicam, & Rhetoricam.

QVICQVID enim eſt in anima, aut eſt per modum conceptus, aut aſſenſus, aut affectus: & quia potentiæ animæ ob peccatum Adæ adeò ſuis penſis peragendis ineptæ redditæ ſunt, vt neque intellectus rectè intelligere, nec ratio rectè diſcurrere, nec voluntas benè operari valeat: hinc indigent habitibus, vt ad rectas operationes exire, & ſua munia facilè exercere valeant: & ob id ad exprimendos conceptus animæ adinuenta eſt Grammatica; ad aſſequendum aſſenſum Logica; & ad excitandum affectum Rhetorica. Prima enim apprehendit, & exprimit per ſermonem congruum: ſecunda docet, & iudicat per ſermonem verum; & tertia mouet per ſermonem ornatum.

2. IN Grammatica enim omnis pars orationis ſignificat mentis conceptum. Per nomen ſignificat ſubſtantiam, & qualitatem. (Nota hîc ex Seraphico Doctore *lib.1. diſt. 22. art. 1. q. 1. ad vltimum*, per ſubſtantiam intelligi ſuppoſitum, ſeu *quod*: per qualitatem *quo*; ſcilicet cognoſcitur ex hoc per modum quietis, vt Pater, ideſt aliquis habens paternitatem.) Per verbum ſignificat motum, ſcilicet inclinationes animi, quia indicatiuum exprimit inclinationes rationalis; per imperatiuum iraſcibilis; per optatiuum concupiſcibilis; per ſubiũctiuum inclinationes vtriuſque ſimul. Deinde infinitiuus ſe habet per modum materialis, & indifferentis ad omnes. Determinat etiam de litera, de ſyllaba, de dictione, & oratione per octo partes, perque varios modos ſignificandi, à rebus ipſis originantes: vnde non poteſt eſſe bonus Grammaticus, niſi ſciat res, calleatque Philoſophiam.

3. LOGICA item inducit ad mentis aſſenſum per ſolidam argumentationem, quæ habet formam grammaticalem, & ſpecialem in materia neceſſaria, de qua agitur in prima, & ſecunda analyſi: & etiam in materia probabili per loca topica, de qua in Topica agitur: & quia in his cadit deceptio, adduntur loci ſophiſtici, vt ſciat homo diſſoluere fallacias: & quia iſti modi trahunt originem à rebus, hinc additur tractatus de Prædicamentis, ad quorum rectum vſum Logicalem eſt neceſſaria cognitio de prædicabilibus, & enunciationibus.

4. VLTIMÒ Rhetorica tota eſt ad mouendum affectum; ideo vtitur triplici genere cauſarum, ſcilicet demonſtratiuo, deliberatiuo, & iudiciali. Primum enim genus reſpicit perſonam: ſecundum rem faciendam: tertium rem factam, & ad hoc indiget quinque partibus Rhetoricæ; ſicque Orator, & Concionator

Euangelicus in vinea Domini ſe exercens fructum plurimum affert.

Ex quibus cùm Logica adinuenta ſit ad operationes intellectus dirigendas in veritatis cognitionem, & vt dicit Seraphicus Doctor *in opuſc. de reductione artium*, & *ſerm.* 1. 4. & 5. *in Hexaëm.* cùm illuminet ad cognoſcendas rationes intelligendi, patet quàm ſit neceſſaria, & vtilis: oſtendit enim methodum, quâ occulta manifeſtare, confuſa diſcernere, errores repellere, veritatem aſſequi, & confirmare poſſimus; ob id eius materia remota ſunt omnes res, circa quas intellectus verſari poteſt: proxima verò ſunt ipſæ operationes intellectus vt dirigibiles, vt ſuo loco dicetur.

5. Hinc Logica rectè diuiditur in tres partes ſecundùm tres mentis operationes, vt docet cum communi Seraphicus Bonauentura *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *dub.* 1. & *diſt.* 28. *dub.* 1. & *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 2. *p.* 2. *dub.* 2. & clariſſimè *in opuſc. Itiner. mentis*, *cap.* 3. vbi ait, operationem virtutis intellectiuæ eſſe in perceptione intellectus terminorum, propoſitionum,& illationum: ſignificatum autem terminorum capit per definitionem: ſignificatum propoſitionum per iudicium, & cognitionem reflexam talis veritatis, ſcilicet per affirmationem, vel negationem: & ſignificatum illationum per diſcurſum: Quare iure merito prima operatio intellectus dicitur ſimplex apprehenſio, quando ſcilicet intellectus apprehendit id, quod per nomen ſignificatur abſque aliqua affirmatione: v.g. apprehendo hominem abſque eo quod aliquid prædicem, vel affirmem de ipſo.

Secunda dicitur à Seraphico Doctore ſemiplena reſolutio, ſeu iudicium, quando ſcilicet aduertens me cognoſcere hominem,affirmo de illo, quod ſit tale animal, vel doctus, vel bonus.

Tertia dicitur plena reſolutio, & comparatio, ſeu diſcurſus, quando cognoſcendo v.g. hominem eſſe animal rationale, addo: *Petrus eſt homo: Ergo eſt animal rationale.*

Hinc in tres partes diuiditur Logica,& præcipuè tractatus Summularum. In quarum prima agitur de terminis ſimplicibus reſpondentibus primæ intellectus operationi: In ſecunda de enunciationibus, ſeu propoſitionibus reſpondentibus ſecundæ operationi: In tertia de diſcurſu, ſeu argumentatione reſpondente tertiæ operationi intellectus.

CAPVT PRIMVM.

De natura Logicæ, eiuſque inſtrumentis.

6. Seraphicvs Bonauentura pluribus locis, & præcipuè *ſerm.* 1. 4. & 5. *in Hexaëm.* & *libello de reductione artium*, appellat Logicam ſcientiam ſermocinalem, & rationalem, & iure merito: nam Logica dicitur à λόγος voce Græcâ, & etiam dicitur Dialectica, à διαλέγομαι, id eſt diſſero, quaſi duorum, vel inter duos ſcientia diſputatrix: ſed veriùs dicitur rationalis, quàm ſermocinalis, ne videatur eius obiectum eſſe vox externa: & licèt Ariſtoteles vocet Dialecticam eam partem tantùm, quæ dicitur Topica, quæ agit de ſyllogiſmo probabili; communis tamen vſus aſſumit

Digitized by Google

aſſumit hoc nomen ad ſignificandum totam Logicam.

Hincqve infertur, quod Logica ſic definiri poteſt: *Habitus intellectualis, ſcientificus, inſtrumentalis, directiuus operationum intellectus in ordine ad verum in aliis ſcientiis aſſequendum.*

Et quia ad dirigendas huiuſmodi rationis operationes intellectus indiget ſuis inſtrumentis; hinc triplex genus inſtrumentarium aſſignatur in Logica à Philoſophis, ſuntque, vt ait ſanctus Bonauentura *in proœm. Breuil. verſus finem*, Definitio, Diuiſio, & Argumentatio. Hiſque vtitur quælibet ſcientia.

Definitio eſt oratio explicans naturam rei: diciturque oratio, quia non poteſt eſſe vnicus terminus, vt *homo*, ſed debet eſſe aggregatio plurium terminorum, vt eſt hæc: *Homo eſt animal rationale.* Ly *animal rationale*, eſt definitio hominis, in qua præcisè nulla eſt affirmatio, vel negatio; & ob id definitio eſt directiua primæ intellectus operationis.

Divisio eſt ſecundum inſtrumentum Logicum, directiuum ſecundæ operationis intellectus; eſtque oratio totum in ſuas partes diſtribuens, vt *Animalium aliud eſt rationale, aliud irrationale.* Huic affinis eſt compoſitio, vel affirmatio, & negatio; nam diuiſio non poteſt fieri niſi mediante affirmatione, vel negatione, vt *Homo eſt animal*, *Homo non eſt equus.*

Argvmentatio eſt tertium inſtrumentum dirigens tertiam intellectus operationem, ſcilicet diſcurſum, eſtque oratio conſtans pluribus propoſitionibus, in qua vnum infertur ex alio, vt *Omnis homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, *Ergo eſt animal.* De quibus omnibus inſtrumentis fuſiùs infrà agetur ſuo loco.

DE SPECTANTIBVS ad primam intellectus operationem.

CAPVT II.

Definitur terminus, & traditur prima diuiſio termini in communi.

7. Qvas Grammatici dictiones, Dialectici terminos vocant, quibus clauduntur propoſitiones; dicunturque termini ad ſimilitudinem terminorum, quibus agri, vel alia corpora clauduntur: intra terminos enim eorum cótinetur quicquid ſpectat ad talem agrum, vel rem: & extra eos nihil eſt ſpectans ad ipſam.

Hinc definitur terminus Logicus: *Terminus eſt extremum, in quod reſoluitur propoſitio, vt in ſubiectum, & prædicatum.* Vtque hæc definitio intelligatur, aduerte quod propoſitio eſt oratio in qua aliquid affirmatur, vel negatur de aliquo, vt *Homo eſt animal*: in qua homo dicitur ſubiectum, & animal prædicatum, & ly *eſt*, dicitur copula: ſubiectum enim eſt de quo aliud dicitur, id eſt de quo prædicatum dicitur, vel affirmatur, vel prædicatur, vel negatur. Sic de homine dicitur quod ſit animal. Prædicatum verò eſt id, quod prædicatur de ſubiecto. Sic animal eſt prædicatum: & ſi eſt propoſitio negatiua, vt *Homo non eſt equus*, prædicatum negatur de ſubiecto, id eſt equus negatur de homine. Modò terminus eſt extremum in quod reſoluitur propoſitio, ſicque quælibet propoſitio habet duo

Digitized by Google

extrema, aliud ſubiectum, ſcilicet *Homo*, in allata propoſitione; & aliud prædicatum, ſcilicet *animal:* & ly *eſt*, copulat prædicatum cum ſubiecto.

TERMINVS alius eſt mentalis, alius ſcriptus, alius vocalis. Sic S. Bonau. *in Pſal.* 118. *verſ.* 25. *primæ expoſitionis.* Mentalis eſt in quem reſoluitur propoſitio concepta tantùm mente; & hic alius eſt formalis, ideſt ipſa cognitio; alius obiectiuus, eſtque res cognita: vt ſi concipio mente, quod homo ſit animal, illa cognitio eſt terminus formalis: at homo, & animal cognitum eſt terminus mentalis obiectiuus. Idem dic proportionaliter de termino ſcripto, & de vocali. Item mentalis alius eſt vltimatus, alius non vltimatus. Non vltimatus eſt v. g. ſi audio vocem Hebræam, non callens talem linguam, habebo conceptum non vltimatum: ſi verò eius ſignificationem intelligo, tunc habebo conceptum vltimatum. Sed quia licèt Logica verſetur circa mentis operationes, tamen quia per voces nobis res innoteſcunt; hinc relictis terminis mentalibus ad Metaphyſicos, & ſcriptis ad Grammaticos, de vocalibus tantùm hîc agemus, quatenùs ſunt expreſſivi mentalium terminorum, & rerum ſignificatarum.

CAPVT III.

De termino vocali ſignificatiuo. Item & de ſigno in communi.

8. TERMINVS vocalis alius eſt non ſignificatiuus, qui ſcilicet nihil ſignificat per ſe, vt *Blictri*, *Bif*, *Baf*; rejiciturque à Logica: hic enim non inſeruit ad veritatem, vt notat D. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. Alius eſt ſignificatiuus, qui aliquid ſignificat. Et quia ſignificare eſt aliquid exprimere per ſignum, ideſt repræſentare intellectui aliud à ſe, hinc de multiplici ſigno, ſeu termino ſignificatiuo ſequentia ex Sancto Bonauentura ſubiungimus.

SIGNVM eſt id, quod præter ſui cognitionem præuiam, etiam alterius rei cognitionem ingerit. Sic ex D. Aug. *lib.* 1. *de Doctr. Chriſtiana*, *cap.* 2. & ex Sancto Bonauentura *lib.* 4. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in argumentis* 4. & 5. *ad oppoſitum*, & *lib.* 1. *diſtinct.* 1. *dub.* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. Sic fumus eſt ſignum ſignificans ignem. Vnde ſignum propriè duplicem cognitionem ingerit in noſtro intellectu (ait S. Doctor) ſcilicet & ſui, & rei ſignificatæ. Dixi ſignum propriè; nam ſignum aliquod datur, quod abſque præuia cognitione ſui aliquid repræſentat, vt ſunt actus intellectus, quos non priùs cognoſcimus, ſed ipſi per ſe ſunt expreſſæ ſimilitudines rerum, & dicuntur ſigna formalia; ſed tamen impropriè ſunt talia, quia propriè tantùm ſignum eſt, quod præter ſui cognitionem præuiam aliud repræſentat.

9. SIGNVM (ſubdit Sanctus Bonauentura *loc. cit. lib.* 4.) aliud eſt naturale, quod naturaliter aliquid ſignificat, vt veſtigium animalis, gemitus, ſuſpiria. Aliud eſt artificiale, quod ſignificat aliud ex arte, & inſtituto hominum, vt ſignum in taberna; & ſunt alia nomina, quæ induſtriâ hominum adinuenta ſunt ad ſignificandas res, vel conceptus interiores, vt homo, lapis, genus, ſpecies, &c.

AD hoc autem vt ſignũ ex inſtituto ſignificet, requiritur primò res ſignificata. Secundò ratio innoteſcendi, ideſt

ideſt connexio ſigni ad ſignatum, ordinata ab ipſo inſtituente primo. Sic Seraphicus Doctor *lib.* 1. *diſt.* 22. *art.* 1. *q.* 2. *in corp.* & *lib.* 4. *diſt.* 1. *art.* 1. *quaeſt.* 2. *ad* 5. & *lib.* 3. *diſt.* 38. *dub.* 3. Vnde voces inarticulatæ pſittaci, & affirmatiuæ pro negatiuis à veritate ſigni aberrant. Quare terminus ſignificatiuus Logicus ſic definitur: *Signum eſt vox ſignificatiua ad placitum.* Dicitur *vox*, ad excludendum terminos ſcriptos, & mentales. Dicitur *ſignificatiua*, ad excludendum terminos non ſignificatiuos. Dicitur *ad placitum*, ideſt ex voluntate inſtituentium, ideſt authoritate publica, ad excludendum voces ſignificantes naturaliter, vt ſuſpiria; & etiam improprias, & metaphoricas, vt agnus ſignificans Chriſtum, Nero hominem crudelem.

CAPVT IV.

De variis diuiſionibus Termini ſignificatiui.

10. QVIA terminus ſignificatiuus poteſt ſumi vel ſecundùm formalem ſignificationem, quam importat, vel ſecundùm ipſas res ſignificatas: primo modo ſumitur ſecundùm ſuam rationem formalem, ſecundo modo ſecundùm rationem materialem. Hinc in hoc capite traditur diuiſio ſecundùm primam conſiderationem, ſcilicet ſecundùm rationem formalem ſignificationis, & ſic diuiditur multipliciter.

TERMINVS vocalis ſignificatiuus primò diuiditur in cathegorematicum, & in ſyncathegorematicum. Cathegorematicus, ideſt ſignificatiuus (ait Sanctus Bonauentura *lib.* 1. *diſt.* 21. *art.* 1. *quaeſt.* 1.) eſt, qui ſolitariè ſignificat, ideſt per ſe ſumptus aliquid ſignificat determinatè, poteſtque in propoſitione eſſe integrum ſubiectum, vel prædicatum: vt *Homo, Lapis, Petrus, &c.* Syncathegorematicus, idemque ac conſignificatiuus eſt, qui per ſe, & ſeparatus non ſignificat aliquid; iunctus verò cathegorematico facit illum aliter ſignificare, vt *Omnis, Nullus, Aliquis*: vt, *Aliquis homo currit.* Vnde ait Sanctus Bonauentura citatus, terminum ſyncathegorematicum eſſe diſpoſitionem, ſeu modum cathegorematici, quia ipſum modificat: ob idque rectè dicitur cathegorematicus ſignificare aliquid, ſyncathegorematicus aliqualiter: & hinc optimè comparatur literis conſonantibus, quæ licèt per ſe non ſonent, iunctæ tamen vocalibus faciunt illas aliter, & aliter ſonare.

His ſolet communiter addi terminus mixtus, qui ſcilicet virtualiter includit duas voces, quarum altera eſt terminus cathegorematicus, altera ſyncathegorematicus, vt *Nemo*, ideſt nullus homo: *Deuotè*, ideſt modo deuoto.

11. SECVNDÒ terminus cathegorematicus diuiditur in complexum, & incomplexum. Complexus eſt ille, cuius partes ſeparatæ retinent eandem ſignificationem, quam habebant, vt *Homo iuſtus*: per quod excluditur à ratione termini complexi ille, cuius partes ſeparatæ aliter ſignificant, quàm in toto, vt *Dominus, Sacerdos*: vbi ly *do*, & *minus*; & *ſacer*, & *dos*, variant ſignificationem.

INCOMPLEXVS eſt, cuius partes ſeparatæ nihil ſignificant, vt *homo.* Ex quibus infertur, vt optimè notauit

Digitized by Google

Tartaretus, terminum complexum eſſe illum, cui correſpondet multiplex conceptus in mente: incomplexum verò, cui reſpondet vnicus conceptus, vt *Marcus Tullius Cicero* eſt terminus incomplexus. Hinc Sanctus Bonauentura *lib.*4. *diſt.*8. *p.*2. *art.* 2. *quæſt.*2. *ad* 3. ait, terminum incomplexum eſſe illum, cuius partes habent ſimul vnam inſtitutionem. Quare, ſubdit Seraphicus Doctor *lib.*1. *diſt.*41. *art.*2. *quæſt.*1. & *lib.*3. *diſt.*24. *art.*1. *quæſt.*2. *ad* 3. tota complexio, & incomplexio notat diuerſitatem, non à parte rei, ſed à parte modi comprehendendi intellectus.

12. Tertiò, terminus incomplexus diuiditur in abſtractum, concretum, abſolutum, & connotatiuum.

Abstractvs eſt, ait S. Bonauentura *lib.*1. *diſt.*4. *art.*1. *quæſt.*1. qui imponitur formæ ab ipſa forma, ideſt ſignificat formam per modum incompoſitum, & ſimplicem, vt Albedo, Humanitas, Sapientia. Concretus eſt nomen impoſitum à forma, non formæ, ſed ſuppoſito, quod concernit; ideſt ſignificat aliquid non per ſe, vt abſtractum, ſed vt in alio exiſtens quod concernit, vt album imponitur ab albedine, non ipſi formæ albedinis, ſed vel parieti, vel alteri ſubiecto; & homo imponitur ab humanitate habenti ipſam. Hìc autem aduertendum ex Sancto Bonauentura *lib.*2. *diſt.*19. *art.*3. *quæſt.*2. *in corp.* & *lib.*3. *diſt.*7. *art.*1. *quæſt.*1. *ad* 2. quod abſtractum, & concretum ſe habent vt principale, & deriuatiuum, idemque ſignificant, ſed diuerſo modo. Et quod concretio propriè dicta reperitur in terminis accidentalibus, impropriè verò etiam in ſubſtantialibus: vnde album propriè eſt concretum, quia duo ſignificat, ſcilicet accidens, & ſubiectum, in quo eſt accidens: homo verò licèt videatur importare duo, ſcilicet humanitatem, & ipſam habentem, tamen de facto ſunt vnum, & idem.

Terminvs abſolutus eſt, qui ſignificat idem, quod apud Grammaticos ſubſtantiuum nomen, ideſt rem ad modum per ſe ſtantis, ſiue verè per ſe ſtet, vt ſunt ſubſtantiæ, vt Homo, Leo, Humanitas; ſiue non per ſe ſtet, vt Albedo, quia hìc conſideratur tantùm modus, quo terminus ſignificat rem: albedo enim verè eſt in ſubiecto, tamen iſte terminus ſignificat ipſam ſolitariè, & veluti per ſe; ideo dicitur terminus abſolutus. Connotatiuus eſt, qui vltrà principale ſignificatum, & in recto aliquid aliud ſecundariò ſignificat, veluti neceſſarium ad habendum perfectum conceptum, & quietatiuum: ſic cœna ex vi nominis importat ſolam comeſtionem, tamen ex modo ſignificandi concernit tempus, per quod habetur conceptus perfectus cœnæ. De his agit ſæpiſſimè Sanctus Bonauentura *in lib.*1. loquens de nominibus Dei, v. g. Creator, Dominus, Prædeſtinatio, æternus, immenſus: & licèt aliqua ſint adiectiua, tamen aliquando ſubſtantiuantur, & abſoluta fiunt, vt in Symbolo D. Athanaſij, *Tres æterni, immenſi, &c.*

Et per hæc patet differentiua inter concretum, & connotatiuum, quòd concretus ex vi nominis duo importat, v. g. Album, ſcilicet albedinem, & ſubiectum. Connotatiuus ex vi nominis vnum tantùm, licèt ex modo ſignificandi, & indirectè aliud conſignificet, ſeu connotet, quod non ingreditur conceptum rei principalis, vt eius pars, ſed veluti ab extrinſeco.

Et

Digitized by Google

Et ob id non omnia connotatiua ſunt concreta, nec è contrà; creatio enim, conſeruatio, & prædeſtinatio ſunt nomina connotatiua, non concreta, ait Sanctus Bonauentura *lib.* 1. *diſt.* 40. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *diſt.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 2. & *diſt.* 41. *dub.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 5. Significant enim Dei actionem æternam de principali; & ſecundariò creaturas. Sic nec concreta ſubſtantialia ſunt connotatiua, vt Homo: ſi verò proferantur more adiectiuo, vt Rationale, & Corporeum, ſic ſunt connotatiua. Item nomina abſtracta, & abſoluta non ſunt idem; homo enim eſt nomen abſolutum, non abſtractum: è contrà verò omnia abſtracta ſunt abſoluta, vel ſecundùm rem, vt Humanitas; vel ſecundùm modum tantùm ſignificandi, vt Albedo.

13. Qvartò: Terminus alius eſt denominans, alius denominatiuus: à Grammaticis primus dicitur principalis: ſecundus deriuatiuus: ſed propriè loquendo ſecundùm Logicos denominatiua ſunt, quæ ſignificant per modum adiacentis, ſeu concreti, ſeu informantis, vt iuſtus à iuſtitia, qui eſt terminus denominans, & ſignificat per modum abſtracti, vt notat Sanctus Bonauentura *lib.* 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 19. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in corp.*

CAPVT V.

De Terminis ſecundùm cauſam materialem.

14. Materialis cauſa termini vocalis eſt ipſa res ſignificata: hæcque eſt multiplex, ob idque & multiplex diuiſio termini.

Primò enim diuiditur in terminum Communem, & Singularem, ſeu Diſcretum. Communis eſt, qui plura diuiſim ſignificat vt conuenientia in vnum tertium, vt Homo, qui ſignificat hominem in communi, & quemlibet in particulari; & aliqualiter etiam hoc nomen Deus, in quo plures perſonæ conueniunt. Sic *lib.* 1. *diſt.* 4. *art.* 1. *q.* 4. *in corp.* & *lib.* 3. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vlt.* Et per id differt à termino collectiuo, vt Populus, Ciuitas; quia non ſignificat quemlibet hominem ſeorſim, & diuiſim. Singularis, ſeu Diſcretus eſt, qui vnam rem ſingularem ſignificat, vt Petrus.

Secvndò Communis diuiditur in tranſcendentem, & non tranſcendentem. Primus eſt, qui conuenit omnibus rebus, & reducitur ad ſex capita; ſuntque, Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, & Vnum; qui ſex literis initialibus huius dictionis continentur, Revbav. Non tranſcendens, ſeu limitatus eſt, qui pluribus conuenit, non tamen omnibus, vt Homo, Animal. Sic Sanctus Bonauentura *lib.* 4. *diſt.* 49. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 2. Tranſcendentia ſpectant ad Metaphyſicum; non tranſcendentia propriè ad Logicum.

15. Tertiò, rurſus terminus communis ſubdiuiditur in Vniuocum, Analogum, & Æquiuocum. Vniuocus eſt, qui ſignificat plura habentia idem nomen, & eandem rationem, ſeu eſſentiam, vt homo reſpectu Petri, & Pauli, &c.

Analogvs eſt, qui pluribus conuenit ſecundùm nomen, & etiam ſecundùm eandem rationem ſignificatam; ſed non participatur ab omnibus æqualiter, vt ſanum dicitur priùs, & propriè de homine, in quo eſt ſubiectiuè ſanitas; ſecundariò de medici-

na, de cibo, de vrina, quibus conuenit non abſolutè ſanitas, ſed per comparationem ad hominem, ſcilicet vel quia ſanitatem cauſant, vel quia ſignificant. Æquiuocus eſt, qui conuenit pluribus ſecundùm nomen tantùm: ſic canis appellatur quædam ſtella, quoddam animal, & quidam piſcis, quæ habent diuerſam eſſentiam. De his egregiè tractat Sanctus Bonauentura plurimis locis, præcipuè *lib.* 1. *diſt.* 1. *dub.* 5. & *ibid. art.* 3. *q.* 1. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 4. *in corp.* & *lib.* 1. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *corp.* & *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 16. *dub.* 4. & *lib.* 3. *diſt.* 34. *part.* 2. *dub.* 1. & deinceps aliàs redibit ſermo.

16. QVARTÒ, terminus ſingularis diuiditur in determinatum, collectiuum, & vagum. Determinatus eſt, qui determinatè aliquam perſonam ſignificat, vel proprio nomine, vt Petrus; vel per demonſtratiuum, vt Hic homo. Vagus eſt, qui rem ſingularem indeterminatè ſignificat mediante termino communi, & ſigno particulari, vt Quidam homo. Collectiuus eſt, qui plura ſignificat vt in vnum collecta, vt Populus, Ciuitas: qui dicitur ſingularis, quia non ſignificat aliquid commune, quod ſingulis inferioribus conueniat, ſicut terminus communis. Addi ſolet & ſingularis ex ſuppoſitione, vt Filius Virginis.

QVINTÒ, terminus diuiditur in terminum primæ intentionis, & in terminum ſecundæ intentionis. Primus eſt, vt ait Sanctus Bonauentura *lib.* 1. *diſt.* 25. *dub.* 3. qui imponitur rei à proprietate eſſentiali ad ſignificandum ipſum ens reale, & ipſam rem, prout eſt in ſe, & à parte rei, vt Homo, Equus. Secundus eſt, qui eſt impoſitus ad ſignificandas res ſub aliquo attributo rationis, ideſt ſecundùm id, quod res habet ex conſideratione intellectus, & quo non afficitur niſi operante intellectu, vt genus, ſpecies, & ſimilia entia rationis, ſiue Logica, ſiue Grammaticalia, quæ non conueniunt rebus, ſed tantùm terminis primarum intentionum per ſolum opus intellectus. V. g. nomen ſubſtantiuum non conuenit ſubſtantiæ, ſed termino, & nomini primæ intentionis, vt Homo, Leo.

17. SEXTÒ, terminus primæ intentionis diuiditur in poſitiuum, & in negatiuum: poſitiuus eſt, qui rem poſitiuam, & veram ſignificat, ponitque, vel ſupponit eam, vt Homo. Negatiuus eſt, qui negationem rei ſignificat, vt Non lapis, diciturque terminus infinitus.

SEPTIMÒ, rurſus terminus non tranſcēdens communis diuiditur in quinque partes, quæ dicuntur vniuerſalia, ſeu antonomaſticè Prædicabilia, quia ſunt communia, quæ poſſunt prædicari de inferioribus ſub ipſis contentis: ſuntque Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie *in quid*, ideſt quidditatiuè, & eſſentialiter; vt animal eſſentialiter prædicatur de homine, boue, leone, &c. Genus eſt duplex: aliud generaliſſimum, ſupra quod non datur aliud genus, vt Subſtantia: aliud dicitur ſubalternum, quod ſupra ſe habet aliud genus, & infra ſpecies, vt Corpus, Viuens, Animal. Quæ reſpectu ſuperiorum ſunt ſpecies, reſpectu inferiorum ſunt genera.

SPECIES eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero *in quid*, vt homo prædicatur de Petro, Paulo, &c.

HÆCQVE alia eſt ſubalterna, ſeu media, vt Corpus, Viuens: alia infima, ſeu ſpecialiſſima, vt Homo.

Differen-

Digitized by Google

Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus *in quale quid*; vt rationalitas prædicatur de Petro, Paulo, &c. Senſibilitas de homine, leone, &c. Nota hîc, quod illud dicitur prædicari *in quid*, quando ad interrogationem factam per quid, reſpondetur per nomen ſubſtantiuum in recto, vt Quid eſt homo? Reſpondetur, Eſt animal rationale. Quid eſt animal? Reſpondetur, Eſt ſubſtantia ſenſitiua.

Prædicari verò *in quale quid* dicitur, quando ad interrogationem factam per quale, reſpondetur per differentiam qualitatiuam quidditatiuam; vt Quale animal eſt homo? Reſpondetur, Eſt rationale.

Prædicari verò *in quale accidentale*, quando reſpondetur per quale quod ſit accidens, vt Qualis color eſt album, vel albedo? Reſpondetur, Album, ſeu albedo eſt diſgregatiua viſûs. Hinc,

Proprium eſt proprietas, quæ conuenit omni, ſoli, & ſemper, vt riſibilitas conuenit omni homini, ſoli homini, & ſemper.

Accidens eſt, quod adeſt, & abeſt rei præter ipſius rei corruptionem, vt albedo in pariete. De quibus agetur ſuo loco.

18. Octavò: Rurſus terminus communis diuiditur in decem capita realia, quæ dicuntur prædicamenta. Prædicamentum autem eſt ſeries, & ordo plurium generum, & ſpecierum à ſupremo genere vſque ad indiuidua. Sic S. Bonauentura *lib.* 2. *diſtinct.* 8. *artic.* 1. *quæſt.* 3. aliiſque locis citandis, quando agetur fuſiùs de ipſis. Sunt autem veluti decem claſſes, quatenus ſub vno genere generaliſſimo, veluti ſub vexillo conſtituuntur omnes res.

Svntqve Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Vbi, Situs, Quando, & Habitus. Quæ breuiter ſic definiuntur.

Primò: Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens, & accidentibus ſubſtans, eaque ſuſtentans; ſub qua continentur hæ ſpecies: Corpus, Spiritus, Viuens, Animal, Homo, & Petrus.

Secvndò: Quantitas eſt, quâ aliquid habet extenſionem, ſeu dimenſionem partium, ſcilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Tertiò: Qualitas eſt, quâ aliquid tale, vel tale dicimus; & per eam ſatisfacimus ad interrogationem v. g. *Qualis eſt homo? Quale animal?* nempe eſt album, vel nigrum; bonum, vel malum: & diuiditur in quatuor capita. Primum eſt habitus, & diſpoſitio: Secundum potentia, & impotentia: Tertium paſſio, & paſſibilis qualitas: Quartum forma, & figura.

Qvartò: Relatio eſt, quâ vnum refertur ad aliud, vt Pater ad Filium.

Qvintò: Actio eſt, quâ agens agit, vt calefactio.

Sextò: Paſſio, quâ paſſiuè aliquid recipitur, vt calefieri.

Septimò: Vbi, ſeu locus eſt, quo continetur res locata, vt eſſe in ſchola.

Octavò: Quando eſt eſſe in tempore, vt heri, hodie.

Nonò: Situs eſt diſpoſitio partium in ordine ad locum, vt ſedere, ſtare.

Decimò: Habitus eſt circa ſe habere aliquid, vt eſſe veſtitum.

Inter hæc prædicamenta primum tantùm eſt ſubſtantia, reliqua nouem ſunt accidentia, quorum duo prima, ſcilicet quantitas, & qualitas ſunt abſoluta: reliqua ſeptem ſunt relatiua.

Termini poſſunt comparari ad inuicem; ſicque alij dicuntur pertinentes, alij impertinentes. Primi vel ſunt pertinentes ſequelâ, quorum vnus

alium infert; vt *Homo eſt animal:* vel repugnantiâ, quorum vnus infert negationem alterius, vt *Homo non eſt Leo.* Impertinentes ſunt diſparati, ſcilicet nec repugnantes, nec ſe inferentes, vt album, dulce, &c.

CAPVT VI.

De Definitione.

19. AD primam operationem intellectus, quæ eſt ſimplex apprehenſio abſque affirmatione, vel negatione, ſpectat definitio, tanquam inſtrumentum Logicæ dirigens eandem operationem: nec enim poteſt haberi terminorum cognitio perfecta abſque comprehenſione naturæ rei ſignificatæ per tales terminos, vt notat S. Bonauentura *in Itiner. mentis, cap.* 3. Hinc aliqua de definitione tradenda hîc ſunt.

Definitio igitur eſt oratio explicans ipſum quod quid eſt. Sic Ariſtoteles 2. *Poſt. cap.* 10. Ideſt, eſt oratio explicans naturam, & quidditatem rei. Dicitur *oratio*, quia vt notat S. Bonau. *lib.* 1. *d.* 25. *art.* 1. *q.* 2. & *lib.* 3. *d.* 23. *art.* 1. *q.* 5. *in corp.* omnis definitio importat aliquam compoſitionem, vel realem, vel ſaltem rationis in definito. Cùm enim quælibet res definibilis habeat quandam rationem communem, quâ cum aliis conuenit; & aliam peculiarem, quâ ab aliis differt, hinc neceſſariò intellectus apprehendit, & explicat rem eandem per modum complexionis, ex S. Bonauentura *lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 3. Hinc nec poteſt notificari eius quidditas per vnam vocem: & hinc bona definitio debet conſtare ex genere, & differentia; nam per genus res conuenit cum aliis, vt in definitione hominis, quod ſit animal rationale, animal conuenit enim cū boue, equo, &c. & per differentiam, quæ eſt rationale, differt à boue, equo, &c. Et per hæc duo explicatur natura rei.

Dices: Natura hominis poteſt explicari rectè per vnam vocem; vt homo importat totam naturam hominis: ergo non eſt neceſſe, vt ſit oratio.

Respondet S. Bonau. *lib.* 1. *d.* 41. *art.* 2. *q.* 1. *in fund.* 2. quod differenter res explicatur per vocem incomplexam, & per complexam: nam per primam explicatur quantùm ad eſſe ſimpliciter, ideſt confusè; per ſecundam verò quantùm ad eſſe tale, ideſt diſtinctum, & explicitum.

Et quia non ſolùm res, ſed etiam nomen habet propriam naturam, ob idque de ipſis poteſt quæri, quid ſit res talis, vel tale nomen, ex Sancto Bonauentura *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 7. hinc oritur duplex definitio, ſcilicet rei, & nominis.

Definitio nominis, quæ & dicitur interpretatio, ex S. Bonauentura *lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 3. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 9. *in expoſ. text.* eſt, quando explicatur res per nomen, vel quoad materiale ſignificatum nominis, conſiderando eius etymologiam, vel interpretationem, vt Theologia dicitur ſermo de Deo.

Hæc (ait Seraphicus Doctor *in Pſ.* 75.) ſumitur vel ſecundùm rei proprietatem, vt Salomon dicitur Pacificus: vel ſecundùm antiphraſin, & contrarietatem, vt lucus, quia minimè lucet: vel ſecundùm ſimilitudinem, vt homo dicitur ab humo.

Definitio rei eſt duplex, ex Seraphico Doctore *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 1. Alia abſoluta, eſtque eſſentialis, & propria tantùm entium completorum, vt *Homo eſt animal rationale:* alia reſpectiua, ſeu accidentalis, dicitur

Digitized by Google

diciturque data per additamentum; eſtque omnium, quorum natura non poteſt explicari, niſi ponatur in definitione aliquid diuerſæ naturæ, à quo tale ens dependet; hæcque eſt propria accidentium, & entium priuatiuorum, vt eſt peccatum, ex Sancto Bonauentura *lib. 2. diſt. 35. dub. 6.* quæ ſemper per ordinem ad ſubiectum, à quo dependent, definiuntur, vt *Accidens eſt, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem*; vbi ponitur ſubiectum, licèt ſit naturæ diverſæ ab accidente. *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Et dicitur etiam definitio materialis. S. Bonau. *lib. 1. diſt 25. art. 1. quaſt. 2. ad 1.*

PRIMA definitio dicitur Metaphyſica, quia traditur per proprium genus, & differentiam: genus autem dicit partem rei definitæ; differentia verò ſpecificat, & complet totam eſſentiam ipſius rei definitæ.

AD hanc reducitur definitio, quæ traditur per proprietates rei, vt *Homo eſt riſibilis, Equus eſt animal hinnibile:* & hæc dicitur eſſentialis radicaliter.

SECVNDA definitio, ſcilicet accidentalis, ad duo capita reducitur; nam vel eſt per extranea, & rei accidentalia, quæ tamen vnitim ſumpta explicant eſſentiam rei; & dicitur deſcriptio, vt *Homo eſt animal bipes, implume, capite erecto*: hæcque eſt propria Oratorum, Poëtarum, & Concionatorum. Altera eſt per cauſas, & dicitur definitio Phyſica; eſt enim data vel per cauſam materialem, vt *Statua eſt ex ligno:* vel per formalem, vt *Statua eſt imago Crucifixi: Homo conſtat ex anima rationali*; vel per efficientem, vt *Statua eſt opus effectum à ſtatuario*; vel per finalem, vt *Homo eſt factus ad beatitudinem conſequendam.*

REGVLÆ autem bonæ definitionis ex S. Bonauentura *lib. 3. diſt. 23. art. 1. quaſt. 5.* reducuntur ad ſequentes. Prima eſt, quod definitio, & definitum conuertantur ad inuicem plenè, & totaliter, vt *Homo eſt animal rationale*, & è conuerſo: hæc autem non eſt bona, *Homo eſt ſubſtantia corporea*; quia competit etiam lapidi. Et hinc ſequitur, quod id, quod prædicatur, vel negatur de definito, debet affirmari, vel negari de definitione, & è cõtrà.

SECVNDA eſt, quod definitio debet eſſe clarior definito, vnde debet eſſe oratio: ſic hæc deficit, *Homo eſt arbor inuerſa: Somnus eſt imago mortis.*

TERTIA, quod ſit tradita per proximum genus, & vltimam differentiam; vnde hæc deficit: *Homo eſt ſubſtantia rationalis*; ly enim *ſubſtantia*, eſt genus nimis remotum: nam etiam Angeli ſunt ſubſtantiæ rationales, non verò animalia rationalia.

DICES: Definitio continet affirmationem: ergo ſpectat ad ſecundam operationem intellectus.

RESPONDETVR, quod ſi ſumitur præcisè pro actu intellectus apprehendentis ſolam quidditatem expreſſam, ſic ſpectat ad primam operationem: ſi verò cum affirmatione ſuperaddita, vt *Homo eſt animal rationale*, ſic eſt directiùs etiam ſecundæ, & tertiæ operationis intellectus.

DICES ſecundò: Definitio hîc definitur, *Oratio explicans naturam rei:* ergo ſimul eſt definitio, & definitum; quod eſt impoſſibile, aliter daretur proceſſus in infinitum in definienda definitione definitionis.

RESPONDETVR, definitionem poſſe ſumi vel in actu ſignato, ideſt pro ſecunda intentione ab intellectu formata; vel in actu exercito, ideſt pro ipſa oratione materiali: ſicque definitio in hoc ſecundo ſenſu definitur per definitionem ſignatam, quæ complectitur omnes definitiones, taleſque

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

denominationes ab intellectu formatas ſub eadem ratione : vnde eadem definitio ſecundùm diuerſam rationem eſt etiam definitum ; nec enim ſequitur proceſſus in infinitum , quia fit ſtatus in definitione eadem ſumpta in actu ſignato. Sic etiam genus vt quid definitur per genus denominatiuè ſumptum , ſiue vt modus , & vt ſumptum in actu ſignato.

CAPVT VII.

De ſuppoſitione , & aliis affectionibus Terminorum.

20. COgnita eſſentiâ,& multiplicitate terminorũ, reſtat agere de eorum proprietatibus, quarum præcipua eſt ſuppoſitio , ad quam conſequitur ampliatio , reſtrictio , alienatio , diminutio , & appellatio. Quia ergo termini ſignificare plura poſſunt, vt hic terminus *homo* immediatè ſignificat naturam humanam , mediatè Petrum , & Paulum, & ſeipſum ſignificare poteſt , omnis enim vox ſeipſam repræſentat ; ideò varia eorum ſignificatio ſolet determinari in propoſitione , mediante copulâ , vel prædicato : tuncque dicuntur pro hoc,vel illo ſignificato ſupponere , v.g. *Homo currit* , ly *homo* ſupponit pro vno indiuiduo : *Homo eſt vox biſſyllaba* , tunc ſupponit pro ſeipſa.

Svppositio igitur eſt acceptio termini in propoſitione pro aliquo ſignificato , non extra propoſitionem : quia enim in conuictu humano vtimur vocibus loco conceptuum interiorum, & etiam ipſarum rerum, ideo terminum ſupponi , eſt conſtitui in propoſitione pro aliquo ſignificando , loco cuius ponitur terminus , eo modo quo ligna , vel calculi ſupponuntur in ludo pro pecunia. V. g. ad ſignificandum curſum hominis , loco perſonæ currentis , ſuppono hunc terminum *Petrus* , vel *homo currit :* vel etiam ad exprimendum ipſum terminum materialiter, vt *Homo eſt vox.*

At aduertendum , quod licèt ſupponere , & ſignificare , communiter pro eodem ſumantur ; in rigore tamen diuerſa ſunt : amplius enim patet ſignificare, quàm ſupponere : quod notat Sanctus Bonauentura *lib.1.diſt.4. art. 1. q. 4. in corp.* quia ſignificare eſt ducere in cognitionem alterius rei per ſignum vel terminum, vt hæc vox *homo* facit cognoſcere naturam humanam , & fumus ignem. At ſupponere eſt loco alterius ſubſtitui , vt *Homo currit* , ly *homo* indifferenter ſignificat omnem hominem , & ſupponit pro vno ſolo : & album ſignificat formaliter albedinem , ſed ſupponit ſuppoſitum , quia eſt terminus connotatiuus : & hoc nomen (*Deus*) ſignificat naturam, & ſupponit perſonam : *lib. 1. diſt. 4. quæſt. vlt. corp.* & *lib. 1. diſt. 29. art. 1. quæſt. 2.*

21. Ratio huius doctrinæ à S. Bonauentura affertur *lib. 1. diſt. 8. part. 1. art. 1. quæſt. 1. ad vlt.* quia dupliciter eſt loqui de nominibus : vno modo ratione eius, quod nominant, & ſignificant : alio modo ratione eius, in quo ſignificatur poni, quod nominant. Sic differt dicere *Senſus*, & *Senſus hominis: Homo* , & *Homo currit :* homo enim ſignificat omnem hominem : homo currit , ſupponit per vno tantùm. Vnde ſequitur , quod ſignificare eſt proprium termini , vt ſic , ſiue in propoſitione , ſiue extra : at ſupponere eſt proprium termini tantùm ſubſtantiui , vel ſubſtantiuati , vel pro ſe , vel pro ſuo ſignificato in propoſitione tantùm , ſiue completa , ſiue incompleta,

vt

vt ipſa propoſitio ſit vera. Dixi *ſubſtantiui, vel ſubſtantiuati*; nam nec voces adiectiuæ, nec verba ſupponunt, ſed copulant. Dixi, *in propoſitione tantùm*; quia ſuppoſitio eſt ſignificatio determinata illius tantùm rei, ratione cuius terminus præcisè ſubſtituitur in propoſitione, per quod enuntiatio vera efficitur. Dixi, *completa, vel incompleta*; quia aliquando explicitè ſupponitur cum copula & prædicato, vt *Petrus eſt bonus:* aliquando implicitè tantùm, vt *Liber Socratis.* Sic docent ex Sancto Bonauentura Trigoſ. noſter *in Summa, part.* 1. *quæſt.* 8. *art.* 9. *in expoſ. text.* Zamora *tract.* 8. *quæſt.* 11. *art.* 1. *ſect.* 2. Bergom. *de modis dicendi tract.*1. Coriol. *part.*1.*q.*13. *art.* 9. *notat.* 3. contra Fonſecam ſuſtinentem, ſuppoſitionem fieri etiam in ſimplici termino.

PRIMÒ. Suppoſitio igitur ex Seraphico Doctore eſt vſus, ſeu acceptio termini pro eo, in quo ponitur eiuſdem termini ſignificatio in propoſitione: quare definitio allata à Toleto eſt potiùs diuiſio, vt etiam notant Complutenſes.

22. SECVNDÒ. Suppoſitio eſt duplex, alia materialis, alia formalis. Cùm enim nomen, vt ait Sanctus Bonauentura *lib.* 1. *diſt.* 22. *art.*1. *q.* 2. *in corp.* & *lib.* 3. *diſt.* 18. *dub.* 2. habeat duo, ſcilicet & nomen, & ipſam ſignificationem; hinc primo modo ſumitur materialiter, ſecundo modo formaliter. Prima eſt vſus termini loco ſui, vt *Homo eſt nomen*, ly *homo* ſupponit pro ipſa voce; & dicitur materialis, quia voces tunc non exercent officium ſigni, ſed materialiter ſe habent in propoſitione. Secunda eſt poſitio termini pro ipſa re ſignificata, vt *Petrus eſt homo*; tunc enim nomen exercet officium ſigni.

TERTIÒ. Suppoſitio materialis rurſus diuiditur in intrinſecam, & extrinſecam. Prima eſt (ait S.Bonauentura *cit. lib.* 1. *diſt.* 22. *& quæſt.* 3. *ad vlt.*) vſus termini pro illo quod ſibi naturaliter ineſt, ſcilicet pro ſono ſenſibili. Secunda eſt vſus termini pro eo quod ei ineſt materialiter ex ſignificatione, quam habet, vt *Homo eſt nomen.*

QVARTÒ. Suppoſitio formalis, de qua ſola mentionem facit Ariſtot. 1. *Elench. cap.* 1. diuiditur in propriam, & impropriam, ſeu metaphoricam. Propria eſt vſus termini pro re, quam propriè ſecundùm veritatem ei inditam ſignificat, vt *Sol eſt ſplendidiſſimus inter omnia aſtra.* Impropria eſt acceptio termini pro re, quam tranſlatiuè ſecundum aliquam ſimilitudinem repræſentat, vt *Sol iuſtitiæ Chriſtus.* Sic S.Bonauentura *lib.* 1. *diſt.* 22. *quæſt.* 3. Ex hac autem oritur tropicus ſermo, & multiplicatur ad multiplicationem troporum, & figurarum: de quo S. Doctor *loc. cit.* & *lib.* 3. *diſt.* 11. *dub.* 4. de quibus in Grammatica, & Rhetorica agitur.

SVPPOSITIO propria, alia eſt communis, alia ſingularis, ſeu diſcreta. Illa eſt acceptio termini pro ſuis ſignificatis, vt *Omnis homo eſt animal:* iſta pro vna re ſingulari tantùm ſupponit, vt *Hic homo currit.*

23. SVPPOSITIO communis, alia eſt ſimplex, alia perſonalis, alia abſoluta, ex Sancto Bonauentura *lib.* 2. *diſt.* 38. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 1. Simplex eſt acceptio termini communis pro ſuo immediato, & primario ſignificato præcisè ſumpto, provt abſtrahit ab omnibus inferioribus: & ideò dicitur ſimplex, & præciſa ſuppoſitio; quilibet enim terminus communis duo habet ſignificata, vnum primarium, & immediatum, vt homo ſignificat hominem in communi: aliud

ſecunda

Digitized by Google

ſecundarium, & mediatum, vt homo ſecundariò, & mediatè ſignificat Petrum. Regula verò generalis cognoſcendi hanc ſuppoſitionem eſt, quando terminus communis coniungitur cum tali prædicato, quod ponit differentiam inter ſuperius, & inferius, vt cùm dicitur *Homo eſt ſpecies*; vel *Natura eſt communicabilis pluribus*, quæ prædicata non poſſunt competere indiuiduis, tunc eſt ſuppoſitio ſimplex, & tunc eſt axioma commune, quod non licet ſub termino communi deſcendere ad inferiora, quia vt ait Seraphicus Doctor *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. prædicatum eſt extraneum ei, de quo prædicatur ſubiectum; vt *Petrus, Animal, Indiuiduum eſt album.*

PERSONALIS eſt acceptio termini communis pro mediatis ſignificatis, vt *Omnis homo currit:* currere enim immediatè conuenit indiuiduis, non homini in communi, niſi mediatè tantùm: diciturque perſonalis, vt ait Orbellus *tract. de ſuppoſitione*, quia inter ſingularia, pro quibus ſupponit, nobiliora ſunt indiuidua rationalis naturæ: vnde denominatio hîc fit à nobiliori, licèt poſſit pro aliis indiuiduis, quæ non ſunt perſonæ, ſupponere.

REGVLA generalis ad dignoſcendam hanc ſuppoſitionem eſt, quando terminus communis notatur aliquo ſigno, vt Omnis, Nullus, Aliquis &c. Vel quando iungitur prædicato, quod ſubiecto conuenire immediatè non poteſt, vt ſunt accidentia communia, vt *Homo albus.*

ABSOLVTA eſt acceptio termini communis pro ſignificato mediato, & immediato. Regula dignoſcendi hanc eſt, cùm terminus communis iungitur prædicato, quod vtrique ſignificato competere poteſt, vt *Homo eſt animal, Eſt riſibilis.* Hæc prædicata enim competunt homini vt ſic, & Petro: & dicitur abſoluta, quia cùm aliæ acceptiones limitentur ad ſignificandum vel ipſum vocis primarium ſignificatum, vel ſecundarium, hæc ad vtrumque eſt indifferens. Hinc eſt axioma, quod ſub termino abſolutè ſupponente licet deſcendere ad ſingularia: de quo Sanctus Bonauentura *lib.* 3. *diſt.* 11. *art.* 2. *quæſt.* 2. & *lib.* 1. *diſtinct.* 4. *dub.* 4. & *art.* 1. *quæſt.* 4.

24. SVPPOSITIO perſonalis communis, quæ etiam dicitur realis, eſt quadruplex, ſcilicet Diſtributiua, Collectiua, Determinata, & Confuſa.

DISTRIBVTIVA eſt vſus termini communis pro omnibus ſuis inferioribus, & ſimul, & ſeorſim cum copulatione ſumptis: vt *Homo eſt animal*, ly *homo* ſtat pro Petro, Paulo, &c. ita quod verum eſt dicere, *Petrus eſt animal*, & *Paulus eſt animal*, & *Andreas*, *&c.* Et de quolibet fieri poteſt integra prædicatio animalis. S. Bonauentura *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in fund.* notat illos terminos ſupponere diſtributiuè, qui ſupra ſe admittunt ſignum diſtributiuum, vt Omnis, Nullus, &c.

COLLECTIVA, ſeu copulata eſt vſus termini pro omnibus ſuis inferioribus, non ſeorſim, ſed coniunctim ſub copulatione ſumptis, vt *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, ly *Apoſtoli* ſtat pro Petro & Andrea, & Iacobo, &c. ſimul ſumptis. De vtraque hac ſuppoſitione agit Sanctus Bonauentura *lib.* 2. *diſtinct.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 4. *dub.* 3. 4. *&* 5. & *art.* 1. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 25. *cit.*

DETERMINATA eſt vſus termini communis pro ſuis inferioribus determinatiuè diuiſim tantùm, ſeu diſiunctiuè ſumptis; vel vt ait Sanctus Bonauentura *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad vlt.*

ad vlt. eſt, quando terminus non confunditur, ſed diſtribuitur, ita quod debet reddere loquutionem veram pro vno tantùm determinatè ſub diſiunctione; vt *Homo*, vel *aliquis homo currit.* Sic enim dicitur, *Vel iſte homo currit, vel iſte, &c.*

Confvsa eſt vſus termini communis pro aliquo, vel aliquibus inferioribus ſub diſiunctione; non tamen determinatè de aliquo, ſed confusè de omnibus ſeorſim, & non ſimul ſumptis: vt, *Aliquis calamus ad ſcribendum eſt neceſſarius*; ly *calamus*, ſupponit pro omni calamo non ſimul, ſed ſeorſim, vel iſte, vel iſte; ita tamen de nullo determinatè, licèt quilibet ſeorſim ſit neceſſarius. Hinc patet differentia inter ſuppoſitionem determinatam, & confuſam: nam confuſa ſupponit ita confusè, & indeterminatè, vt nemo, nec Deus ipſe diſcernere queat vllum determinatum inferius, pro quo ſolo ſupponat, cùm pro omnibus ſupponat confusè: vt, *Aliquis equus eſt neceſſarius ad equitandum:* ſunt enim omnes equi æquales in hoc.

Non ſic determinata; nam in hac, *Aliquis homo currit*, Deus videt determinatè, quiſnam homo currit, quia ly *currit*, importat determinatam actionem exercitam: in confuſa verò non prædicatur determinata actio, ſed conditionata neceſſitas, quæ de vnoquoque verificari poteſt.

Distribvtiva ſuppoſitio alia dicitur completa, vel pro ſingulis generum, ideſt non ſolùm pro omnibus ſuis ſpeciebus ſub ſe contentis, ſed & pro omnibus indiuiduis: vt, *Omne animal eſt viuens:* ly *animal*, ſtat pro homine, equo, boue; pro hoc homine, pro hoc equo. Alia eſt incompleta pro generibus ſingulorum, ideſt non pro omnibus indiuiduis, ſed pro aliquibus indiuiduis generum, & ſpecierum: vt, *Omne animal fuit in arca Noë*; ideſt, de qualibet ſpecie aliquod. Sic vtroque modo explicat S. Bonauentura *lib.* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 1. illam propoſitionem: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Alia dicitur diſtributio reſtricta, vel ex additione, vel ex vſu, vel ex modo loquendi; & dicitur communiter accommoda: eſtque vſus termini pro omnibus ſuis ſignificatis, aliquo, vel aliquibus tamen eorum exceptis: vt, *Cœlum continet omnia*; intellige excepto ſe. Sic *lib.* 1. *diſtinct.* 7. *quæſt. vltim.* & *diſtinct.* 46. *quæſt.* 1. & *diſtinct.* 42. *dub.* 6.

25. His explicatis, quia terminorum ſuppoſitio maximè variatur ex admixtione ſignorum, quæ ſunt termini syncathegorematici, vel mixti, hinc oportet aliquas tradere regulas.

Signa igitur alia ſunt purè vniuerſalia, vt *Omnis*, *Nullus*; alia purè particularia, vt *Aliquis*, *Hic*, *Quidam*; alia mixta, & hoc vel ex vniuerſali, & particulari, vt *Alter*, *Bis*, *Tria:* vel ex cathegorematico, & ſyncathegorematico, vt *Semper*, *Aliquando*, *Nunquam:* & dicuntur ſigna, quia præter illam paucam ſignificationem, quam de ſe præſeferunt, indicant etiam quantitatem propoſitionis, ſcilicet quæ ſit vniuerſalis, particularis, indefinita, & ſingularis. Hinc,

Prima Regvla ſit: Signum vniuerſale affirmatiuum diſtribuit terminos proximos, ſcilicet ſubiectum; & confundit remotos, ſcilicet prædicatum: vt, *Omnis homo eſt animal*, vbi ly *homo*, ſtat pro ſingulo homine, & ly *animal*, ſtat pro aliquo tantùm, & non pro omni animali. Si verò ſignum vniuerſale ſit negatiuum, tunc diſtribuit vtrumque terminum: vt, *Nullus eſt equus.* In ſuppoſitione verò copulata ſignum vniuerſale non variat illam; vnde idem eſt dicere *Omnes Apoſtoli*, ſeu *Apoſtoli ſunt duodecim.*

Digitized by Google

Secvnda: Signum particulare affirmatiuum facit ſupponere terminum proximum, ideſt ſubiectum, relinquitque intactum prædicatum, vt *Aliquis homo eſt animal:* ſi eſt negatiuum, determinat ſubiectum, & diſtribuit prædicatum, vt *Aliquis homo eſt albus.*

Tertia: Signa mixta habent varium modum ſupponendi, & traduntur plures regulæ àToleto, Complutenſibuſque, & de ipſis iudicandum eſt ſecundùm ſubiectam materiam: ſi enim magis accedunt ad vniuerſale, tunc faciunt ſupponere diſtributiuè, vt *Neuter*, *Vterque*: ſi ad particulare, tunc faciunt ſupponere determinatè, vt *Alter oculus eſt dexter*, ideſt duorum vel iſte, vel iſte.

Qvarta Regula: Verba mixta ex cathegorematico, & ſyncathegorematico iudicanda ſunt, ac ſi eſſent duo, alter cathegorematicus, & alter ſyncathegorematicus, & hoc diſiunctim. Ob id ſi ſignum eſt vniuerſale affirmatiuum, vt *Semper*, diſtribuit cathegorematicum terminum, quem includit, alios verò confundit: vt *Semper*, ideſt omni tempore, *homo diſputat*, tempus diſtribuitur; ly *homo*, & ly *diſputat* confunduntur. Si eſt negatiuum, omnes diſtribuit, vt *Nunquam.*

Qvinta Regula: Quilibet terminus, cui applicatur actio verbi, confunditur, vt *Bis cantaui Miſſam*, Miſſa confunditur. Confuſus enim remanet ſenſus, an ſint duæ Miſſæ, an ſit eadem bis cantata: & hæc ſigna appellantur ſpecialis confuſionis, quia termini in his dependent ex alterius termini reſolutione; priùs enim reſoluenda eſt bina cantatio, & binarius numerus, & poſtea applicanda Miſſæ. Item *Ad equitandum requiritur equus:* illud gerundium debet priùs reſolui, v. g. ad equitandum hac, vel hac vice, vel tali, talique tempore.

Sexta Regula: Quando obliquus coniungitur recto, iudicandum eſt de obliquo, ac ſi eſſet vnum extremum per ſe, quantùm ad ſuppoſitionem, vt *Equus hominis currit*; ly *equus hominis* ſupponit determinatè: *Equus cuiuſlibet hominis currit*, ſupponit diſtributinè; in hac verò *Omnis equus hominis*, confuſè. Qui plura vult tam de iſtis ſignis, quàm de reſolutione, adeat Summulas Toleti, Complut. aliorumque.

Qvæ regulæ inſeruiunt pro reſolutione propoſitionum, & terminorum in ſuos ſenſus particulares, vel diſtributiuè, vel determinatè, vel copulatè, vel confuſè ſupponentes.

CAPVT VIII.

De aliis affectionibus terminorum.

Ex Suppoſitione magis, vel minùs reſtricta oritur ampliatio, & reſtrictio.

Ampliatio eſt extenſio termini à minori ad maiorem ſuppoſitionem; & hæc eſt duplex.

Alia eſt temporum, quâ extenditur ſignificatio ad præſens, futurum, vel poſſibile, vel imaginarium, vt *Auarus expetit pecunias*, ſcilicet quæ ſunt, vel erunt, vel poſſibiles ſunt, vel ſunt in imaginatione.

Secvnda eſt ſuppoſitorum, quæ ampliatur ad omnia ſubiecta, vt *Iuſti viuent vitam æternam:* Iuſti, ideſt qui ſunt, vel erunt, &c.

Qvando verò terminus ſupponit pro ſignificato ſecundùm illam differentiam temporis tantùm, quam copula verbalis importat, vt *Sedens diſputat*, dicitur habere ſtatum ſuum ly *Sedens*, quia ſumitur determinato tempore, ſcilicet

licet præſenti. Vnde eſt regula generalis, quod quando prædicatum nequit conuenire ſubiecto, niſi præſuppoſitâ exiſtentiâ illius, tunc tale ſubiectum dicitur habere ſtatum ſuum, v.g. *Homo albus:* quando verò prædicatum non determinat exiſtentiam ſubiecti, tunc non dicitur habere ſtatum, vt fit in propoſitionibus neceſſariis, v.g. *Homo eſt animal;* homo enim ampliatur ad quodlibet tempus, quia ly *eſt*, non dicit exiſtentiam, ſed tantùm connexionem terminorum. Vide S.Bonauenturam *lib.3. diſt.11.dub.2. & vlt. & art.2. quæſt.2. ad 2.*

RESTRICTIO eſt coarctatio termini à maiori ad minorem ſuppoſitionem, fitque primò per copualm implicationis, vt *Homo qui eſt iuſtus, diligit Deum.* Secundò per applicationem ſubſtantiui inferioris, vt *Animal homo diſputat.* Tertiò per poſitionem adiectiui, vt *Homo albus;* vel obliqui caſus, vt *Liber Ariſtotelis.* Vide Sanctum Bonauenturam *loc. cit.*

ALIENATIO eſt tranſlatio termini à propria ad impropriam ſignificationem, vt dicitur in Euangelio, *Dicite vulpi illi*, ſcilicet Herodi. Diminutio eſt detractio partis ſignificationis termini, vt ſi dicatur *Æthiops albus ſecundùm dentes:* de quo Sanctus Bonauentura *loc. cit.* & *lib.3. diſt.31.art.3.q.2.ad.1.*

APPELLATIO eſt applicatio ſignificati formalis vnius termini ad alium; eſtque, quando terminus ponit rem ſuam in alio, ſeu denominat alium terminum, vt *Petrus eſt Logicus magnus*, ly *magnus*, appellat Logicum, & non Petrum. Si verò dicatur, *Petrus magnus eſt Logicus* tunc ly *magnus* appellat Petrum. Sanctus Bonauentura *lib. 1. diſt. 21. art. 1. quæſt. 1.* & *lib. 3. diſtinct. 11. artic. 2. q. 2. ad 2.* & *diſt. 7. art. 1. quæſt. 1. in corp.*

AD dignoſcendum has appellationes, quæ multùm inſeruiunt ad vitandas multas deceptiones, plures regulæ traduntur à Logicis, quarum potiſſima eſt diligẽs animaduerſio propoſitionis conſtantis ex ſubiecto, vel prædicato compoſito: ſi enim terminus appellans eſt ex parte ſubiecti, tunc ad ſubiectum fit applicatio ſignificati; ſi ex parte prædicati, ad prædicatum ſpectat: quod ex vſu, vel ex additione, vel modo loquendi dignoſcendum eſt, ait S. Bonauentura *lib.1. diſt.4. quæſt.vlt.*

SECVNDA PARS Summularum, de ſpectantibus ad ſecundam operationem intellectus.

CAPVT PRIMVM.

De Nomine, & Verbo.

26. COGNITIS vocibus ſimplicibus, quæ pertinent ad primam operationem intellectus, tranſeundum eſt ad propoſitiones, quæ ex illis componuntur, & ſecundam operationem intellectus reſpiciunt: & cùm oratio ſit quid ſuperius ad propoſitionem, & hæc coaleſcat ex nomine, & verbo; ideo de his priùs aliqua prælibanda.

NOMEN ergo, ex Ariſt. *lib.2. Per. cap.1.* eſt vox ſignificatiua ad placitum, ſine tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, finita & recta. Dicitur *vox ſignificatiua*, ad excludendum voces non ſignificatiuas. Dicitur *ad placitum*, vt excludantur ſigna naturalia. Dicitur

ſine tempore, vt excludatur verbum, cuius proprium eſt ſignificare cum tempore, vt infrà dicetur. Dicitur, *cuius nulla pars*, ad excludendam orationem. Dicitur, *finita*, vt excludatur nomen infinitum, quale eſt illud, cui anteponitur particula *non*, vt *Non homo*. Dicitur *recta*, vt excludantur caſus obliqui, qui non poſſunt eſſe partes propoſitionis ratione ſui, & ſecundùm ſe, ſed tantùm vt adiuncti caſibus rectis: vnde dicuntur non nomina, ſed caſus nominum; ſolus enim caſus rectus facit ad cognitionem ſcientificam.

Hic autem aduertendum eſt, quod Grammatici, & Rhetores plures partes orationis conſiderant; ſunt enim neceſſariæ ad congruitatem, & ornatum orationis. Logicus verò conſiderat tantùm nomen, & verbum, quia ſolùm hæc faciunt ad veritatem explicandam verum.

Aliter autem Grammaticus, aliter Logicus conſiderant nomen, vt aduertit S. Bonauent. *lib*. 1. *diſtinct*. 41. *art*. 2. *quaſt*. 2. *corp*. nam Grammaticus conſiderat impoſitionem nominis, & modum principalem ſignificandi ſubſtantiam cum qualitate; ſicque dicit eſſe vnum nomen *Albus*, *alba*, *album*, quia impoſita ſunt ad ſignificandam albedinem. At Logicus conſiderat nomen, vt eſt vox expreſſiua. Hinc multæ voces, cùm habeant multos modos ſignificandi, etiam varias ſignificationes continent, nempe vel per modum abſtracti, vel concreti, vel compoſiti, vel ſimplicis, vel recti, vel obliqui, vel ſingularis, vel pluralis, & ſimilium. Hinc S. Bonauent. definit nomen Logicum tali pacto. *Nomen eſt vox expreſſiua impoſita ad ſignificandum aliquid per modum ſubſtantiæ, & qualitatis, & per modum quietis*. Sanctus Bonau. *lib*. 1. *diſt*. 41. *cit*. & *lib*. 1. *diſt*. 22. *dub*. 3. & *art*. 1. *quaſt* 2. *in corp*. & *ad vlt*. & *lib*. 4. *diſt*. 3. *art*. 1. *quaſt*. 2. *ad* 3. & *ſerm*. 4. *Hexaem*, & Trigoſ. *part*. 1. *quaſt*. 8. *art*. 1. & *art*. 8. *in corp*. Hinc aduertit Seraphicus Doctor *lib*. 1. *diſt*. 22. *cit*. quod in nomine ſunt hæc tria, ſcilicet ipſa vox, res ſignificata, & ratio innoteſcendi, ideſt expreſſio ad placitum.

Verbum eſt vox ſignificatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars ſeparata aliquid ſignificat finita, & recta, & eſt ſemper eorum, quæ dicuntur nota: ita Ariſtoteles *vbi ſuprà*, & S. Bonauent. *vbi ſuprà*, ait: *Verbum eſt vox expreſſiua impoſita ad ſignificandum aliquid per modum actionis, & motus*. In quibus definitionibus ſolùm debet explicari quid ſit ſignificare cum tempore: aliud enim eſt ſignificare tempus, id enim pertinet ad nomen, v.g. Dies, Annus: aliud eſt ſignificare cum tempore, id enim importat exercitium actionis, quod fit in aliqua differentia temporis, vt *Petrus ſtudet*. Ita ex Seraphico Doctore *loc. cit*.

Dices: Hæc propoſitio, *Petrus eſt animal*, non habet in verbo ſignificationem cum tempore.

Respondetur, non importare tempus determinatum, ſed tamen non abſolui à tempore aliquo; nam modus ſignificandi cum tempore eſt eſſentialis verbo. Vnde, *Petrus eſt animal*, non exigit tempus determinatum ad hoc, vt connectantur extrema; ſed tamen includitur ordo ad tempus, vel omne, vel aliquod. Ratio eſt, quia extrema, cùm habeant naturalem connexionem, exigunt vniri ſimpliciter, & non in ordine tantùm ad tempus, quod expreſsè conſignificant, ſed debent ampliari ad omne tempus. Subditur in illa definitione alia particula, *finita*, ad excludenda verba infinita, vt *Non currit*, ſcilicet *Eſt non currens*: tunc enim nullam actionem

Digitized by Google

actionem determinatam ſignificat. Dicitur *recta*, ideſt temporis præſentis modi indicatiui; ſolùm enim iſte modus eſt indicatiuus veritatis; cæteraque tempora in tantum ſignificant verum, in quantum habuerunt, vel habebunt veritatem in præſenti, vt *Petrus cucurrit*, verum eſt, quatenus verum fuit in præſenti dicere, *Nunc Petrus currit*. Sic Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 3.

Qvare verbum tria habet. Primò eſt ſignificare aliquam operationem: Secundò prout fit in tempore: Tertiò illam vnit cum aliquo ſubiecto. Sic *lib.* 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *dub.* 3. per quam conditionem explicatur particula vltima definitionis, *Et eſt eorum, quæ dicuntur de altero nota*; ideſt vnio, copulaque extremorum, quæ in illa coniunguntur: & per hoc differt à participio, quod nunquam eſſe poteſt copula propoſitionis.

CAPVT II.

De Oratione.

27. Oratio eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius aliqua pars ſeparata ſignificat, vt *Homo albus*. Sic Ariſtotel. 2. *Perhierm. cap.* 4. Dicitur *vox* in numero ſingulari, licèt ſint plura nomina; quia in ratione vnitatis, ordinis, & complexionis habent vnam formam, quæ tamen reſpondet pluribus conceptibus mentis. Ita S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1. in fundamentis docet.

Oratio diuiditur in enuntiatiuam, & non enuntiatiuam. Enuntiatiua eſt, quæ aliquid verum, vel falſum enuntiat, vt *Homo eſt animal.* Non enuntiatiua eſt illa, quæ nihil affirmat, vel negat, vt *Homo albus*. Sub hac comprehenduntur etiam orationes imperfectæ, quæ non relinquunt quietum audientis animum, vt *Si venires ad me:* & etiam orationes imperatiui, & optatiui modi. Prima dicitur propoſitio propriè, quæ proponit, & enuntiat, prædicatque aliquid verè, vel falsò de ſubiecto, & hoc per indicatiuum modum, vel formaliter, vel virtualiter.

Propositio, ſeu enuntiatiua oratio, eſt duplex. Alia eſt ſimplex, & dicitur cathegorica, à verbo græco *κατηγορίζω*, ideſt prædico, quia ſimpliciter enuntiat prædicatum ſimplex de ſubiecto ſimplici, per verbum, ſeu copulam, vt *Homo eſt animal.*

Hic tamen aduerte primò, quod aliquando in hac propoſitione ſimplici adeſt copula implicationis in ſubiecto, vt *Homo qui eſt iuſtus, amat Deum:* vel etiam ex parte prædicati, vt *Homo qui eſt iuſtus, amat Deum, qui bonus eſt.* Nec tamen id tollit ſimplicitatem à propoſitione, quia illa copula implicationis ſumitur materialiter tantùm per ordinem ad propoſitionem, & ſe habet vt vnum ſubiectum, vel prædicatum, & dicitur communiter copula minùs principalis à S. Bonauent. *lib.* 3. *diſt. inst.* 11. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. & alibi copula implicationis, quia veritas propoſitionis ab illa non dependet, ſed à principali connectente prædicatum cum ſubiecto.

Adverte ſecundò, quod propoſitio aliquando habet duos tantùm terminos, nempe ſubiectum, & copulam *eſt*: vt *Petrus eſt.* Et talis propoſitio dicitur propoſitio de ſecundo adiacente, quia ly *eſt*, habet rationem prædicati, copulaque implicitè in ea continetur; eſt enim ſenſus, *Petrus eſt*, ideſt eſt exiſtens. Ratio eſt, quam affert S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.*

D 3 quia

Digitized by Google

quia ly *eſt* prædicat actum abſolutum entis, nempè exiſtentiam.

Advertit tamen idem Seraph. Doctor *lib.* 2. *diſt.* 34. *quæſt. vlt. ad* 3. quod in propoſitione de ſecundo adiacente, ly *eſt*, aliquando habet pro prædicato ipſum *eſt*, vt *Petrus eſt*, ideſt eſt exiſtens: aliquando eſt copula, vt *Militia eſt*, ideſt in aliquo; & tunc eſt oratio defectiua.

Qvando verò propoſitio explicitè conſtat ſubiecto, copulâ, & prædicato, vt *Homo eſt animal*, tunc dicitur propoſitio de tertio adiacente, ideſt continens expreſsè tria adiacentia neceſſaria propoſitioni integræ.

Talesqve etiam ſunt propoſitiones, quæ conſtant verbis adiectiuis, ideſt in quibus pro verbo non adeſt explicitè *Sum, es, eſt*; hoc enim ſolùm dicitur verbum ſubſtantiuum, & faciens ad veritatem explicandam: cætera omnia dicuntur verba adiectiua, quia important actionem adiacentem ſubiecto, vt *Petrus currit*, importat curſum adiacentem cum Petro, eſtque propoſitio, licet implicita, de tertio adiacente, quia ſenſus eſt, *Petrus eſt currens.*

Alia enuntiatiua oratio eſt compoſita, ſeu hypothetica, eſtque illa, quæ conſtat pluribus ſimplicibus propoſitionibus copulatis per copulam *Si*, vel *Quia*, vel, *Et*; vt *Si ſol eſt, dies eſt*: de qua infrà.

Vtraqve propoſitio, ſcilicet ſimplex, & compoſita, eſt vel de ineſſe tantùm, vel modalis. Prima de ineſſe dicitur, quando abſolutè ſignificatur connexio, & habitudo prædicati ad ſubiectum ſecundùm tempus præſens, vt *Homo eſt animal*: hæcque, ait S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. æquiualet propoſitioni neceſſariæ. Secunda modalis eſt, quæ vltra connexionem importat aliquem modum, vel modificationem, vt *Homo contingenter eſt albus.* Hic agimus tantùm de propoſitionibus de ineſſe; poſteà de modalibus.

Rvrsvs propoſitio alia eſt de ſubiecto ſupponente, alia de ſubiecto non ſupponente. Prima dicitur illa propoſitio, in qua ſubiectum ſe ponit in prædicato, cui poteſt competere, vel à parte rei, vt *Homo eſt animal*; vel à parte modi ſignificandi, vt *Homo eſt ſpecies.* Dixi, à parte modi ſignificandi, quia veritas ſigni eſt veritas tantùm in dicto, quatenus verè exprimit id, ad quod impoſita eſt propoſitio, licèt id à parte rei non ſit. Sic S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 4. Vnde ſi volo exprimere aliquod falſum, dico v.g. *Homo eſt equus*; tunc veritas eſt tantùm in ſigno, & eſt propoſitio de ſubiecto ſupponente, quidquid dicant alij communiter. Secunda eſt, in qua ſubiectum nullo modo poteſt competere prædicato, vt ſi volo exprimere hominem eſſe rationalem, dicam, *Homo eſt equus.*

Rvrsvs ex S. Bonau. *lib.* 4. *diſt.* 8. *part.* 2. *quæſt.* 1. Propoſitio alia eſt indicatiua, ſeu enuntiatiua purè, quæ ſcilicet enuntiat veritatem, & connexionem prædicati cum ſubiecto: alia eſt operatiua rei, quam ſignificat, eſtque peculiaris in Sacramentis, & præcipuè in Euchariſtica confectione: *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt calix meus.*

CAPVT III.

De materia, forma, quantitate, & qualitate Propoſitionis.

28. Sicvt in rebus Phyſicis conſideratur materia ex qua, item forma per quam res ſunt, item proprietates,

tates , qualitateſque , & denique magnitudo , ſeu quantitas ; ſic ſuo modo intellectus eadem quatuor in propoſitione diſtinguit.

Materia ergo , ex qua propoſitio conficitur , eſt duplex , ſcilicet remota , & proxima. Remota ſunt termini per ſe conſiderati : proxima ſunt termini ad inuicem ordinati,ſeu eſt habitudo prædicati ad ſubiectum. Et quia vt notat S. Bonau. *lib.3. diſt.7. part.1. art.1. quæſt. 1. ad vltimum* , tripliciter poſſunt ordinari ad inuicem termini in propoſitione , nempe naturaliter , ſeu neceſſariò ; contingenter ; & remotè , ſeu impoſſibiliter ; hinc etiam in triplici materia poteſt confici propoſitio , ſcilicet in neceſſaria , in contingenti,& in remota.

Prima in materia neceſſaria eſt , quando prædicatum vel eſt definitio , ſeu tota eſſentia ſubiecti , vt *Homo eſt animal rationale* ; vel eſt pars eſſentiæ, vt *Homo eſt animal* ; vel quando prædicatum eſt proprietas eſſentialis ſubiecti, vt *Homo eſt animal riſibile.*

Secvnda in materia contingente eſt , quando prædicatum ineſt contingenter ſubiecto , vt *Petrus eſt albus.*

Tertia in materia remota , ſeu impoſſibili eſt, quando prædicatum nec ineſt, nec ineſſe poteſt ſubiecto,vt *Homo eſt equus.*

Eodemqve modo diſcurrendum de propoſitionibus negatiuis , vt *Homo non eſt animal* , hæc eſt in materia remota : *Homo non eſt albus* , hæc eſt in materia contingente : *Homo non eſt equus* , eſt in materia neceſſaria ; ex negatione enim vel neceſſaria , vel contingente , vel impoſſibili iudicanda eſt materia propoſitionis.

Forma eſt unio prædicati cum ſubiecto , quæ fit per verbum , vel ſubſtantiuum *Sum , es , eſt* ; vel per verbum adiectiuum , vt *Currit* , *Dormit* , *Legit*, quæ vt dictum eſt, in tantùm copulant extrema propoſitionis , in quantùm reducuntur ad verbum , *Sum* , *es* , *eſt*.

Qvalitas eſt duplex ; alia intrinſeca , eſtque affirmatio, vel negatio : & alia extrinſeca , ſcilicet veritas, & falſitas. Affirmatio , & negatio dicitur proprietas intrinſeca propoſitionis , quia ſunt eius veluti differentiæ eſſentiales ; impoſſibile enim eſt, ambas ſimul conuenire eidem propoſitioni , ex S.Bonauent. *lib. 1. diſt.8. part. 1. art. 1. quæſt. 2. in fund. 6.* Tuncque affirmatiua eſt , quando copula principalis affirmatur , licèt copula minùs principalis negetur ; hæc enim eſt affirmatiua , *Homo qui non eſt impius, diligit Deum :* nec item tollit affirmationem in propoſitione , etiamſi anteponatur negatio ſubiecto , dummodò copula non ſit negata , vt *Non homo eſt leo* ; affirmatio enim , & negatio propoſitionis ſtat in affirmatione , vel negatione copulæ.

Veritas, & falſitas dicuntur qualitates extrinſecæ propoſitionis ; quia veritas propriè non eſt in propoſitione, vt in ſubiecto , ſed vt in ſigno ſignificante veritatem inhærentem in intellectu. Sic S.Bonau. *lib. 1. diſt. 46. art. 1. quæſt. 4.* & *lib. 2. diſt. 37. quæſt. vlt. in corp.* vbi aduertit, duplicem veritatem ineſſe in propoſitione , alteram eſſentialem , eſtque id , ad quod ſignificandum inſtituta eſt : alteram accidentalem, quando ſcilicet res , quam ſignificat , adæquatur ipſi ſigno.

Veritas autem hæc deſumitur ex cohærentia prædicati ad ſubiectum. Sic S.Bonauent. *lib. 1. diſt.4. art. 1. quæſt. 3. ad 2. & in Pſ. 57.*

Talis autem cohærentia eſt vel ex participatione naturarum , vt *Homo eſt animal* ; vel ex vnione duarum natura-

rum ,

Digitized by Google

rum in vno ſuppoſito, vt *Deus eſt homo*, *Homo eſt Deus*, *Album eſt dulce* : vel ex inhærentia vnius formæ accidentalis in vno ſubiecto, vt *Paries eſt albus* ; vel ex emanatione vnius formæ ab alia, vt *Ignis eſt calidus* ; vel ex poſſeſſione rei, vt *Hic liber eſt Petri*.

VERITAS verò enuntiationum hypotheticarum oritur ex conditione appoſita per *Si*, *Quia*, *Vel*, *Et*, &c. vt *Si ſol eſt*, *dies eſt*.

QVANTITAS propoſitionis eſt, quâ extenditur, vel reſtringitur propoſitio ; fitque quadrupliciter : vel enim eſt vniuerſalis, vel particularis, vel indefinita, vel ſingularis. S. Bonau. *lib*.3. *diſt*.7. *art*. 1. *q*. 1. *ad vltimum*.

VNIVERSALIS eſt, quando ſubiectum eſt notatum ſigno vniuerſali, vt *Omnis*, *Nullus*. Particularis eſt, quando ſubiectum eſt notatum ſigno particulari, vt *Aliquis*, *Quidam*. Indefinita, quando ſubiectum eſt commune nullo ſigno notatum, vt *Homo currit* ; quæ tamen in materia naturali æquiualet vniuerſali, vt *Homo eſt animal* : in contingente æquiualet particulari, vt *Homo currit*. Singularis eſt, quando ſubiectum eſt ſingulare, vt *Petrus* ; vel eſt terminus communis notatus ſigno demonſtratiuo, vt *Hic homo*.

CAPVT IV.

De Propoſitione Hypothetica.

29. PROPOSITIO hypothetica (quod Græcè idem eſt ac Latinè ſuppoſitiua) eſt, in qua vna enuntiatio ſupponitur alteri, vt ad hanc conſequens : ob id componitur ex pluribus ſimplicibus.

HÆC triplex eſt, ſcilicet conditionalis, copulatiua, & diſiunctiua. Conditionalis eſt, in qua enuntiationes ſimplices connectuntur per conditionalem *Si*, & ideò vnâ parte poſitâ, altera ſequitur, vt *Si ſol eſt*, *dies eſt*. Ad hoc caput reducitur illa, quæ fit per notam illationis, *Ergo*, *Igitur* ; & dicitur rationalis, vt *Sol eſt*, *ergo dies eſt* : Et alia cauſalis, quæ fit per notam cauſalem *Quia* ; vt *Quia ſol eſt*, *dies eſt*.

COPVLATIVA eſt, quæ fit per copulam copulantem ambas propoſitiones, vt *Petrus ſtudet*, *& Paulus docet*.

DISIVNCTIVA eſt, quæ connectitur per diſiunctionem, *Vel*, vt ſignificetur vna vera, altera falſa, vt *Vel dies eſt*, *vel nox*.

DE hac hypothetica propoſitione idem dicendum eſt, quod ſuprà notatum eſt circa materiam, quantitatem, & qualitatem enuntiationis ſimplicis : ſolùm ſupereſt addere, quod forma harum hypotheticarum eſt particula copulatiua *Si*, *&*, *vel*, *quia*, *ergo*.

ET circa veritatem, & falſitatem dicendum, quod conditionalis eſt vera, ſi conſequentia eſt bona, etiamſi Antecedens ſit falſum ; vt *Homo eſt aſinus*, *ergo eſt rudibilis*. Conditio enim nihil ponit in eſſe, ob idque ſufficit connexio inter Antecedens, & Conſequens.

IN rationali requiritur veritas in Antecedente, & bonitas Conſequentiæ, vt *Homo eſt aſinus* : *Ergo eſt rudibilis*. Vtraque eſt falſa.

IN cauſali Antecedens debet eſſe cauſa conſequentis, & veritas in vtroque, vnde hæc eſt falſa, *Quia homo eſt riſibilis*, *ideo eſt rationalis* ; riſibilitas enim non eſt cauſa rationalitatis, ſed è conuerſo.

IN copulatiua vtraque debet eſſe vera, aliàs ſi vna eſt falſa, ambæ ſunt falſæ.

Digitized by Google

falſæ. S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 14. *q.* 1. *ad vltim.* vt, *Homo eſt animal, & eſt aſinus.*

CAPVT V.

De proprietatibus propoſitionis ſimplicis, ſcilicet de Oppoſitione, Æquipollentia, & Conuerſione.

30. SICVT ex habitudine vnius termini in propoſitione ad alterum reſultant variæ eorum proprietates, ſcilicet ſuppoſitio, appellatio, &c. ita ex comparatione vnius propoſitionis ad aliam reſultant quædam earum paſſiones, quales ſunt oppoſitio, æquipollentia, & conuerſio.

OPPOSITIO igitur eſt duarum propoſitionum vtraque extrema eodem ordine participantium, ſecundùm quantitatem, & qualitatem repugnantia: vel eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem, vt ait Ariſtoteles.

DICITVR *repugnantia duarum propoſitionum*, quia vna propoſitio non poteſt ſibi eſſe contraria. Dicitur *eodem ordine vtraque extrema participantium*; quia ambæ propoſitiones debent habere idem ſubiectum, & prædicatum, eademque debet eſſe res ſignificata, idem tempus cum eadem ſuppoſitione, ampliatione, &c. Vnde iſtæ non opponuntur: *Petrus, qui diſputat, loquitur*: &, *Petrus, qui non diſputat, loquitur*; ambæ enim ſunt affirmatiuæ.

ITEM iſtæ: *Angelus eſt Dei: Angelus non eſt Deus.* Item, *Canis latrat, Canis non latrat*, ſi ly *canis* ſumitur æquiuocè. Item iſtæ: *Petrus currit: Petrus non currit velociter*: variatur enim ſuppoſitio, & ſignificatio terminorum in altera illarum.


OPPOSITIO propoſitionum eſt penes quantitatem, & qualitatem ipſarum. Hæc eſt quadruplex, ſcilicet Contraria, Subcontraria, Subalterna, & Contradictoria. Contradictoria eſt, quando vna propoſitio eſt vniuerſalis affirmatiua, altera particularis negatiua: vt, *Omnis homo eſt animal: Aliquis homo non eſt animal.* Contraria eſt, quando ambæ ſunt vniuerſales, & altera eſt affirmatiua, altera negatiua, vt *Omnis homo eſt animal: Nullus homo eſt animal.* Sic oppoſitio eſt penes qualitatem tantùm.

SVBCONTRARIA eſt, quando ambæ ſunt particulares: vt, *Petrus eſt animal: Petrus non eſt animal.* Sic eſt oppoſitio penes qualitatem tantùm.

SVBALTERNA eſt, quando ambæ ſunt vel affirmatiuæ, vel ambæ negatiuæ, ſed vna eſt vniuerſalis, altera particularis: vt, *Omnis homo eſt animal: Aliquis homo eſt animal*; hæc tamen non eſt propriè oppoſitio, niſi ſecundùm quid. Dicitur verò ſubalterna, ideſt ſub altera; particularis enim, quæ eſt ſubalternata, ſtat ſub vniuerſali ſubalternante, ſicque eſt oppoſitio tantùm penes quantitatem; oppoſitio verò propria eſt penes qualitatem tantùm. Et hinc contradictoriæ, & contrariæ in rigore tantùm ſunt repugnantes; immò contradictoria oppoſitio eſt ſolùm propriiſſima, quia omnis oppoſitio propria reducitur ad hanc, vt notat Tartaret. Suprà poſita quadruplex oppoſitio patebit figurâ ſequenti.

Digitized by Google

Tabella quadruplicem oppoſitionem deſignans.



31. Regvlæ harum oppoſitionum ſunt ſequentes.

Prima pro Contradictoriis: In nulla materia poſſunt eſſe ambæ veræ, ſed neceſſariò una eſt vera, altera falſa: nullum enim datur medium inter ipſas; dummodò tamen ſit inter propoſitiones abſolutas ſecundùm idem ſubiectum: nam inter terminos ſimplices, ſi ſumantur cum aliqua determinatione, vel cum ſyncathegorematico, poteſt dari medium. Exemplum affert S.Bonau. *lib. 1. diſt. 4. art. 1. q. 2. ad 2. Iſte eſt monachus albus, & non albus*; ſic in vno extremo ſtat pro natura, in alio pro ſtatu monachali: de quo vide Meldul. *part. 1. num. 69. in Summulis.*

Secvnda pro Contrariis: In materia vlla non poſſunt ſimul ambæ eſſe veræ: In materia neceſſaria, & remota neceſſariò vna eſt vera, alia falſa: In contingente vtraque eſt falſa, vt *Omnis homo eſt albus: Nullus homo eſt albus.*

Tertia pro Subcontrariis: Nunquam poſſunt eſſe ſimul falſæ; benè autem veræ in materia contingente. In materia neceſſaria vna eſt vera, alia falſa.

Qvarta pro Subalternis: In materia neceſſaria, vel vtraque vera eſt, vel falſa: In contingente vniuerſalis poteſt eſſe falſa, particularis vera; ſed non è contrà. Pro cognoſcendo, an verè duæ propoſitiones ſint oppoſitæ, obſeruandum eſt diligenter, an in aliqua illarum, vel in terminis varietur ſuppoſitio; ſi enim variatur, tunc tollitur oppoſitio, vt *Petrus diſputat: Pe-*

trus

Digitized by Google

trus non diſputat. Si ſumuntur illi termini, *diſputat*, ſecundùm diuerſa tempora, &c. *Petrus currit : Petrus non currit velociter.*

Æqvipollentia eſt duarum propoſitionum eodem ordine vtroque extremo participantium vis eadem à variis ſignis proueniens : vnde tales propoſitiones mutuò ſe inferunt. Quæ æquipollentia fit per additionem negationis, *Non*; hæc enim habet vim, vt ſi cadat ſuper vniuerſale, illud faciat particulare, & vice verſâ : v. g. *Omnis homo eſt albus : Aliquis homo non eſt albus*; ſi addas negationem, dicendo, *Non omnis homo eſt albus*; tunc eſſent duæ propoſitiones æquipollentes. S. Bonau. *lib. 3. diſt. 39. art. 2. quæſt. 1. in corp.* Ad hanc æquipollentiam faciendam tres regulæ obſeruandæ ſunt, contentæ in hoc carmine.

Præ contradic, poſt, contra, præ, poſtque, ſubalter.

Prima eſt : In contradictoriis negatio præponitur ſubiecto cuiuſlibet illarum; verbi gratiâ, *Omnis homo eſt animal : Aliquis homo non eſt animal*, fiunt æquipollentes addendo negationem *non*, dicendo *: Non omnis, Non aliquis.*

Secvnda : In contrariis fit æquipollentia poſtponendo negationem ſubiecto, vt *Omnis homo eſt animal : Nullus homo eſt animal*; dicendo, *Omnis homo non eſt animal : Nullus homo eſt animal.*

Tertia : In ſubalternis apponendæ duæ ſunt negationes cuilibet illarum, vna antè, alia poſt ſubiectum.

Et quia Æquipollentia dependet tum à negatione ſuperaddita, tum à ſignis, quibus anteponitur, vel poſtponitur negatio ; hinc duo aduertenda.

Primvm eſt circa vim negationis; negatio enim, cùm ſit malignantis naturæ, deſtruit quicquid ipſam conſequitur. Vnde negatio appoſita nomini, ſeu verbo extra enunciation em, facit illud ex finito infinitum, vt *Non homo non currit :* & dicuntur infinita, quia aliquo modo ſignificant infinitum, nempe omne aliud præter hominem, & præter currere ; & de homine, & de currere nihil ſignificant.

Si verò negatio apponatur nomini, ideſt propoſitionis ſubiecto, vel prædicato, tunc propoſitio non negatur, ſed ipſa propoſitio redditur infinita, vt *Non homo eſt iuſtus ;* affirmat enim quodvis aliud extra illud nomen ſubiectum, & prædicatum : de quo quidem ſubiecto, & prædicato neque affirmat, neque negat : ſignificat enim aliud præter hominem eſſe iuſtum. Hinc ſequitur, quod vt fiat negatio in propoſitionibus de ineſſe, apponenda eſt negatio vel ad ſignum, vel ad verbum, vel ad ſignum, & ad verbum ſimul, ita vt hæc propoſitio, *Omnis homo eſt iuſtus*, dupliciter poteſt negari ; vel apponendo negationem ſigno, ſic, *Non homo eſt iuſtus*, vel verbo, vt *Homo non eſt iuſtus*; vel vtrique, vt, *Non homo non eſt iuſtus.* Quare ex varia negationis appoſitione varia etiam fit propoſitionum æquipollentia, quæ inſeruit ad obſcuriores propoſitiones aliis clarioribus elucidandas. Si negatio apponatur ſigno, facit propoſitionem æquiualentem ſuæ contradictoriæ, vt *Non omnis homo eſt iuſtus*, idem eſt, ac *Aliquis homo non eſt iuſtus*, & è cõverſo.

Si verò apponatur verbo, facit propoſitionem æquiualentem ſuæ contrariæ, vt *Omnis homo non eſt beſtia*, æquiualet huic, *Nullus homo eſt beſtia* ; & vice verſâ.

Si verò apponatur negatio vtrique in propoſitione, tum ſigno, tum verbo, facit illam æquiualere ſuæ ſubalternæ, vt *Non omnis homo non eſt prudens*, æqui-

ualet huic, *Aliquis homo eſt prudens.*

Ratio horum dictorum eſt, quia negatio negat, quod reperit poſt ſe, ob idque ſi reperit poſt ſe ſignum vniuerſale, facit particulare, & propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, reddit particularem, & negatiuam.

Hincqve ſecundum, quod eſt notandum, & ſequitur ex dictis, eſt quod ſequentia ſigna ſunt æquiualentia, notata ſequentibus verſibus.

Primò: *Non omnis, quidam non: omnis non, quaſi nullus.*

Secvndò: *Non nullus, quidam: ſed nullus non, valet omnis.*

Tertiò: *Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.*

Qvartò: *Vterque non, neuter: neuter non, valet vterque.*

Qvintò: *Non alter, neuter: non alter non, eſt vterque.*

Conversio eſt mutatio enuntiationis alicuius in aliam conſequentiam, quæ conſtet iiſdem terminis; ita tamen vt ſubiectum fiat prædicatum, idque ſeruatâ quantitate, & qualitate eadem: vt, *Omne animal ſentit: omne, quod ſentit, eſt animal.* In qua Antecedens dicitur conuerſa; Conſequens dicitur conuertens. *Lib.* 3. *diſt.* 8. *art.* 1. *quæſt.* 3. *fund.* 2. & *diſt.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & 4.

Conversio eſt triplex, ſcilicet ſimplex, per accidens, & per contrapoſitionem. In prima, ſcilicet ſimplici, ſeruatur eadem qualitas, & quantitas; vt, *Nullus homo eſt leo: ergo nullus leo eſt homo.*

In ſecunda, ſcilicet per accidens, fit mutatio extremorum ſeruatâ qualitate, non verò quantitate; fit enim ex vniuerſali particularis: vt, *Nullus homo eſt leo: ergo aliquis leo, non eſt homo.*

In tertia, ſcilicet per contrapoſitionem, manente eadem qualitate, & quantitate, mutantur termini ex finitis in infinitos per additionem negationis: vt, *Omnis homo eſt animal: ergo omne, quod non eſt animal, eſt non homo.*

Regvlæ harum conuerſionum continentur in his quatuor verſibus.

Simpliciter Feci, conuertitur Eua per acci.
Aſto per contra: ſic fit conuerſio tota.
Aſſerit A, negat E: ſunt vniuerſaliter ambæ.
Aſſerit I, negat O: ſunt particulariter ambæ.

In quibus tres illæ voces, *Feci, Eua, Aſto*, continent quatuor vocales A, E, I, O. A, ſignificat vniuerſalem affirmatiuam: E, vniuerſalem negatiuam; I, particularem affirmatiuam: O, particularem negatiuam. Vnde *Feci*, quod continet E, ſimpliciter conuertitur: ſic, *Nullus homo eſt equus: ergo nullus equus eſt homo.* Sic & I, *Aliquis homo eſt iuſtus: ergo aliquis iuſtus eſt homo. Eua* continet E, & A: poſſunt conuerti per accidens. Et *Aſto* continet A, & O, per contrapoſitionem, vt dictum eſt.

CAPVT VI.

De Enuntiatione Modali.

32. Svpra *in cap.* 2. diximus duplicem eſſe propoſitionem; aliam abſolutam, ſeu de ineſſe; aliam modalem.

Prima explicatâ, ſupereſt vt ad modalem tranſeamus.

Modvs autem eſt terminus, qui additus alteri ipſum modificat: vnde ſi additur ſubiecto, vel prædicato, vt *Homo iuſtus, Liber Petri, Petrus eſt homo bonus*; tunc non fit propoſitio modalis

dalis, quia modificatur tantùm eius pars: & de hac modificatione hîc non agitur, ſed de modo modificante totam propoſitionem: vt, *Petrus neceſſariò eſt animal*; explicatur enim, quonam modo prædicatum ineſt ſubiecto: vnde ſecundùm triplicem materiam propoſitionis, ſcilicet neceſſariam, contingentem, & impoſſibilem, etiam ad triplex caput reducitur modus modificans totam propoſitionem, ſcilicet neceſſarium, contingentem, & impoſſibilem, cui etiam additur quartus, nempe poſſibilis, licèt in rigore ſit idem, ac contingens; ſumitur enim hîc poſſibilitas, non prout eſt differentia realis entis, ſed prout competit propoſitioni, & ſecundò intentionaliter: ob id eſt idem, ac contingens.

Dvo autem ſunt aduertenda. Primum eſt, quod in propoſitione modali adeſt dictum, & modus, ſeu vt dicit S. Bonauent. dictio modalis. Dictum eſt ipſa propoſitio modificata: modus eſt nomen, ſeu aduerbium modificans, v. g. *Hominem currere eſt poſſibile*, ly *hominem currere*, eſt dictum: ly *poſſibile* eſt modus.

Secvndvm eſt, quod modus poteſt adhiberi in propoſitione dupliciter. Primò nominaliter, ſic poſſibile, contingens, impoſſibile, & neceſſarium: Secundò aduerbialiter, ſic poſſibiliter, contingenter, impoſſibiliter, & neceſſariò. Si ſit nominaliter, tunc dictum habet rationem ſubiecti, & modus prædicati, vt *Hominem currere eſt contingens*. Si aduerbialiter, tunc modus non eſt prædicatum, ſed mera determinatio copulæ, ſiue vnionis propoſitionis: vt, *Homo contingenter eſt albus*.

Circa quantitatem, & qualitatem propoſitionis modalis aliter philoſophandum eſt de propoſitione modali aduerbialiter ſumpta, aliter de nominaliter ſumpta; nam in propoſitione modali aduerbiali eo fere modo venanda eſt quantitas, & qualitas, ac in propoſitionibus de ineſſe. Ratio eſt, quia in his modus non prædicatur, ſed ſolùm modificat, & determinat copulam, & relinquit ſubiectum, & prædicatum intactum, ſicut erat in propoſitione de ineſſe; hinc & remanet eadem quantitas, & qualitas: vt, *Homo contingenter eſt albus*.

Sed in modalibus nominaliter ſumptis, vt *Hominem currere eſt contingens*, venanda eſt quantitas, & qualitas aliqualiter ex dicto, ſed principaliter ex modo; modus enim eſt, qui prædicatur, & totum dictum remanet ſubiectum.

Vnde neceſſe, impoſſibile, poſſibile, & contingens ita ſe habent in modalibus, ſicut ſigna illa quantitatiua in propoſitionibus de ineſſe, *Omnis, Nullus, Aliquis*: ob idque præpoſita negatione, modi vniuerſales fieri poſſunt particulares; & affirmatiui fieri negatiui, & vice verſâ.

Differvnt tamen primò, quia ſigna propoſitionis abſolutè indicant quantitatem numeralem, vt *Omnis homo* indicat quemlibet, & omnes homines. At modi indicant quantitatem temporis, ſcilicet quantùm temporis tale prædicatum competat tali ſubiecto; neceſſe enim diſtribuit per omne tempus, & poſſibile per aliquod tempus.

Differvnt ſecundò, quòd illa ſigna nunquam poſſunt eſſe termini cathegorematici; modi autem poſſunt eſſe, quia ſunt vera prædicata.

Hinc quoad qualitatem, ſi modus negatur, licèt dictum ſit affirmatiuum, propoſitio erit ſimpliciter negatiua, & ſolùm ſecundùm quid affirmatiua: vt,

Hominem eſſe album, non eſt neceſſarium. Sic licèt dictum ſit verum, & modus ſit falſus, poteſt eſſe falſa, vt *Hominem eſſe animal, eſt contingens.* Vnde ad hoc vt ſit vera, debent proportionari materia propoſitionis, & dictum, cui applicatur modus: ſi enim dictum eſt in materia neceſſaria, & modus in contingente, non proportionantur. Veritas autem, & falſitas hæc cognoſcitur per hoc, ſi propoſitio de ineſſe ſit poſſibilis, vel impoſſibilis: vt, *Petrum currere eſt contingens.*

Qvoad quantitatem, ſi modus, *neceſſarium*, & *impoſſibile*, eſt abſolutè prolatus, cùm amplectatur omne tempus, propoſitiones erunt vniuerſales: vt, *Hominem eſſe riſibilem, eſt neceſſarium.* Si verò modus eſt contingens, tunc propoſitio erit particularis, vt *Hominem eſſe album eſt contingens.*

Et hinc quatuor modis poteſt fieri propoſitio modalis.

Primò affirmatiua de dicto, & de modo, vt *Hominem currere eſt contingens.*

Secvndò affirmatiua de dicto, & negatiua de modo; vt, *Hominem currere non eſt neceſſarium.*

Tertiò negatiua de dicto, affirmatiua de modo; vt, *Hominem non currere eſt contingens.*

Qvartò negatiua de vtroque, vt *Hominem non currere non eſt neceſſarium.*

CAPVT VII.

Propoſitio Modalis diuiditur in Compoſitam, & diuiſam.

33. Primò Supponendum, quod ſenſus compoſitus eſt, cùm ſignificatur aliquid conuenire ſubiecto cum aliquo adiuncto, vt *Paries albus diſgregat viſum:* hoc enim prædicatum competit parieti, ſuppoſitâ coniunctione ipſius cum albedine. Senſus diuiſus eſt, cùm ſignificatur prædicatum conuenire ſubiecto, ſuppoſitâ diuiſione ipſius ab aliquo alio, vt *Sedens poteſt currere*, vera eſt ſeiunctâ ſeſſione.

Hinc propoſitio modalis diuiſa eſt illa, cuius copula modificata eſt aliquo prædictorum modorum, ſcilicet poſſibilis, contingentis, &c. determinante compoſitionem prædicati cum ſubiecto, vt *Hominem neceſſe eſt eſſe animal: Franciſcum poſſibile eſt eſſe album:* vel, *Petrus contingenter currit.*

Composita verò eſt illa, in qua modus vel eſt ſubiectum, vel prædicatum, vel pars ſubiecti, vel prædicati: vt, *Petrum currere eſt poſſibile:* vel, *Hominem eſſe animal eſt neceſſe.* Et hinc aliqui dicunt, quod modus intra extrema propoſitionis poſitus facit ſenſum compoſitum; extra verò facit diuiſum.

Ex quibus patet, quod in propoſitione diuiſa, ly *eſt*, & *eſſe*, eſt determinatum per modum: nec modus eſt ſubiectum, vel prædicatum, ſed eſt tantùm determinatio copulæ: & ob id modus tenetur primò intentionaliter, & ſyncathegorematicè: & dictum non eſt totum ſubiectum, vel prædicatum, ſed tantùm vna pars eiuſdem eſt ſubiectum, reliqua verò prædicatum: vt, *Hominem neceſſe eſt eſſe animal*; in qua ly *eſt*, & *eſſe*, determinantur per ly, *neceſſe*, tanquam per ſignum denotans veram, & realem neceſſitatem: & ly *hominem*, eſt ſubiectum, *animal* prædicatum; & ly *eſt*, *eſſe*, copula; & ly *neceſſe eſt*, modus, & determinatio rationis animalis cum homine. Sic & iſta, *Petrus contingenter eſt currens*; vbi ly

ly *Petrus*, eſt ſubiectum; *currens*, prædicatum; ly *eſt*, copula; ly *contingenter*, modus modificans illam vnionem. Sic & iſta, *Franciſcum poſſibile eſt eſſe album.*

In propoſitione verò compoſita Verbum *eſt*, habet rationem tantùm copulæ, & modus eſt ſubiectum, vel prædicatum, & ſumitur ſecundò intentionaliter, prout denotat neceſſitatem, vel contingentiam, vel impoſſibilitatem propoſitionis; & ob id ſumitur cathegorematicè. Dictum verò totum eſt ſubiectum, vel prædicatum, ob idque ſumitur per modum vnius: vt, *Petrum currere eſt poſſibile*; vel, *Neceſſe eſt hominem eſſe animal: Petrum ſedentem currere eſt poſſibile*; vel, *Petrum album eſſe nigrum eſt poſſibile*: vbi ly *Petrum currere*, eſt ſubiectum; ly *eſt*, copula; ly *Poſſibile*, modus modificans totum dictum, ſcilicet Petrum currere. Et alia, *Petrum ſedentem currere eſt poſſibile*; vbi ly *Petrum ſedentem currere*, eſt dictum, & ſubiectum; ly *eſt*, copula; ly *poſſibile*, modus modificans totum dictum aggregatum ex illis terminis; ob id eſt falſa. Modalis enim compoſita ſemper vnit formas inter ſe inuolutas per extrema dicti; & de illis ſimul ſumptis prædicatur modus, oſtenditurque poſſe eſſe omnia ſimul. Non ſic in diuiſa; nam cùm modus ſolam copulam afficiat, & non totam propoſitionem, denotat illum modum ſubiecto conuenire, & non ipſis formis prædicati, vel ſubiecti ſimul ſumptis, vt *Sedens poſſibiliter currit, vel eſt currens, &c.* vt dictum eſt.

Propositio compoſita explicatur per vnam cathegoricam de ineſſe, vt hæc propoſito: *Poſſibile eſt album eſſe nigrum*; ſic, *Album, & nigrum, eſt poſſibilis*, ſcilicet modus: & dicitur officiar[illegible] de ineſſe illius modalis, quia inſeruit, vt per eam probetur talem modum conuenire tali de ineſſe implicatæ in modali. Sic Meldul. *tract.* 2. *cap.* 9. *in fine.*

Propositio diuiſa explicatur per duas cathegoricas, vt *Hoc eſt album, & poſſibiliter eſt nigrum.*

Et hinc infert Scotus *lib.* 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 9. quod propoſitio modalis compoſita ex vi ſermonis, non rectè diſtinguitur in ſenſum compoſitum, & diuiſum, quia formaliſſimè reddit ſenſum compoſitum tantùm: quod & aduertit S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 40. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 4. *in princ.*

Attamen ſubdit ibidem regulam breuem & claram ſupradicta omnia dignoſcendi; nempe cùm prædicatum poteſt eſſe cum ſubiecto cum forma in ipſo implicata, id eſt ſub[illegible]ali reduplicatione, vt *Album poteſt eſſe dulce*, eſt vera ſimpliciter: ſi poteſt eſſe poſt formam implicatam, vt *Album poteſt eſſe nigrum*, ſic eſt vera ſimpliciter: aut poteſt eſſe ſine forma implicata, ſic eſt vera ſimpliciter, quia importatur poſſibilitas, ſiue contingentia tantùm in ſubiecto, & in hoc tertio ſenſu eſt vera hæc, *Prædeſtinatus poteſt eſſe preſcitus*, ideſt poteſt eſſe ſine prædeſtinatione, quia totùm eſt contingens.

Advertit tamen Tolet. *lib.* 3. *cap.* 1. *in fine*, & S. Bonauent. *ibidem*, quod optimum ſemper eſt diſtinguere in ſenſu compoſito, vel diuiſo, vt veritas eluceſcat.

Advertendum etiam, S. Bonauenturam appellare propoſitionem compoſitam propoſitionem de dicto, ideſt quatenus dictum importat quid vnum; & propoſitionem diuiſam appellat propoſitionem de re, quia res importatæ diuiduntur.

Idem Seraphicus Doctor tradit aliam regulam ibidem, nempe: Propoſiti-

ſirio modalis, in qua ſignificatum ponitur in recto, vt *Prædeſtinatus poteſt damnari*, ſine diſtinctione poteſt concedi, quia eſt tota de contingente materia.

Illa autem, in qua dictum ponitur per accuſatiuum, & verbum infinitiui modi, vt *Prædeſtinatum fieri præſcitum poſſibile eſt*, facit ſenſum diuiſum, ſcilicet verificatur in diuerſo tempore, & cum diuiſione.

Oviedvs in ſua Logica hîc, Guarinus, & Ariaga rejiciunt tot regulas vt ſuperfluas, quia potiùs faciunt ad confuſionem, quàm ad elucidandum ingenium: hinc explicant ſic breuiter ſenſum compoſitum propoſitionis modalis, & cuiuſcunque alterius, nempe quando extrema poſſunt ſimul coëxiſtere: vt, *Hominem eſſe album eſt poſſibile*, tunc faciunt ſenſum compoſitum: ſenſus verò diuiſus eſt, quando extrema non poſſunt ſimul coëxiſtere, ſed ſolùm in diuerſis temporibus: vt, *Prædeſtinatum fieri præſcitum eſt poſſibile: Hominem iuſtum peccare eſt poſſibile*. In ſenſu enim compoſito ponitur tantùm potentia in actu primo: In ſenſu diuiſo ponit & duas formas, ſed pro diuerſo tempore, & ſtatu.

Qvæ omnia ſunt diligenter aduertenda; ſunt enim permaximè neceſſaria pro materia de Prædeſtinatione, Auxiliis diuinis, & concilianda libertate humana cum diuina.

34. Qvoad oppoſitionem Modalium, aduertendum, quod hæc attendi debet penes modum, nempe ſi fuerit vniuerſalis, particularis, affirmatiuus, vel negatiuus. Cùm autem neceſſarium, & impoſſibile ſint modi vniuerſales, ille quidem affirmatiuus, iſte negatiuus, iſti etiam faciunt oppoſitionem contrariam: & cùm contingens, ſeu poſſibile, ſit particularis affirmatiuus, etſi poſtponatur negatio *non*, vt *poſſibile*, ſeu *contingens non*, ſic erit particularis negatiuus; hinc *contingens*, & *contingens non*, erunt ſubcontrarij: item neceſſe, & contingens erunt ſubalterni: item impoſſibile, & contingens non. Contradictorij verò erunt neceſſe, & contingens: item impoſſibile, & contingens. Quod continetur in his duobus verſibus.

Omnis neceſſe valet: impoſſibile nullus.
Poſſibile quidam: quidam non poſſibile non.

Et explicantur ſic Contradictorij:

Hominem eſſe animal eſt neceſſe:
Hominem eſſe animal non eſt neceſſe, ſeu *eſt contingens.*

Item: *Hominem eſſe equum eſt impoſſibile:*
Hominem eſſe equum non eſt impoſſibile, ſeu *contingens.*

Contrarij: *Hominem eſſe animal eſt neceſſe:*
Hominem eſſe animal eſt impoſſibile.

Item: *Hominem eſſe animal eſt contingens:*
Hominem eſſe animal eſt contingens non.

Subalterni: *Hominem eſſe animal eſt neceſſe:*
Hominem eſſe animal eſt neceſſe, vel impoſſibile.
Hominem eſſe animal eſt contingens, vel contingens non.

Et hinc ſi addatur negatio, vel poſtponatur modo, tunc fient æquipollentes.

CAPVT

CAPVT VIII.

De Propoſitionibus exponibilibus.

35. PRopositio exponibilis eſt illa, quæ ratione alicuius ſigni obſcuri debet exponi per plures propoſitiones: illaque dicitur exponibilis, iſtæ dicuntur exponentes.

Termini, ſeu ſigna exponibilia, alia dicuntur excluſiua, alia exceptiua, alia reduplicatiua. Excluſiua ſunt, *Tantùm, Dumtaxat, Solùm:* qui ſi determinant ſubiectum propoſitionis, faciunt propoſitionem de ſubiecto excluſo, excludendo alia ſubiecta præter determinatum: idemque dicendum de prædicato, vt *Petrus tantùm eſt Grammaticus*, ſic exponitur: *Petrus eſt Grammaticus, & nullus alius eſt ab ipſo.*

Exceptiva ſunt, *Præter, Præterquam, Niſi:* quæ excipiunt illum terminum, cui adduntur, à principali ſignificato: vt, *Omnis homo præter Petrum currit.*

Redvplicativa ſunt, *Inquantum, Quatenus, Vt, Prout:* quæ ſigna habent duplicem ſenſum, ſcilicet purè reduplicatiuum, & ſpecificatiuum: de quibus S. Bonau. *lib.* 3. *diſt.* 10. *dub.* 1. *& art.* 1. *quæſt.* 1. Purè reduplicatiuus eſt, quando illa particula importat cauſam veram, ſeu rationem formalem: quare prædicatum ineſt ſubiecto, vt *Homo inquantum homo eſt rationalis:* & hic infert vniuerſalem affirmatiuam. Hinc propoſitio reduplicatiua eſt illa, quæ duplex ſubiectum, vel prædicatum habet ex vi alicuius particulæ illud duplicantis: aliquando facit ſenſum ſpecificatiuum, eſtque quando importat concomitantiam tantùm, ſeu cauſam materialem, ſiue non repugnantiam: vt, *Muſicus inquantum Muſicus poteſt eſſe Logicus:* & hic non facit propoſitionem vniuerſalem, diciturque ſpecificatiuum ſignum ly *inquantum*, quia ſpecificat Muſicum non habere repugnantiam ad Logicam. Iſtæ autem omnes debent exponi vel per hypotheticam, vel per plures cathegoricas. Reduplicatiua quidem formalis per cauſalem *Quia*: vt, *Homo inquantum eſt rationalis eſt riſibilis:* ſic, Homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis. Vel, *Homo eſt riſibilis, Omnis homo eſt rationalis, Omne rationale eſt riſibile; & quia homo eſt rationalis, eſt riſibilis.* Specificatiua verò per *Si*: vt, *Si eſt prædeſtinatus non poteſt damnari.*

Inter propoſitiones exponibiles ponuntur illæ, quæ important inceptionem, & deſitionem per verba *incipit*, & *deſinit:* de quibus S. Bonauentura *lib.* 3. *diſt.* 11. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad vlt.* & *lib.* 4. *diſt.* 17. *p.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 4. & agetur in Phyſica. Et illæ, quæ fiunt per verbum *differt, alius*, & *aliud*, de quibus agetur in Capite de Differentia, & in expoſitione terminorum Philoſophicorum, in calce harum Summularum circa reſolutionem ipſarum. Videatur Toletus *lib.* 3. *cap.* 12. *Summul.*

Svperest, vt de comparatiuis, & ſuperlatiuis, ſeu exceſſiuis aliqua dicamus ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 44. *dub.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 10. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 5. & *lib.* 3. *diſt.* 17. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vlt.*

Comparativæ ſunt in duplici differentia: quædam dicuntur propriè, ſuntque illæ, quæ habent formam, in qua fit comparatio, vt *Petrus eſt ſanctior Paulo:* nam ly *ſanctior*, importat ſanctitatem veram in vtroque, & exceſſum

Digitized by Google

ceſſum in Petro. Quædam verò fiunt abuſiuè tantùm, vt *Angelus eſt ſanctior Diabolo*; ſanctitas enim repugnat Diabolo.

Svperlativæ verò etiam fiunt dupliciter. Primò abſolutè, vt *Petrus eſt albiſſimus*; vel comparatiuè, vt *Petrus eſt omnium albiſſimus*. Quæ omnes reſoluuntur per plures cathegoricas, de quo vide Tolet. *lib. 3. cap. 13.*

CAPVT IX.

De Diuiſione.

36. PRo Coronide huius ſecundæ partis ſupereſt, vt de ſecundo inſtrumento Logicæ, directiuo ſecundæ operationis intellectus aliqua diſſeramus.

Divisio igitur eſt inſtrumentum Logicum dirigens ſecundam operationem intellectus, nempe iudicium, ad quod ſpectat affirmatio, vel negatio, per quas propriè fit diuiſio logica.

Hinc diuiſio definitur, *Oratio totum in ſuas partes diſtribuens*. Dicitur *oratio*, vt excludatur terminus ſimplex. Dicitur *totum*, &c. vt innuatur, quod diuiſio duo exigit, ſcilicet totum, quod dicitur diuiſum; & partes, quæ dicuntur membra diuidentia; vt, *Animalium aliud eſt rationale, aliud irrationale, &c.*

Divisio eſt duplex, alia nominis, alia rei. Prima eſt æquiuoci in ſua æquiuocata: vt, *Canis alius cæleſtis, alius terreſtris, alius marinus.*

Secvnda eſt manifeſtatio communitatis alicuius ſuperioris per ſua inferiora, vt animalis per hominem, leonem, &c.

Hæc eſt multiplex ſecundùm diuerſa genera totius. Aliud enim eſt totum integrale, aliud poteſtatiuum, aliud eſſentiale, aliud vniuerſale. Integrale eſt, quod ex pluribus partibus quantitatiuis integratur, & hoc eſt vel heterogeneum, & à Seraphico Doctore dicitur totum continuitate, ideſt conſtans pluribus partibus diuerſæ ſpeciei, & rationis, vt hominis corpus conſtat carne, oſſibus, neruis, &c. Vel eſt homogeneum, ideſt habens partes eiuſdem rationis, vt vas aquæ; illa enim aqua conſtat partibus eiuſdem rationis. S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 3. p. 1. art. 1. q. 3. & lib. 3. diſt. 6. art. 2. quæſt. 2.*

Totvm poteſtatiuum eſt, quod non actu, ſed virtute, & potentiâ tantùm plures partes continet, vt anima humana virtualiter continet ſenſitiuam, vegetatiuamque: & animal diuiditur in hominem, leonem, &c. in potentia tantùm.

Totvm eſſentiale eſt, quod continet eſſentiales partes: eſtque vel phyſicum, vt homo conſtat phyſicè corpore, & animâ; vel metaphyſicum, ſeu logicum, quod habet partes rationales, vt homo conſtat genere, & differentiâ, ſcilicet animal, & rationale.

Totvm vniuerſale eſt, quod eſt in pluribus, & prædicari poteſt de pluribus, vt homo de Petro, Paulo, &c. Quæ omnia admittunt diuiſionem proportionatam.

Regvlæ pro recta diuiſione ſunt ſequentes.

Prima, Quod ſingula membra diuidentia ſint minùs communia, quàm totum; omnia tamen ſimul ſumpta debent adæquare diuiſum: hinc non eſt bona diuiſio animalium in aliud rationale, aliud irrationale, aliud ſenſitiuum; nam ſenſitiuum adæquat per ſe ipſum totum.

Secvnda, Quod fiat pro poſſe per proxima membra, ſicque hæc deficit;

cit: *Subſtantia alia eſt rationalis, alia irrationalis*: proxima enim membra ſubſtantiæ ſunt corporeum, & ſpirituale.

Tertia, Ne afferantur plura membra, quàm par eſt; ſic hæc deficit, *Animalium aliud rationale, aliud irrationale, aliud homo.*

Quarta, Vt membra diuidentia ſint aliquo modo oppoſita, ideſt vnum membrum non contineatur in altero, vt patet in exemplo proximè allato.

Et quia reſolutio habet aliqualem ſimilitudinem cum diuiſione, ſpectatque ad ſecundam operationem intellectus; hinc ex Seraph. Doct. *ſerm.* 4. *in Hexaëm.* & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 5. & Ariſt. aliqua hic breuiter ſubdimus.

Resolutio igitur, ſeu Analyſis eſt duplex, ſcilicet vel à ſingularibus ad vniuerſale, diciturque aſcenſus; vel ab vniuerſalibus ad ſingulare, diciturque deſcenſus.

Hæc reſolutio eſt vel terminorum ſimplicium, vel propoſitionum in ſyllogiſmo. Reſolutio terminorum eſt quadruplex, ſcilicet Copulatiua, Copulata, Diſiunctiua, & Diſiuncta, eo modo, quo diximus de ſuppoſitione termini communis, de qua, & aliis poteſt videri Tolet. *ſummul. lib.* 1. *cap.* 4. & 6. Reſolutio propoſitionum Logica eſt duplex, ſcilicet in cauſam inferendi, & in cauſam inferendi & eſſendi. Prima dicitur reſolutio formæ: Secunda materiæ. Prima dicitur vniuerſalis à Toleto; à Conimbric. dicitur conſequentiæ: reſoluitur enim concluſio in figuras, & modos, & oſtenditur proceſſum rectè obſeruatum fuiſſe ſecundùm regulas ſyllogiſticas. Secunda dicitur particularis, & conſequentis, quâ reſoluitur res ſignificata in concluſione in ſuas cauſas veras; eſtque magis propriè Mathematicæ quæ poſito effectu cauſas quærit. Attamen propriè vtraque ſpectat ad Logicum, & de prima tractat Ariſt. in libris Priorum, & de ſecunda in libris Poſteriorum; in primis enim tractat de forma recta ſyllogiſtica; in ſecundis tractat de varia materia ſyllogiſmi.

TERTIA PARS
Summularum, ſpectans ad tertiam operationem intellectus, quæ eſt de Argumentatione.

CAPVT PRIMVM.

De Argumentatione in communi, eiuſque ſpeciebus.

37. Argumentatio, ſeu argumentum, ait S. Bonauentura *lib.* 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 2. dicitur, quia mentem arguit, & illuminat ad videndum aliquid occultum: & ob id aliquid propriè dicitur argumentum quadrupliciter. Primò, vt ſit breuis collectio prolixæ ſententiæ: Secundò, medium in ſyllogiſmo: Tertiò, maxima, in qua conſiſtit firmitas illationis: Quartò, eſt ratiocinatio, de qua ſola hic loquimur.

Hæc ſic definitur: *Argumentatio eſt oratio, in qua vnum ex altero conſequi denotatur.* Dicitur *oratio*, quia non poteſt eſſe vna vox. Dicitur *in qua vnum, &c.* quia non ſufficit, vt vnum ex alio ſequatur, vt *Planta eſt corpus, &*

Digitized by Google

eſt ſubſtantia; ſed debet denotari per notam illationis *ergo*, vel *igitur*, vnum ex alio conſequi: vt, *Planta eſt corpus: ergo eſt ſubſtantia.* Vt hoc, & alia dicenda rectè intelligantur,

Adverto Primò, quod ad argumentationem quatuor neceſſariò debent concurrere. Primum eſt Antecedens: Secundum conſequens: Tertium nota illationis *ergo*, vel *igitur*: Quartum eſt conſequentia, ſeu illatio concluſionis ex antecedente, conſiſtitque in connexione, & habitudine antecedentis ad conſequens. Vnde ſequitur

Secundò, quod conſequens valdè differt à conſequentia; nam conſequens eſt propoſitio, ſeu concluſio illata: conſequentia eſt ipſa illatio, & connexio, & habitudo antecedentis ad conſequens.

Tertiò ſequitur, quod conſequens poteſt eſſe falſum, & conſequentia bona: vt, *Homo eſt aſinus: Ergo eſt irrationalis.*

Item, quod conſequens diuiditur in verum, & falſum: conſequentia verò in bonam, & malam: ſic negare conſequens, eſt negare illud eſſe verum: negare conſequentiam, eſt negare talem concluſionem ſequi ex tali antecedente; ſicque argumentatio eſt bona, vel mala.

Argumentatio bona eſt duplex, ſcilicet ratione materiæ, & ratione formæ. Prima eſt, quatenus termini ſunt conuertibiles, eſſentialiterque connexi: vt, *Omnis homo eſt animal riſibile: ergo omne riſibile eſt homo.* Dicitur bona ratione materiæ, non formæ, quia hæc forma alteri materiæ applicata non infert concluſionem: v.g. *Omnis homo eſt viuens: Ergo omne viuens eſt homo*, concluſio eſt falſa. Vnde non benè Toletus docet, omnem illationem ſuperioris de inferiori eſſe ratione materiæ, dum non ſunt conuertibiles ad inuicem: vt, *Homo eſt animal: Ergo eſt ſubſtantia*; ſemper enim in bona formali conſequentia ſuperius prædicatur de inferiori: nam ſi reducatur ad ſyllogiſmum, patebit eſſe argumentationem concludentem ratione formæ: vt, *Omne animal eſt ſubſtantia: Omnis homo eſt animal, &c.* Formalis eſt, quæ tenet in omni materia, etiam falſa, quia conſequens infertur verè ex antecedente ratione formæ, & diſpoſitionis extremorum: vt, *Omne animal eſt lapis: homo eſt animal: ergo eſt lapis.*

38. Argumentatio, ait S. Bonauent. citatus cum Ariſtotele, diuiditur in quatuor ſpecies, quæ ſunt Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, & Exemplum.

Syllogiſmus (ait S. Bonauent. *lib. 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 2. ad 1.*) eſt ratiocinatio, quâ quis venit ex re cognita in cognitionem rei incognitæ; & coincidit cum definitione tradita ab Ariſtot. & communiter ab omnibus recepta. Syllogiſmus eſt *Oratio, in qua quibuſdam poſitis, & certâ lege diſpoſitis, aliquid diuerſum à conceſſis neceſſariò ſequitur.*

Dicitur *oratio*, loco generis. Dicitur, *in qua quibuſdam poſitis*, ideſt ex aliquibus propoſitionibus, ſcilicet diſpoſitis, & conceſſis certâ lege, ideſt cum antecedentibus, ſcilicet maiori, & minori, aliud neceſſariò ſequitur, ideſt concluſio illata à præmiſſis, & hoc neceſſariò: vt, *Omne animal rationale eſt riſibile: omnis homo eſt animal rationale: ergo omnis homo eſt riſibilis.*

Enthymema eſt ſyllogiſmus mutilatus, vel truncatus, quia habet tantùm duas partes, ſcilicet Antecedens, & Conſequens: vt, *Homo eſt animal: ergo eſt ſenſitiuus.*

Inductio eſt oratio, in qua ex multis

jesus su in cond

multis ſingularibus ſufficienter enumeratis, ad vniuerſale fit progreſſio: vt; *Iſte ignis eſt calidus, & iſte, & iſte, &c. ergo omnis ignis eſt calidus.*

Exemplvm eſt oratio, in qua à ſimilibus ratiocinamur ad ſimilia: vt, *Deus pepercit Niniuitis pœnitentibus: ergo & aliis parcet, ſi pœnitentiam egerint.*

CAPVT II.

De legibus bonæ Argumentationis.

39. Prima: Ex antecedente vero in bona conſequentia ſemper ſequitur conſequens verum, ex poſſibili poſſibile, ex neceſſario neceſſarium. Sic cum communi S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 2. & *diſt.* 40. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 4. Ex falſo quandoque ſequitur verum, quandoque falſum, *lib.* 3. *diſt.* 11. *dub.* 4. & *diſt.* 7. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in argum.* Quod tamen intellige, illud verum conſequi ex falſo, non vt cauſâ, quia nemo dat, quod non habet, ſed ex tali diſpoſitione propoſitionum: vt, *Homo eſt lapis: ergo & ſubſtantia.* Hic autem ad primam regulam ſuperaddendum exiſtimo modum, quo argumentari licet ex ſuppoſitione impoſſibili, quo ſæpe vtuntur S. Bonauent. præcipuè *lib.* 1. *diſt.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 2. Scotus *lib.* 1. *diſt.* 11. *quæſt.* 2. aliique Theologi apud Maſtrium *p.* 1. *Inſtit. Logic. tract.* 3. *cap.* 3. *n.* 93.

Modvs igitur rectus talis argumentationis eſt primò, quod ex ſuppoſitione impoſſibili non ſequatur contradictoria per locum intrinſecum, ideſt, quod deſtruatur ipſius propoſitionis eſſentia, vel quod eius oppoſitum ſit ipſius eſſentia, ideſt definitio, vel pars definitionis: vt v. g. ſupponendo, quod homo non ſit homo, vel animarationale; taliſque ſuppoſitio non poteſt fieri, cùm requiratur conſtantia ſuppoſitionis, quæ non adeſſet, ſi ipſam deſtrueret, ſicque eſſet homo, & non homo; eſſet enim de ſubiecto non ſupponente.

Si verò ſequitur contradictoria aliqua per locum extrinſecum, vel per conſequentiam accidentalem, tunc poſſunt ſuſtineri regulæ diſputationis: v. g. ex hac ſuppoſitione, quod Petrus non eſſet riſibilis, an eſſet homo, tunc poteſt argumentari, quia non eſſe riſibile non eſt contradictorium intrinſecè hominis, ſed tantùm ex conſequenti.

Secvndò docent, quod poteſt remoueri aliquod prædicatum eſſentiale, quod non ſit ratio formalis inhærentiæ alterius: v. g. dato, quod homo non eſſet animal, an adhuc diſcurreret, & ab equo differret: dato enim, quod animalitas non ſit ratio formalis diſcurrendi, adhuc poteſt abſque contradictione homo intelligi diſcurſiuus: ob id ſequitur, quod tantùm ab extrinſeco cum animalitate intelligatur ratio diſcurſiua.

Hic modus eſt valdè vtilis ad diſputandum; inſeruit enim ad dignoſcendas rationes formales rerum intrinſecas, & hoc maximè, quia ſuppoſitio conditionalis, cùm nihil ponat in eſſe, nec etiam aliquod inconueniens inducere poteſt, niſi extrinſecè.

Secvnda regula bonæ argumentationis eſt: Sicut poſito antecedente ponitur conſequens, & non è contra; ſic ablato conſequente aufertur antecedens, & non è contra. Ratio eſt, quia valet conſequentia à poſitione inferioris ad poſitionem ſuperioris, non è contra: vt, *Homo eſt animal: ergo eſt ſenſitiuus*; & à negatione ſuperioris ad

F. 3 negatio-

Juarz 52 n. 1003

negationem inferioris: vt, *Lapis non eſt animal: ergo non eſt ſenſitiuus.*

Tertia: Quicquid ſequitur ad conſequens eſſentialiter ſumptum, & abſolutè, ſequitur etiam ad antecedens: vt, *Homo eſt animal: animal eſt corpus, eſt viuens,&c. Ergo eſt ſubſtantia*: & à Græcis dicitur acervalis forma arguendi; aceruatim enim tribuuntur prædicata antecedenti, quæ competunt conſequenti: & hinc ſequitur, quod id, quod repugnat eſſentialiter conſequenti, etiam repugnet antecedenti. S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in fund.* 1.

CAPVT III.

De Syllogiſmo: Quotuplex ſit: Quæ eius materia, & forma.

40. Syllogismvs eſt quoddam compoſitum, ideò habet ſua principia conſtitutiua; igitur conſtat ex materia, & forma.

Materia eſt duplex, ſcilicet remota, ſuntque termini: & proxima, ſuntque propoſitiones.

Forma eſt etiam duplex, ſcilicet figura, & modus, quæ integrant vnicam formam ſyllogiſmi.

Materia remota ſunt neceſſariò tres termini, quorum vnus dicitur maius extremum, alius minus extremum, & alius medius terminus, in quo (ait S. Bonauent. *lib.* 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *q.* 5. *ad* 2.) ſtat tota vis illationis, & ingreditur in vtraque præmiſſa.

Maivs extremum eſt ille terminus, qui in prima, ſeu maiori propoſitione eſt vel ſubiectum, vel prædicatum cum medio termino. Minus extremum eſt ille terminus, qui in minori, vel ſecunda præmiſſa eſt vel ſubiectum, vel prædicatum cum medio termino, & ab aliis hoc extremum dicitur ſubiectum quæſtionis, maius extremum verò dicitur prædicatum, medius verò eſt cauſa, cur prædicatum dicitur de ſubiecto in concluſione; eſtque vel ſubiectum, vel prædicatum in vtraque præmiſſa, nunquamque ingrediens concluſionem: & ideò per ſuam euidentiam, vel conuenientiam cum extremis compellit rationem, & intellectum ad aſſenſum concluſionis, vt ait S. Bonauentura *loc. cit.*

Materia proxima ſunt propoſitiones, quæ efformantur ex combinatione ſupradictorum trium terminorum; quarum prima dicitur Maior, ſecunda Minor, & tertia dicitur Concluſio, vt etiam aduertit S. Bonau. *ſerm.* 1. *Hexaëm.* V. g. *Omne animal eſt ſubſtantia: Omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.* In quo ſyllogiſmo ſunt tres termini, *Animal*, *Homo*, & *Subſtantia.* Animal eſt medium: Subſtantia eſt maior extremitas: Homo eſt minor extremitas. Forma eſt figura, & modus: figura diſponit terminos ſecundùm debitam ſubiectionem, & prædicationem: modus diſponit propoſitiones ſecundùm quantitatem, & qualitatem.

Et quia varia poteſt eſſe diſpoſitio terminorum, quæ principaliter dependet à coniunctione medij cum extremis, ſcilicet cum maiori, & minori extremo; & quia ipſe medius terminus variè poteſt cum ipſis extremis coniungi; hinc etiam multiplex figura conſurgit, & ad tria capita communiter reducitur.

41. Prima figura eſt, in qua medius terminus eſt ſubiectum in maiori, & prædicatum in minori.

Secvnda eſt, in qua medius terminus

minus eſt prædicatum in vtraque præmiſſa.

Tertia eſt, in qua medius terminus eſt ſubiectum in vtraque.

Altera pars formæ eſt modus, qui eſt diſpoſitio propoſitionum ſecundùm quantitatem, & qualitatem. Et quia decem & nouem modis poſſunt diſponi propoſitiones ſecundùm vniuerſalitatem, & particularitatem, & ſecundùm affirmationem, & negationem; hinc decem & nouem modi aſſignantur à Philoſophis ordinati ad tres figuras ſupradictas, continenturque in ſequentibus terminis, & verſibus.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum,
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon,

In quibus perpendendæ ſunt Vocales, A, E, I, O.

A, ſignificat vniuerſalem affirmatiuam: E, vniuerſalem negatiuam: I, particularem affirmatiuam: O, particularem negatiuam.

Perpendendæ ſunt item tres ſyllabæ cuiuſlibet modi, inſeruientes pro triplici propoſitione cuiuſlibet ſyllogiſmi; & ſi in aliquo ipſorum ſuperexcedit quarta, vel quinta ſyllaba, vt in Baralipton, & Friſeſomorum, id fit metri causâ; vnde vltra primas tres ſyllabas, & vocales, aliæ non ſunt conſiderandæ.

Horum modorum primi nouem ſpectant ad primam figuram; quorum primi quatuor, ſcilicet *Barbara, Celarent, Darij, Ferio,* concludunt directè, & naturaliter; ideſt, in iis maius extremum eſt prædicatum in concluſione, & minus extremum eſt ſubiectum.

Alii quinque, ſcilicet, *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum,* concludunt indirectè, & innaturaliter; ideſt, maius extremum in concluſione eſt ſubiectum, & minus eſt prædicatum.

Alii quatuor ſequentes, ſcilicet *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco,* ſpectant ad ſecundam figuram: & alij ſex vltimi ad tertiam figuram.

Exemplum primi modi directè concludentis primæ figuræ: Bar, *Omne animal eſt viuens:* Ba, *Omnis homo eſt animal:* Ra, *Ergo omnis homo eſt viuens.*

Exemplum primi modi eiuſdem figuræ primæ, indirectè concludentis: Ba, *Omne animal eſt viuens:* Ra, *Omnis homo eſt animal:* Lip, *Ergo aliquod viuens eſt homo.*

Exemplum primi modi ſecundæ figuræ: *Ceſare.* Ce, *Nullum animal eſt lapis:* Sa, *Omne ſaxum eſt lapis:* Re, *Ergo nullum ſaxum eſt animal.*

Exemplum primi modi tertiæ figuræ: *Darapti.* Da, *Omne animal eſt viuens:* Rap, *Omne animal eſt ſenſitiuum:* Ti, *Ergo aliquod ſenſitiuum eſt viuens.*

Quærunt hîc Philoſophi, an vltra tres dictas figuras detur quarta, quæ communiter appellatur figura Galeni, tanquam ab ipſo adinuenta, vt diſtincta ab aliis tribus, & quam Medici ſuſtinent: nempe in qua medius terminus in maiori eſt prædicatum, in minori ſubiectum: vt, *Omnis homo eſt animal: Omne animal eſt ſubſtantia: Ergo omnis homo eſt ſubſtantia:* vel, *Ergo aliqua ſubſtantia eſt homo.* Attamen communiter rejicitur, vt non eſſentialiter à prima differens, in qua medium eſt indifferens ad eſſe ſubiectum, vel prædicatum in præmiſſis, licèt aliqualis differentia accidentalis adſit.

CAPVT IV.

De Principiis regulatiuis Syllogiſmi.

42. NOMINE Principij regulatiui Syllogiſmorum intelligitur regula, à qua ſyllogiſmus mutuat ſuam euidentiam, & certitudinem ad concludendum.

COMMVNITERQVE ſolent aſſignari duo modi, qui appellantur *Dictum de omni*, & *Dictum de nullo*, quibus regulantur ſyllogiſmi conſtantes medio ſupponente vniuerſaliter, & diſtributiuè, explicanturque hoc pacto: Quicquid vniuerſaliter prædicatur de ſubiecto, prædicatur & de omni contento ſub illo: & ſi negatur, negatur de omni contento ſub illo; vt animal prædicatur de homine, & lapis negatur: illud prædicatur, iſtud negatur de Petro, & Paulo. Sed quia his duobus principiis non poſſunt regulari ſyllogiſmi, qui dicuntur expoſitorij, ſilicet qui conſtant medio ſingulari, & incommunicabili *vt quod*: vt, *Petrus eſt Logicus*, *Et Petrus eſt homo*, *Ergo homo eſt Logicus*; vbi ly *Petrus*, eſt ſingulare incommunicabile, non habens inferiora ſub ſe, & ob id non poteſt inniti illi principio vniuerſali.

HINC ex Ariſt. 1. *Poſt. tractat.* 1. *cap.* 10. ex S.Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 33. *art.* 1. *quaſt.* 3. *ad* 1. & *lib.* 3. *diſtinct.* 7. *art.* 1. *quaſt.* 1. *in corp.* & *ſerm.* 1. *Hexaem*, & aliis locis infrà citatis, & poſt ipſum Scotus *lib.* 1. *diſt.* 2. *quaſt.* 7. *ad* 1. & conſequenter Scotiſtæ, maximè Maſtrius *part.* 1. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 101. ipſum Magiſtrum ſequuntur, à quibus omnibus communi conſenſu aſſignatur hoc generaliſſimum principium pro quocunque ſyllogiſmo: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: Et, *Quorum vnum eſt idem cum tertio, cum quo alterum non eſt idem, nec poſſunt eſſe eadem inter ſe.* Sic S.Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 7. *art.* 1. *quaſt.* 2. *fund.* 3. Quorum prima regula valet pro ſyllogiſmis affirmatiuis: ſecunda pro negatiuis. Quæ principia ſunt tantæ efficacitatis, vt in ipſis fundetur vniuerſa ſtructura ſyllogizandi. Quæ principia ſunt per ſe nota, quia innituntur illi vniuerſaliſſimo principio, *Quodlibet eſt, vel non eſt.*

ET licèt Molina *part.* 1. *quaſt.* 28. *art.* 3. *diſp.* 2. Vaſquez *part.* 1. *diſp.* 123. conentur oſtendere iſta principia eſſe infirma, eo quòd in Diuinis non valeant, vt ſi dicas, *Eſſentia diuina eſt Pater: Filius eſt eſſentia diuina: Ergo Pater eſt Filius*; quæ concluſio eſt falſa. Attamen fruſtra laborant; nam vt benè notant S.Bonau. *ſerm.* 4. *Hexaëm.* §. *Secundus radius*, & *lib.* 1. *diſt.* 33. *cit.* & *lib.* 3. *diſt.* 7. *cit.* & *lib.* 1. *diſt.* 4. *art.* 1. *quaſt.* 1. & 4. & Scotus *cit. loc.* hoc principium eſt vniuerſaliſſimum, & valet etiam in Diuinis.

Ex identitate enim Perſonarum Diuinarum cum eſſentia infertur eadem identitas eſſentialis inter ſe, etſi ſyllogiſmus ſuprà allatus in diuinis abſolutè non teneat, ſicut nec alij ſimiles, v. g. *Quicquid eſt eſſentia diuina, eſt Pater: Filius eſt diuina eſſentia: Ergo Filius eſt Pater.* Non tenent, inquam, quia affectuntur iſti ſyllogiſmi vt expoſitorij, & tamen non ſunt, cùm in expoſitoriis medius terminus debeat eſſe quid ſingulare, & incommunicabile, qualis non eſt eſſentia diuina. Vnde vt ait S.Bonauent. *cit. loc.* ibi eſt fallacia accidentis; fit enim tranſitus ab identitate per naturam ad identitatem perſonarum; ſunt enim idem eſſentiâ, & diſtincti perſonalitate. Vide S.Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 33. *citat.*

QVARE

Digitized by Google

Qvare firmum ſtat vniuerſaliſſimum principium in omni materia; ea enim, quæ ſunt idem vni tertio, ſunt idem inter ſe eadem identitate.

Ex quo principio vniuerſaliſſimo oriuntur alia duo ſuprà poſita, *Dictum de omni*: & *Dictum de nullo*; quia ex eo quod prædicatum alicuius ſubiecti prædicatur vniuerſaliter de aliquo ſubiecto, debet prædicari de quibuſvis ſub eo contentis; quia ipſis aliquo modo identificatur: & ſi negatur, id fit ob carentiam identitatis. Vide S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in argum. ad oppoſ.* qui hæc optimè explicat. Idem proportionaliter dicendum de ſyllogiſmis expoſitoriis: vt, *Filius Virginis eſt Deus: Chriſtus eſt filius Virginis: Ergo Chriſtus eſt Deus.* Vnde ſolùm principium ſupradictum, *Quæcunque ſunt eadem vni tertio, &c.* differt ab hoc *Dici de omni*, quòd ille ſumitur per ordinem ad eſſe, iſtud verò per ordinem ad prædicari. Sic etiam Complut. *lib.* 3. *cap.* 4.

Igitvr Principium *Dici de omni*, deſcendit à ſuprà poſito principio vniuerſaliſſimo, & explicatur ſic: *Quicquid vniuerſaliter dicitur de aliquo ſubiecto, prædicatur & de omni contento ſub illo.*

Idem dicendum proportionaliter de prædicato, ſcilicet quando prædicatum vniuerſaliter affirmatur, ſi tale ſubiectum particulariter affirmatur de aliquo, de illo etiam prædicatum dicitur: vt, *Omne animal eſt viuens: Aliquod corpus eſt animal: Ergo aliquod corpus eſt viuens.*

Dici autem *de omni* eſt, quod non eſt in quodam ſic, & in quodam non; nec aliquando ſic, & aliquando non: ſed eſt ſemper tale, importatque diſtributionem & ſuppoſitorum, & temporum, ait S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 37. *p.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in arg.* & *lib.* 2. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. & *diſt.* 11. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 5.

Alivd dicitur *De nullo*; ideſt, quicquid vniuerſaliter negatur de aliquo ſubiecto, negatur de omni contento ſub eo.

Ex primo de omni, oriuntur duo modi affirmatiui primæ figuræ *Barbara*, & *Darij*: Ex alio duo negatiui, *Celarent*, & *Ferio*. Item in hoc ſecundo negatiuo fundantur modi ſecundæ figuræ: modi verò tertiæ figuræ fundantur immediatè in ſupradicto generaliſſimo principio, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: v. g. in Diſamis: *Aliquis homo eſt rationalis: Omnis homo eſt riſibilis: Ergo aliquod riſibile eſt rationale.* Quia enim riſibile, & rationale identificantur cum homine, ideò identificantur inter ſe.

Ex quibus infertur, primam figuram eſſe principaliorem, quia in ipſa infertur omne genus concluſionis, & ad ipſam reduci habent omnes aliæ, & modi, tanquam imperfecti ad perfectum.

CAPVT V.

De Regulis generalibus & particularibus Figurarum.

43. Prima regula generalis pro omnibus figuris, quæ deducitur ex principiis regulatiuis ſyllogiſmi: Ex puris negatiuis nihil ſequitur: vt, *Nullus homo eſt irrationalis: Nullus equus eſt homo: Ergo nullus equus eſt irrationalis.* Ratio eſt, quam S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *argum.* 3. *ad oppoſ.* affert, quia medium, per quod cognoſcitur, vel probatur aliquid de extremo, debet communicare

in aliquo cum eo, quod cognoſcendum eſt; ideſt, extrema debent coniungi cum medio, vel affirmatiuè, vel negatiuè: ratio enim, ob quam extrema non poſſunt inter ſe coniungi, eſt quia aliquod illorum eſt coniunctum cum medio termino, & aliud diſiunctum. Cùm autem in allato exemplo neutrum ſit coniunctum cum medio, hinc virtute medij nulla eſt illatio, cùm non ſit ratio vel coniungendi, vel ſeparandi.

ADVERTE tamen, hanc regulam valere pro cathegoricis ſyllogiſmis, non pro hypotheticis, quorum propoſitiones fundantur in cathegoricis propoſitionibus affirmatiuis, vt in hoc exemplo: *Quod non mouetur, non currit: Sortes non mouetur: Ergo non currit.* Maior enim fundatur in affirmatiua, *Omne currens mouetur.*

ADVERTE etiam, quod propoſitiones debent eſſe purè negatiuæ, vel actu, vel virtualiter ad hoc, vt valeat regula; vnde talis eſt hic ſyllogiſmus, *Omnis homo differt ab Angelo: Omnis ſpiritualis ſubſtantia differt ab homine: Ergo omnis ſpiritualis ſubſtantia differt ab Angelo.* Nam ratione illius particulæ *differt*, quæ eſt idem, ac vnum non eſt aliud, omnes ſunt negatiuæ.

ADVERTE etiam, quod aliquando apparenter tantùm aliqua propoſitio eſt negatiua, ſed verè affirmatiua: vt hìc, *Omne, quod non eſt animal, non eſt homo: Lapis non eſt animal: Ergo non eſt homo.* Maior enim propoſitio eſt vniuerſalis affirmatiua, quæ conuertitur per contrapoſitionem infinitatis terminis, ac etiam ſubiecto infinitato, & negatâ copulâ: v. g. *Omnis homo eſt animal*, conuertitur ſic; *Omne non animal non eſt homo.*

SECVNDA Regula: Ex puris particularibus nihil ſequitur ratione formæ: vt, *Aliquod animal eſt homo: Leo eſt aliquod animal: Ergo leo eſt homo.* Ratio eſt, quia in particularibus propoſitionibus medius terminus non complctè diſtribuitur ſecundùm totam ſuam latitudinem, ſed tantùm ſecundùm partem. Hinc eſt, quod ex vi connexionis extremorum cum medio non ſequitur ipſorum connexio in concluſione, quia vnum extremum poteſt ſumi ſecundùm vnam partem in præmiſſis, & aliud ſecundùm aliam partem in altera præmiſſa, vt patet in exemplo allato in ly *Animal*, & *Homo*, & *Leo*: & hinc non ſequitur, quod vniuerſaliter poſteà connectantur in concluſione; medium enim ſemper in aliqua præmiſſarum debet diſtribui.

ADVERTE hìc, quod hæc regula valet pro cathegoricis; nam in hypotheticis debet alio modo ſumi: vt, *Si aliquis homo currit, mouetur aliquod animal: Sed aliquis homo currit*, &c. Nam maior eſt vniuerſalis implicitè; æquiualet enim huic, *Quotieſcunque aliquis homo currit, aliquod animal mouetur*: nam ly, *aliquis homo*, ſubiectum in maiori, ampliatur, & per illam conditionem *Si*, fit vniuerſalis terminus.

TERTIA regula: Concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem; vnde ſi aliqua præmiſſa eſt negatiua, talis etiam eſt concluſio. Ratio eſt, quia ſi aliqua præmiſſarum eſt negatiua, alia affirmatiua, tunc vnum extremum coniungitur cum medio; aliud ſeiungitur, hinc in concluſione non poſſunt non eſſe ſeiuncta. Et ſi aliqua præmiſſarum eſt particularis, & talis erit concluſio; quia licèt vnum extremum vniuerſaliter vnitur medio, aliud tamen vnitur particulariter; ideo non poteſt inferri

Digitized by Google

ferri connexio niſi ſecundùm partem inter extrema.

Qvæ omnia ſunt vera loquendo de attributis propoſitionis ad puram formam ſyllogiſmi attinentibus, qualia ſunt affirmatio, & negatio, vniuerſalitas, & particularitas: non autem currunt de attributis ſequentibus materiam, qualia ſunt veritas, falſitas, contingentia, & neceſſitas: nam forma bonæ conſequentiæ etiam ſaluatur in materia falſa. De his attributis verò ſequentibus materiam, fusè agunt Theologi in prologo de Sacra Doctrina, & in materia de fide; de qua Amicus 1. *diſt* 13. *diſp*.4. *ſect*. 11.

Qvarta Regula: Medium nunquam ingreditur concluſionem, aliàs non differret concluſio à præmiſſis.

Qvinta: Quod tam in medio, quàm in extremis non varientur proprietates terminorum, exceptâ ſuppoſitione, quæ prouenit à ſignis; vnde termini non debent eſſe æquiuoci, nec in vna propoſitione ampliari, & in alia reſtringi; quia tunc argueretur à termino magis amplo ad non amplum, aut è contrà: nec in concluſione debet diſtribui terminus indiſtributus in præmiſſis, vt euenit in hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt animal: Nullus leo eſt homo: Ergo nullus leo eſt animal.* Nam in maiori ſumitur indiſtributiuè, & in concluſione diſtributiuè; ſignum enim vniuerſale affirmatiuum non habet vim diſtribuendi niſi terminum, cui apponitur, ideſt ſubiectum non remotum, ideſt prædicatum: ſignum verò negatiuum diſtribuit terminos proximos, & remotos: vt, *Nullus leo eſt homo*: aliàs ſequeretur, quod darentur termini quatuor in ſyllogiſmo.

Pro prima figura ſunt hæ regulæ. Prima: Maior non debet eſſe particularis. Secunda: Minor non debet eſſe negatiua. Ratio primæ eſt, quia ſi maior eſſet particularis, medium in nulla diſtribueretur præmiſſarum, vt in hoc exemplo: *Aliqua ſubſtantia eſt Angelus: Omnis homo eſt ſubſtantia: Ergo aliquis homo eſt Angelus*: ly enim *ſubſtantia*, eſt indiſtributus in vtraque præmiſſa, quia ly *omnis homo*, non diſtribuit prædicatum.

Ratio ſecundæ regulæ eſt, quia in concluſione diſtribueretur terminus indiſtributus in præmiſſis, ſi minor eſſet negatiua, ſicque argueretur à non diſtributo ad diſtributum: vt, *Omnis Angelus eſt ſubſtantia: Nullus homo eſt Angelus: Ergo nullus homo eſt ſubſtantia.*

Dices: Hoc argumentum rectè concludit, *Aliquod rationale diſcurrit: Omnis homo eſt rationalis: Ergo aliquis homo diſcurrit.* Ergo poteſt eſſe Maior particularis.

Respondetur, non concludere ratione formæ, ſed tantùm ratione materiæ.

Pro ſecunda figura: Ex duabus affirmatiuis nihil ſequitur; & ex Maiori particulari nihil ſequitur. Ratio primæ eſt, quia ſi ambæ præmiſſæ eſſent affirmatiuæ, cùm medium in vtraque ſit prædicatum, in neutra diſtribueretur; prædicatum enim non diſtribuitur ratione ſigni affirmatiui vniuerſalis appoſiti ſubiecto: vt, *Omnis homo eſt animal: Omnis equus eſt animal: Ergo omnis equus eſt homo*; ly enim *animal*, ſumitur determinatè in præmiſſis.

Ratio ſecundæ eſt, quia ſi Major eſt particularis, tunc proceditur à non diſtributo ad diſtributum, vt patet in allato exemplo, dicendo, *Aliquis homo eſt animal.*

Pro tertia figura regula prima eſt, quod Concluſio debet eſſe particularis,

ſecunda eſt, quod Minor debet eſſe affirmatiua. Ratio primæ eſt, quia procederetur à non diſtributo ad diſtributum: vt, *Omnis homo eſt riſibilis: Omnis homo eſt animal: Ergo omne animal eſt riſibile.* Ratio ſecundæ eſt eadem: vt, *Omnis homo eſt animal: Nullus homo eſt equus: Ergo aliquis equus non eſt animal.*

CAPVT VI.

De reductione Modorum imperfectorum ad perfectos.

44. DISCRIMEN, quod eſt inter modos primæ figuræ directè concludentes, & alios, eſt quod illi in actu, & clarè exprimunt regulam *de omni*, & *de nullo*, id eſt euidenter fit applicatio eorum, quæ dicuntur, vel negantur vniuerſaliter ad ea, quæ ſub ipſis vniuerſalibus continentur, quia in eis medium perfectè diſtribuitur in maiori, in qua medium ſtat pro ſubiecto; & cùm prædicetur in minori, euidenter oſtenditur illud, de quo prædicatur, contineri ſub eius vniuerſalitate, & conſequenter conuenire illi id, quod de tali medio vniuerſaliter poſito prædicabatur in Maiori, vel negabatur.

AT modi aliarum figurarum non oſtendunt directè talem euidentiam, & ob id appellantur in comparatione ad primos imperfecti modi, cùm immediatè non regulentur per principium *de omni*, & *de nullo*: quare iſti reduci habent ad perfectos, quatenus oſtendi poteſt conſequentia, vel euidentia vnius per conſequentiam, vel euidentiam alterius.

DVOBVS autem modis fit iſta reductio, vt notat S. Bonau. *lib.* 4. *diſt.* 18. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *corp.* & *lib.* 3. *diſt.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* Nempe per oſtenſionem, & per impoſſibile. Prima fit oſtendendo demonſtratiuè aliquem Syllogiſmum regulari per *Dici de omni*, & *de nullo*.

SECVNDA fit deducendo negantem aliquam conſequentiam ſyllogiſmi ad metam concedendi aliquod impoſſibile. Prima fit (ait S. Bonau. citatus) ad perſuaſibiles; ſecunda ad contentioſos.

PRIMA reductio fit hoc modo: Primò notandæ ſunt literæ initiales ſingulorum modorum: reducuntur enim oſtenſiuè illi ſyllogiſmi ad modum primæ figuræ, qui ab eadem litera incipiunt, per B. C. D. F. Vnde Baralipton, Baroco, Bocardo, ad Barbara reducuntur.

AD Celarent reducuntur Celantes, Cæſare, Cameſtres.

AD Darij reducuntur Dabitis, Darapti, Datiſi, Diſamis.

AD Ferio reducuntur Fapeſmo, Friſeſo: Feſtino, Felapton, & Feriſon.

SECVNDÒ notandæ ſunt conſonantes, quæ ſunt intra modos imperfectos, ſuntque S. P. M. C. ex quibus litera S, indicat illam propoſitionem ſignificatam per vocalem antecedentem, conuertendam eſſe ſimpliciter: litera P, conuertendam eſſe per accidens: M, denotat commutandas eſſe præmiſſas, ita vt maior fiat minor, & è contrà, ſeruatâ conuerſione, quam aliæ literæ petunt. Litera C, in medio dictionis denotat modum illum, in quo inuenitur, non poſſe reduci oſtenſiuè, ſed tantùm per impoſſibile, nempe Baroco, & Bocardo. V. g. Cæſare ad Celarent: *Nullus lapis eſt animal: Omnis homo eſt animal: Ergo nullus homo eſt lapis.* Vbi ly *Ca*, ante S, conuertitur ſimpliciter: *Nullum animal eſt lapis: Omnis homo eſt animal, &c.*

DARAPTI:

DARAPTI: *Omne animal eſt viuens: Omne animal eſt ſenſitiuum: Ergo aliquod ſenſitiuum eſt viuens.*

AD Darij reducitur, vbi ſecunda ſyllaba *Ra*, eſt ante P, denotatque eſſe conuertendam per accidens, mutatâ quantitate, non qualitate propoſitionis: ſicque dicitur, *Omne animal eſt viuens: Aliquod ſenſitiuum eſt animal: Ergo aliquod ſenſitiuum eſt viuens.*

CAMESTRES: *Omnis homo eſt rationalis: Nullus equus eſt rationalis: Ergo nullus equus eſt homo.* Vbi ly *Ca*, ante M, ſignificat conuerſionem debere fieri per tranſpoſitionem minoris in maiorem: ly *Mes*, per conuerſionem ſimplicem; & idem ly *ſtres*: ſic, *Nullum rationale eſt equus: Omnis homo eſt rationalis: Ergo nullus homo eſt equus.*

ADVERTENDVM etiam in Friſeſomorum, illam conſonantem M, fuiſſe poſitam ante tres priores ſyllabas metri causâ; cùm tamen collocanda eſſet in tertia poſt S, dicendo in Friſeſmorum, vt in Fapeſmo, ſignificando præmiſſas eſſe tranſponendas: ſic Friſeſmorum, *Aliquod animal eſt homo: Nullus lapis eſt animal: Ergo aliquis lapis non eſt homo*: ſic conuertendus eſt ſyllogiſmus, *Nullum animal eſt lapis: Aliquis homo eſt animal: Ergo aliquis homo non eſt lapis.* Quod & aduertunt Complut. *lib. 3. cap. 6.*

SECVNDA reductio ad impoſſibile eſt, cùm ex contradictorio concluſionis cum aliqua præmiſſa infertur contradictorium alterius præmiſſæ: quod fit, cùm cogimus aduerſarium concedere propoſitionem contradictoriam, quam negauerat: ideo talis modus ſolùm locum habet in contradictoriis, v.g. *Omne ſenſibile eſt animal: Aliqua arbor non eſt animal: Ergo aliqua arbor non eſt ſenſibilis.* Si negatur hæc concluſio, ſumatur contradictorium ipſius pro Minori, ſic: *Omne ſenſibile eſt animal: Omnis arbor eſt ſenſibilis: Ergo omnis arbor eſt animal.* Doctores alias regulas aſſignant pro omnibus aliis modis imperfectis, quæ videri poſſunt apud Toletum, & Tartaretum, quas vltrò omittimus; nam cuicunque rectè intelligenti facilè obuium erit adducere ad impoſſibile negantem concluſionem certam, ſolo etiam adiutorio luminis naturalis.

CAPVT VII.

De arte inueniendi Medium.

45. CVM in medio termino ſita ſit tota vis illationis, vt notat S. Bonau. *lib. 3. diſt. 23. art. 1. quæſt. 5. ad 2.* hinc de arte ipſum inueniendi hîc aliqua notanda. Hæc ars difficilis ſemper viſa eſt antiquis, quam & appellabant Pontem aſinorum, quia medium eſt veluti pons connectens vtrumque extremum. Addebant *aſinorum*, quia per hoc dignoſcebantur rudes ab ingenioſis; hincque plures regulas aſſignabant, quibus magis mentem confundere, quàm illuminare videbantur.

NOS methodum ſequemur, quam aperuit ſimul cum aliquibus aliis modernis in ſua Logica admodum R. P. Galicius, digniſſimus noſter Generalis, virque æquè erudititiſſimus, ac piiſſimus, qui primus omnium viam nobis parauit ad conficiendum hunc Curſum Philoſophicum in via Seraphici Doct. Hic autem talem modum facillimum inueniendi medium deſumpſit ab Ariſt. 1. *Poſt. cap. vlt.* licèt Complut. eum derideant, ſed immeritò, vt nunc patebit.

MODVS igitur iſte nobis à natura inditus eſt: eſtque ratio, & cauſa, cur

prædicatum conueniat ſubiecto, vel quare prædicatum ſecernitur à ſubiecto in concluſione; idque pro medio aſſumendum. V. g. volo probare, quod iuſtitia eſt appetenda, vel quod Logica eſt neceſſaria: priùs intra memetipſum indagabo, quænam ſit ratio, cur aliquid ſit appetendum, vel cur aliquid eſt neceſſarium; ſicque menti occurret ipſa ratio virtutis, nempe honeſtas, vel vtilitas: idque aſſumam pro medio, tali pacto: *Id quod eſt honeſtum, vel id, quod eſt vtile, eſt appetendum: Sed virtus eſt huiuſmodi: Ergo.* Et ad neceſſitatem Logicæ: *Id eſt neceſſarium, ſine quo aliquid non poteſt obtineri: ſed ſine Logica non poſſunt haberi ſcientiæ: Ergo.* Deinde ad probationem Minoris eodem modo procedendum; quare ſine Logica non poſſunt obtineri ſcientiæ, quia ipſa eſt modus ſcientiarum, &c.

Complvt. *lib. 3. cap. vltim.* & Ioan. à S. Thom. *cap. 9.* derident, vel rejiciunt hunc modum tanquam inutilem, & manifeſtè principium petentem: cùm hîc inquiramus rationem, quare extrema ſint connexa, quam pro medio aſſumere debeamus; ob id aliqua ars eſt aſſignanda ad talem rationem inueniendam. Sed ſanè hæc eſt propriiſſima regula ab Ariſtotele 1. *Poſt. cap. vltim.* aſſignata, nec eſt petitio principij, vt rectè aduertit Meldul. *hîc cap.* 12. nam per talem modum inſtruitur verè intellectus ad inueniendum primò in generali, poſteà in particulari, quare tale prædicatum competat ſubiecto; idque eſt aſſequi propter quid concluſionis. Qui vult regulas ſpeciales, videat Toletum, Maſtrium, Morandum, qui rectè aduertunt, hanc artem magis exercitio, ſtudioque, quàm certis regulis adquiri: tales enim regulæ non aduertuntur ab arguentibus, ſed potiùs mentem confundunt. Omnium tamen potiſſima eſt Ars, quam dicunt Raymundi Lulli, quamque noſter P. Iuo Pariſienſis ſummoperè in ſuo Digeſto Sapientiæ diſertiſſimè dilucidauit, & nouiſſimè P. Chircher Ieſuita ampliauit.

CAPVT VIII.

Traditur multiplex diuiſio Syllogiſmorum ſecundùm materiam.

46. Hvcvsqve egimus de multiplicitate ſyllogiſmorum ſecundùm formam, ſcilicet ſecundùm varias figuras, & modos. Nunc ſupereſt tradere multiplicem ſyllogiſmi diuiſionem ſecundùm materiam.

Primò igitur diuiditur ſyllogiſmus in Affirmatiuum, & Negatiuum, ideſt in eum, cuius concluſio eſt affirmatiua, vel negatiua.

Secvndò in cathegoricum, & hypotheticum. Primus eſt, cuius omnes propoſitiones ſunt ſimplices: Secundus eſt, cuius propoſitiones, vel aliqua eſt compoſita per copulam conditionalem, vel diſiunctiuam, vel copulatiuam, vt dictum eſt de propoſitionibus hypotheticis.

Tertiò in ſyllogiſmum Rectum, & Obliquum. Primus eſt, cuius omnes termini ponuntur in recto: Secundus, qui conſtat aliquo termino obliquo: vt, *Omnis Sanctus eſt Dei: Petrus eſt Sanctus: Ergo eſt Dei.* De obliquo vide S. Bonauent. *lib. 1. diſtinct. 3. part. 2. dub.* 3. De quo tamen aduertendum, quod cùm caſus obliqui ſpectent ad ſyncathegorematicos, ideo ſyllogiſmus obliquus in tantùm aliquid

Digitized by Google

quid concludit, in quantùm habet reduci ad cathegorématicos terminos, vt in exemplo allato, ly *Dei:* ſenſus enim eſt, *Omnis Sanctus eſt habens Deum, vel poſſeſſus à Deo.*

Qvartò, in ſyllogiſmum Communem, & Expoſitorium. Primus eſt, qui habet medium terminum communem: Secundus, qui habet ſingularem. Et dicitur expoſitorius, quia ad ſenſum explicat vnionem extremitatum inter ſe, ob vnionem, quæ ſentitur cum medio, qui non poteſt diſtribui: vt, *Hic homo eſt Pontifex: Petrus eſt hic homo. Ergo eſt Pontifex.* Vnde in Diuinis termini ad abſoluta ſpectantes, vt *Deus, Eſſentia Diuina, &c.* non faciunt ſyllogiſmum expoſirorium, licèt primâ facie videatur talis. Quod diligenter eſt aduertendum, vt ait S. Bonauentura *lib.* 1. *diſtinct.* 4. *quæſt.* 1. *&* 4. & *libro* 3. *diſtinct.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *corp. & ad vltim.* vt dictum eſt ſuprà *cap.* 4. Vide *lib.* 1. *diſtinct.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. Et in hoc expoſitorio poſſunt ſeruari regulæ trium figurarum, exceptâ quantitate, ad quas poſſunt ordinari; licet cùm medius terminus ſit ſingularis, eiuſque proprium ſit ſubiici, vtplurimùm fiat in tertia figura.

Qvintò, in ſyllogiſmum Abſolutum, & Modalem. Primus eſt, in quo prædicatum dicitur de ſubiecto abſolutè: Secundus eſt, quando adeſt modificatio aliqua per terminos, & modos contingentem, impoſſibilem, & neceſſarium: in quo eſt aduertendum ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 2. & *diſt.* 4. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 4. quod ſi altera præmiſſarum erit, vel connotabit aliquod contingens, licèt altera ſit de modo neceſſario, concluſio erit contingens: vt, *Deus præſcit te ſaluandum: ergo ſaluaberis.* Vide *diſtinct.* 38. *citat.* & Toletum *lib.* 4. *cap.* 16.

Sextò, in ſyllogiſmum Demonſtratiuum, Probabilem ſeu Dialecticum, vel Topicum, & in Apparentem ſeu Sophiſticum. Primus appellatur demonſtratio, conſtatque propoſitionibus neceſſariis; eſtque ſyllogiſmus generans ſcientiam. Secundus conſtat propoſitionibus probabilibus, eſtque generans opinionem. Tertius conſtat ſophiſticis, & plenis fallaciâ, generans errorem. S. Bonauentura *libro* 3. *diſt.* 24. *art.* 2. *quæſt.* 2. *corp.* & *ſerm.* 4. *Hexaëm.*

Septimò, ſyllogiſmus Sophiſticus diuiditur in Pſeudographum, & Paralogiſmum. Primus eſt, qui opponitur demonſtratiuo. Secundus ſyllogiſmo dialectico: Paralogiſmus enim interpretatur mendax deſcriptor. De quibus S. Bonauent. agit *ſerm.* 1. *Hexaëm.* oſtendens, quod in ſchola ſua Diabolus conficit ſyllogiſmos fallaces, & Chriſtus in ſua oſtenſiuos, & ad veritatem inducentes.

CAPVT IX.

Conſideratur magis in particulari ſyllogiſmus ratione materiæ.

47. Tota multiplicitas ſyllogiſmorum ſuprà in capite antecedenti aſſignata, cùm reducatur ad tria capita poſita in ſexta ſubdiuiſione, nempe in Demonſtratiuum, in ſyllogiſmum Topicum, & Sophiſticum; hinc de his tribus tantùm erit noſtra conſideratio; ſcientia enim quælibet (ait Sanctus Bonauent. *libro* 3. *diſtinct.* 25. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *corp.* & *in op. Compend. Theolog. lib.* 5. *cap.* 19.) habet

Digitized by Google

habet quædam antecedentia remota, quæ ſunt principia communia, ſeu dignitates: quædam media, quæ ſunt cauſa proxima, & intrinſeca concluſionis, ſuntque præmiſſæ; & quædam conſequentia, ſuntque concluſiones. Quæ omnia ad triplicem materiam reducuntur, ſcilicet ad neceſſariam, contingentem, ſeu probabilem, vel topicam; & apparentem, ſeu ſophiſticam. Hinc & triplex genus ſyllogiſmorum ſecundùm materiam aſſignatur ab Ariſtotele, nempe primò demonſtratiuorum, quorum modus procedendi à S. Bonauent. dicitur apodyčticus, ſeu ſcientificus. Secundò Topicorum, quorum modus dicitur dialecticus: Et tertiò Sophiſticorum, & dicitur pſeudographus, & fallax.

Primvs demonſtratiuus diuiditur in demonſtrationem *propter quid*, & in demonſtrationem *quia*. S. Bonauent. *lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 2. *quæſt.* 3. *fund.* 2. Primus aſſumit pro medio cauſam proximam veritatis concluſionis, ſeu connexionis inter extrema; eſt enim ſyllogiſmus conſtans ex primis, immediatis, notioribus, prioribus, & veris cauſis concluſionis: v.g. ratio, quare aliquid eſt animal, eſt quia eſt ſenſitiuum, idque aſſumendum eſt pro medio.

Secvndvs dicitur Demonſtratio *quia*, & iſte fit procedendo per effectus in cognitione cauſæ: v.g. ex reſpiratione, quod tale reſpirans ſit animal. Et ex his infert cum Ariſt. S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 3. & *lib.* 4. *diſt.* 50. *p.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vlt.* & *ſerm.* 4. *in Hexaëm.* quod demonſtratio duplicem reſolutionem ſcientificam admittit: alia fit aſcendendo, alia deſcendendo. Prima fit abſtrahendo ab infimo vſque ad genus generaliſſimum: Secunda fit deſcendendo, & componendo. Prima dicitur reſolutio in cauſam inferendi, & eſſendi: Secunda in cauſam inferendi tantùm, de qua fusè erit ſermo ſuo proprio loco.

Syllogismvs Dialecticus, ſeu topicus eſt, qui procedit ex præmiſſis tantùm probabilibus, vel ex præmiſſis, quarum vna eſt probabilis, ideoque non parit ſcientiam, quæ eſt rei per cauſam notitia; ſed tantùm opinionem, quæ eſt cognitio alicuius concluſionis, non ſcientifica, & euidens, ſed cum trepidatione de veritate alterius oppoſitæ, vt ſuo loco dicetur. Dicitur enim propoſitio probabilis, quæ probatur à pluribus, vel à ſapientibus.

Vt autem ſtatim occurrere poſſit medium, per quod probare poſſimus quamcunque partem propoſiti problematis, & conficere ſyllogiſmum topicum, proponunt Philoſophi quædam loca, ex quibus tanquam ex centro, vel ſeminario media apta eruere poſſimus; & dicuntur loca topica, ſeu probabilia. Locus autem topicus eſt duplex. Primus dicitur Maxima: Secundus dicitur Differentia maximæ.

Maxima, quæ vt notat S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vlt.* & *lib.* 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 2. dicitur etiam dignitas, & argumentum, eſt propoſitio vniuerſalis, vel per ſe nota, vel probabilis. Per ſe nota propriè dicitur propoſitio, cuius terminis apprehenſis, ſtatim eam amplectitur intellectus vt veram, cuius veritati multæ argumentationes innituntur: & dicitur Maxima, quia eſt ſupra maiorem, & minorem propoſitionem, nec ingreditur in ſyllogiſmum, eſtque principium extrinſecum ſyllogiſmi: v.g. ſi ſic argumentor: *Petrus eſt animal rationale. Ergo eſt homo*; ſi quæratur, vnde innititur veritas huius concluſionis, reſpondebitur, quod innititur illi Maximæ vniuerſali: *Cui conuenit definitio*

Digitized by Google

definitio conuenit & definitum. Sed Petro conuenit definitio hominis, quæ eſt *Animal rationale*: ergo & conuenit definitum, ſcilicet *Homo.* Ergo ſi Petrus eſt animal rationale, eſt etiam homo.

Locvs *Differentia maxima*, non eſt propoſitio, ſed quid incomplexum, & principium ſimplex, in quo conueniunt multæ maximæ, & per quod aliæ differunt ab ipſis, quæ ab ipſo deſumuntur: v. g. definitio dicitur differentia maximæ, quia maximæ tangentes definitionem, definitum, eſſentiam rei, & proprietates, ab ipſa deſumuntur, & per eam differunt à maximis, quæ deſumuntur ab oppoſitis à ſimili.

45. Hæc loca alia ſunt intrinſeca rei, alia media, alia purè extrinſeca. Intrinſeca ſunt, quæ ſpectant ad ſubſtantiam rei, quæ ſunt Definitio, & Definitum. Media ſunt partim intrinſeca, partim extrinſeca: extrinſeca, quæ non ſpectant ad eſſentiam rei.

Prima, ſcilicet intrinſeca, ſunt definitio, ſcilicet habitudo identitatis, ſeu conuertibilitatis definitionis, & definiti: quicquid enim dicitur, vel negatur de definitione, dicitur & negatur de definito, & è contrà; ob idque ad hunc locum reduceuntur, quæ ad ſubſtantiam rei ſpectant: item quæ concomitantur ſubſtantiam, ſcilicet à toto, à parte, à cauſa, ab effectu, à generatione, à corruptione, ab vſibus, à communiter accidentibus: pro quibus omnibus vide Toletum hæc egregiè explicantem.

Secvnda, ſcilicet media, ſunt tria, ſcilicet A coniugatis, ſcilicet denominantibus, & denominatiuis; A caſibus, ſcilicet deriuatiuis, vt ſapienter à ſapientia, &c. A diuiſione, vt animalium aliud rationale, aliud irrationale, &c. A comparatione, vt Leo eſt fortior: ergo fortis. Si aliquid tale eſt: ergo & quod magis tale eſt. Ab appoſitione *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, vt nix eſt alba ob albedinem: ergo albedo magis alba.

Tertia extrinſeca ſunt ab oppoſitis à maiori, à minori, à ſimili, à proportione, à tranſumptione, & ab auctoritate.

Et circa hunc vltimum aduertit cum communi S. Bonauentura in libello, quod dicitur *Principium Sacræ Scripturæ*, quod locus ab auctoritate dicitur inartificioſus, eſtque duplex, ſcilicet ab auctoritate diuina, & humana: ob id non ſunt inuenta arte Dialectici.

Ex auctoritate diuina ſumitur argumentum neceſſarium: ex humana probabile tantùm; ſi tamen proceditur affirmatiuè, nam negatiuè non valet.

50. Syllogismvs ſophiſticus (quem S. Bonauent. *ſerm.* 1. *Hexaëm.* appellat deſtructiuum, & phantaſticum) eſt ex apparentibus tantùm propoſitionibus concludens errorem. Loca autem, vnde Sophiſta eruit argumenta ad decipiendum, dicuntur fallaciæ, quæ important errorem vel in forma, vel in materia ſyllogiſmi.

Hinc cùm inducit in deceptionem intentam argumentationis, dicitur inducere reſpondentem ad metam intentam. Hæc meta diuiditur in quinque ſpecies, quæ ſunt Redargutio, Falſum, Inopinabile, Solœciſmus, & Nugatio.

Redargvtionis meta eſt prænegati conceſſio, vel præconceſſi negatio in eadem diſputatione vi argumentorum facta; vnde quando reſpondens inducitur vi argumentorum ad negandum quod conceſſerat priùs, vel ad concedendum quod priùs negauerat, dicitur redargutus.

SECVNDA falſi meta eſt conceſſio alicuius manifeſtè falſi vi argumentorum facta.

TERTIA Inopinabilis meta eſt conceſſio alicuius rei contra opinionem cuiuſcunque experti in illa arte, ad quam reſpondens teneatur non contradicere: vt ſi quis negaret vacuum probatum per experientiam, vel concederet vacuum ex experientia probatum, tenetur reſpondere rationibus omnibus Philoſophorum.

QVARTA Solœciſmi meta eſt conceſſio alicuius conſtructionis contra regulas Grammaticæ vi argumentorum facta: v. g. quod Poëta ob terminationem in *a*, eſſet generis fœminini.

QVINTA nugationis meta eſt inutilis repetitionis ex eadem parte, ideſt vel ſubiecti, vel prædicati, vi argumentorum obtenta: vt, *Homo homo currit*; & ſi eſſet repetitio ex parte ſubiecti, & prædicati: vt, *Homo eſt homo*, non erit nugatio, quando eſſet ad maiorem expreſſionem; vt, *Deus Deus meus*, vel ad exprimendum idem diuerſis modis.

CAPVT X.

De fallaciis, earumque diuiſione.

51. FALLACIA eſt habilitas, & promptitudo decipiendi ex cauſa alicuius apparentiæ tantùm proueniens: eſtque duplex, ſcilicet in dictione, & extra dictionem. Prima eſt ex parte vocis ſignificantis, vt eſt in terminis æquiuocis: v. g. in hac voce *Canis*. Secunda eſt ex parte rei ſignificatæ.

FALLACIÆ in dictione ſunt ſex. Prima homonymia, ſeu æquiuocatio, quæ eſt vocis multiplicem ſenſum habentis: v. g. *Canis latrat: Sydus eſt canis: Ergo ſydus latrat.*

SECVNDA amphybologia, quæ eſt orationis habentis multiplicem ſenſum: v. g. *Quicquid eſt Ariſtotelis, poſſidetur ab Ariſtotele: Hic liber eſt Ariſtotelis: Ergo.* Vbi ly *quicquid eſt*, habet multiplicem ſenſum, ſcilicet poſſeſſionis, vel effectionis.

TERTIA eſt compoſitio in Oratione, in qua ſenſus eſt falſus in ſenſu compoſito, & verus in ſenſu diuiſo.

QVARTA eſt diuiſionis, in qua ſenſus diuiſus eſt falſus; verus compoſitus: vt, *Quemcunque poſſibile eſt ambulare: Ergo poſſibile eſt ſedentem ambulare:* vera eſt in ſenſu diuiſo, falſa in compoſito. Et hæc: *Quæcunque ſunt duo & tria, ſunt quinque: Sed binarius eſt duo, & ternarius eſt tria: Ergo binarius, & ternarius ſunt quinque:* vera eſt in ſenſu diuiſo, &c. De quibus dictum eſt ſatis in expoſitione propoſitionum modalium.

QVINTA eſt accentus, qui eſt vel acutus per extenſionem ſyllabæ, & prolationem vehementiori ſpiritu; vel grauis, eſtque ſyllabæ remiſſio, remiſſiorique ſpiritu prolatio; vel circumflexus, eſtque medius inter acutum, & grauem: vt, *Omnis populus eſt arbor: Gens eſt populus: Ergo.* Vbi ly *Populus*, vt arbor, habet primam longam, vt gentem ſignificat, habet breuem. *Quicquid hamatur, hamo capitur: Petrus hamatur: Ergo hamo capitur.*

SEXTA eſt figura dictionis, proueniensque ex aliquali ſimilitudine dictionum in parte non idem ſignificantium, vel quia ſunt diuerſi generis Grammaticalis, vt Muſa, & Poëta; vel per tranſitum à re vnius prædicamenti in aliud: vt, *Quicquid heri emiſti, hodie comediſti: ſed carnem crudam emiſti: Ergo.* Hic autem fit tranſitus

Digitized by Google

à prædicamento ſubſtantiæ ad prædicamentum qualitatis. Vel, *Homo eſt ſpecies: Petrus eſt homo. Ergo.* Variaturque ſuppoſitio, ſcilicet ex ſuppoſitione ſingularis in ſuppoſitionem perſonalem.

De Fallaciis extra dictionem: & ſunt ſequentes.

52. PRIMA eſt accidentis, ſiue extranei, ſiue extra eſſentiam rei: vt, *Homo eſt ſpecies: Petrus eſt homo. Ergo.* De qua S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. euenitque hæc fallacia ex eo, quod in altera præmiſſarum coniungitur aliquid extraneum, quod tanquam intrinſecum vnitur in concluſione; vel quando aliqua duo vniuntur in præmiſſis ob aliquam rationem communem, & ob id etiam coniunguntur in concluſione per rationem particularem: vt, *Petrus eſt homo: Ioannes eſt homo: Ergo Petrus eſt Ioannes.* Vel fit arguendo à diuiſis ad coniuncta: vt, *Iſte eſt Monachus albus: Ergo eſt albus.* De qua S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. Vnde variatur ſuppoſitio.

SECVNDA eſt fallacia ſecundùm quid, & ſimpliciter, ideſt quando fit tranſitus ab aliquo, quod competit alicui ſecundùm quid, ad conuenientiam ſimpliciter: vt, *Petrus eſt albus ſecundùm dentes: Ergo eſt albus.*

TERTIA eſt petitio principij, eſtque quando concluſio ſumitur pro præmiſſa; vt ſi quis impugnet hanc concluſionem, *Logica non eſt ſcientia: Ergo falſa concluſio.*

QVARTA eſt conſequentis, eſtque, quando apparenter infertur conſequentia falſa ex bona: vt, *Si homo eſt, animal eſt: Ergo ſi animal eſt, homo eſt.*

QVINTA ſecundùm non cauſam vt cauſam, vt quando apparenter attribuitur effectus alicui cauſæ, quæ non eſt talis: vt, *Bibere, & rebibere extinguit ſitim: caro ſalſa facit bibere, & rebibere: Ergo.*

SEXTA eſt Interrogationis multiplicis vt vnius, vt quando ad vnam interrogationem quæruntur plura diſparata, & petitur vnica reſponſio.

SEPTIMA eſt ignorantia Elenchi. Elenchus eſt ſyllogiſmus contradictorius reſponſionis datæ à reſpondente; eſtque tunc contradictio, quando ambæ contradictoriæ ſunt ad idem ſecundùm idem eodem tempore, & loco: modò fallacia hæc conſiſtit in hoc, quod quis credit verè eſſe Elenchum, & contradictionem veram; & verè non eſt, ob defectum alicuius dictæ conditionis: verbi gratiâ, *Homo eſt ſpecies, & homo non eſt ſpecies: Ergo eſt, & non eſt.* Et hæc de fallaciis.

TANDEM circa eas aduertimus ex Seraph. Doctore *lib.* 3. *diſt.* 11. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. quod quæcunque fallacia prouenit ex variatione ſuppoſitionis terminorum, proprietatumque ipſorum; debent enim ſupponere idem, & eodem modo, exceptâ ſuppoſitione proueniente à ſignis, nempe tranſire facientibus de vniuerſali ad particularem, dummodò ſit idem ſignificatum. Vnde ſat erit non habenti in promptu nominatim fallacias, reſpondere Nego conſequentiam, quia variatur ſuppoſitio terminorum, ſeu ſenſus propoſitionum.

CAPVT XI.

De Modo diſputandi obſeruando inter Scholaſticos.

53. DIALECTICA dicitur à διὰ,& λόγος;& intepretatur duorum ſermo, ideſt diſputatio inter duos. Sed cùm ſit vocabulum deſumptum à Græcis, propriè ſignificat ſcientiam docentem diſputandi modum inter Scholaſticos. Diſputare verò dicitur à verbo putare; & ſicut in plantis putantur inutilia, ſic in diſputatione rejiciuntur falſa, & retinetur veritas. Et cùm ſit diſputatio inter duos, alter appellatur Defendens, alter Arguens; & hinc pro vtroque variæ regulæ aſſignantur à Philoſophis, ſeruandæ in diſputatione.

PRIMA regula communis Arguenti, & Defendenti eſt, vt exactè, & diligenter punctum quæſtionis,& qualis ſit ſenſus eius, obſeruent, vt circa id verſetur diſputatio, neque extra rem digreſſiones afferantur, & producantur.

SECVNDA pro Arguente: In principio diſputationis ſemper dicat, Argumentor contra hoc, &c. vel intendo probare hoc, &c.

POSTEA argumentum ſuum proponat in formam ſyllogiſmi, vel (quod eſt melius in prouectis) enthymematis: & hoc ſecundum eſt magis proprium Magiſtrorum; ſic enim breuiter, & conciſiùs procedit,minuſque manifeſtat vim latentis illationis, maioremque reſpondenti incutit difficultatem,ipſum ancipitem reddit, eique parum temporis concedit ad cogitandum reſponſum.

ADVERTAT etiam, ne oppoſitum concluſionis, quam impugnat, ſtatim aſſumat: v. g. *Logica non eſt ſcientia: ergo falſa concluſio; id enim eſt petere principium.* Caueat etiam pueriles argumentationes, v. g. *Hoc eſt inconueniens: ergo non eſt aſſerendum: Illud eſt inconueniens, quia eſt falſum, &c.* Sed viriliter ſiſtat in difficultate, nec diuertat ad aliud medium, nec repetat idem argumentum, niſi quando Reſpondens dederit reſponſum extra intentum.

ITEM licet Arguenti interdum à Defendente petere rationem negationis alicuius propoſitionis, vel explicationem alicuius diſtinctionis, vel reſponſionis, vel concluſionis, vt eam directè poſſit impugnare in ſenſu Defendentis. Debet etiam initio captare beneuolentiam defendentis,& aſſiſtentium: Defendens verò ſolùm argumentantis.

TERTIA pro defendente: Defendentis munus eſt repetere fideliter argumentum propoſitum, ad quod valdè conducit obſeruare diligenter medium, quo vtitur arguens: quæ repetitio ſit duabus vicibus, in prima abſque reſponſione, ſed tunc perpendendo qualitatem præmiſſarum: in ſecunda vice reſpondendo ad argumentum; concedendo, ſi ſunt veræ; negando, ſi ſunt falſæ; & diſtinguendo, ſi ſunt dubiæ. Si verò ſunt æquiuocæ,vel impertinentes ad inferendam concluſionem, dicat: Tranſeat; vel, Quidquid ſit de hoc. Deinde deueniendo ad conſequentiam dicat,Concedo,nego; non autem,Concedo, nego concluſionem; ſed, ſi eſt dubia, dicat, Diſtinguo conſequens, vel nego: quod tamen non licet, niſi priùs fuerit diſtincta vna ex præmiſſis; & ſi aliquando ſit vera, & admiſsâ Maiori, & Minori, accidit quod ſit falſa concluſio, tunc argumentans peccabit:

peccabit in forma, vel in ſuppoſitionis variatione; quod debet explicare, vt reddat rationem, quare negat conſequens.

Advertat item commune adagium: *Sæpè nega, rarò diſtingue, nunquam concede*: ideſt, tutius eſt negare propoſitionem, ſi in omni ſenſu non eſt vera, quàm eam diſtiguere; nec debet diſtinguere abſque neceſſitate. Quæ omnia conſiſtunt in his quatuor verbis, *Concedo, Nego, Diſtinguo, Reſpondeo.*

Advertat etiam, ne ſit facilis ad reddendam rationem de omnibus, quæ dicit, niſi ab arguente petatur.

Munus Patroni, & Aſſiſtentis, eſt totum progreſſum argumentationis, & diſputationis comprehendere, & proinde pro opportunitate ſuggerere Reſpondenti quod debet concedere, negare, &c. ipſe verò pauca, & cum grauitate loquatur.

Hic tamen aduertendum, quod S.Bonauent. ſæpe adhibet, quando vult negare aliquam propoſitionem, loco huius *Nego*, reſpondeo per interemptionem. Sic *lib. 3. diſt. 33. art. 2. quæſt. 2. ad 6.* & *diſt. 38. dub. 4.* & pluribus aliis locis.

Item loco diſtinctionis aliquando vtitur voce determinationis, vt *lib. 1. diſt. 42. art. 1. quæſt. 2. in corp.* & alibi.

Aliquando loco diſtinctionis vtitur voce inſtantiæ: v. g. *Hæc habet inſtantiam.* Ita *lib. 1. diſtinct. 22. art. 1. quæſt. 4. ad 1.* & *diſt. 27. part. 1. art. 1. quæſt. 3. fund. 3.* & alibi.

Aliquando pro implicantia in terminis, vtitur hoc vocabulo, *Eſt oppoſitio in adiecto.* Ita *lib. 1. diſt. 7. art. 1. quæſt. 1. corp.* & alibi.

Et hæc dicta ſufficiant pro complemento Inſtitutionum Logicalium, vt faciliùs Tyrones ad Logicam magnam, & hanc quæſtionibus contextam gradum facere poſſint.

CAPVT XII.

Explicantur quidam Termini in Scholis frequenter adhibiti.

54. Primò, *Materialiter*, & *Formaliter*. Primum eſt, quando aliquid conuenit alicui non ratione formæ, ſed materiæ, vel ſubiecti: vt, *Album eſt dulce*: hæc eſt vera materialiter, non formaliter; aliquod album enim eſt dulce ratione materiæ, in qua eſt forma albedinis. Formaliter verò eſt ratione formæ per prædicatum importatæ: vt, *Album eſt diſgregatiuum viſus*; in quo ſenſu non eſt vera propoſitio, *Album eſt dulce*, quia faceret hunc ſenſum, Albedo eſt ratio formalis dulcedinis.

In idem recidunt, *Per ſe ſignificatum*, & *Connotatiuum*. Primum dicit rationem formalem: Secundum materialem.

In idem recidunt: *Reduplicatiuè*, ideſt formaliter; & *Specificatiuè*, ideſt identicè, & materialiter. Sic homo reduplicatiuè ſumptus, ideſt vt homo, eſt animal rationale: homo vt homo, eſt ſubſtantia, ideſt ſpecificatiuè. S.Bonau. *lib. 3. diſt. 10. dub. 1. & quæſt. 1.* & *lib. 4. diſt. 44. dub. 2.*

Secundò, *Per ſe*, & *Per accidens*. Item *Eſſentialiter*, & *Accidentaliter*. De quibus modis S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 1. dub. 15.* & *lib. 1. diſt. 30. art. 1. quæſt. 2. & diſt. 32. dub. 6. & diſt. 42. art. 1. quæſt. 2. corp.* & *lib. 1. diſtinct. 12. quæſt. 2.*

Tertiò, *Abſolutè*, & *Reſpectiuè*, ſeu *Comparatiuè*. Primum dicitur prædicatum, quod competit abſolutè ſubiecto abſque comparatione, & modifi-

catione ad aliud : vt, *Homo eſt animal perfectum.* Secundum dicitur ſolùm comparatiuè : vt, *Homo paruus*, abſolutè in ſe eſt paruus ; in comparatione ad nanum dicitur magnus. In idem recidunt *Simpliciter*, & *Secundùm quid.*

QVARTÒ, *Virtualiter*, ſeu *Eminenter* ; & *Formaliter.* Suntque termini exprimentes virtutem, & effectus cauſarum. Sic aliqua cauſa dicitur formaliter talis, quatenus habet talem formam, à qua denominatur : vt ignis dicitur calidus, quia habet formam caloris : Sol dicitur calidus tantùm virtualiter, quia non habet formam caloris, ſed tantùm virtutem producendi calorem. Sic Deus dicitur virtualiter, & eminenter continere creaturas : vbi ly *eminenter*, ſignificat cauſam continentem in virtute talem effectum, eſſe nobiliorem ipſo effectu.

QVINTÒ, *Vt quo*, *Vt quod.* Vt quo ſignificat formam, vel quid ſimile formæ denominantis ſubiectum. Vt quod ſignificat rem aliquam, quæ habet talem formam ; v.g. *Paries eſt albus* : paries eſt *vt quod*, ideſt ſubiectum habens albedinem, quæ eſt *vt quo*, vel *vt quà* paries eſt albus.

SEXTÒ, *Actu*, & *Potentiâ.* Primum dicitur res, quæ actu eſt, vt roſa in vere : Secundum, quæ tantùm eſt in potentia, vt roſa in hyeme : vel res, antequàm crearentur à Deo, erant in potentia tantùm.

SEPTIMÒ rurſus *In actu primo*, & *In actu ſecundo.* In actu primo eſt cauſa, & principium agendi : in actu ſecundo eſt, dum actu agit.

OCTAVÒ, *Poſitiuè*, & *Negatiuè.* Poſitiuè dicitur id, quod verè eſt poſitum in actu, vt doctrina in intellectu. Negatiuè, cum in ſubiecto non reperitur ſuum oppoſitum, vt homo non vitioſus dicitur virtuoſus negatiuè.

NONÒ, *In recto*, & *in obliquo.* In recto eſt, quod directè prædicatur de aliquo, eſtque in caſu nominatiuo. In obliquo eſt per alios caſus, v. g. habet album duos conceptus : vnum in recto, ſcilicet parietem ; & alium in obliquo, ſcilicet albedinem habitam à pariete.

DECIMÒ, *In actu ſignato*, & *In actu exercito.* In actu ſignato dicitur, cùm denotatur ſignificatio termini, vel ſecunda intentio. In actu exercito, tùm accipitur exercitium eiuſdem ſignificationis per primas intentiones. Tartaretus *de genere dub.* 2. ait, quod prædicatio exercita fit mediante verbo *Eſt* ; ſignata verò per verbum *prædicatur* : v. g. *Definitio hominis conſtat genere, & differentia* ; id dicitur in actu ſignato. At, *Homo eſt animal rationale*, dicitur in actu exercito. Sic genus quando definitur per genus, tunc genus vt definitum ſumitur in actu exercito ; vt definiens, ſcilicet quod prædicatur de pluribus, &c. ſumitur in actu ſignato, vt ſecunda intentio. Vnde quæ ſignantur in ſecundis intentionibus, exercentur in primis. S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 2. appellat prædicationem exercitam ſecundùm ſubſtantiam ; & ſignatam ſecundùm rationem, ideſt ſecundam intentionem.

VNDECIMÒ, *In ſenſu compoſito*, & *In ſenſu diuiſo.* Primo modo ſignificatur aliquid conuenire ſubiecto cum aliquo adiuncto : vt, *Album*, *ſcilicet paries eſt diſgregatiuus viſus.* In ſenſu diuiſo, quando aliquid alicui conuenit diſiunctim : vt, *Sedens poteſt currere : Prædeſtinatus poteſt eſſe praſcitus.*

DVODECIMÒ, *Obiectiuè*, & *Subiectiuè.* Primo modo ſunt ea in alio, quæ

quæ objiciuntur alicui, dum ab illo cognoſcuntur, vel appetuntur; ſicque obiectiuè dicitur eſſe in intellectu albedo ab eo cognita. Secundo modo ſunt, quæ in aliquo inueniuntur, vt in ſubiecto, vt albedo dicitur ſubiectiuè in pariete.

Tertiodecimò, *Et*, aliquando ſumitur copulatiuè: vt, *Paries eſt albus, & pulcher:* aliquando expoſitiuè: vt, *Omnis, & perfecta natura diuina dicitur in vna hypoſtaſi incarnata*; ſicque valet, *&*, pro *ideſt*. S. Bonauent. *lib.3. diſt. 5. dub.5.*

Qvartodecimò, *Omne*, & *Omnis*, aliquando habet vim termini ſyncathegorematici, ſicque ſupponit diſtributiuè pro omnibus ſuppoſitis, pro quibus terminus ſubjicitur: vt, *Omnis homo eſt animal*; non pro quibus prædicatur. Aliquando habet vim puri adiectiui; ſicque exponitur pro perfecto, priuatque rationem partis, & ponit complementum: vt, *Omnis natura diuina eſt incarnata*. S. Bonauent. *lib.1. diſt.21. art.1. quæſt. 2. in corp. & ad 1.* & *diſt.7. art. 1. quæſt.4.* & *lib.3. diſt.5. dub.3.*

Qvintodecimò, *Magis*, & *Minus*, in poſitiuis dicitur per acceſſum ad terminum; ſic paries dicitur minùs albus per ordinem ad vltimum gradum. In priuatiuis dicitur per receſſum à bono. *Lib. 2. diſt. 34. art. 2. quæſt. 1. ad 2.*

Sextodecimò, *Tantùm*, & *Quantùm*, ſi ſumuntur in propoſitione aduerbialiter, qualificant actum importatum per verbum: vt, *Petrus tantùm amat Paulum*; ſi nominaliter, quantificant obiectum: v. g. *Quantum bonum intendis, tantum facis*. S. Bonauent. *lib.2. diſt.40. art. 1. quæſt. 2. corp.*

Decimoseptimò, *Solus* dicitur & ratione ſuppoſiti, & ratione formæ; ſicque excludit & alium, & aliud: vt, *Pater eſt ſolus Deus*; eſtque impropria loquutio: *Petrus eſt ſolus in horto*; eſt vera, ſi ibi non adſunt alij homines, licèt adſint beſtiæ, & herbæ. *Lib. 1. diſtinct. 21. artic. 1. quæſt. 1. & 2.*

Octavodecimò ſuperlatiuus, v. g. *Aptiſſimus*, *Albiſſimus*, duobus modis poteſt ſupponere. Primò per ſuperabundantiam abſolutè, ſicque poteſt pluribus conuenire: vt, *Petrus eſt albiſſimus*; & exponitur per ſuum poſitiuum cum addito *valdè*, ideſt valdè albus, &c. Vel ſumitur comparatiuè; ſic vni conuenire poteſt: vt, *Petrus eſt omnium albiſſimus*. S. Bonauent. *lib. 1. diſt.44. dub.2.* & *lib.2. diſt. 34. art. 1. quæſt. 1. ad 5.* & *diſt. 16. art. 1. q. 3. ad 3.* & *lib. 3. diſt.17. art. 1. quæſt.1. ad vlt.*

Decimononò, Comparatiuus verò dicitur abſolutè, ſicque denotat exceſſum poſitiuè: vt, *Leo eſt fortior homine*; ſic enim importat fortitudinem in vtroque, ſed maiorem in leone. Vel dicitur abuſiuè, ſic non ponit poſitiuum, vt melius dicitur minus malum. S. Bonauentura *lib.1. diſtinct.44. dub.2.*

Vigesimò, Finis eſt duplex, intrinſecus, & extrinſecus. Primus dicitur finis operis: Secundus finis operantis. Primus eſt duplex, ſcilicet formalis, & dicitur *quo*; & obiectiuus, & dicitur *quod*, vel *qui*. Primus eſt medium: Secundus eſt terminus ad quem.

Vigesimoprimò, *Alius*, *Aliud*, & *Alter*, differunt. *Alius* acceptus adiectiuè ponit rem ſuam circa ſubſtantiuum, & res ſua eſt alietas, ob idque non recipitur in Diuinis, *Pater eſt alius Deus*. Si ſumitur maſculinè, importat diſtinctionem ſuppoſiti: vt. *Alius*

Alius eſt Pater, alius Filius, &c. Et eſt vera. *Aliud* neutraliter importat diſtinctionem naturæ; ob id non recipitur in Diuinis, *Pater eſt aliud à Filio:* Alter importat differentiam accidentalem, vel perſonalem, vt *Pater eſt alter à Filio*, eſtque vera. *Lib. 1. diſt. 21. art. 1. quæſt. 1. & 2.*

SERAPHICO tandem flamine adſpirante, per Inſtitutiones Dialecticas ad vnguem determinatas ad oſtia peruenimus Paradiſiaci huius Dialectici Gangis, qui ſui decurſus circuitu auream ad nos perducere debet in ſcientiis veritatem, quæ eſt lignum vitæ plantatum in medio ipſius Paradiſi ſcientiarum. Hinc vlteriùs progredientes inuitamur ad ingreſſum huius deſiderabilis Paradiſi, nempe ad examinandas diſputationes, quæ ſolent fieri in Logica magna, vt ex ipſarum diſceptatione & flores, & fructus optatæ veritatis colligere, & deguſtare poſſimus; ſicque viribus confirmati iter arreptum tandem complere valeamus vſque ad lignum vitæ Theologicarum veritatum. Attamen antequam tantum opus aggrediamur, pro coronide huius Summuliſticæ Tractationis peropportuna, immò & neceſſaria addimus ex Seraphico Doctore, & Magiſtro, nempe modum, quo huic nauigationi, ſtudioque debet adhiberi ſtudens Seraphicus.

AVDITE igitur Bonauenturiſtæ Diſcipuli Bonauenturam ſanctiſſimum Magiſtrum vos ex Paradiſo Empyriaco docentem.

MODVS ſtudendi, ait Seraph. Doctor. *ſerm. 19. in Hexaëm.* debet habere quatuor conditiones, ſcilicet ordinem, aſſiduitatem, complacentiam, & commenſurationem. Ordo conſiſtit in hoc, quod ordinatè procedatur in materiis, ne de primo fiat poſterius, & è conuerſo. Secunda eſt aſſiduitas, quâ lectioni perſeueranter, & diligenter incumbat; maximum enim impedimentum eſt lectio vagabunda, quaſi modò placens hoc, modò illud legere, modò aliud facere. Vagatio exterior ſignum eſt vagationis animæ, & tales non poſſunt proficere, quia non figitur in memoria quod legitur. Tertia eſt complacentia, quâ ametur doctrina, & deſideretur fructus eius; quia cibus qui dat ſaporem guſtui, maſticatur, & incorporatur, vnde bona reſultat nutritio. Quarta eſt commenſuratio, quâ habet homo non plus ſapere, quàm oportet ſapere. *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud*, ait Sapiens *Prou. 25.* Quare ne plus te extendas, quàm ingenium tuum poſſit aſcendere; nec infrà maneas. Sic Seraphim *Iſaia cap. 6.* mediis volabant aliś: ſicut illi, qui cantant vltra vires, nunquam bonam faciunt harmoniam. Hinc dicebat D. Auguſt. illi qui non ordinant ſtudium, ſunt ſicut pulli equorum, qui modò currunt huc, modò illuc; ſed iumentum plano paſſu vadit: tantùm enim proficit vnus durus, dummodò ordinet ſtudium ſuum, ſicut ingenioſus, ſed inordinatus ſtudens. Qui autem vult in hoc ſtudio proficere, oportet, quod habeat ſanctitatem, vt poſſit ſtudere ad habendam vitam timoratam, impollutam, religioſam, & ædificatoriam. Id autem aſſequetur, ſi quod D. Bernardus apud S. Bonau. *in Phar. lib. 1. cap. 25.* docet, ad praxim reducat: nempe ſcias (dicunt iſti Sancti D. D.) quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat. Quo ordine, vt id priùs addiſcas, quod eſt maturius ad ſalutem. Quo ſtudio, vt id ardentiùs, quod eſt vehementius ad amorem. Quo fine, vt non ad inanem gloriam, aut ob curioſitatem, vel aliquid ſimile; ſed tantùm ad tuam, & proximi ædificationem, & ad Dei gloriam,

Digitized by Google

gloriam, quæ eſt tota ſola ſuper omnia nobis in hoc noſtro Paradiſo Scholaſtico deſiderabilis in ſecula. Et hæc eſt coronis verè Seraphica, quam S. Bonauentura ſibi; Summuliſque ſuis imponit. Ad gloriam Dei omnipotentis, Immaculatæ Virginis Mariæ, & eiuſdem Seraphici Doctoris, & perpetuam vtilitatem ſuorum diſcipulorum. Amen.

QVÆSTIONES PROOEMIALES Totius Logicæ.

A SVMMVLIS Logicalibus, quibus tandem, Deo fauente, finem dedimus, ad Summam totius Logicæ, tanquam à via ad terminum, ſeu potiùs à via plana, & breuiori, ad grandiorem, digniorem, laborioſiorem, difficilioremque negotij callem vndique vocamur. Summulæ enim ſunt via, ſeu medium adducendi ſtudentes iuniores in difficiliores quæſtiones, quæ indigent maturiori conſideratione; ſuntque quæſtiones prooemiales totius Logicæ, quæ viam parant ad ingreſſum in ipſam Logicam, & ſunt veluti prolegomena etiam ad alias nobiliores ſcientias: item in conſiderationem adducunt Tractatuum de Ente rationis, de Formalitatibus, ſeu Diſtinctionibus, de Vniuerſalibus, de Prædicamentis, de Interpretatione, Demonſtratione, Scientia, & Opinione: quibus perceptis, patet aditus ad lignum vitæ, ſcilicet ad veritatem capeſſendam in aliis nobilioribus ſcientiis, tum Philoſophicis, tum Theologicis, per quam poſteà mens facilè reducitur in Dei cognitionem, & amorem.

SED quia veritatem ſine veritatis principio inueſtigare, finem ſine mediis quærere, ſcientiam abſque ſcientiarum parente, ac progenitrice affectare rationi valde diſſentaneum eſt; omnem enim doctrinam, & diſciplinam ex præexiſtenti cognitione fieri docent Ariſt. 1. *Poſter. cap.* 1. *&* 2. & S. Bonauent. *in Pſal.* 93. & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 34. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad vlt.* & *in opuſc. Principium ſacræ Scripturæ.*

HINC vt faciliorem aditum ad ea, quæ in hac Logica intendimus, præparemus, Logicæ cognitionem anteponere omninò neceſſarium

exiſtimamus; nempe an ſit, & quid ſit, & quia eſt: ideſt, an detur Logica, licèt circa hanc quæſtionem nihil modò dicendum ſit; ſupponimus enim in Summulis, tum ex ipſo lumine naturæ, dari Logicam, ſeu ratiocinationem, proceſſumque de noto ad ignotum, & de noto ad aliud notum viâ probatiuâ; ſicut etiam ibidem explicauimus, quid ſit nominis, & rei ipſius Logicæ: nempe, quod ſit facultas ſcientifica, directiua operationum intellectus in ordine ad alias ſcientias, & ad veritatem in ipſis aſſequendam. Vnde ſupereſt tantùm, vt diſcutiamus, propter quid, & qualis ſit; ideſt, an ſit neceſſaria, an ſit ſcientia, & an practica, vel ſpeculatiua; & circa quod obiectum verſetur. Quæ omnia ductore Seraphico Doctore Sancto Bonauentura in quæſtionibus proœmialibus elucidabimus, in quibus omnibus hunc ordinem ſeruabimus.

Primò Textum Seraphici Doctoris ex variis eius ſcriptis, tanquam varia floſcula in vnum faſciculum collecta exhibebimus.

Secvndò, Scholium, & magis notabilia ad eius textum intelligendum addemus.

Tertiò, Quæſtiones ſuper textum, quæ ſolent ab aliis Auctoribus, & Philoſophis pertractari, proponemus, & ad mentem ipſius Seraphici Doctoris pro modulo noſtro ſoluemus.

Hic autem aduertimus, quod ſicut in Phyſicis cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, ita & ſcientiæ ſibi inuicem proſunt, & ſunt neceſſariæ, vt mutuò ſeipſas inuicem iuuent: ea enim eſt intellectus humani natura, & imbecillitas, vt in quavis re indaganda non ſolùm verſetur inter difficultates, ſed & aliarum rerum cognitione indigeat; quod maximè euenit in Dialectica, vtpote quæ cæteris ſcientiis modum præfiniens, ipſas intimè tranſcendit, in ipſis diſputantibus diſputat, & in eis definientibus definit: hincque oritur, quod neceſſariò in Logica implicantur quæſtiones, ſeu doctrinæ, tam ad Phyſicam, quàm ad Metaphyſicam, immò etiam ad Theologiam ſpectantes; & hoc maximè in ſtudiis Religioſorum, quorum ſcopus eſt acquiſitio Theologiæ ſacræ. In quo tamen cum multa ſobrietate nos procedemus, remittentes præcipuas difficultates ad propria loca examinandas. Et hæc eſt potiſſima ratio, quare ferè in principio Logicæ offerimus Tractatum Formalitatum; ipſarum enim cognitio eſt abſolutè neceſſaria ad ferè omnia percipienda, quæ traduntur tum in Logica, tum in cæteris Scientiis ſequentibus.

TEXTVS

Digitized by Google

TEXTVS SERAPHICVS.

A. SCIENTIA Logica, cùm ſit de ſermone, ſic largè ſumpta diuiditur in Grammaticam, Rhetoricam, & Logicam propriè. Triplex enim eſt veritas, ſcilicet ſermonum, rerum, & morum. Primam conſiderat Logica: Secundam Phyſica: Tertiam Ethica. *Opuſc. Principium ſacr. Scriptur. & ſerm. 4. Hexaëm. & opuſc. de reductione artium ad S. Theolog.*

B. LOGICA, quatenus dicitur λόγος, ſeu ſermo, ſeu ratio, rectè diuiditur in Grammaticam, quæ eſt ad exprimendum conceptus interiores: in Logicam propriam, quæ eſt ad docendum veritatem: & in Rhetoricam, quæ eſt ad mouendum affectus. Prima apprehendit: Secunda iudicat: Tertia mouet. At Grammatica, & Logica ſunt potiùs modi ſciendi, quàm ſcientiæ, ſcilicet quatenus conficiunt inſtrumenta, ſeu modos ſciendi. *Serm. 1. 4. & 5. Hexaëm. & aliis locis citatis.*

C. HINC Logica propriè ſumpta dirigit animam ad iudicium ferendum circa rationes formales, tum ſenſibiles in Phyſica, tum intelligibiles in Mathematica, tum ideales in Theologia. Tradit enim modum definiendi, diuidendi, & argumentandi. *Opuſc. de art. reduct. cit. & opuſc. Princ. ſacr. Script. & opuſc. Breuil. in proœm. verſus finem.*

D. HINC etiam Dialecticus conſiderat medium doctrinale manifeſtatiuum veritatis, ad quod ordinantur ſermo rationalis, oratio, argumentatio, & ſyllogiſmus, qui eſt ad perſuadendam, & docendam veritatem; ob idque tale medium per ſui euidentiam, & connexionem cum extremis compellit rationem ad amplexandam veritatem, eique aſſentiendum. *Serm. 1. 4. & 5. Hexaëm.*

E. VT autem pateat Logicæ neceſſitas, aduertendum, quod licèt in nobis adſit naturale iudicatorium, dirigens animam in iudicando tam de cognoſcibilibus, quàm de operabilibus; tamen cùm intellectus noſter ſit veluti tabula raſa, lumen hoc non ſufficit ad cognoſcendum prima principia, & concluſiones. Quare ad hæc cognoſcenda requiritur receptio ſpecierum ſimplicium terminorum, & ad hæc omnia requiritur habilitas noua, & perſuaſio, quæ fit per Lo-

Digitized by Google

gicam, vt dictum eſt ſuprà ad literam D. *Lib. 2. diſtinct. 39. art. 1. quæſt. 2.*

F. Ratio eſt, quia requiritur cognitio rerum, & terminorum, quæ habetur per definitionem: item & cognitio propoſitionum per iudicium: item & cognitio illationum per cognitionem connexionis concluſionis cum præmiſſis, ſiue neceſſariis, ſiue contingentibus; & hoc ſcire, eſt verè ſcire. *Opuſc. itiner. mentis, cap. 3.*

G. Hinc patet, quod cùm triplex ſubiectum in vnaquaque ſcientia ſit aſſignabile, ſcilicet radicale, integrale, & vniuerſale: in Logica radicale erit ſermo, vel nomen, ideſt terminus ſimplex: Integrale erunt operationes intellectus, vt perſuaſibiles, ſeu dirigibiles: vniuerſale erit modus manifeſtatiuus veritatis per rationem, ſcilicet per definitionem, iudicium, & argumentationem, quæ comprehenduntur ſub nomine rationis intelligendi veritatem. *Lib. 1. quæſt. 1. in prol. lib. 1. diſt. 41. art. 2. quæſt. 2. Itiner. ment. cap. 3. ſerm. 1. & 3. Hexaëm. & opuſc. Princip. ſacr. Script.*

H. Cvm autem ſcientia ſit cognitio certa, & euidens, de qua nullo modo poteſt intellectus vel diſcredere, vel diſſentire; id autem cùm habeatur per cognitionem connexionis concluſionis cum præmiſſis in quacunque materia, hinc dicendum eſt, Logicam eſſe veram ſcientiam. *Itiner mentis cap. 3. & lib. 3. diſt. 23. art. 1. quæſt. 4. & lib. 1. diſtinct. 3. part. 2. art. 1. quæſt. 3. in corp. & ſerm. 4. & 5. Hexaëm.*

I. Et conſequenter Logica eſt ſcientia ſpeculatiua; practica enim propriè eſt ſolùm illa, quæ extenditur ad opera voluntatis. *Lib. 3. diſt. 23. art. 1. quæſt. 2. & lib. 2. diſtinct. 24. part. 1. art. 2. quæſt. 1. ad 2. & quæſt. 3. in corp. & lib. 1. diſt. 3. part. 2. art. 1. quæſt. 3. in corp.*

K. Et cùm omnis habitus ſcientiarum completus habeat tantùm vnitatem genericam, conſequenter idem de Logica dicendum eſt. *Lib. 4. diſt. 14. part. 1. art. 2. quæſt. 1. in fine corp.*

Scholium ſuper Textum Seraphicum.

Primò Nota, quod Seraphicus Doctor ſæpè appellat Logicam ſcientiam de ſermone; non tamen per hoc credendum eſt, ipſum tenere cum Nominalibus, obiectum ipſius eſſe nomen; nam vt aduertit *in opuſc. de reductione artium*, ſermo alius eſt interior, alius exterior, vt etiam notat *lib. 2. d. 12. art. 3. q. 1.* Hic loquitur de ſolo interiori, ſeu conceptu: dicit enim *lib. 1. diſt. 41. art. 2. quæſt. 2.* Logicum conſiderare nomen ſolùm, prout eſt expreſſiuum conceptus interioris, & rei.

Secvndò Nota, quod cùm *in op. Princi*

Principium ſac. Script. ad litteram B, dicat Logicam, & Grammaticam eſſe plus modos ſciendi, quàm ſcientiam; id debet intelligi de Logica vtente, quæ ſicuti Grammatica eſt potiùs ars, quàm ſcientia: tum etiam quia ipſa Logica per id differt à cæteris ſcientiis, quod cùm ſit ſcientia, eſt ſimul etiam modus ſciendi: & ſecundùm quod dicitur modus ſciendi exhibendo inſtrumenta ſciendi, potiùs dicitur ars cũ Grammatica: & cum hoc ſtat etiam, quod ſit verè ſcientia, vt *ex Itiner. mentis cap.* 3. patet.

Tertiò Nota, quod cùm Seraphicus Doctor ad literam D, dicit, quod Logica conſiderat modum manifeſtatiuum veritatis per rationem; ibi aſſignat eius obiectum adæquatum, & vniuerſale, ſcilicet modum ſciendi, qui eſt definitio, iudicium, & argumentatio, quæ ordinatim conſiderantur in Logica, vt docet *ſerm.* 4. *Hexaëm.* & quæ ſignificantur per illum terminum rationis.

Quæ omnia, & alia ſpectantia ad explicationem textus fuſiùs in ſequentibus quæſtionibus procemialibus patebunt.

QVÆSTIO I.

An Logica ſit neceſſaria.

1. Pro explicatione tituli ſupponendum primò, Logicam eſſe duplicem, aliam naturalem, aliam artificalem. Naturalis eſt facultas, quam habet quilibet intellectus diſcurrendi à re nota ad rem ignotam, vel à re nota confusè, ad cognoſcendum eam diſtinctè; & poteſt appellari Logica inchoata, ſeu imperfecta, inditaque per lumen naturale, quod S. Bonauentura *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* & *lib.* 4. *diſt.* 6. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* appellat iudicatorium dirigens animam in iudicando de cognoſcibilibus, & de quo aliàs redibit ſermo. Secunda artificialis eſt habitus ſtudio comparatus, quo apprehenſis certis regulis dirigitur intellectus, ne erret in ſuis operationibus. Quot autem modis poſſit errare, tradit S. Doct. *lib.* 1. *quæſt.* 3. *procem.* Quæſtio igitur procedit de Logica hoc ſecundo modo ſumpta, an ſit neceſſaria ad alias ſcientias aquirendas? Nam de prima certum eſt eſſe neceſſariam.

2. Secundò ſupponendum ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 4. *diſt.* 7. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* cum communi, neceſſarium aliquid dici dupliciter. Primò abſolutè: Secundò ex ſuppoſitione. Et primo modo ſolus Deus eſt neceſſarius; nam quicquid eſt, excepto Deo, poteſt non eſſe. Secundo modo aliquid dicitur neceſſarium dupliciter, ſcilicet primò abſolutè ex ſuppoſitione, ita quod aliquid non poteſt haberi ſine eo: Secundò neceſſarium ex ſuppoſitione ſecundùm quid, ita quod ſolùm aliquid dicitur neceſſarium ad benè eſſe. Primo modo cibus eſt omninò neceſſarius ad vitam: ſecundo modo talis cibus bonus, &c. Quæſtio procedit vtroque modo; circa quam

Prima Opinio eſt Ianduni, Iauelli, Meldulenſis, aliquorumque aliorum, Logicam eſſe quidem vtilem, non autem neceſſariam abſolutè ad cæteras ſcientias.

Secunda Opinio eſt **communis ferè omnium, eſſe omninò neceſſariam.** Sic Toletus, Complut. Ruuius, &c. & eſt Sancti Bonauenturæ, vt mox patebit. Pro cuius ſolutione,

3. Primò Notandum ex S. Bonau. *lib.* 4. *diſt.* 14. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in*

fine corp. quod ſcientia poteſt ſumi dupliciter. Primò pro habitu totali, & perfecto continente aggregationem plurium concluſionum, vt eſt habitus Philoſophiæ, Metaphyſicæ, &c. Secundò pro habitu partiali, ſcilicet vnius concluſionis tantùm, v. g. quod ens naturale ſit mobile.

SECVNDÒ Notandum ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 2. *corp.* & *lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *lib.* 3. *diſt.* 14. *art.* 1. *quæſt.* 3. *corp.* & *ex Itiner. ment. cap.* 3. quod ſcire dicitur dupliciter. Primò pro ſimplici apprehenſione definitionis rei: Secundò prout ſcire dicit verbum procreticum, ideſt adhæſiuum, vel iudicatiuum, ideſt prout intellectus reflectitur ſuper ſuum ſcire, cognoſcendo ſe ſcire verè: & ad hoc requiritur cognitio concluſionis, & connexionis ipſius ad ſua principia, ob idque debet ſciens reſoluere talem concluſionem in ſua principia, & cauſas veras; in hoc enim ſtat ratio perfectæ ſcientiæ: vt v. g. ad hoc, vt quis ſciat hominem eſſe riſibilem, debet ſcire, quod riſibilitas oritur tanquam ex propria cauſa à rationalitate: nam, vt ait Seraph. Doctor *lib.* 3. *citat.* in ſcientia non eſt perfecta quies intellectus, ſed in cognitione principiorum.

TERTIÒ Notandum, quod inter concluſiones ſcientificas aliquæ ſunt, quæ habent principia proxima, & intellectui euidentia, vel ſaltem talia, quod intellectus cum aliquo ſtudio poteſt percipere faciliter connexionem concluſionis cum ipſis. Aliæ ſunt, quæ habent principia remota, ob idque naturaliter intellectus abſque arte, & cognitione regularum logicalium neſcit eas reſoluere in ſua principia. His poſitis ſit

4. PRIMA CONCLVSIO Ad ſcientiam ſumptam primo modo in ſecundo notabili, vt dicit ſimplicem apprehenſionem definitionis rei, non eſt neceſſaria Logica. Ratio eſt euidens, quia ad illam habendam ſufficit ſimplex apprehenſio, non autem requiritur illatio, ſeu diſcurſus: Ergo.

SECVNDA CONCLVSIO: Ad ſcientiam imperfectam conſiſtentem in cognitione alicuius concluſionis, & eius principiorum abſque cognitione connexionis inter ipſa non eſt neceſſaria Logica: idque patet, quia talis cognitio eſt actus artis liberalis, non ſcientiæ. Sic multi percipiunt Muſicam, Geometriam, &c. abſque eo, quod percipiant connexionem concluſionum ipſarum cum ſuis principiis. Sic & multi percipiunt Ius Canonicum, & Ciuile, & Rhetores Rethoricam, quatenus ſunt artes liberales.

TERTIA CONCLVSIO: Abſque Logica poſſunt obtineri aliquæ concluſiones ſcientificæ cum connexione ipſarum cum ſuis principiis proximis, non verò remotis eſt communis; & patet experientiâ. Et ratio eſt, quam adducit S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *q.* 2. *in corp.* & *art.* 2. *q.* 3. *ad* 4. quia lumen innatum dirigit mentem in cognitionem principiorum ex ſola perceptione terminorum: Ergo cum ſola cognitione naturali ipſorum poteſt intellectus ſe extendere ad inferendam aliquam concluſionem ex ipſis: tum quia principia de omni, & de nullo ſunt nota lumine naturali.

ADDIMVS tamen hanc ſcientificam cognitionem haberi non poſſe abſque diligenti indagine, & ſtudio, & ſine imperfectione. Hinc ſit

5. QVARTA CONCLVSIO: Logica artificialis eſt ſimpliciter neceſſaria ad acquirendas ſcientias ſumptas pro habitu totali. Eſt S. Bonauent. *citati ad litteram*

Digitized by Google

literam C, & D, & aliorum citatorum in ſecunda opinione.

PROBATVR ex fundamento Seraphico, quod ponit *in Itiner.ment.cap.3.* & *in lib.2. diſt.39.cit.* Scientia eſt effectus demonſtrationis, quæ eſt ſyllogiſmus faciens, & pariens ſcientiam: Sed ſola Logica docet demonſtrationem: Ergo eſt neceſſaria.

PROBATVR Minor, quia ad demonſtrationem requiritur cognitio reſolutionis vſque ad prima principia vera, non ſolùm ſecundùm materiam, ſed & ſecundùm formam, ſeu vt loquitur S.D.*ſerm.4.Hexaëm.* per reſolutionem concluſionum in cauſam eſſendi, & inferendi. Sed modus vtriuſque reſolutionis traditur à ſola Logica per modos, & figuras, & combinationes terminorum, & propoſitiones: Ergo.

RESPONDENT Aduerſarij concedendo argumentum de concluſionibus remotis à principiis, negando de proximis. Vnde non rectè infertur, non poſſe haberi ſcientiam aliquam totalem abſque Logica; ſed tantùm eſſe vtilem.

CONTRA: In ſcientiis totalibus maior pars concluſionum habet principia remota, vt patet in Phyſica, in Metaphyſica, & maximè in Methematicis: nam vtplurimùm principia vnius ſcientiæ probantur in altera ſuperiori: ergo nulla reſponſio.

OBIICIES primò: Si Logica eſt neceſſaria ad ſcientias: ergo ad ſeipſam erit neceſſaria, cùm ſit ſcientia. Ergo ante ipſam deberet addiſci.

RESPONDETVR primò negando conſequentiam; ipſa enim, cùm ſit ſcientia, eſt eſſentialiter modus ſciendi, & inſtrumentalis ad alias.

RESPONDETVR ſecundò, etiam ipſam ſeipſam adiuuare ſecundùm partem in ordine ad aliam partem habendam.

RESPONDETVR tertiò, ipſam vt vtentem, eſſe inſtrumentum ad habendam notitiam ſui ſcientificam.

OBIICIES ſecundò: Quælibet ſcientia habet ſuas definitiones, propoſitiones, & argumentationes: Ergo eas non mutùat à Logica. Ergo Logica non eſt neceſſaria.

RESPONDETVR, quamlibet ſcientiam habere proprias definitiones quoad materiam; mutuare verò eas à Logica quoad formam, & quoad notitiam ſcientificam naturæ ipſorum modorum ſciendi.

OBIICIES tertiò. Multi perceperunt Muſicam, Geometriam, Ius Canonicum, aliaſque veras ſciencias abſque Logica: Ergo.

RESPONDETVR eas percipere vel vt artes liberales, non vt ſcientias, & ſcientifico modo; vel percipere eas imperfectè. Proprium autem eſt artis liberalis dirigere intellectum ſecundùm regulas, & præcepta, non ſcientifico modo, vt patet in Geometria, Muſica, &c.

OBIICIES quartò, S. Bonauent. *in opuſc.Princ.ſac.Script.* appellare omnes ſcientias naturales aquam turbidam; dicereque ipſas nullum bonum afferre animæ.

RESPONDETVR, ibi loqui de ſcientiis vanis, & ſophiſmatibus plenis, quales ſunt ſcientiæ Gentilium Euangelicam doctrinam detrectantium: quare poſtea ibidem Seraphicus Doct. & *in ſerm.1. in Hexaëm.* & *in reductione artium ad Theologiam*, ſummoperè Dialecticam Chriſtianam laudat, ſicut & S. Auguſtinus: de qua materia tractant Complut. *in Log.quæſt.proœm.* probantque Chriſtum, & Angelos, & SS. Doctores optimos fuiſſe Dialecticos.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Quodnam ſit ſubiectum, ſeu obiectum Logicæ.

6. PRo explicatione tituli ſupponendum primò ex S. Bonauent. *q.* 1. *prol. lib.* 1. cum communi DD. ſubiectum, materiam, obiectum, & finem, ex vi terminorum aliqualiter diſcrepare: ſubiectum enim dicitur vel id, de quo aliquid dicitur in propoſitione; vel quod eſt inferius ad ſuperius, vt homo ad animal; vel id, in quo accidens inhæret, vt paries reſpectu albedinis; & ad rem noſtram id, quod à ſcientia conſideratur principaliter, & de quo proprietates omnes ſcientiæ prædicantur, & à quo ipſæ pullulant, & oriuntur, vt ens mobile, ſeu naturale in Phyſica, à quo locus, motus, tempus emanant.

MATERIA ſumitur vel pro ſubſtantia partiali componente cum alia parte ens cōpletum, vt homo ex corpore, & anima; vel id eſt, ex quo aliquid conficitur, vt ex ferro gladius; vel ad rem noſtram id, circa quod aliqua ſcientia tota verſatur, & quod tractat.

OBIECTVM dicitur id, quod objicitur potentiæ, & conſequenter actui, & habitui, & ad quod collimant omnia, quæ in habitu ſcientifico habentur, & ob id quæ conſiderantur ab intellectu imbuto tali ſcientiâ: finis verò alius dicitur intrinſecus ſcientiæ, alius extrinſecus. Intrinſecus eſt, qui intenditur eſſentialiter à ſcientia: v. g. cognitio naturæ definitionis, diuiſionis, & argumentationis in Logica. Qui termini tamen vſurpantur pro eodem in hac quæſtione; circa quam

MASTRIVS enumerat viginti, & amplius opiniones, quas tamen ad duas claſſes reducit: quarum prima eſt aſſerentium, Logicam eſſe ſcientiam realem, quorum aliqui dicunt eſſe omnes res indiſcriminatim; alij, vt Nominales, eſſe voces ſignificatiuas; alij tres operationes intellectus vt dirigibiles. Secunda claſſis eſt aſſerentium, Logicam eſſe ſcientiam rationalem; quorum aliqui, vt Thomiſtæ, volunt eſſe ens rationis; alij ſyllogiſmum, vt Scotiſtæ plures; alij eſſe modum ſciendi: & huius opinionis eſt S. Bonauent. infrà citandus, Rubius, & ferè eſt communis aliorum. Pro cuius ſolutione,

7. PRIMÒ Notandum, quod quatuor conditiones principaliter requiruntur ad ſubiectum ſcientiæ; quas ſparſim tangit cum communi S. Bonauent. *quæſt.* 1. *in proleg. lib.* 1. & *in opuſc. Princ. ſacr. Script.* Prima, vt ſit vel actu, vel poſſibiliter in rerum natura: vnde ſupponitur, non probatur à ſcientia. Secunda, quod per ſe formaliter conſideretur in tali ſcientia tanquam ſcopus principalis. Tertia, vt comprehendat omnia, quæ tractantur in illa ſcientia, vel vt proprietates, vel vt principia, vel vt partes ſubiectiuas. Quarta, vt ſit vnum aliquo modo, ſcilicet vel genericè, vel ſpecificè, vt vnitatem poſſit tribuere ſcientiæ.

8. SECVNDÒ Notandum, quod cùm communiter à DD. reducatur ſubiectum ad duo capita, ſcilicet ad materiale, & formale; primum eſt ratio, quæ attingitur materialiter; ſecundum eſt ratio ſub qua: vt v. g. color eſt obiectum *quod*, & materiale viſus: lucidi ratio eſt, ſub qua attingitur. Quod & explicat fusè S. Bonauent. *lib.* 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 3. & *lib.* 3. *diſt.* 24 *art.* 1. *quæſt.* 2. *corp.* & *lib.* 4. *d.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3.

ATTA-

Attamen exactiùs tractans hanc materiam Seraphicus Doctor *in quæſtione* 1. *prolog. lib.* 1. reducit ſubiectum ſcientiæ ad tria capita; nempe ad radicale, ad integrale, & ad vniuerſale. Quid autem intelligat his terminis, eſt quæſtio inter Commentatores eiuſdem Seraphici Doctoris: nam Trigoſ. *quæſt.* 1. *art.* 2. *dub.* 1. Coriolan. *in quæſt. proœm.* & Lingonienſis noſter pro ſuo more trahentes etiam violenter S. Bonauenturam ad opinionem Thomiſticam dicunt, quod per ſubiectum radicale intelligit formale adæquatum; per integrale, & vniuerſale ipſum materiale. Idemque aſſerit Fauentinus, quaſi de mente Seraph. Doctoris, & Alenſis.

Quæ expoſitio eſt patenter extorta, & contra mentem Seraph. Doctoris, vt patet legenti textum citatum. Affert enim varia exempla, & primò dicit, quod ſubiectum radicale in Grammatica eſt litera; in Geometria punctus: ſubiectum verò integrale eſt oratio congrua, & corpus in Geometria: ſubiectum tandem vniuerſale eſt in Grammatica vox, ſeu oratio ordinata ad ſignificandum aliquid in ſe, vel in alio: in Geometria eſt quantitas continua. Vnde patet, quod per ſubiectum radicale intelligit ipſum materiale originatiuum; per integrale ipſum materiale totale; & per vniuerſale ipſum ſubiectum formale attributionis.

Tertiò Notandum ex S. Bonau. *quæſt.* 3. *prol. lib.* 1. quod quilibet habitus eſt perfectio potentiæ ipſam dirigens in actibus ſuis, ob idque & quælibet ſcientia habet dirigere intellectum in ordine ad proprium obiectum, ſicque ab vna accipit vnam directionem, ab alia aliam. Hinc operationes intellectus, vt dirigibiles, non poſſunt eſſe obiectum formale Logicæ, cùm ſe habeant indifferenter vt dirigibiles eodem modo in ordine ad quemcunque habitum intellectiuum, & conſequenter ſe habeant vt quid materiale, expectans rationem formalem cuiuſque ſcientiæ. Et quia Logica habet quandam vniuerſalitatem ad omnes ſcientias, cùm ſit modus ſciendi; hinc & obiectum etiam debet conſtitui proportionatum, quod habeat aliquid vniuerſalitatis per ordinem ad omnes ſcientias; quod conſequenter non poteſt eſſe aliud quàm modus ſciendi, vt mox dicemus. Quibus ſic conſtitutis ſit

9. Prima Conclvsio: Subiectum radicale Logicæ ſunt voces ſignificatiuæ, ſeu ſermo, vel potiùs terminus mentalis, ſeu vocalis ſignificatiuus. Eſt S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 2. *corp.* Galicij noſtri *in ſua Logica lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Probatur, quia omnia reducuntur vt ad principium radicale, ſeu elementale, quæ tractantur in Logica, ad terminos ſimplices, ſeu conceptus incomplexos: ſicuti in Grammatica omnia reducuntur ad literam. Nam vt aduertit S. Doctor *ſerm.* 19. *Hexaëm.* priùs addiſcit homo literas a, b, c, d, poſteà ſyllabizare, poſteà legere, poſteà quid voces ſignificant. Sic in Geometria punctus: in Theologia Deus, &c.

10. Secvnda Conclvsio: Subiectum materiale, ſeu integrale ſunt operationes intellectus vt dirigibiles à Logica, ſeu vt loquitur S. Bonauent. *ſerm.* 1. *in Hexaëm.* vt perſuaſibiles per rationem, & vt informabiles per veritatem à Logica manifeſtatam. Probatur ex eodem Seraphico Doctore: Illud eſt ſubiectum materiale totale *vt quod*, in quod ſcientia introducit ſuam formam, ſeu rationem formalem obiectiuam: ſed in operatio-

nes intellectus introducit modum ſciendi, ſcilicet definitionem, diuiſionem, & argumentationem manifeſtatiuam veritatis: Ergo. Tum quia operationes intellectus vt dirigibiles æqualiter ſe habent ad omnem ſcientiam ex tertio Notabili. Ergo per ſuperadditam rationem formalem determinantur vt quid materiale ad formam ſuam.

11. TERTIA CONCLVSIO: Obiectum formale adæquatum attributionis Logicæ eſt modus ſciendi, prout comprehendit definitionem, diuiſionem, & argumentationem. S. Bonau. *ſerm.* 1. *Hexaëm.* appellat hunc modum, mediũ doctrinæ rationali manifeſtatione præclarum, ideſt exprimens veritatẽ rationali modo, per definitionem, diuiſionem, & argumentationem, vt explicat *ſerm.* 4. *Hexaëm.* & aliis locis citatis. Partiale verò obiectum eſt, v.g. ſola definitio, vel ſola diuiſio per ſe, vel ſola argumentatio vt ſic. Eſt S. Bonau. *ſer.* 1. *&* 4. *in Hexaëm.* qui docet Logicam verſari circa medium manifeſtatiuum veritatis per rationem, ideſt per ſuam cauſam, & hoc per argumentationem. Et *in opuſc. Princ. ſacr. Script.* docet verſari circa rationem intelligendi veritatem: ſed id competit adæquatè modo ſciendi vt ſic, & definitioni per ſe, diuiſioni per ſe, & argumentationi per ſe, & inadæquatè: Ergo vera vtraque pars concluſionis, quæ etiam eſt Ruuij, Conimbric. Meldul. aliorumque plurium.

ADVERTENDVM tamen hîc nos ſumere nomine modi ſciendi viam quandam diſtinctè cognoſcendi id, quod antea confusè tantùm, vel nullo modo cognoſcebatur: in qua ratione conueniunt formaliter tria dicta inſtrumenta. Hinc,

PROBATVR prima pars de obiecto totali: Finis intrinſecus Logicæ *qui*, obiectumque formale adæquatum coincidunt in ſcientiis: ſed talis finis *qui*, eſt modus ſciendi, manifeſtatiuuſque veritatis idealiter cognitus: Ergo.

MAIOR eſt certa, Minor probatur, quia termini, oratio, & alia omnia ordinantur ad habendam perfectam cognitionem definiendi, diuidendi, & argumentandi, vt docet S. Doctor *loc. cit.* Ergo.

PROBATVR Secundò. Modus ſciendi habet omnes conditiones obiecti ſcientiæ Logicæ: Ergo. Probatur antecedens. Primò, quia eſt in rerum natura: Secundò, quia idem eſt ſcopus principalis, vt probatum eſt. Tertiò, quia ad ipſum ordinantur omnia, vel vt principia, vel vt partes ſubiectiuæ, vel vt proprietates, vt per ſe patet. Quartò, quia habet ſuam vnitatem in ratione modi ſciendi. Tum quia ab ipſo tota Logica denominatur modus ſciendi.

12. PROBATVR Tertiò ex refutatione aliarum opinionum. Et primò obiectum Logicæ non poſſunt eſſe omnes res indiſcriminatim, quia coincideret cum Metaphyſica. Secundò nec voces, quia ſumptæ formaliter ſunt tantùm obiectum radicale, vt dictum eſt in prima concluſione.

TERTIÒ nec ens rationis: tum quia etſi ens rationis eſſet impoſſibile, vt multi Philoſophi contendunt, adhuc Logica eſſet: tum quia ens rationis, licèt ſit ſubiectum communitatis, quatenus poteſt prædicari de omnibus, quæ tractantur in Logica, tamen non poteſt eſſe ſubiectum attributionis; quia ens rationis non habet pro principio omnes ſecundas intentiones, & alia, quæ tractantur in Logica, quæ non ſunt eius principia, vel partes, vel proprietates. Sic ſubſtantia, quantitas, qualitas,

litas, &c. non ſunt principia eius, nec partes, nec proprietates.

Qvartò, Nec ſunt operationes intellectus, vel vt ſic conſideratæ, vel vt dirigibiles. Non primum, quia earum conſideratio ſpectat ad animaſticam: nec ſecundum, quia ſic Logica eſſet ſubalternata ſcientiæ de anima; adderet enim rationem accidentalem dirigibilitatis ad ipſas operationes intellectus: tum quia in ſcientia obiectum debet cognoſci, & conſiderari, & ſecundùm rem, & ſecundùm modum: ſed neutro modo in Logica conſiderantur operationes intellectus vt dirigibiles ex præcedenti ratione. Ergo. Tum quia ratio formalis obiecti ſupponitur, non probatur in ſcientia, ob idque debet eſſe indemonſtrabilis de ipſo, cùm ipſa ſit medium, de quo demonſtrantur paſſiones. Sed dirigibilitas eſt paſſio demonſtrabilis de medio, non ipſum medium, vt v. g. mobilitas in ente mobili eſt medium, per quod probatur motus, localitas, &c. de ipſo. Non ſic dirigibilitas, quæ vt paſſio actuum intellectus poteſt demonſtrari: v. g. quicquid poteſt errare, poteſt dirigi, &c. Ergo dirigibilitas non poteſt eſſe ratio formalis obiecti Logicæ.

13. Tvm quia obiectum facultatis inſtrumentariæ ſimpliciter (qualis eſt Logica) non eſt opus, ad quod inſtrumentum ordinetur. Sic ars ferraria præparat frenum equiti, vomerem ruſtico: non autem equitat, vel arat; ſed obiectum eius proprium eſt ipſum inſtrumentum cognitum, & faciendum. Ergo & Logica habet pro obiecto non operationes intellectus, ſed ipſa inſtrumenta, ad quorum cognitionem ipſæ operationes ordinantur: nam cognitâ indigentiâ directionis, quam habet intellectus, conficiuntur inſtrumenta, idest traditur, & conſideratur idealiter modus conficiendi. Et hic ſtat tota æquiuocatio Auerſæ, & aliorum, qui exiſtimant inſtrumenta omnia eſſe ob operationes: quod eſt falſum in facultatibus, quæ ſunt merè organicæ, quæ conſiderant naturam inſtrumentorum non in ordine ad opera, præciſè loquendo, cùm talia opera exerceri habeant in aliis facultatibus. Quæ doctrina eſt diligenter aduertenda.

Probatvr ſecunda pars de obiecto partiali contra Zabarellam, Gallicium noſtrum, & alios. Non minùs indiget prima, vel ſecunda operatio intellectus directione, per ſe loquendo, quàm tertia: Sed ad tertiam eſt modus ſciendi, qui dicitur argumentatio per ſe: Ergo ad primam eſt definitio per ſe, & ad ſecundam diuiſio, ſeu propoſitio. Confirmatur, quia quælibet poteſt per ſe errare in inquirenda veritate.

14. Obiicies Primò: Voces in Logica conſiderantur per accidens: Ergo non poſſunt conſtitui obiectum proprium radicale Logicæ, aliàs incideremus in Nominaliſmum à S. Bonau. reiectum.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *q.* 2. *in corp.* hìc non ſumi voces Grammaticales, ſed Logicales, & prout gerunt vices conceptuum internorum: quod & notauit Hurtadus.

Obiicies contra ſecundam, & tertiam concluſionem. Primò ex Auerſa: Inſtrumenta ordinantur ad operationes, non è contra: ergo operationes intellectus vt dirigibiles, ſunt finis intrinſecus *qui*; & inſtrumenta, ſcilicet definitio, diuiſio, & argumentatio, finis *quod*, ſeu *quo*: ſic etiam calamus ad ſcribendum, pharmaca ad medendum, & alia inſtrumenta ordinantur ad operandum.

Digitized by Google

Respondetvr, vt dictum eſt ſuprà, hîc latêre æquiuocationem Auerſæ, & aduerſariorum. Dantur enim facultates, quæ ſunt purè, & ſimpliciter organicæ: aliæ, quæ non ſunt ſimpliciter organicæ. In his inſtrumenta ordinantur ad opera exercenda in eadem, & ab eadem facultate, vt ars pictoria, ſcriptoria, &c. In primis verò, quæ ſunt merè inſtrumentales, traditur modus conficiendi inſtrumenta; ſed poſteà exercitium operũ, ad quæ ordinantur, ſpectat ad alias facultates. Sic ars ferraria efficit vomerem, frenum, enſem, &c. Logica verò docens eſt talis; nam eius finis intrinſecus eſt cognitio idealis perfecta rectæ definitionis, diuiſionis, & argumentationis: definire autem, diuidere, & argumentari actualiter ſpectat ad Logicam vtentem, quæ eſt potiùs ars, liberalis tamen: ſpectat etiam ad alias ſcientias. Vnde in Logica operationes, ſcilicet omnis cognitio intellectiua, ordinatur ad inſtrumenta, non è conuerſo. Hinc negatur antecedens.

Instat adhuc Auerſa: Inſtrumentum artis de ſui ratione eſt propter operationes: Ergo nulla reſponſio.

Respondetvr, diſtinguo antecedens: Eſt propter opus in eſſe phyſico, concedo; tale eſt inſtrumentum artis in eſſe ſcibili, & obiectiuo, nego. Talia ſunt inſtrumenta Logicæ. Licèt enim definitio, diuiſio, & argumentatio ordinentur ad dirigendas operationes intellectus verè, & phyſicè; tamen in Logica conſiderantur vt obiectum ſcibile, quatenus ſcilicet omnis cognitio tendit ad rectam notitiam naturæ horum inſtrumentorum.

Contra inſtat tertiò dictus Author: Definitio, diuiſio, & argumentatio ſunt operationes intellectus directæ, vel dirigibiles: ergo nulla reſponſio.

Respondetvr, Sunt operationes intellectus formaliter, concedo; obiectiuè, nego, ſunt enim obiectum terminatiuum intellectualium operationum, circa quod verſatur cognoſcendo ipſarum naturam idealiter, quâ cognitâ, poteſt poſteà intellectus ipſis vti.

15. Insvrgit hîc Ouiedo *contr.* 2. *part.* 1. *à numero* 18. Logica immediatiùs, & principaliùs conſiderat conceptus formales, quàm obiectiuos; iſti enim reſultant ex formalibus, ideſt regulæ bonæ definitionis, diuiſionis, & argumentationis dependent ab actibus intellectus ipſas dirigentibus: ergo operationes intellectus vt dirigentes ſunt obiectum formale, & principale Logicæ. Probatur antecedens, quia id doceor Logicâ, quod facio: ſed facio tantùm conceptus formales, dirigendo definitionem, &c. Ergo. Patet in Pictore, qui immediatè agit de imagine Cæſaris, mediatè verò de ipſo Cæſare, vt eſt obiectum imaginis: Ergo ſi Logica agit de definitione, &c. agit de eis, prout ſubſunt conceptibus formalibus ipſas dirigentibus.

Respondetvr, iſtum virum confundere, & abuti patenter vocabulis, vt ſæpe ipſi euenit; quod & notauit Meldul. *hîc num.* 36. licèt alias ſit ſubtiliſſimus. Primò enim malè vocat diuiſionem, definitionem, & argumentationem obiectiuè ſumptas inſtrumenta directa, & regulata per conceptus formales: id enim eſt falſum; nam hæc inſtrumenta dirigunt intellectum in ſuis operationibus, ne erret circa veritatem; conceptus enim obiectiuus eſt, qui dirigit formalem poſteà eliciendum: vnde priùs cognoſcendæ ſunt idealiter regulæ bonæ definitionis, diuiſionis, & argumentationis, vt rectè dirigantur conceptus formales.

Secvndò falſum eſt, conceptum obiectiuum

obiectiuum reſultare ex formali; non enim actus præcedit obiectum, ſed obiectum præſertim motiuum, & menſuratiuum actus præcedit actum formalem. Hinc ad argumentum negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur, conceptus obiectiui reſultant ex formalibus ſecundùm denominationem cogniti, & obiecti, quatenus actu objiciuntur intellectui, concedo; præcedunt ſecundùm entitatem, nego: & hoc modo ponimus obiectum Logicæ ſecundùm ſuam entitatem; nam quod ſint cogniti, vel non, id eis eſt per accidens in ratione obiecti.

Et ad id, quod dicit: Id doceor Logicà, quod facio. Reſpondetur negando hanc propoſitionem. Id doceor Logicà, quod addiſco facere per definitionem, diuiſionem, & argumentationem idealiter, & in actu ſignato cognitam, ſic concedo: quod poſtea conficiam ipſa inſtrumenta exercitè, ſpectat ad Logicam vtentem.

Et ad id de ſimilitudine Pictoris: Reſpondetur negando paritatem, vt dictum eſt in ſolutione argumentorum Auerſæ.

Instat rurſus: Finis intrinſecus Logicæ eſt directio operationum: ſed directio eſt actus, & conceptus formalis dirigens obiectiuos: ergo vera eius aſſertio.

Respondetur diſtinguendo maiorem: Directio eſt finis Logicæ, directio actualis & exercitè ſumpta, eſt finis Logicæ vtentis, concedo; docentis, nego: huius enim finis intrinſecus eſt notitia rectæ definitionis, diuiſionis, & argumentationis, quatenus idealiter cognitæ poſſint poſteà inſeruire in Logica vtente ad actu dirigendum intellectum: ſic negatur minor, & conſequentia in ſenſu expoſito.

Obiicies pro ente rationis cum Thomiſtis: Quicquid tractat Logica, eſt de ente rationis, ſcilicet de terminis, propoſitione, ſyllogiſmo.

Respondetur concedendo de Logica ab Ariſtotele tradita; negando de Logica vt ſic: & ſi multoties materiæ tractantur ſub ratione entis rationis, id fit ad faciliorem explicationem. Attamen eſſentialiter non eſt id neceſſarium, faciliùs enim per terminos ſecundæ intentionis, vt per genus, explicantur termini vniuerſaliores primæ intentionis, vt per ſe patet: ſicque veritas, quæ habetur in actu exercito in rebus, habetur in actu ſignato per terminos, qui ſunt entia rationis: tum etiam, quia licèt ſit verum, entia rationis poſſe prædicari de iis, quæ tractantur in Logica, id eſt, quia ens rationis eſt ſubiectum communitatis, & prædicationis, non verò attributionis, cùm non contineat principia Logicæ, vti ſunt, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, & *Dictum de omni, & de nullo*, ſumptis primò intentionaliter, licèt poſſit admitti, ſi ſumantur ſecundò intentionaliter. Et hac diſtinctione reſpondetur omnibus obiectionibus, maximè Complutenſium.

Obiicies ſecundò ex Rabeſano: Modus ſciendi non eſt quid vniuocum: ergo non poteſt eſſe obiectum Logicæ. Probatur antecedens; quia verificatur de pluribus habentibus diuerſas definitiones, obidque & eſſentias.

Respondetur negando antecedens, & conſequentiam, & ad probationem reſpondetur, diuerſas definitiones facere diuerſitatem ſpecificam, non genericam.

Obiicies tandem contra ſecundam partem tertiæ Concluſionis cum Galicio noſtro, & Rabeſano: Modus ſciendi idealiter ſumptus competit tantùm ſyllogiſmo: ergo. Probatur ante-

Digitized by Google

cedens, quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere: ergo tantùm ratiocinationi competit.

Respondetur, eſſe ſcientificum eſſe duplex: Primò ſtrictè, ſic conceditur antecedens: Secundò largè pro notitia quidditatiua, ſic negatur antecedens, & conſequentia.

QVÆSTIO III.

An Logica ſit Sientia?

Pro tituli explicatione, & pro pleniori cognitione dicendorum in ſequentibus,

16. Svpponendvm primò ex Ariſtotele 6. *Ethic. cap.* 3. & ex Seraphico Doctore *ſerm.* 5. *Hexaëm.* quinque habitus intellectuales dari. Primus dicitur Intellectus, ſeu Intelligentia: Secundus dicitur Sapientia: Tertius Scientia: Quartus Prudentia: Quintus Ars.

Intellectvs eſt notitia primorum principiorum: vt, *Omne totum eſt maius ſui parte*; ad quam ſufficit lumen inditum in anima, & apprehenſio terminorum, vt docet S. Bonauentura *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* & ad vltimum.

Sapientia eſt cognitio altiſſimarum rerum per altiſſima principia, & cauſas: & hæc apud Philoſophos eſt Metaphyſica; apud Chriſtianos eſt Theologia; & apud Theologos eſt Theologia Myſtica, quæ tranſit de ſpeculatione ad affectum, vt ait S. Bonauentura *ſerm.* 5. *in Hexaëm.*

Scientia eſt notitia certa, & euidens, habita per ſyllogiſticum diſcurſum: & hæc vel eſt actualis, cùm actu intellectus aſſentitur alicui concluſioni: vel habitualis, eſtque duplex, ſcilicet vel partialis conſiſtens habitualiter in intellectu reſpectu vnius, vel alterius concluſionis; vel totalis comprehendens omnes, vel ferè omnes concluſiones.

Prvdentia eſt notitia directiua humanarum actionum, vt benè, & laudabiliter fiant.

Ars eſt habitus cum recta ratione factiuus, ideſt notitia tranſiens per certas regulas in opus ad extra, quæ multipliciter diuiditur: de quo videre eſt S. Bonauent. *in opuſc. Princ. ſacra Scripturæ*, & *in opuſc. de reductione artium*, & *ſerm.* 1. & 4. *Hexaëm.* & Toletus in principio ſuæ Logicæ.

Hic addunt aliqui ſextum habitum, ſcilicet opinionem, quæ eſt notitia ineuidens, & obſcura de obiecto contingente cum trepidatione veritatis partis oppoſitæ.

Hincqve ſequitur, quod valde differunt inter ſe ſcientia, & ars, nempe tum ratione finis intrinſeci, quia ſcientia non ordinatur intrinſecè, ſicut ars ad opus ſaltem externum: tum ratione obiecti, ſcientia enim eſt de vniuerſalibus, & neceſſariis; ars de particularibus, & contingentibus. Tum in modo procedendi; ars enim conſiderat rem, qualiter fiat, ſed operando: ſcientia verò ſpeculatur, qualiter res ſit, ob idque conſiderat eius cauſas, & principia; & ſi ordinatur ad opus, id non fit operando, ſed ſpeculando, vt euenit in practicis.

Hinc quæritur, an Logica ſit ſcientia, an verò ars? Certum enim eſt, non eſſe aliquem ex aliis dictis habitibus.

Prima opinio eſt Morandi, Villalp. aliorumque auferentium Logicam abſolutè à choro ſcientiarum.

Secvn

Digitized by Google

Secunda opinio eſt communis ferè omnium cum Seraphico Doctore aſſerentium, Logicam eſſe abſolutè ſcientiam. Pro qua ſtabilienda

17. Primò Notandum, quod ars poteſt ſumi ſtrictè, eſtque tantùm facultas, quæ eſt de opere, & in opere, vt ait S. Bonauent. *lib. 3. diſt.* 14. *art. 3. quæſt. 3. ad penult.* ſicque tantùm comprehendit factiuas, ideſt tranſeuntes ad extra. Secundò largè, ſicque eſt facultas de opere tantùm, & comprehendit omnes artes liberales, & ſcientias actiuas: quæ vt artes liberales ſunt, procedunt certâ methodo, & determitis regulis, ſuntque Grammatica, Rhetorica, Logica (intellige vt vtens,) Geometria, Aſtrologia, Arithmetica, & Muſica. Vnde eadem ſcientia poteſt etiam dici ars, prout procedit certis regulis.

Secundò Notandum ex S. Bonauent. *lib. 3. diſt. 3. art. 1. quæſt. 1. ad* 2. & *quæſt. 4.* & *lib. 3. diſt. 24. art. 2. q. 3.* & *lib. 1. diſt. 39. art. 2. quæſt. 2.* & *Itiner. mentis cap. 3.* & *ſerm. 1. Dom. 22. poſt Pentec.* quod ad ſcientiam requiruntur ſequentes conditiones: Prima, quod ſit notitia certa: Secunda, quod ſit de obiecto neceſſario: Tertia, vt ſit cauſata à principiis, vel cauſa intellectui euidente: Quarta, vt ſit applicata ad cognitum per ſyllogiſticum diſcurſum: quæ vltima conditio eſt veluti per accidens, quia eſt neceſſaria tantùm nobis viatoribus, non in Beatis, qui verè vnum ex alio, vel per aliud cognoſcunt, ſed non neceſſariò per diſcurſum, vt aduertit S. Bonauent. *lib. 3. diſt. 31. art. 2. quæſt. 3. ad 5.* & poſt ipſum Scotus: Seraphicus Doctor tamen *ſerm. cit. in Dom. 22. poſt Pentec.* has conditiones reducit ad duo capita, ſcilicet ad immutabilitatem obiecti, & ad immutabilitatem, ſeu certitudinem infallibilem ex parte ſcientis per demonſtrationem; quæ duæ continent omnes alias. Ex quo inferunt Philoſophi, obiectum ſcientiæ debere eſſe reale: quod tamen limitandum eſt; nam vt ait Seraphicus Doctor *in Itiner. ment. cap. 3.* ad hoc, vt obiectum ſcientificum habeat veritatem ſaltem complexam æternæ veritatis, ſufficit, vt contineat connexionem immutabilem prædicati ad ſubiectum, vel ad ſua principia realia, in quibus inſit ſaltem virtualiter, ſicuti euenit in ente rationis, vt poſteà dicetur. Vide S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 46. art. 1. quæſt. 3.* & *lib. 3. diſt. 37. art. 1. quæſt. 3.* & *lib. 3. diſt. 24. art. 1. quæſt. 3.*

18. Tertiò Notandum, quod Logica diuiditur communiter in docentem, & vtentem: Primam vocant Græci auulſam à rebus: Secundam rebus concretam. Prima eſt ipſa doctrina logica, prout contemplatur idealiter modum definiendi, diuidendi, & argumentandi: Secunda eſt ipſe vſus talis modi: hæc tamen poteſt ſumi paſſiuè, & actiuè. Paſſiuè eſt ipſa Logica docens in actu ſignato, tantùm applicata, vel applicabilis cæteris ſcientiis; ſiſtendo tamen in ideali contemplatione ipſius, eſtque idem cum docente: Actiuè verò eſt praxis per actualem confectionem inſtrumentorum; & talis modus appellatur à Seraphico Doctore habitus vſus, ſicut paſſiuè ſumpta habitus aſſuefactionis. Sic Seraphicus Doctor *lib. 2. diſt. 28. dub. 1.* & *lib. 1. diſt. 1. art. 1. quæſt. 1. corp.* & *lib. 3. diſtinct. 33. artic. 1. quæſt. 5.* & *lib. 4. diſt. 4. part. 2. art. 2. quæſt. 2.*

Hinc patet, quod Logica docens reſpicit obiectum, non vt faciendum, ſed tantùm ſpeculando eius eſſentiam: vtens verò actiuè ipſum

reſpicit

Digitized by Google

reſpicit vt faciendum. His ita præmiſſis ſit

19. Prima Conclvsio, Logica eſt habitus intellectualis. Eſt communis omnium, & patet, quia facilitat intellectum ad definiendum, diuidendum, & argumentandum: ergo eſt habitus intellectus. Sic ex S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *fundamento* 2.

Secvnda Conclvsio: Logica tam docens, quàm vtens paſſiuè ſumpta eſt verè, & propriè ſcientia: vtens verò actiuè eſt ars liberalis. Infertur ex doctrina S. Bonauent. citati in textu *ad literam H*, & eſt communis aliorum ſuprà citatorum.

Probatvr prima pars de Logica docente: Logica eſt habitus per demonſtrationem aquiſitus: ergo eſt ſcientia. Probatur antecedens ex doctrina Seraphici Doctoris *ſerm.* 4. *Hexaëm.* & *ex itiner. ment. cap.* 3. In Logica probatur concluſionem ſequi ex præmiſſis rectè diſpoſitis in quacunque materia non ſolùm neceſſaria, ſed & probabili, & etiam ſophiſtica: Ergo. Poſito enim medio ordinato cum extremis in prima figura, ſtatim euidenter ſequitur concluſio. Tum quia, vt infert S. Doctor *in op. de reduct. artium*, Logica verè illuminat, facitque ſcire per rationes proprias intelligendi, & veras cauſas. Tum quia probat paſſiones de ſuo ſubiecto; probat enim per propria principia, & media probabilitatem de ſyllogiſmo dialectico, errorem de ſophiſtico, neceſſitatem de demonſtratiuo: ſyllogiſmum habere tres terminos, & duas præmiſſas per ſuam definitionem; vt v. g. *Omnis oratio, in qua quibuſdam poſitis proceditur, neceſſariò infert aliud, & neceſſariò habet tres terminos, & duas præmiſſas: Sed ſyllogiſmus eſt huiuſmodi: Ergo per Logicam certò ſcitur ſyllogiſmi natura. Ergo eſt vera ſcientia.*

Respondet Zabarella cum Morando, negando conſequentiam; requiritur enim ad ſcientiam materia neceſſaria; & non efficienda ab ipſa ſcientia, ſed ſupponenda eſt.

20. Contra Primò, quia Logicæ materia continet æternam veritatem: ergo nulla reſponſio. Antecedens patet ex rationibus adductis; non enim aliter poteſt eſſe hæc veritas, nempe quod poſitis præmiſſis ſequatur concluſio; quod poſitis præmiſſis neceſſariis inferatur concluſio neceſſaria, & probabilis ex probabilibus, &c. Tum quia neceſſitas illationis non venit ab exiſtentia rei in materia, vel in anima, vt aduertit Seraphic. Doct. citatus *in Itiner. ment.* ſed ab exemplaritate diuina cognoſcente talem veritatem, & connexionem, ſecundùm quam res habent talem aptitudinem, quam Scotiſtæ appellant potentiam logicam.

Contra Secundò, quia confectio ſyllogiſmi eſt per accidens ad Logicam, ſpectatque ad vtentem, vt infrà patebit.

Probatvr ſecunda pars de Logica vtente paſſiuè ſumpta, quod ſit ſcientia. Talis habitus eſt, qui tribuit modum aſſequendi veritatem in ſcientiis: ſed conſiſtit in cognitione ideali ipſius Logicæ: ergo ſi docens eſt ſcientia, & hæc erit ſcientia. Vnde ſuperaddit tantùm Logicæ docenti vt ſic applicationem ipſius cæteris ſcientiis: quare potiùs deberet dici Logica vſa, ſeu vſus habitus: & hinc Logica dicitur ſcientia communis, & vniuerſalis.

Probatvr Tertia pars de Logica vtente actiuè ſumpta, quod ſit ars: nam hæc nihil aliud eſt, niſi vſus in actu exercito confectionis definitionis, diui-

ſionis

ſionis, & ſyllogiſmi : ſed per id acquiritur habitus, & aſſuefactio : ergo datur habitus intellectualis diſtinctus à docente : & non poteſt eſſe ſcientificus, cùm ſit de ſingularibus, & operabilibus : ergo erit ars ; ars enim verſatur circa ſingularia, & circa rem à nobis operabilem : ergo & hæc erit ars, nempe liberalis.

RESPONDET Morandus hîc *q.* 4. negando paritatem de artibus, & de Logica : nam in artibus diuerſus habitus exigitur in cognitiua, & factiua : at in Logica nequaquam, cùm inſit in intellectu, in quo idem habitus ſufficit & ad docendum, & ad efficiendum : & hinc Logica nullo modo erit ſcientia.

CONTRA : Diuerſitas habituum non deſumitur ex hoc, quod ſubiectentur in diuerſis potentiis ; ſed vt aduertit S. Bonau. *lib.* 4. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 5. *in corp.* & *diſt.* 28. *dub.* 1. & *lib.* 3. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 1. prouenit ex multiplici indigentia, & difficultate, quam habet potentia : at imbutus regulis logicalibus adhuc habet difficultatem in earum applicatione, & vſu ; quod patet in Tyronibus : ergo Logica vtens eſt habitus diſtinctus à docente, quia nouam facilitatem tribuit.

EX quibus patet differentia inter Logicam vtentem, & cæteras artes : nam artes, ſaltem plures, dirigunt ad opus idealiter tantùm, & non eliciatiuè ; non enim ars ſaltandi efficit ſaltum : at Logica & importat habitum doctrinæ, & habitum aſſuefactionis, &c. ſicque meritò diuiditur in plures habitus.

OBIICIES Primò ex Ariſtot. 2. *Met. cap.* 15. Abſurdum eſt velle addiſcere ſimul ſcientiam, & modum ſciendi : ſed Logica eſt modus ſciendi : ergo non eſt ſcientia.

22. RESPONDETVR, Ariſtotelem hîc per ſcientiam intelligere Metaphyſicam, loquiturque contra eos, qui abſque Logica volebant addiſcere Metaphyſicam. Vnde nihil contra nos ; intendebat enim docere, eſſe neceſſarium addiſcere priùs modum ſciendi, nempe Logicam.

RESPONDETVR Secundò, Logicam eſſe modum ſciendi, diſtinguo ; formaliter, & ſecundùm ſuam entitatem, nego ; materialiter obiectiuè, concedo : eſt enim ſcientia de modo ſciendi.

INSTAS, S. Bonau. *in opuſc. Principium ſacr. Script.* & *in ſerm.* 4. *Hexaëm.* collocare Logicam in numero Facultatum rationalium ſimul cum Grammatica, & Rhetorica ; aſſerereque potiùs eſſe modum ſciendi, quàm ſcientiam.

RESPONDETVR, Sanctum Doctorem ibi ſumere Logicam vt vtentem ; ſic enim eſt ars liberalis, quatenus procedit modo compoſitiuo per certas regulas, & præcepta ; nec tamen per id tollitur ab ea ratio ſcientiæ, ſicuti eam ſcientiam appellat alibi, vt dictum eſt in textu.

OBIICIES Secundò : Logica eſt inſtrumentum aliarum ſcientarum, quo ſine admoto ad nihil aliud deſeruit ; id enim eſt proprium inſtrumenti : ergo cùm non ſit propter ſe, non eſt ſcientia.

RESPONDETVR negando antecedens abſolutè : Logica enim eſt primò propter ſe, prout eſt docens : eſt autem propter alias ſcientias, prout eſt vtens : propter ſeipſam autem inſeruit ad informandum intellectum pluribus veritatibus, vt quid ſit definitio, oratio, &c.

OIICIES Tertiò : Logica non eſt facultas realis : ergo non eſt ſcientia ; eſt enim rationalis, & de definitione, diuiſione, & argumentatione, quæ ſunt ſe-

cundæ intentiones. Patet conſequentia, quia ſcientia debet eſſe realis, & de obiecto reali.

23. Respondetvr, ſcientiam aliquam dici rationalem tripliciter: Primò ſubiectiuè, quatenus ſubiectatur in ratione: Secundò, provt eſt directiua rationis, idque competit cuicunque ſcientiæ: Tertiò, quatenus conſiderat ens rationis, & id eſt proprium Logicæ; per id tamen non impeditur, quin ſit ſcientia realis, quia eius obiectum non eſt fictitium, vt eſt chimæra; ſed eſt cum fundamento in re, propter quod continet eius obiectum æternam veritatem, & neceſſitatem: quæ doctrina eſt Seraph. Doctor. *in Itiner. ment. c. 3.*

Obiicies quartò: Logica conficit ſuum obiectum, item & conſiderat proprietates ipſius, probatque mediante ſuo fine, ideſt mediante confectione ſui finis, ſcilicet ſyllogiſmi: at hoc eſt proprium cuiuſcunque artis; ſic enim domificator habet ſuas demonſtrationes, ſed ordinatas ad opus: ergo vel Logica eſt ars, vel quæcunque ars erit propriè ſcientia.

Respondetvr hoc eſſe principalius argumentum Morandi, & aduerſariorum; ſed nihil probans contra nos. Vnde reſpondetur, quod Logica, vt docens, conſiderat ſuum finem vt faciendum, diſtinguo, ita vt conſiſtat in pura confectione ſui obiecti, nego; ita vt ipſa cognitio in theorica ſit cognitio ipſa veritatis, contemplatioque pura naturæ obiecti, eiuſque proprietatum, concedo. Vnde ſi ordinatur ad opus, ei eſt per accidens, vt rectè docet S. Bonauentura citatus, & id patet in mathematicis, in confectione anguli, trianguli, in numeratione, menſuratione, &c. quæ edocentur in ipſis, nec ob id extrahuntur à ratione ſcientiæ, quia talis confectio ſpeculata eſt medium ad veritatis, naturæ, definitionis, & argumentationis contemplationem. Sic & ſyllogiſmi confectio ſpeculata eſt medium faciens ſcire, quid ſit obiectum, quænam eius proprietates, principia, &c.

Obiicies quintò: Idem habitus non poteſt eſſe ſimul ſcientificus, & non ſcientificus: ergo nec Logica. Probatur conſequentia, quia Logica docens, & vtens conueniunt in vnica ratione vniuoca: ergo eſt idem habitus eſſentialiter.

Respondetvr negando conſequentiam. Ad probationem, negando antecedens: ſunt enim duo habitus analogicè tantùm conuenientes: vnus eſt propter ſe, alius propter aliud.

Obiicies ſextò: Si Logica eſt ſcientia: ergo eius actus pariunt ſcientiam: ſed hoc eſt falſum. Probatur minor. Actus Logicæ ſunt cognitiones illatæ in *Barbara:* ſed ſyllogiſmus hîc, v. g. *Omnis canis eſt aſinus: Omnis homo eſt canis: Ergo eſt aſinus,* inducit in errorem. Ergo.

Respondetvr cum doctiſſimo Maſtrio hîc, quod concluſiones Logicæ poſſunt conſiderari & quoad conſequens, & quoad conſequentiam. Primo modo reſpiciunt materiam; ſic non pariunt ſcientiam: Secundo modo reſpiciunt formam, quæ edocetur in Logica, nempe rectè diſpoſitis terminis, & præmiſſis, verè, & neceſſariò quoad formam inferri concluſionem; & hoc ſecundo modo, & in argumento allato pariunt ſcientiam: ſic negatur conſequentia.

Obiicies ſeptimò: Logica vtens cauſat ſcientiam; Philoſophia enim adquiritur mediâ Logicâ vtente: ergo eſt ſcientia. Patet conſequentia, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Respon

RESPONDETVR, Logicam vtentem cauſare ſcientiam inſtrumentaliter, non formaliter, & effectiuè: ſcientia enim formaliter cauſatur à propriis principiis medio inſtrumento Logicæ. Et ad illud axioma Ariſtotelicum reſpondet S.Bonauent. *lib.* 3. *diſtinct.* 32. *quæſt.* 6. verificari per ordinem ad cauſam principalem, non inſtrumentalem.

QVÆSTIO IV.

An Logica ſit Scientia practica, an ſpeculatiua.

24. SVPPONIT titulus quæſtionis id, quod ab omnibus admittitur, nempe ſcientiam adæquatè diuidi in ſpeculatiuam, & practicam: illa eſt, quæ ſiſtit in contemplatione ſui obiecti: iſta quæ extenditur ad opus. Hinc quæritur, an Logica ſit practica, an ſpeculatiua ſcientia.

PRIMA opinio eſt excludentium eam à choro ſcientiarum, vt diximus, & ob id negantium eſſe ſiue ſpeculatiuam, ſiue practicam. Doctiſſimus Morandus tamen licèt neget eſſe propriè ſcientiam, tamen eam vult eſſe habitum practicum, quod non videtur ſatis conforme iis, quæ tradidit *quæſt.* 3. dum excludit Logicam à choro facultatum ſcientificarum; ſed vult eſſe merè inſtrumentarium.

SECVNDA opinio docet, eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam. Ita Suarez Met. *diſput.* 44. *in fine*, Vaſquez *part.* 1. *diſputat.* 8. *capite* 5. & *diſp.* 9. *cap.* 3. Ruuius, Hurtadus, aliique.

TERTIA opinio ſuſtinet eſſe practicam. Sic Nominales, aliique apud Meldul.

QVARTA docet eſſe ſpeculatiuam. Sic S. Bonauentura, D. Thom. Scotus, aliique plurimi. Pro ſolutione quæſtionis,

PRIMÒ Notandum, quod cùm ſcientia practica ſit illa, quæ verſatur circa praxim, hîc eſt quæſtio inter Philoſophos, quid ſit propriè praxis? Aliqui enim ſuſtinent, praxim etiam dici de operatione intellectus. Sic Suarez *Met. diſput.* 44. *ſect.* 13. *num.* 20. Arriaga, Molina, Gregor. aliique. E contrà alij cum Sancto Bonauentura, & Scoto, eſſe tantùm operationem, ſiue elicitam, ſiue imperatam à voluntate: & iure merito; nam vt optimè docet ex Ariſtot. S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& quæſt.* 3. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 40. *artic.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2. & *lib.* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *quæſt.* 3. *ad* 5. & *lib.* 3. *diſtinct.* 23. *artic.* 1. *quæſt.* 1. & *in comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 47. intellectus ſit practicus extenſione, ſcilicet extendendo ſe extra ſe ad praxim, ob idque ad opera voluntatis; & hinc Praxis à Scoto definitur, *Operatio alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter poſterior intellectione, nata elici conformiter rectæ rationi.* Sic Scotus *lib.* 1. *quæſt.* 4. *prol.* quod & mutuauit à Seraphico Doctore ſuprà citato.

VT autem pateat hæc veritas, ſubdit Seraphicus Doctor *lib.* 1. *quæſt.* 3. *prol.* hanc notabilem doctrinam. Habitus ſcientiarum (ait ipſe) adinuenti ſunt ad dirigendum intellectum, ne erret in ſuis actibus: poteſt autem errare tripliciter. Primò in ſe ſiſtendo; & ad hoc inuentæ ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ: Secundò, prout extenditur ad opera naturalia voluntatis, ſiue elicita, ideſt immediatè ab ipſo producta; ſiue imperata, ideſt producta ab alia potentia ex imperio voluntatis: in-

telligę ex ſua primaria ratione, & ob id capacia bonitatis, & malitiæ: & ad hoc adinuentæ ſunt ſcientiæ morales. Tertiò extendendo ſe ad opera ſupernaturalia; & ad ea eſt data cognitio veritatum Theologicarum. Quare ſequitur, quod intellectus ſolùm ſit practicus, dum ſe extendit ad opera voluntatis, & quod praxis ſit operatio elicita, vel imperata voluntatis.

25. SECVNDÒ Notandum, quod ſcientia ſpeculatiua, & practica in aliquibus conueniunt, & in aliis differunt. Conueniunt in hoc, quod ambæ ſpectant ad intellectum, & ſunt habitus intellectuales.

DIFFERVNT poſteà primò, quòd ſpeculatiua habet pro fine intrinſeco, & obiecto formali ſolam contemplationem veritatis: Practica verò tendit ad opus ab ipſa directum, vt rectè efficiatur. Secundò ſpeculatiua procedit viâ cognitiuâ tantùm; practica verò modo operatiuo. Vnde licèt aliqua ſcientia ſpeculatiua agat de re operabili, vt Geometria de figuris; tamen quando non procedit modo operabili, vel operatiuo, hoc eam non extrahit à numero ſpeculatiuarum; nam conſtructio talium operationum, vel vt meliùs dicam, notitia talis conſtructionis eſt ob contemplationem veritatis; & non è cõtra; cognitio talis veritatis eſt ad opus efficiendum. Practica verò docet quidem modum operandi, ſed tamen procedit modo operabili. Sic Ethica v.g. docet modum rectè operandi, & virtuosè: & dum docet, virtuosè etiam operatur.

ET hinc communiter dicitur, quod principia ſpeculatiuæ ſcientiæ ſunt reſolutiua, quia ſolùm reſpiciunt veritatem; quod fit per reſolutionem in ſua principia: principia verò practicæ procedunt modo compoſitiuo, quia reſpiciunt veritatem ponendam in praxi per opus morale. Sic S. Bonauent. *in comp. Theol. lib. 2. cap.* 47.

DOCTISSIMVS Pater Gallicius noſter digniſſimus Religionis noſtræ Generalis, in ſua Logica hanc vnicam regulam verè dignam tradit dignoſcendi differentiam inter vtramque; nempe quando error dimanans ex carentia habitus præcisè remanet in intellectu, veritatique ſoli opponitur, tunc ſignum eſt, quod habitus oppoſitus eſt ſpeculatiuus. Quando verò error eſt in intellectu, non ſolùm in ordine ad veritatem, ſed etiam circa opus, tunc ſignum eſt ſcientiæ practicæ. Cùm igitur Logica omnia ſua de ſe, & ex natura ſua ordinet ad veritatem dignoſcendam, ſequitur quod ſit ſpeculatiua. His præmiſſis ſit,

26. PRIMA CONCLVSIO: Logica non eſt ſimul practica, & ſpeculatiua. Probatur. Duæ differentiæ oppoſitæ, vel duæ proprietates eſſentiales oppoſitæ non poſſunt ſimul conuenire eidem ſubiecto: ergo nec ratio practicæ, & ſpeculatiuæ.

RESPONDET Ruuius concedendo antecedens de ratione practicæ, & ſpeculatiuæ in ordine ad ſcientiam inferiorem; negando in ordine ad ſuperiorem, ſcilicet quando aliqua ſcientia habet aliquam vniuerſalitatem obiecti eminenter continentis inferiora aliarum, vel ingredientis in aliis ſcientiis, vt eſt Logica: tunc enim ei competere poſſunt ambæ rationes.

CONTRA: Duæ differentiæ oppoſitæ non poſſunt eidem ſimul conuenire: ergo nulla reſponſio. Confirmatur, quia una ſcientia ſpeculatiua nunquam poteſt fieri idem cum alia ſpeculatiua, ob diuerſitatem obiectorum formalium: ergo multò minùs practica, & ſpeculatiua.

RESPON-

Respondet Ruuius, quod licèt iſtæ differentiæ ſint tales in inferioribus, tamen poſſunt conuenire in aliquo ſuperiori: & probat à ſimili de rationali, & irrationali conuenientibus in animali; de vegetatiuo, & ſenſitiuo in rationali.

Contra, quia non valet paritas, nec eſt apta ſimilitudo. Probatur, quia aliud eſt plura prædicata inferiora connenire in tertio, quia non ſunt oppoſita; aliud quod duæ differentiæ oppoſitæ ſpecificæ conueniant formaliter, *vel eminenter in vnum tertium, ipſum conſtituendo in eſſe: hoc enim eſt impoſſibile, & contradictorium; ſunt enim ex principiis oppoſitis.

27. Secunda Conclusio: Logica eſt ſcientia ſpeculatiua. Infertur ex doctrina allata ex S. Bonauent. citato: eſt & aliorum ſuprà citatorum. Probatur primò ex Seraphico Doctore *in op. de reductione artium*, & *ſerm.* 1. & 4. *Hexaëm.* Logica illuminat intellectum ad cognoſcendas rationes ſciendi, ſcilicet veritatem, & naturam definitionis, diuiſionis, & argumentationis, non minùs quàm Phyſica ad cognoſcendas rationes eſſendi: ſed iſta ob id eſt ſpeculatiua: ergo & Logica. Probatur ſecundò, & confirmatur: Logica dirigit intellectum, vt ſine errore cognoſcat veritatem in quacunque materia: tum quia conſiderat ſolùm naturam obiecti ſui: tum quia actus Logicæ non ſunt praxis, ſed ſunt operationes intellectus ex ſua ratione primaria, & non imperati à voluntate: ergo eſt ſpeculatiua.

Respondet Vaſquez cum aliquibus aliis, quod etiam actus Logicæ ſunt imperati à voluntate, ob idque praxis.

Sed verè reſponſio non eſt ad rem, vt etiam aduertit doctiſſimus Meldul. Nam ſequeretur, non dari vllam ſcientiam ſpeculatiuam, omnes enim ſunt imperatæ à voluntate: ſed cùm tale imperium ſit eis quid conſequens, & ſecundarium, non ex primaria & naturali ipſorum actuum inſtitutione, vti accidit in actibus Philoſophiæ moralis, hinc nec eis imperium voluntatis officit.

Probatur Tertiò: Ideo in Mathematicis, quæ ſunt omnes ſpeculatiuæ, conſtructio alicuius operis, putà trianguli, aſtrolabij, non extrahit eas à ratione ſcientiarum ſpeculatiuarum, quia talis operis conſtructio ordinatur ad cognoſcendam, & ſpeculandam veritatem, naturamque talium operum: ſed Logica dirigit operationes intellectus, & dirigendo conficit etiam definitionem, & argumentationem, non vt operetur, ſed vt rectè cognoſcatur natura talium inſtrumentorum, vt v.g. quod definitio explicat naturam rei, quod poſitis præmiſſis ſequitur neceſſariò concluſio: Ergo & ipſa eſt ſpeculatiua.

Obiicies Primò cum Ruuio, & Suarez contra primam concluſionem: Logica eſt organum, & ianua omnium ſcientiarum: ergo debet participare de natura ipſarum. Probatur conſequentia: Logica eſt ſcientia communis: ergo virtualiter includit rationes inferiorum ſcientiarum.

28. Respondetur concedendo antecedens, negando conſequentiam ex rationibus adductis in prima concluſione. Ratio tamen potiſſima eſt, quia etiam prout tribuit modum ſciendi practicis, ordinatur ad habendam veritatem, non ad operandum. Patet hoc exemplo. In morali Philoſophia Logica dirigit hanc argumentationem: *Omnibus Prælatis eſt obtemperandum: ergo Prælato eſt obtemperandum.* Finis Logicæ primò, & per ſe non eſt actus obedientiæ

dientiæ exhibendus, quia eſt finis Ethicæ, vel Politicæ; ſed eſt certa cognitio huius concluſionis, prout verè deducta eſt ex ſuis præmiſſis.

Obiicies ſecundò contra ſecundam concluſionem cum Nominalibus, & Morando: Logica eſt de re operabili, & procedit modo operatiuo, & compoſitiuo: Ergo eſt practica.

Respondetur primò, tranſeat antecedens de Logica vtente, negando de docente.

Respondentur ſecundò negando antecedens, & conſequentiam, quia etiamſi eſſet de re operabili, vt eſt Logica vtens, tamen adhuc non eſſet ſcientia practica, cùm non verſetur circa opera voluntatis; ideo diximus Logicam vtentem eſſe artem liberalem, non ſcientiam.

Obiicies tertiò: Logica reſpicit operationes, vt practicè dirigibiles; tradit enim præcepta, ne intellectus erret in conficiendo inſtrumenta logica: ergo eſt practica.

Respondetur primò negando conſequentiam ob rationem ſuprà adductam.

Respondetur ſecundò: Practicè dirigit operationes, & ſpeculatur, ne erret in ſuis operationibus ipſe intellectus ex parte obiecti, & ad fugiendam ignorantiam, concedo; ſed hæc directio eſt ſpeculatio, ideſt directio ſe tenens ex parte operis, & ordinata ad efficientiam, & exiſtentiam obiecti, nego. Sic etiam Geometria verſatur circa res operabiles ex parte obiecti cogniti, non ex parte operis efficiendi executiuè; nihil enim circa obiectum operatur, ſed tantùm eius cognitio verſatur circa opus ipſum cognitum, & contemplatum, licèt operabile. Sic logicalia præcepta non introducunt executiuè formam in materiam, ſed ordinantur ad ſolam veritatem contemplandam.

Obiicies quartò: Operationes intellectus ſunt capaces bonitatis, & malitiæ, quatenus ſunt imperatæ à voluntate: ergo per tale imperium fiunt practicæ: ſed Logica imperatur à voluntate. Ergò.

Respondetur, eſſe diſſenſionem inter eoſdem Scotiſtas, an actus intellectus imperati à voluntate ſint propriè praxis? Negant Rada, Tartaret. Baſſol. Vulpes. Affirmant alij apud Meldul. idemque docet S.Bonau. *lib.3. diſt.23. art. 1. quæſt.2.* qui ibidem notat, quod tunc actus intellectus erit propriè practicus, quando ſe vnit cum voluntate ſecundùm operationes, quæ ſunt capaces bonitatis, & malitiæ moralis: & hinc verificatur tantùm de actibus ſecundariis, & reflexis intellectus, non de primis; quorum finis intrinſecus eſt pura veritas. Cùm autem Logica dirigat de ſe ipſos actus primos in ordine ad veritatem, hinc reſpondetur tale imperium aduenire ipſis per accidens: ſic negatur conſequentia.

Ex quibus patet, quod ſi praxis in rigore ſumitur, Logica verè non eſt practica, ſed ſpeculatiua: ſi verò largè ſumitur pro omni operatione directa, vel dirigibili, poteſt dici practica per quandam analogiam.

QVÆSTIO V.

An Logica ſit vnus ſimplex habitus.

29. Nominales ſuſtinent eſſe vnam per aggregationem tantùm.

Thomistæ eſſe vnam ſpecie.

S. Bonaventura verò, Scotus, aliique, eſſe vnam genere. Pro ſolutione quæſtionis

Primò

PRIMÒ ſupponendum, dari triplicem vnitatem, genericam, ſpecificam, & numericam.

PRIMA eſt, in qua genericè conueniunt plures ſpecies, vt animal, in quo conueniunt homo,leo,&c. Secunda,in qua plura indiuidua ſpecifica conueniunt in vna ſpecie, vt Petrus, Paulus, &c. conueniunt in homine.Tertia in qua indiuiduum eſt vnum numero, vt Petrus.

SVPPONENDVM ſecundò, vnitatem ſcientiæ aliam eſſe intrinſecam,quæ deſumitur à propria differentia conſtitutiua: aliam eſſe extrinſecam, quæ deſumitur ab obiecto formali totali adæquato. His poſitis, ſit

30. PRIMA CONCLVSIO: Logica eſt vna ſpecie,ſi ſumatur ſecundùm propriam rationem intrinſecam: & patet, quia ſcientia, vt genus, diuiditur in varias ſcientias differentes ſpecie, v.g. in Metaphyſicam, Phyſicam, Logicam, &c.

SECVNDA CONCLVSIO: Si Logica conſideretur per ordinem ab obiectum formale, eſt una genere. Infertur ex S. Bonauent. *lib.*4. *diſt.*14. *part.* 1. *art.*2. *quæſt.*1. *in fine*, eſt & Scoti, & ſequacium.

PROBATVR ex doctrina, quam ſæpe tradit Seraphicus Doctor, præcipuè *lib.*3. *diſt.*27. *art.*1. *quæſt.* 1. & 2. & *diſt.*9. *art.*2. *quæſt.*4. *fund.*3. & *lib.*2. *diſt.* 28. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 4. & 5. & *lib.*2. *diſt.*27. *art.*1. *quæſt.* 1. *ad vlt.* & *lib.* 1. *quæſt.* 1. *in prol.* Vnitas habituum deſumitur per ordinem ad obiectum formale: ſed obiecta Logicæ ſunt diuerſa ſpecie in vnam rationem genericam conuenientia, ſcilicet in ratione modi ſciendi: Ergo. Differunt enim ſpecie definitio, diuiſio, & argumentatio.

PROBATVR ſecundò, quia quælibet concluſio differt ſpecie ab alia diuerſi obiecti.

ADDIMVS tamen ex doctrina Seraphici Doct. *lib.*3. *diſt.*26. *art.*1. *quæſt.*2. *ad* 1. & *lib.*1. *quæſt.* 1. *prol. in corp.* hanc vnitatem Logicæ, ſicut & aliarū ſcientiarum,non eſſe per modum actus,& potentiæ, ſed tantùm ordinis: ob idque ſcientia eſt potiùs totum integrale.

31. OBIICIES primò: Si Logica eſt vna genere: ergo non poteſt dici una ſpecie.

RESPONDETVR negando ſequelam; vnitas enim illa diuerſa eſt penes diuerſas rationes,vt dictum eſt: ſpecifica enim eſt intrinſeca, generica eſt extrinſeca.

OBIICIES ſecundò: Obiectum Logicæ continet vnicam rationem aſſentiendi in ordine ad intellectum: ergo non eſt vna genere per ordinem ad obiectum.

RESPONDETVR negando antecedens; eſt enim diuerſitas in ratione formali definitionis, & argumentationis, & diuiſionis.

OBIICIES tertiò: Scientia eſt vna ſpecies qualitatis: ergo & vna ſpecie.

RESPONDETVR concedendo antecedens de ſcientia partiali, negando de totali.

OBIICIES quartò: habitus partialis primus reddit expeditam potentiam ad alios aſſequendos: ſed ille eſt vnus ſpecie: ergo & tota Logica.

RESPONDETVR per illum habitum partialem aquirere potentiam facilitatem indeterminantè ad alios actus, non verò determinatè. Vnde non tollitur omnis difficultas per vnicum habitum partialem.

ET hæc de quæſtionibus proœmialibus Logicæ,ad gloriam Dei,Beatæ Virginis Immaculatæ,& Seraphici Doctoris Sancti Bonauenturæ.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS I. LOGICÆ,

Qui eſt de Ente Rationis.

DE Ente Rationis tractat Metaphyſichus per reductionem ad Ens reale : & licèt excludamus à ratione obiecti adæquati Logicæ ipſum ens rationis ; tamen quia , vt diximus , valde inſeruit faciliori cognitioni Scientiarum, hinc primo loco ante omnia hunc Tractatum de Ente Rationis ad mentem Seraphici Doctoris inſtituimus.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. QVIA triplex eſt veritas in vniuerſum, ſcilicet rerum, ſignorum, & morum : Prima eſt in rebus : Secunda eſt in intellectu : Tertia in rectitudine vitæ. Prima conſideratio propriè ſpectat ad Philoſophum naturalem : Secunda ad Logicum : Tertia ad Ethicum. Quia tamen res inuolvitur in ſigno, eſt enim nomen æquiuocum, & commune ad ens reale, & ad ens rationis ; hinc & Logicus etiam verſatur circa rem. Res autem poteſt ſumi prout dicitur à *ratus , rata , ratum :* vel à *reor , reris.* Si primo modo ſumatur, ſignificat rem extra animam, ſcilicet habentem ratitudinem, & exiſtentiam realem vel de ſe, vel in alio. Si ſecundo modo, ſignificat rem dupliciter, vel ſecundùm modum, per quem fit apud animam, vel ſecundùm proprietatem, quæ ineſt ei ab actibus animæ, qui ſunt ſubjicere, prædicare, componere, & diuidere. Primo modo accipit anima rem per modum entis , & hoc modo ipſam nominat per primas intentiones : Secundò eam nomi-

nat

Digitized by Google

nat per intentiones ſecundas, vt per genus, ſpeciem, &c. *Serm.* 4. *Hexaëm. &* 5. *&* 7. *& lib.* 1. *diſtinct.* 25. *dub.* 3. *& lib.* 2. *diſtinct.* 37. *dub.* 1.

B. SECVNDVM autem modum diuerſum, per quem res fit apud animam, oriuntur nomina varia nominantia ipſam rem per modum entis, & per tales modos fiunt prædicationes; idque vel per nomina primæ, vel ſecundæ intentionis. Nomina primæ intentionis exprimunt res, ſicuti ſunt, vt *Homo*, *Animal*: nomina ſecundæ intentionis exprimunt res ſecundùm proprietatem, quæ ineſt eis ab actibus animæ, vt eſſe ſubiectum, prædicatum, propoſitionem, ſyllogiſmum, genus, ſpeciem. Dupliciter autem hæc operatio intellectualis poteſt euenire; vel enim eſt cum deordinatione, monſtruoſitate, falſitate, & fictione; idque fit per intellectum phantaſticum, vt eſt chimæra, ſeu ens rationis ſine fundamento: ſic idola coluntur pro Deo, ſic Lucifer appetiit ſimilitudinem Dei.

VEL eſt ſine tali deordinatione; ſed fictio eſt facta ab intellectu, tum ob perfectionem rei cognitæ, tum ob imperfectionem ſui non valentis vnico conceptu intelligere rem, vel eam exprimere, ſicuti eſt. Sic diſtinguimus bonitatem à ſapientia Dei; ſic animal ab homine in eius definitione. *Locis citatis ſuprà, & lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. *&* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. *&* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& quæſt.* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 12. *& lib.* 1. *diſtinct.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& lib.* 1. *diſt.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & ad vltim. & lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 2.

C. IN quo ſecundo modo intellectus non eſt falſus; quemadmodum enim abſtrahens lineam à materia non eſt falſus, quia modum illum non ponit circa rem, ſed circa ſuum intelligere: ſic intellectus intelligit res, quæ ſunt vnum, vt diſtinctas, vel diſtinctas vt vnum: tunc ponit compoſitionem, vel ſimplicitatem circa ſuum intelligere, & exprimere; non enim poteſt exprimi talis ſimplicitas niſi per compoſitionem rationis, quæ fit cum fundamento in re. *Locis citatis ad lit. B.*

D. FORMATIO autem entis rationis quæcunque fit per comparationem ad ens reale, ad cuius ſimilitudinem effingitur: omne enim, quod videtur ab anima, aut videtur per ſui eſſentiam, aut per ſui ſpeciem, aut alienam. Et quia virtute ſpecierum, quas habet, poteſt facere, & fingere nouas res, vt patet in ſomniis, & de chimæra, &

hircoceruo; ſic ens rationis fit hoc vltimo modo, ſcilicet vel cum fundamento, vel ſine fundamento. Quare hic modus cognoſcendi res ſimplices per modum complexionis, cùm non poſſit cadere in Deo ex parte obiecti, & modus cognoſcendi res complexas per modum ſimplicem non poſſit cadere in ipſa obiecta, neceſſariò cadit in intellectu, & ob id oportet, vt concurrat talis fictio: & cùm cognoſcere tali pacto non ſit omninò actus virtutis, nec omninò actus imperfectionis, hinc non poteſt cadere in Deo, nec in anima ſenſitiua, nec forſan in ſuprema, ſcilicet beata, vel angelica; ſed bene in noſtra. *Locis cit. & lib.1. diſt. 41. art. 2. q.1. & lib.2. diſt.3. part.2. art.2. q.1. in fine corp. & ad 1. & lib.1. diſt.46. art. 1. quæſt. 4. ad 3. & lib. 3. diſt. 23. dub. 4. & lib.3. diſtinct.37. dub.1. & lib. 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 1. ad 2.*

E. An verò ab aliis potentiis poſſit fieri talis complexio ficta? eſt in quæſtione. Dico autem id eſſe conceſſum voluntati; Lucifer enim appetiendo omnimodam ſimilitudinem Dei, appetiit non ipſam, ſed ſuam fictionem: tum quia voluntas habet vim collatiuam per ordinationem ad aliud, quieſcendo ibi, vel aliud intendendo, ſcilicet præfigendo ſibi finem præfixum, & apparentem; & hoc eſt vti fruendis, & frui vtendis: in quo eſt ratio peccati. *Lib. 2. diſt. 5. art. 1. quæſt. 2. & lib.1. diſtinct.1. art.1. quæſt.1. in corp. & ad 3. & lib.2. diſt. 7. part.1. art.1. quæſt.2. ad 7. & part.2. art.1. quæſt.2. & lib.2. diſtinct. 25. part. 1. art,1. quæſt. 5. ad 3. & 9. & comp. Theol. lib. 2. cap. 34. Itiner. ment. cap. 2.*

F. Necessariò enim in efficiendo ens rationis requiritur aliqua comparatio cum ente reali, quia debet effingi neceſſariò ad ſimilitudinem entis realis, vt ſuprà dictum eſt: ob idque aliqua collatio inter ipſum *quo*, & *quod*, & inter aliquod ens verum, & id, quod effingitur. *Lib.1. diſt.27. art.1. quæſt.3. & lib.1. diſt.46. art.1. quæſt.4. ad 3. & aliis locis citatis ſuprà.*

G. Dvplex tamen comparatio inuenitur. Altera per diſcurſum ab vno in aliud, eſtque perfecta, & ſucceſſiua. Altera eſt per comparationem duorum ſecundùm aliquem reſpectum, poteſtque eſſe plurium in vno inſtanti, & vnico actu. *Lib. 4. diſtinct. 16. part. 1. art. 1. quæſt. 4. ad 5.*

H. Addimvs, quod cùm ſenſus interni poſſint errare circa propria obiecta ſenſibilia, iudicareque eſſe alterius, quod ſuum eſt, vt patet in phreneticis, & in immutationibus, quæ ope Dæmonum fiunt, nec

nec in iſtis poteſt negari aliqua vis collatiua, & dijudicatiua, ob idque & entis rationis effictio. *Lib.* 2. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſtione* 3. *ad* 1. *& comp. Theolog. lib.* 2. *capite* 37. *& deinceps, & Itiner. ment. cap.* 2.

I. Et cùm aliqualis deceptio interueniat etiam in ſenſibus externis patet & ipſos poſſe idem aliqualiter facere; & hoc quia in ſenſu corporeo adeſt vis receptiua ratione organi, & etiam iudicatiua ratione virtutis animæ, in coexiſtentis. *Lib.* 2. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 7. *& part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& Itiner. ment. cap.* 2.

Scholium ad Textum Seraphicum.

Primò Nota, Seraph. Doct. nunquam vti hoc vocabulo *Entis rationis*, ſed aliis æquiualentibus, v. g. res facta ab actibus animæ, fictio, error, deceptio, ens phantaſticum. Quare licèt in textu poſitum ſit hoc vocabulum Ens rationis, id factum eſt ad maiorem explicationem.

Secvndò Nota *ad literam A*, quod tripliciter S. Bonau. conſiderat rem, ſcilicet vel ſecundùm ſuam entitatiuam exiſtentiam, vel ſecundùm modum, per quem res reales fiunt apud animam, ideſt prout in anima recipiuntur earum ſpecies, vel prout intelliguntur obiectiuè; ex qua cognitione reſultant primæ intentiones, in quo ſenſu dixit Ariſtoteles 3. *de anima text.* 18. intellectum poſſibilem fieri omnia. Tertio modo oriuntur ens rationis, & ſecundæ intentiones; nam intellectus, poſtquam ipſas res recepit intentionaliter in ſe, eas comparat inter ſe, & comparando imprimit in eis proprietates cauſatas in rem cognitam, ſcilicet per ſubjicibilitatem, & prædicationem fiunt ſubiecta, prædicata, genera, & ſpecies. Vnde in ſecunda comparatione eſt tranſitus à re ad animam: in tertia eſt ab anima ad res. In ſecunda res cognita eſt prima intentio, quia eſt obiectum intellectionis primæ, ideſt ſimplicis apprehenſionis: in tertia res ſubiectum eſt ſecundæ intentionis receptæ ab actu animæ comparantis. In ſecunda res habet rationem obiecti motiui: in tertia habet rationem ſubiecti recipientis proprietates ab actu animæ.

Tertiò Nota *ad literam B*, quod Seraphicus Doctor duplex ens rationis ſupponit: alterum, quod fit per intellectum phantaſticum: alterum, quod fit cum fundamento in re. Et circa primum aduerte, quod quando dicit Seraphicus Doctor, quod Lucifer appetiit ſuam fictionem, non figmentum, vult dicere, quod cùm intellectus habeat vim componendi incomplexa etiam impoſſibilia, & diuidendi incomplexa; quando componit ea, quæ ſunt impoſſibilia, tunc complexum, quod reſultat, eſt impoſſibile, ob idque nec intelligibile, nec appetibile, cùm ſit nihil; ſed benè ipſa fictio, ideſt ipſa compoſitio, quæ poteſt fieri ab intellectu, & etiam imperari à voluntate, non verò approbari vt vera, vel poſſibilis: vnde licèt apprehendatur, non tamen approbatur ſignificatum

M 2 catum

catum ipſius. Sicque ens rationis chimæricum intelligitur quidem quoad nomen, & quoad quid nominis, & obiectiuè ſimul; non verò quoad rem, & eſſe rei, quod eſt impoſſibile, & falſum: & ſic compoſitio remanet in mente, non in obiecto reali, nec in ſignificato, vt centaurus: & ſecundùm primam rationem ſcilicet ſigni, vera eſt hæc propoſitio, *Chimæra eſt chimæra:* ſecundùm aliam eſt falſa, quia non poteſt eſſe actus indicatiuus, vel approbatiuus circa ipſam

NON euenit tamen idem in ente rationis cum fundamento, quia per illam complexionem, quæ fit ab intellectu, vel per diſtinctionem intellectus nihil falſum iudicat; ſed per id exprimit, quomodo res ab ipſo poteſt percipi, vt dicit S.Doctor *ad literam C.*

QVARTÒ nota, quod ad ens rationis efformandum ſufficit comparatio aliqua imperfecta, quæ fit per ordinem ad ens reale, ad cuius ſimilitudinem fit, vt dicetur in quæſtionibus, in quibus reliqua explicabuntur.

QVÆSTIO I.

An detur Ens Rationis.

1. PRo explicatione tituli ſupponendum primò ex doctrina S.Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 2. & *diſt.* 25. *dub.* 3. nomine entis rationis plura poſſe ſumi: & primò effectiuè, quatenus aliquis actus efficitur à ratione, ſcilicet intellectu, & voluntate: ſecundò ſubiectiuè, quatenus aliquid ſubiectatur in ratione, vt ſunt actus immanentes, nempe intellectiones, volitiones, ſpecies intentionales, habitus ſpirituales, quæ recipiuntur in potentiis ipſa producentibus. Tertiò obiectiuè per modum obiecti cogniti, vel voliti; & hoc eſt duplex: vel enim eſt ita obiectum, vt etiam habet proprium eſſe, vt Petrus, vel paries cognitus: vel ita eſt obiectum, vt nullum aliud eſſe habeat præter objici intellectui, vt chimæra, ob idque eius eſſe eſt tantùm obiectiuum; & de hoc quarto ente rationis tantùm procedit quæſtio; nam alia tria dicuntur tantùm denominatiuè entia rationis, quia ſecundùm ſe ſunt entia realia: circa quam

PRIMA opinio eſt aliquorum apud Meldul. *diſp.* 2. *quæſt.* 1. & præcipuè recentiorum Ieſuitarum, Spinulæ *diſp.* 4. *de Ente rationis ſect.* 2. *art.* 3. & Pallauicini, negantium poſſe dari ens rationis.

SECVNDA opinio eſt communis ferè omnium, D. Bonauent. citati in textu, & infrà citandi, D. Thomæ, Scoti, & omnium ſequacium, & etiam omnium antiquorum, tam Græcorum, & Arabum, quàm Latinorum cum Ariſtotele, diuidi ens in anima, & extra animam; & ob id dari verè ens rationis. Pro qua ſtabilienda,

2. PRIMÒ Notandum, quod Aduerſarij negantes ens rationis, duabus viis procedunt in ſuis fundamentis.

PRIMA eſt dicentium, ens rationis conſiſtere in aggregato rerum inexiſtibilium, quæ ſeorſim ſumptæ ſunt entia realia; vniuntur autem ab intellectu intentionaliter. Quæ vnio, cùm ſit actus intellectus, eſt ens reale, ſicque nihil ſictum in tali aggregatione concurrit: volunt enim ipſam expreſſionem, ſeu verbum mentis eſſe idem formaliter cum ipſo actu cognitionis.

SECVNDA eſt dicentium, illam identitatem, quæ eſt inter duo incompoſſibilia, vt *Homo eſt equus*, non eſſe quid

Digitized by Google

quid ex parte cognitionis, ſed ex parte obiecti; non tamen quid fictum, ſed eſſe veram identitatem, quam intellectus inuenit inter hominem, & animal; ipſamque denominatiuè tantùm attribuit equo: & ſi quis apprehendit Deum album, apprehendit & Deum, & albedinem, & vnionem veram, quæ eſt inter aliquem hominem, & albedinem. Vnde totum ipſum aggregatum poteſt dici ens rationis, ſed impropriè. Ita ex Ouiedo *in Metaph. contr.* 12. *p.* 2.

3. SECVNDÒ Notandum ex S. Bonau. *lib.* 3. *diſt.* 23. *dub.* 4. *verſus finem*, & *lib.* 3. *diſt.* 37. *dub.* 1. & *lib.* 3. *diſt.* 14. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 40. *artic.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in fine corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 1. *diſtinct.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 3. quod cùm intellectus intelligat obiecta per ſpecies, quæ ſunt veluti imagines rerum, hinc etiam poteſt eas ſimul vnire, etiamſi ſint obiecta incompoſſibilia: poteſt & eas multiplicare, diuidendo ea, quæ ſunt vnita, vnumque inſeperabiliter: ex quo oritur poſſibilitas in intellectu faciendi, vel effingendi ens rationis, vti eſt complexum impoſſibile, ad quod concurrunt tria. Primum eſt actus intellectus illa vnientis, vt *Homo eſt aſinus*: Secundum eſt actus apprehenſiuus talis complexi: Tertium eſt actus iudicatiuus de veritate, & falſitate talis complexi, & conſequenter ſecundùm talem reſpectum eſt obiectum intellectus.

Ex quibus ſequitur, quod ſicut tale complexum poteſt apprehendi ab intellectu, ac ſi eſſet poſſibile, licèt ſit impoſſibile; poteſt etiam exprimi ab ipſo per propoſitionem, dicendo, *Hircoceruus eſt chimæra: Homo eſt equus.* Quæ propoſitio, quatenus ſignum eſt, & ſecunda intentio exprimens id, quod intenditur, & concipitur ab intellectu, habet veritatem eſſentialem ſigni ad ſignatum, licèt ei, vt ſumitur primò intentionaliter, deficiat veritas accidentalis, nempe correſpondentia à parte rei. Sic S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 46. *cit.* & *lib.* 2. *diſt.* 37. *quæſt. vlt. in corp.* His præſuppoſitis ſit.

4. PRIMA CONCLVSIO: Quando apprehendo hominem, & leonem identificatos, identitas horum extremorum præcisè non conſiſtit in cognitione, ſed ſe tenet ex parte obiecti. Eſt contra aduerſarios primam viam tenentes, & probatur. Cognitio non ſe tenet ex parte obiecti, eſſet enim obiectum ſui: ſed illa identitas apprehenſa, v.g. dicendo homo eſt leo, ſtat ex parte extremorum, quæ ſunt obiecta cognitionis: ergo & ipſa identitas eſt incluſa in tali obiecto. Confirmatur: Sicut quando affirmo, hominem eſſe rationalem, tunc identitas ſtat ex parte obiecti: ergo & quando dico, *Homo eſt leo.* Tum quia tale iudicium eſt falſum; ſed eſſet verum, ſi identitas ſtaret tantùm ex parte actus intentionalis: Ergo.

5. SECVNDA CONCLVSIO: Hæc identitas ſupradicta non eſt vera, ſed quid fictum. Eſt contra aduerſarios ſecundi modi. Identitas inter animal, & rationale identificat tantùm animal, & rationale, & non hominem, & leonem: ſed identitas apprehenſa inter hominem, & leonem identificat hominem, & leonem: ergo identitas apprehenſa non eſt illa, quæ reperitur inter animal, & rationale. Identitas enim apprehenſa ſtat ex parte obiecti.

RESPONDENT negando minorem; nam identificat tantùm per rationem, vel denominationem hominem, &

leonem, cùm ſit vera illa, quæ eſt inter animal, & rationale.

Contra: Identitas, quæ per rationem identificat hominem, & leonem, apprehenditur per ſeipſam immediatè attingens hominem, & leonem: ergo apprehenditur cum quodam prædicato, ex vi cuius attingit hominem, & leonem immediatè: at hoc prædicatum non reperitur inter rationale, & animal: ergo eſt diuerſa ab identitate, quæ eſt inter hominem, & rationale. Confirmatur: Identitas apprehenſa inter hominem, & leonem ex prædicato eſſentiali, dicendo *Homo eſt leo*, eſt attingentia hominis, & equi; non autem animalis, & rationalis: ergo diſtinguuntur iſtæ identitates eſſentialiter.

Respondent intellectum ſuperaddere veram identitatem homini, & equo.

Contra: Hæc ſuperadditio vnit hominem, & equum priùs non vnitos: ergo hæc vnio eſt quid de nouo: ergo conſtituit eſſentialiter eundem hominem, & leonem ex vi talis modi dicendi. Tum quia illa attingentia eſt impoſſibilis in extremis: ergo eſt quid effictum ex parte obiecti.

6. Tertia Conclvsio: Verè datur ens rationis, quod eſt quid effictum ad ſimilitudinem entis realis.

Probatvr: Tum quia verè dantur actus intellectus falſi, vel quia à parte rei non correſpondent res, vel quia reſpondet obiectum impoſſibile. Tum quia prædicatio duorum extremorum incompoſſibilium, vt *Homo eſt equus*, eſt quid effictum in intellectu ex parte obiecti. Tum quia illa vnio, vel ſaltem applicatio talis vnionis habet tantùm eſſe obiectiuum, & fictum: Ergo. Tum quia intellectus verè concipit priuationes, & negationes ad modum entium poſitiuorum, quæ omnia docet cum communi S. Doctor *lib. 2. diſt. 3. part. 2. art. 2. q. 1. in corp.* & *lib. 1. diſt. 25. dub. 3.* Tum quia, quando aduerſarij negant dari ens rationis, vel negant, quod cognoſcunt, vel loquuntur more pſittacorum. Si hoc ſecundum; ergo indicant de eo, quod non cognoſcunt; quod eſt parum ſanæ mentis: ſed illud cognoſcunt: ergo datur. Probatur Minor: Omne iudicium etiam negatiuum includit conceptum obiecti, de quo fertur iudicium: ſed hoc eſt facere ens rationis: ergo.

Respondent ſe non cognoſcere ens rationis, quia eſt impoſſibile: ſed cognoſcere, quod denominationi extrinſecæ entis rationis, quam & ipſi ſolam admittunt, nihil à parte obiecti correſpondet; & hoc modo negant, quod non cognoſcunt.

Contra, & redit vis ſuprà poſiti argumenti: Si negas actui intellectus affirmantis reſpondere ens rationis: ergo per intellectum ponitur conceptus entis rationis loco illius, quod negas.

Obiicies primò: Ens rationis eſt factum ab intellectu: ergo eſt ens reale; effectus enim cauſæ realis eſt realis.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 25. dub. 3.* ens rationis non habere propriam cauſam effectricem, ſed reſultare ex ipſis actibus intellectus, vt infrà dicetur.

7. Obiicies Secundò: In omni obiecto eſt prius eſſe, quàm cognoſci: ſed ens rationis cognoſcitur: ergo eius eſſe præcedit ad actualem cognitionem: ergo eſt ens reale. Maior probatur, quia cognoſcibilitas eſt paſſio entis realis: ergo.

Respondetvr Primò negando abſolutè maiorem. Ad probationem reſpondetur, cognoſcibilitatem ſequi naturam.

Digitized by Google

naturam entitatis, ipſique proportionari. Vnde cognoſcibilitas entis realis eſt quid reale; cognoſcibilitas entis rationis eſt ens rationis: nam vt ait S. Bonauentura *lib.* 1. *diſtinct.* 36. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. verè cognoſcitur etiam, quod non eſt. Vnde

RESPONDETVR Secundò, in plus ſe extendere cognoſcibilitatem, quàm poſſibilitatem rei, vt rectè docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 42. *artic.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. & *diſtinct.* 45. *art.* 1. *quæſt.* 2. & aliis locis. Vnde ens rationis, licèt nullum eſſe poſſibile reale habeat, tamen verè intelligitur. Ratio eſt, quia in aliquibus entibus intelligibilibus actus eſt de eſſentia rei: ſic verbum mentis non habet eſſe, antequam producatur per actualem cognitionem: ſic ens rationis, dum actu cognoſcitur, & actu fit ſuo modo.

INSTAS: Ens rationis realiter intelligitur: ergo eſt ens reale.

RESPONDETVR realiter, ſi ſtat ex parte cognitionis, concedo; ex parte obiecti, nego: non enim habet cognoſcibilitatem obiectiuam antecedenter realiter: vnde eſt cognoſcibile realiter extrinſecè ratione cognitionis realis, non intrinſecè per propriam cognoſcibilitatem entitatiuam; conſiſtit enim in eſſe repræſentatiuo intentionali terminatiuo cognitionis.

CONTRA: Verè ante quamcunque operationem intellectus ens rationis eſt cognoſcibile, aliàs nunquam poſſet cognoſci, ſi non haberet propriam cognoſcibilitatem: ſed id etiam competit enti reali: ergo.

RESPONDETVR, habere cognoſcibilitatem nominaliter tantùm, & denominatiuè, non formaliter, & entitatiuè antecedenter ad opus intellectus, quatenus eſt tale virtualiter in ſuis cauſis, vt poſſit fingi ab intellectu. Et hac ratione poteſt dici ens rationis æternæ veritatis, quia eſt propoſitio æternæ veritatis, ens rationis eſſe id, quod habet eſſe obiectiuè tantùm in intellectu, quod poteſt fieri per effictionem intellectus, &c. Vide S. Bonauent. *in Itiner. ment. cap.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 36. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. & *diſt.* 46. *quæſt.* 4.

INSTAT Pontius: Ens rationis conſiſtit in actu cognoſci: ſed actualis cognitio eſt ens reale: ergo eſt ens rationis.

RESPONDETVR diſtinguendo ly *actu cognoſci*; ſi ſumitur ſubiectiuè, concedo minorem; ſi ſumitur tantùm obiectiuè, nego minorem: ſenſus enim eſt, non poſſe effingi ens rationis, niſi per actualem cognitionem, quæ ad ipſum terminet.

8. OBIICIES Tertiò: Nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu: ſed ſenſus eſt tantùm entium realium: ergo.

RESPONDET S. Bonauent. *lib.* 3. *diſt.* 37. *dub.* 1. & *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in improbatione ſecundæ opinionis*, Maiorem eſſe veram, quatenus nihil eſt in intellectu, vel ſecundùm totum, vel ſecundùm partem: cùm enim anima habeat plures ſpecies, poteſt eas vnire, vel diuidere, vel multiplicare fingendo noua, etiam impoſſibilia exiſtere: idque patet, quia intellectus non habens ſpeciem ſubſtantiæ ſpiritualis, nec Dei, nec Angeli, tamen per ſpecies accidentium, vel vnitas, vel collatas, vel abſtractas poteſt ſpeciem expreſſam Dei, Angelorum, & aliarum ſpiritualium ſubſtantiarum producere.

OBIICIES Quartò cum Spinula: Illa vnio ſpecierum eſt intentionalis, &

& ex parte intellectus; ob idque vera, ergo eſt ens reale.

Respondetur negando antecedens, vt dictum, & probatum eſt ſuprà; nam cognitio neceſſariò terminat ad aliquid præter ſeipſam, ſicque habet pro obiecto illam effictam vnionem. Vide, quæ dicta ſunt ad textum in notatione tertia.

Obiicies Quintò: Illud complexum effictum, vt tale, eſt cognitum ab intellectu, & vt tale eſt verum, ſcilicet verè effictum: ergo talis cognitio habet pro obiecto veritatem.

Respondetur, cognitionem, quâ cognoſcitur ens rationis, vt fictum, eſſe non primariam, ſed reflexam, in qua eſt veritas: ſed in efformatione primaria entis rationis eſt fictio; hinc negatur conſequentia.

Obiicies Sextò: Quicquid eſt cognoſcibile, eſt à Deo factibile: ſed ens rationis non eſt à Deo factibile: ergo nec cognoſcibile: ergo nec poſſibile.

Respondetur ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 45. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *diſt.* 42. *quæſt.* 2. *ad* 1. & *diſt.* 36. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. & *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 1. & 2. & *lib.* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *quæſt.* 3. negando maiorem; in plus enim ſe extendit cognoſcibilitas, quàm factibilitas. Ratio eſt, quia ſcire dicit purum habitum nihil influentem in obiectum; facere autem dicit influentiam in effectum. Sic Deus cognoſcit peccatum, & tamen non poteſt illud facere.

9. Instant aduerſarij: Impoſſibile deſtruit ſeipſum: ſed ens rationis dicit impoſſibilitatem ad exiſtere: ergo ſeipſum deſtruit. Confirmatur, quia *Homo eſt aſinus*, eſt propoſitio de ſubiecto non ſupponente, immò deſtruente aliud extremum.

Respondetur diſtinguo maiorem: Impoſſibile reale tollit poſſibilitatem realis exiſtentiæ, concedo; intentionalis, nego ob rationes allatas. Et ad id de propoſitione de ſubiecto non ſupponente, reſpondetur ex S. Bonau. diſtinguendo: Si ſumitur primò intentionaliter, concedo: ſi ſecundò intentionaliter, nego. Explicat Seraphicus Doctor hanc diſtinctionem pulcherrimâ doctrinâ, dicens, quod talis propoſitio vt ſic, eſt ſignum exprimens verè, quod intenditur, & concipitur ab intellectu; ſicque habet proportionatam veritatem in ordine ad ens fictum ab intellectu; licèt ei deficiat veritas in ordine ad rem ſignificatam: vnde, provt illa propoſitio eſt ſignum exprimens fictionem, eſt de ſubiecto ſupponente. Ratio eſt, quia in propoſitione adeſt duplex veritas; altera vt ſigni; altera provt ſumitur pro per ſe ſignificato, & prima intentione. In primo eſt veritas eſſentialis, quando exprimit id, ad quod inſtituta eſt ab intellectu, ſicut eſt dicta propoſitio, quæ inſtituta eſt ad ſignificandam identitatem fictam. In ſecundo modo deficit ei veritas accidentalis, quia à parte rei nihil reſpondet.

Secunda Conclusio: Ens rationis eſt accidens intentionale, nullibi inhærens ſubiectiuè, ſed tantùm exiſtens in intellectu adhæſiuè, & obiectiuè, ſeu terminatiuè. Et ſequitur ex dictis, & in ſequentibus magis patebit. Ratio eſt allata in ſecunda notatione ad textum, quia ens rationis non eſt motiuum, ſed tantùm terminatiuum intellectus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Quid ſit Ens Rationis.

10. ENs rationis, licèt nullum eſſe reale habeat, tamen poteſt etiam ſuo modo aliqualiter definiri: vnde circa hoc eſt celebris quæſtio, quid ſit, & in quo præcisè conſiſtat eius formalitas?

Prima opinio eſt aſſerentium, conſiſtere in denominatione extrinſeca; ſuntque inter ſe diuiſi: nam aliqui tenent id de quacunque denominatione extrinſeca, alij de extrinſeca intentionali, deriuata ab actu rationis: citanturque plures pro hac ſententia, vt videre eſt apud Meldul. *diſp. 3. q. 2.*

Secvnda opinio eſt aſſerentium, eſſe relationem rationis reſultantem per actum collatiuum intellectus. Ita Thomiſtæ, diuiſi tamen in varios modos. Sic apud citatum Meldul.

Tertia ſententia eſt aſſerentium ens rationis conſiſtere in hoc, quod ſit aliquid fictum conceptum ad ſimilitudinem entis realis, quatenus competere poteſt termino non ſolùm actus collatiui, ſed & ſimplicis: & hæc eſt ſententia S. Bonauenturæ, vt infrà patebit, eſtque communis ferè omnium Recentiorum. Hinc

11. Primò Notandum, quod ens rationis non eſt purum nihil, cùm ſit quid verè effictum ab intellectu, ob idque eſt quodammodò quid medium inter ens reale, & purum nihil. Sic S. Bonauent. *lib. 1. diſtinct. 5. artic. 1. quæſt. 1. ad 1. & lib. 1. diſtinct. 25. dub. 3. & lib. 1. diſtinct. 34. quæſt. 1. ad 5.* Sic & doctiſſimus Meldul. *diſp. 3. num. 25. & ſeq.*

Secvndò Notandum, ens rationis ſupponere ad ſuum eſſe negationem entis realis, de qua eſt maxima lis, an talis negatio ſit de ratione formali ipſius? Aliqui affirmant: communior negat, & iure merito; nam potiùs illa negatio eſt vera, & realis: vnde præſupponitur ad formationem entis rationis, tanquam fundamentum; & ob id aliquid aliud eſſe eius formalitatem dicendum eſt.

12. Tertiò Notandum, quod ens rationis, cùm ſit quid fictum, neceſſariò importat aliquam ſimilitudinem cum ente vero, & reali, ad cuius comparationem, ſeu ſimilitudinem fit, vt rectè notat S. Bonau. *lib. 1. diſt. 45. art. 1. quæſt. 4. ad 3. & lib. 2. diſt. 37. quæſt. vltim.* & addit, quod ſecundùm hanc comparationem poteſt eſſe obiectum intellectus. Ex quibus ſequitur, quod ratio formalis entis rationis conſiſtit in illo poſitiuo ficto, ſcilicet in illo ente imaginario effícto ab intellectu ad ſimilitudinem entis realis: quæ doctrina, vt notat Meldul. eſt etiam communis recentiorum.

Qvartò Notandum, denominationem aliam eſſe intrinſecam, eſtque à forma inhærente in ſubiecto denominato, vt paries albus ab albedine: aliam eſſe extrinſecam, & hæc eſt duplex; vel enim eſt realis proueniens à forma extrinſeca terminante ad obiectum denominatum, vt paries dicitur viſus à viſione exiſtente in oculo, hæcque tantùm dicitur eſſe in ipſo obiecto adhæſiuè, & terminatiuè, realiter tamen; vel eſt concepta talis denominatio ad modum formæ poſitiuæ inhærentis in illo obiecto, in quo verè non inhæret: & hæc eſt per opus intellectus, & ens rationis, vt ſi quis imaginatur cæcitatem eſſe formam poſitiuam in oculis cæci; relationem Dei ad

creaturam eſſe accidens inhærens in Deo, de qua S.Bonauent. *lib.*1.*diſt.*30. *art.*1. *quæſt.*3. His poſitis ſit

13. PRIMA CONCLVSIO: Ens rationis non conſiſtit in aliqua denominatione, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, proueniente à forma reali, vel ab actu intellectus exprimentis rem,ſicuti eſt, vel etiam ſicuti non eſt, præcisè loquendo.

TRES partes habet Concluſio. Prima, & ſecunda ſunt circa denominationem intrinſecam, & extrinſecam realem; & facilè probatur, quia verè à parte rei dantur tales denominationes, & de intrinſecis eſt clarum. Probatur de extrinſecis, quia verè à parte rei Deus terminat relationem dependentiæ creaturæ ad Deum, per quam verè denominatur Creator: verè paries terminat viſum, per quem dicitur verè viſus. Sic S.Bonauent. *lib.*1. *diſt.* 30. *quæſt.*3. *ad* 4.

RESPONDET Smiſingh. *de Deo tract.*3. *diſp.*1. *num.*184. quod licèt paries ſit verè viſus, quia vnio inter rem denominatam, & formam denominantem verè non adeſt; hinc eſt ens rationis, quia importat concomitantiam plurium rerum, factam ab intellectu.

CONTRA, quia licèt non adſit vnio inhæſiua, adeſt tamen vera adhæſiua, & terminatiua, ſicut eſt inter duo extrema correlatiua: ergo eſt totum ens reale.

PROBATVR tertia pars de actu intellectus exprimentis rem, ſicuti non eſt: nam de actu intellectus exprimentis rem ſicuti eſt, nulla eſt difficultas, ſed de alio, de quo eſt potiſſima difficultas: vt ſi concipias Angelum iuuenem alatum, Deum ſenem venerabilem: quia licèt ex modo attingendi obiectum ſit aliqua fictio, tamen verè attingitur reale obiectum: ergo tali pacto præcisè loquendo non ſit ens rationis. Probatur conſequentia, quia ens rationis non includit in ſua formalitate ens reale.

DICES: Angelus alatus ſic cognitus non eſt à parte rei, ſed quid fictum: ergo.

RESPONDETVR in hac conceptione duo eſſe, ſcilicet verum Angelum, & fictionem alarum. Primo modo eſt ens reale: ſecundo modo eſt ens rationis, ſed non completè; nam ipſa attingentia actiua, & paſſiua Angeli alati facta ab intellectu eſt ens reale, quia attingitur ſecundùm vera accidentia, quæ repræſentantur potentiæ, ex qua oritur denominatio alati: ex parte verò obiecti ſumpti cum illa complexione, & vt ſic concepti, cùm interueniat fictio, poteſt dici ens rationis, vt poſteà dicetur.

14. OBIICIES primò: Denominatio eſt opus rationis: ergo non datur ante opus intellectus: ergo eſt ens rationis.

RESPONDETVR, denominationem poſſe ſumi dupliciter. Primò Grammaticaliter, quatenus nomina exprimunt res, ſecundùm quod nominibus exprimi poſſunt; & tales denominationes ſunt entia rationis Grammaticalia, quia ſunt nomina impoſita rebus, prout nominibus ſignificari poſſunt, ſuntque potiùs nomina primæ intentionis. Secundò Logicè in ordine rerum, prout forma tribuendo ſuum effectum formalem ſubiecto, & aliud reſpiciendo pro termino, dicitur hoc denominare extrinſecè, illud intrinſecè: vnde prout includit ordinem rerum, & materialiter, nego eſſe purum opus intellectus, licèt prout dicit purum nomen formaliter, ſit opus rationis, non tamen formaliter ens rationis, cùm ſpectet

Digitized by Google

ctet ad terminos primæ intentionis.

Obiicies ſecundò cum Rubione: Eſſe cognitum tantùm, eſt obiectiuè eſſe tantùm in intellectu; eſſe enim cognitum, & eſſe obiectum ſunt idem: ſed eſſe obiectum habet tantùm eſſe obiectiuè in intellectu: ergo & eſſe cognitum.

Respondetur cum Suarez *diſp. 54. Met. ſect. 2. num. 13.* ſi eſſe cognitum ſumitur, prout deriuat ex actu cognitionis terminantis ad obiectum, & exiſtentis in intellectu ſubiectiuè, hoc eſt quid reale: ſi verò ſumitur prout tale eſſe cognitum, vt cognitum eſt obiectum actus reflexi intellectus, tuncque concipitur quaſi aliqua forma inhærens in obiecto, ſic eſt ens rationis: & in hoc ſecundo ſenſu conceditur argumentum; negatur in primo ſenſu.

15. Secunda Conclusio: Ens rationis formaliter eſt illud, quod obiicitur intellectui, ac ſi eſſet ens reale; cùm tamen non exiſtat, nec exiſtere poſſit.

Vel ens rationis eſt illud, quod habet eſſe obiectiuè tantùm in intellectu.

Vel ens rationis eſt, cùm intellectus concipit per modum entis id, quod verè non eſt. Eſt communis ferè omnium cum Sancto Bonauent. citato.

Probatur Primò ex doctrina S. Bonauent. *lib. 1. diſtinct. 46. art. 1. quæſt. 4. ad 3.* & *lib. 2. diſt. 37. quæſt. vlt.* Ens reale eſt obiectum proprium, & primarium intellectus: ergo quidquid concipitur, debet concipi vel vt ens reale, vel ad eius ſimilitudinem: ſed hoc vltimum eſt ratio formalis diſtinctiua entis realis, & rationis: ergo. Sic (ait S. Doctor *lib. 1. diſt. 30. art. 1. quæſt. 3.*) videns intellectus noſter creaturam referri ad Deum, Deumque terminare creationis, ſeu dependentiæ creatæ relationem, concipit in Deo conſimilem relationem, quâ referatur ipſe ad creaturas. Sic *ex lib. 1. diſt. 27. part. 1. art. 1. quæſt. 3.* intellectus videns perſonalitatem in tribus Perſonis diuinis, animalitatem in pluribus animalibus diuerſis ſpecie, abſtrahit ab his inferioribus illam rationem communem, ſcilicet perſonalitatem & animalitatem, & eam concipit, vt ſimul eandem exiſtentem in omnibus. Et hoc commune ſic conceptum appellat vel ſpeciem, vel genus; vt taleque non inuoluit ens reale: nam non eſt verum, eandem animalitatem eſſe in hoc, vel illo animali, cùm quodlibet habeat ſuam propriam realiter diſtinctam ab alia, ſicque talis effictio eſt in tali obiecto, & compoſitio eſt in intellectu.

Et quia ens rationis aliud eſt abſolutum, cuius eſſe eſt ad ſe, & non ad aliud refertur, vt *Chimæra eſt*: aliud eſt reſpectiuum, quod refertur ad aliud vt ad terminum, vt genus, ſpecies, quæ dicunt ordinem ad inferiora: primi generis ſunt primæ intentiones: ſecundi generis ſunt vtplurimùm ſecundæ intentiones.

Cum igitur ſuprà tradita explicatio entis rationis ſecundùm ſuam formalitatem competat vtrique enti rationis, ſequitur, quod ſit adæquata, & formalis.

Obiicies primò: Ens rationis eſt, quod concipitur ad modum entis realis: ergo neceſſariò importat relationem; comparatio enim eſt relatio.

Respondetur ex S. Bonauent. *lib. 4. diſtinct. 16. part. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 3.* duplicem comparationem dari; aliam perfectam cum actuali collatione vnius ad alterum; aliam imperfectam,

quæ tantùm importat ſimilitudinem aliquam. Et hæc ſecunda ſufficit, vt ait S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.*46. *citat.* licèt vtplurimùm interueniat prima, licet non neceſſariò, & abſolutè.

Obiicies ſecundò ex S.Bonauent. *lib.*3. *diſt.*37. *dub.*1. Idolum nihil eſt, quia nihil habet ſui ſimile: ergo datur ens rationis, quod non eſt ad ſimilitudinem entis realis.

Respondetvr ex S.Doctor. idolum nihil eſſe, ideſt nihil habere de eo, ad quod factum eſt; ſed tantùm eſſe effictum, & habere ſolam æſtimationem diuinitatis; ſed tamen habet aliquid ſibi ſimile ſecundùm partem, quia effingitur ad ſimilitudinem alicuius rei ad extra, & etiam diuinitatis apprehenſæ.

Obiicies tertiò: Ens rationis eſt purum nihil: ergo habet pro ratione formali nihilitatem, & negationem entis: ergo non habet ſui ſimile.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib.*1. *diſt.*28. *art.*1. *quæſt.*1. & *lib.* 3. *diſt.*37. *dub.*1. quod nihil poteſt ſumi vel abſolutè pro negatione extra genus, vel pro negatione in genere. Primo modo negat quamcunque entitatem, ſiue realem, ſiue rationis: ſic negatur antecedens. Secundò importat negationem entis realis, ſed includit poſitionem entitatis rationis, ſcilicet eſſe imaginarij, & ficti. Sic admittitur antecedens; negatur tamen conſequentia: nam talis negatio entis realis potiùs eſt quid reale, ob idque præſuppoſitum ad formalem rationem entis rationis.

Ex quibus ſequitur primò, quod entis rationis formalitas non conſiſtit præciſè in comparatione expreſſa, ſeu in relatione rationis contra Thomiſtas; cùm etiam hæc ratio competere poſſit enti rationis abſoluto, non relatiuo. Secundò, quod ad effictionem entis rationis non requiritur neceſſariò actualis conceptio entis realis, ad cuius ſimilitudinem fit; ſufficit enim præcedens eius cognitio.

16. Et ſi quæras, quomodo in ente rationis relatiuo, vt ibi gratiâ inter ſubiectum, & prædicatum reſultet relatio, ſcilicèt an poſitis duobus extremis conceptis, ſtatim reſultet relatio, an verò requiratur noua operatio intellectus?

Respondetvr ex Scoto 5. *Met. quæſt.* 11. & *lib.*1. *diſt.*31. *quæſt.*1. & *quodl.*6. hanc differentiam eſſe inter relationes reales, & rationis, quòd illæ ſtatim inſurgunt ex natura extremorum; iſtæ verò exigunt nouam operationem intellectus; nam ante talem comparationem explicitam ſolùm extrema habent denominationem cogniti, vt dicendo, *Homo eſt animal*: per nouam verò operationem recipiunt rationem ſubiecti, & prædicati, quæ ſunt ſecundæ intentiones: quod & priùs docuit S. Bonauent. *lib.*1. *diſt.*25. *dub.*3. dum aſſerit ſecundas intentiones oriri non præcisè ex cognitione obiecti, ſed ex nouis actibus intellectus, vt dictum eſt in textu *ad notat.*2.

Et vt tollatur omnis æquiuocatio, & vt in eadem citata notatione dictum eſt ex S. Bonauent. aduertendum, quod tres actus intellectus ſunt diſtinguendi in talibus entibus rationis. Primus eſt, quo duo obiecta realia comparantur ad inuicem, vt homo, & animal, ex quo ſolùm reſultat denominatio extrinſeca comparationis paſſiuæ. Secundus eſt, quo intellectus concipit talem comparationem paſſiuam ad modum relationis inhærentis in talibus extremis, & eſt quid fictum. Tertius eſt reflexus, quo cognoſcit talem relationem iam confictam. Primus eſt propriè directus, eſtque verus. Secundus eſt quodammodò

Digitized by Google

dò reflexus, ſed in ordine ad ens effi-ctum dicitur directus. Tertius eſt propriè reflexus, quia ens rationis eſt obiectum intellectus. In primo reſultant primæ intentiones; in ſecundo ſecundæ intentiones, quæ poſteà per reflexionem cognoſcuntur vt tales. Secunda dicitur cognitio practica: tertia dicitur ſpeculatiua.

QVÆSTIO III.

Quotuplex ſit ens rationis.

17. VARIE varij aſſignant hanc multiplicitatem entium rationis: ſed meliori ordine, & clariori procedit Ioan. à S. Thoma hic *quæſt.* 2. *art.* 1. notans, quod ſecundùm triplicem conſiderationem entis rationis poteſt aſſignari etiam eius diuiſio; nam vel poteſt conſiderari per ordinem ad ſubiectum, cui attribuitur: vel ſecundò per ordinem ad ſuam rationem formalem: vel tertiò per ordinem ad ens reale, ad cuius inſtar concipitur, & apprehenditur.

SECVNDVM primam conſiderationem ens rationis diuiditur in id, quod eſt factum cum fundamento in re; & in id, quod eſt factum ſine fundamento in re. Quam diſtinctionem cùm omnes admittant; non tamen omnes conueniunt in aſſignatione talis fundamenti, vel eius carentiæ.

NAM aliqui pro fundamento ſumunt imperfectionem noſtri intellectus in modo apprehendendi res; indiget enim multoties diſtinguere ea, quæ non ſunt diſtincta; & vnire ea, quæ ſunt diſtincta.

SED hæc ratio non eſt adæquata, licèt aliqualiter valeat in aſſignatione diſtinctionum rationis, vt dicemus ſuo loco in tractatu de Formalitatibus. Ratio eſt, quia in hoc intellectus noſter ſe habet æqualiter ad omnia entia rationis: niſi forſan reſpondeatur cum S. Bonauentura, quod talis imperfectio eſt fundamentum entis rationis, quando habet correſpondentiam ex parte obiecti ſic exigentis. Quod eſt verum, vt mox dicemus.

ALII aſſignant ens reale pro fundamento, ad cuius inſtar effingitur; quod eſt falſum, nam id competit omni enti rationis.

HINC propriè ens rationis cum fundamento eſt id, quod ſuppoſitâ imperfectione intellectus in modo cognoſcendi, & exprimendi res, ſuppoſitâ ſuâ innatâ fœcunditate, quâ valet vnire varias ſpecies, & eas multiplicare, aliaque effingere, habet obiectum motiuum vrgens intellectum ad excogitanda entia rationis ſic, & ſic, non autem alio modo, quia ſic aliquid reſpondet à parte rei verbi gratiâ tribuendi homini rationem ſpeciei, non generis.

ENS autem rationis ſine fundamento eſt id, quod fingitur pro libito abſque aliquo ordine. Et hinc S. Bonau. rectiſſimè & ſubtilliſſimè dicit, quod ens rationis cũ fundamẽto eſt effictum ſecundùm intellectum rationalem, & abſque deordinatione, & monſtruoſitate: oppoſitum autem accidit in ente rationis ſine fundamento, & ob id ipſum appellat ſecundùm intellectum phantaſticum, & chimæricum. Sic S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* & *diſt.* 45. *art.* 2. *q.* 1. *in corp.* & *diſt.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *quæſt.* 4. *in corp.* & *lib.* 3. *diſt.* 37. *dub.* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. & 2. & *lib.* 1. *diſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 5. *artic.* 1.

Digitized by Google

quaſt. 2. & *lib*. 3. *diſt*. 14. *art*. 2. *q*. 1. *ad* 2. & *lib*. 3. *diſt*. 24. *art*. 1. *quaſt*. 3. *ad* 2. Vnde fundamentum entis rationis phantaſtici eſt in intellectu valente ob ſui latitudinem fingere nouas res; non autem ex parte obiecti, vel rei.

Ad hoc caput entium rationis cum fundamento reducuntur entia rationis Grammaticalia; ſuntque, vt declarat S. Bonauent. *ſerm*. 4. *Hexaëm*. quidam modi ſignificandi, & terminandi, ab intellectu attributi vocibus, ad placitum reſpondentes proprietatibus rerum ſignificatarum. Vnde Grammatica trahit naturam à rebus. Hinc dicitur *Homo currit*, non *currunt*, quia verbum ſignificat motum, & actum; & ab vna ſubſtantia vnus actus egreditur. Sic poſt verbum tranſitiuum non ponitur nominatiuus, ſed accuſatiuus, qui dicit terminum, non principium actus, vt nominatiuus: & ſic de ſingulis aliis entibus rationis Grammaticalibus. Vide S. Bonauent. *lib*. 1. *diſt*. 4. *quaſt*. 3. *ad* 2. & 3. & *ſerm. cit. in Hexaëm.*

QVARE omnia entia rationis cum fundamento ſunt ordinata ad clariorem, & perfectiorem explicationem rerum.

QVOAD ſecundam conſiderationem, quæ eſt ipſa ratio formalis entis rationis, diuiditur ens rationis in abſolutum, & reſpectiuum; vel enim id, quod habet eſſe imaginarium, eſt ad ſe, ſcilicet abſque comparatione explicita; vel ad aliud cum comparatione explicita facta ab intellectu.

ET ſecundùm tertiam conſiderationem, nempe ſecundùm id, ad cuius inſtar concipitur, diuiditur primò in id, quod concipitur vt ſubſtantia, vel vt accidens: Secundò in alia nouem prædicamenta accidentalia, quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, &c.

ET hinc Scotiſtæ inferunt, dari prædicamentum vndecimum de ente rationis, cuius genus generaliſſimum eſt ipſum ens rationis: de quo poteſt videri Rabaſanus *de Prædicamentis diſp*. 2. *quaſt*. 4.

18. QVÆRES, an primæ, & ſecundæ intentiones ſpectent ad aliquam ex ſuprà traditis diuiſionibus, & qualiter inter ſe differant?

PRO reſponſione aduertendum hîc ex S. Bonauent. *lib*. 2. *diſt*. 38. *per totam*, præcipuè *quaſt. vltim. in corp. & ad vltim.* quod nomine intentionis ſignificatur tendentia intellectus, & voluntatis in ſuum obiectum, quæ eſt duplex: alia formalis, eſtque ipſe actus exiens à potentia, & ſubiectans ſe in ea: alia obiectiua, eſtque ipſum obiectum, in quod tendit. Vtraque diuiditur in primam, & ſecundam. Prima formalis eſt actus tendens in obiectum: ſecunda eſt actus reflexus ſuper primum. De hac hîc non eſt ſermo, ſed de obiectiua. Hinc reſpondetur, quod cùm obiectum poſſit conſiderari in duplici ſtatu, primò ſecundùm quod eſt in ſe verè à parte rei, ſecundò in ordine ad proprietates obiecto prouenientes ab actibus animæ, quæ proprietates ex cognitione intellectus relinquuntur in obiecto, vt docet S. Bonauent. *lib*. 1. *diſt*. 25. *dub*. 3. & *lib*. 1. *diſt*. 5. *art*. 1. *quaſt*. 1. *ad* 2. hinc rebus ſecundùm primum modum cognitis per primas intentiones conueniunt nomina, ſeu termini primæ intentionis. Ex quibus denominatio ipſorum, cùm ſit facta ab intellectu ex placito, dicitur ens rationis Grammaticale, ſcilicet vt ſumitur ſecundùm ordinem, & naturam nominum, vt ſuprà traditum eſt: quæ denominatio tamen ſi ſumatur veluti materialiter ſecundùm ordinem rerum, ideſt quatenus tali entitati ratione ſuæ formæ

Digitized by Google

formæ competit talis affectio, & denominatio, dicitur realis extrinſeca. Rebus verò ſecundùm alium ſtatum, & ſecundam intentionem competunt nomina ſecundarum intentionum, quæ propriè ſunt entia rationis cum fundamento in re, & quæ requirunt comparationem intellectus actiuam inter duo extrema, quæ ſunt duæ primæ intentiones, ſeu duo obiecta cognita actu recto, vel reflexo ſub aliqua proprietate ſibi conueniente v. g. animal cognitum actu recto vt pluribus communicabile naturis iterum communicari valentibus eſt fundamentum huius ſecundæ intentionis, quæ eſt genus, & eſt actus primæ intentionis obiectiuus per actum formalem: ſic & homo vt cognitus communicabilis pluribus non valentibus aliis naturis communicari eſt fundamentum huius ſecundæ intentionis, quæ eſt ſpecies. Hinc ſecundò intellectu comparante animal ad hominem, leonem, &c. & hominem in ordine ad Petrum, & Paulum, &c. & conſiderante hæc vt communicabilia, & vt exiſtentia actu in ſuis inferioribus, relinquitur ex tali comparatione ſecunda intentio generis, & ſpeciei, quæ eſt actus ſecundæ intentionis obiectiuus, quia exprimitur res extra ſuum ordinem, ſcilicet ſub attributo rationis per actum formalem ſecundarium, ſeu reflexum. Quare omnes ſecundæ intentiones ſemper fiunt actu collatiuo, & reflexo: vnde non omne ens rationis eſt ſecunda intentio, licèt è contra omnis ſecunda intentio ſit ens, relatioque rationis.

Et cùm fudamentum ſecundæ intentionis ſit res vt cognita, quia diuerſus eſt ordo cognitionis intellectus, hinc & oritur multiplicitas ſecundarum intentionum; aliæ enim reſpiciunt primam operationem intellectus, aliæ ſecundam, aliæ tertiam; aliæ ſunt Grammaticales, aliæ Logicales.

QVÆSTIO IV.

De cauſis Entis rationis.

19. Qvatvor cauſæ poſſunt conſiderari in formatione entis rationis; quæ tamen licèt ſumi non poſſint cum proprietate vera cauſali, cùm ens rationis propriè non fiat per verum influxum; tamen impropriè loquendo, & proportionaliter, ſicut dictum eſt etiam de eius definitione, poſſunt excogitari eædem quatuor cauſæ concurrentes ad ipſius reſultantiam.

Et de formali iam dictum eſt, in quonam conſiſtat ipſius formalitas, ſcilicet in eſſe effictio ad ſimilitudinem veri entis. Similiter & de finali, nempe valde vtilis eſt intellectui noſtro ipſius effictio, vt ſæpe dictum eſt. Vnde reducitur quæſtio de cauſa materiali, & efficiente.

Et quoad materialem hæc eſt duplex: alia ex qua, alia in qua. Prima in ente rationis poteſt dici eſſe ens reale, ad cuius ſimilitudinem fit. Secunda in qua, ſcilicet in quonam ſubiecto inſit ens rationis, an in intellectu, an in obiecto? Suprà in ſecunda concluſione primæ quæſtionis diximus, nullum habere ſubiectum proprium, ſed tantùm eſſe obiectiuum; quod tamen hîc explicandum eſt. Certùm enim eſt, quod cùm ſit aliquid, & accidens fictum, neceſſariò debet eſſe in aliquo ſubiecto. Hinc orta eſt diſſenſio inter Philoſophos de hoc ſubiecto, quodnam ſit? Aliqui enim dicunt, ſubiectum entis rationis eſſe intellectum: alij eſſe ipſas res cognitas.

Commvnis Doctorum, D. Thomæ *op.* 48. *tom.* 2. Scoti *quæſt.* 9. *de vniu. & lib.* 1. *diſt.* 23. *& lib.* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. *ad B.* eſt, Ens rationis habere proprium ſubiectum inhæſionis, idque eſſe res ipſas, prout habent eſſe cognitum in intellectu citaturque S. Bonauent. pro hac ſententia à doctiſſimo P. Bauduno noſtro *tract. de ente rationis, ſect.* 2. ſed pace ipſius non rectè.

Nam S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. & *ſerm.* 4. *in Hexaëm.* aliiſque locis firmus ſtat, ſubiectum proprium inhæſionis eſſe ipſum intellectum, obiecta verò realia eſſe ſubiectum adhæſionis, & terminationis. Ratio euidens eſt, quia iſtud eſſe fictum eſt actus immanens: ergo in intellectu, vel in potentia inhæret. Tum quia per talia entia intellectus informatur, ita quod dicitur verus, vel falſus, vel fictus in ſuis actibus: ergo per inhæſionem. Tum quia, ſi eſſet in rebus ſubiectiuè, eſſet accidens, & per conſequens ens reale. Tum quia ens rectè diuiditur in ens in anima, & extra animam: ſed ens in anima eſt ens rationis: ergo in ea eſt inhæſiuè. Verum tamen eſt, quod non eſt in intellectu ſubiectiuè, ſicut entia alia realia, vt actus intellectuales, & ſpecies: iſta enim ſunt immediatè in intellectu. At ens rationis eſt mediatè, ideſt prout concipitur in obiecto, vel prout habet eſſe in obiecto conſiderato extra ordinem ſuæ entitatis, ſed in ordine, & attributo rationis, & ficto. Vide dicta in tertia notatione ad textum.

Obiicies, quia ſuprà in principio primæ quæſtionis docuimus ex Seraph. Doct. ens rationis ſubiectiuum eſſe ens reale: ergo ex hac poſitione ſequitur deſtructio entis rationis.

Respondetvr negando conſequentiam; illud enim ens rationis, quod ponitur ſubiectiuè in ratione, eſt aliquid reale, & verum, receptum immediatè in intellectu: at ens rationis effictum recipitur in intellectu per ordinem ad ſuum eſſe obiectiuum tantùm, ideſt mediatè tantùm, quatenus habet eſſe derelictum in obiecto ex actu intellectus conſiderantis obiectum extra ordinem ſui proprij eſſe, ex quo reſultat eſſe fictum. Vnde ſimul cum obiecto ſic concepto recipitur in intellectu; & in hoc ſenſu non dicitur immediatè inhærens in intellectu, ſicut ſunt entia realia, ſpecies, actus intellectus, &c. ſed mediante illo obiecto, quod habet eſſe cognitum in intellectu, ſicque eſt accidens intentionale inexiſtens in rebus vt cognitis exiſtentibus in intellectu ſecundum eſſe cognitum.

Et per hoc etiam conciliantur opiniones ſupradictæ, quæ debent intelligi modo explicato, licèt clariùs, & adæquatiùs loquatur Seraph. Bonau.

Ex quibus etiam ſequitur euidens ratio, quare potiùs ens rationis denominet obiecta, quàm ipſum intellectum, quia propriè reſpicit ea, & principaliùs, adhæſiuè tamen, & terminatiuè; ob idque dicitur habere eſſe obiectiuè tantùm in intellectu, non inhæſiuè; hoc enim eſt ei quid conſequens, & ſecundarium. His explicatis,

Tota, & principalis quæſtio reducitur ad potentiam effectricem entis rationis, quæ ad tria capita reduci habet. Primum eſt circa intellectum: Secundum, an aliæ potentiæ præter intellectum poſſint facere entia rationis? Tertium eſt, an ſolus intellectus humanus poſſit facere ens rationis; an etiam angelicus, & diuinus?

QVÆSTIO LATERALIS.

Reſoluitur quæſtio de Intellectu.

20. DE quo nemo, præter negantes poſſibilitatem entis rationis, vnquam negauit ens rationis poſſe effici ab intellectu: vnde difficultas reducitur ad eius actus. Cùm enim ſit triplex, ſcilicet ſimplex apprehenſio, iudicium, & diſcurſus; quæritur, an per quemlibet actum poſſit effici. Vlteriùs cùm actus intellectus ſint alij recti, alij reflexi; item alij abſoluti ſine ordine ad aliud, alij relatiui per ordinem ad aliud, ideſt per expreſſam collationem: quæritur, an per quoſcumque poſſint fieri entia rationis.

Et circa hos actus abſolutos, & collatiuos, rectos, & reflexos eſt varius ſenſus Doctor. à Meldul. citatorũ *diſp. 3. num. 45. & ſeq.* nam aliqui exigunt ſemper actum reflexum ſimul, & collatiuum, vt Suarez, aliique.

Aliqvi admittunt per actum rectum, nec ſemper eſſe neceſſarium reflexum poſſe fieri.

Et circa tres operationes intellectus aliqui volunt poſſe fieri tantùm per ſecundam, & tertiam mentis operationem; alij etiam per primam.

Nos autem ſequentes veſtigia Seraphici Doctoris, pro ſolutione huius multiplicis quæſtionis

Primò ſupponimus, quod actus intellectus alius eſt rectus, & ſimplex; alius collatiuus. Primus, quo ſimpliciter apprehendit obiectum abſque iudicio, affirmatione, vel negatione: Secundus eſt, per quem fit comparatio vnius rei ad aliam. Et hæc eſt duplex, vt ait S. Bonau. *lib. 4. diſt. 16. part. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 3.* alia perfecta, & expreſſa; alia imperfecta, & implicita. Prima eſt, in qua intellectus expreſsè confert vnum cum alio, tanquam ſuo termino, vt ſubiectum ad prædicatum, & è contra: Secunda eſt, in qua concipitur aliquid ad ſimilitudinem alterius abſque actuali collatione; vt ſi concipimus tenebras abſolutè ad modum lucis extenſæ in aëre: hoc pacto concipitur non ens per comparationem ad ens ſui oppoſitum. Sic. *lib. 1. diſt. 46. art. 1. quæſt. 4. ad 3.*

21. Secvndò ſupponimus, non eſſe idem actum reflexum, & iudicium, ſeu diſcurſum; nam cùm actus rectus ſit is, qui directè tendit in obiectum, & reflexus ſit, quando intellectus reflectit ſe vel ſupra ſe cognoſcentem, vel ſupra obiectum cognitum, vel ſupra actum ipſum cognitionis: hinc non ſolùm ſimplex apprehenſio, ſed & iudicium, & diſcurſus poſſunt eſſe abſque tali reflexione, ob idque eſſe actus recti.

Tertiò ſupponimus, quod ſimplex apprehenſio dicit ſimplicitatem ex parte actus, non ex parte obiecti; ſufficitque, vt excludat affirmationem, vel negationem explicitam. Vnde ſimplex apprehenſio, cùm habeat pro obiecto veritatem etiam complexam, vt *homo iuſtus:* & cùm hæc reperiatur in propoſitione, & argumentati ne ratione connexionis, quæ habetur per copulam, vel per notam illationis; hinc & ſimplex apprehenſio poteſt terminare, & ad terminos ſimplices, & ad propoſitiones, & ad ſyllogiſmum: talis enim connexio eſt per ſe vna ſimplex qualitas connectens inter ſe plura.

22. Qvartò ſupponimus, quod cùm intellectus cognoſcit terminos ſimplices, vt *homo*; & propoſitiones, vt *homo eſt animal*; & antecedens, & conſequens, vt *homo eſt animal, ergo eſt*

Digitized by Google

ſenſitiuus , tunc reſultat denominatio extrinſeca cogniti , nec adhuc habetur ens rationis, niſi fundamentaliter. Cùm verò apprehendit in termino illo ſimplici , v. g. vniuerſalitatem , vel illud eſſe cognitum , ac ſi eſſet quædam forma inhærens in ipſo ; & in propoſitione, & ſyllogiſmo eandem denominationem , vel relationem duorum extremorum, ac ſi eſſet relatio vera realis, tunc fit ens rationis. Cùm igitur hæc denominatio extrinſeca cogniti , quæ eſt in termino ſimplici , in propoſitione, & enthymemate ſit ſimplex , per conſequens poteſt eſſe obiectum primæ operationis intellectus, dum concipitur ad modum formæ inhærentis. Sic Meldul. doctiſſimus *diſp.* 3. *num.* 64. His poſitis,

23. Prima Conclvsio : Ad ens rationis neceſſariò requiritur aliqua comparatio, vel explicita , vel implicita. Eſt communis omnium cum S. Bonauent. Ratio eſt, quam affert S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 46. *quæſt.* 4. quia, quidquid concipitur , debet concipi, vel quod eſt ens reale , vel ad ſimilitudinem entis realis : ergo cum aliqua comparatione ad tale ens reale.

Secvnda Conclvsio : Per quamlibet operationem intellectus poteſt fieri ens rationis. De ſecunda , & tertia , vel nulla , vel modica eſt difficultas inter Doctores (vno excepto Serbellono id negante ;) & patet, quia per ſecundam , & tertiam mentis operationem fit perfecta collatio , & iudicium : ſed multoties fit iudicium , ſiue negatiuum, ſiue affirmatiuum , falſum, & fictum. Tum quia ipſæ efformant ſuas ſpecies expreſſas : ſed poſſunt efformare conceptum repræſentatiuum chimæræ : Ergo.

Difficvltas potiſſima eſt de prima operatione ; quam tamen ſuſtinent S. Bonau. proximè citatus, Meldul. Oviedus , Morand. aliique contra Hurtadum, alioſque.

Probatvr primò : Per primam operationem intellectus poteſt cognoſci ens rationis : ergo & fieri. Antecedens eſt omnium : conſequentia probatur, quia poteſt apprehendi v. g. quarta perſona Trinitatis ſimpliciter. Tum quia prima operatio intellectus producit ſpeciem expreſſam intellectiuam : ſed talis ſpecies poteſt repræſentare chimæram. Ergo.

Respondent negando minorem ; poteſt enim repræſentare tantùm id , quod repræſentatur à phantaſia ; idque eſt tantùm ens reale. Tum quia poteſt quidem cognoſcere ens rationis iam factum ab ipſa phantaſia, non verò facere.

Contra : Poteſt intellectus dare tali enti rationis , ſeu ſpeciei expreſſæ à phantaſia formatæ nouum eſſe fictum : ergo nulla reſponſio. Si enim id poteſt phantaſia, multò magis intellectus. Tum quia poteſt concipere denominationem extrinſecam cogniti, vt formam intrinſecam inhærentem in obiecto : ſed hæc ineſt æqualiter tam in terminis ſimplicibus , quàm propoſitionibus, & enthymemate , vt probatum eſt in quarto fundamento , ergo & poteſt efformare entia rationis , tam in ente ſimplici, quàm in complexo.

Et licet dixerit S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1. *fund.* 2. *&* *q.* 2. quod intellectus intelligendo ſimplex importet ſemper in ſe aliquam complexionem ; attamen id non tollit ſimplicitatem actus ipſius , cùm ſemper in quacunque cognitione requiratur quo, & quod *ex lib.* 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. Vide etiam *lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 3.

Obiicies primò : Ens rationis importat

importat comparationem : ergo iudicium.

Respondetvr, importat comparationem, vel imperfectam, vel perfectam : vtraque per ſe ſufficit, vt dictum eſt.

Obiicies ſecundò : Intentio ſecunda ſupponit primam : ergo requiritur reflexio, & relatio.

Respondetvr concedendo antecedens, negando conſequentiam ; licet enim vtplurimùm interueniat comparatio, & etiam reflexio actuum, non tamen neceſſariò, &c.

Obiicies tertiò : In operatione non datur falſitas, eſt enim propriè in iudicio : ergo nec poteſt fieri ens rationis, quod fit per actum falſum.

24. Respondetvr eſſe diſcrimen inter Doctores, an actus, per quem fit ens rationis, ſit neceſſariò falſus? Negant multi ex eo, quod ſufficit, vt concipiatur ens fictum ad ſimilitudinem entis realis abſque eo, quod fiat affirmatio, vel concipiatur eſſe reale : quod & S. Doctor docet *lib. 1. diſt. 46. cit.* Attamen tranſeat antecedens ; negatur conſequentia. Duplex enim datur falſitas : alia per affirmationem, vel negationem : alia per inadæquationem, & improprietatem ad rem veram. Vnde S. Bonauent. docet *lib. 1. diſt. 8. part. 1. art. 1. quæſt. 1. fundament. 1.* quod veritas alia eſt complexa, alia incomplexa : idem docet *lib. 3. diſt. 38. quaſt. 1.* & *lib. 2. diſt. 37. quaſt. vlt. ad 1.* & *lib. 3. diſt. 24. art. 1. quaſt. 3. ad 3.* Hæc verò, quæ eſt ſine affirmatione, ſufficit ad ens rationis ; falſitas enim in prima operatione competit non per modum affirmationis, ſed per modum repræſentationis, quia repræſentat id, quod non eſt. Idem docet S. Thom. *lib. 1. Periherm. lect. 3.* & *part. 1. quaſt. 16. art. 2. & 3.* Caiet. *part. 1. quaſt. 58. art. 5.*

Obiicies quartò : In enuntiatione, & ſyllogiſmo concurrit iudicium, & affirmatio : ergo non poſſunt eſſe obiectum primæ operationis intellectus.

Respondetvr concedendo antecedens, ſi ſumantur in concreto, ideſt in fieri, & in actu exercito : negatur antecedens, ſi ſumantur in abſtracto, & obiectiuè per modum vnius. Idem & S. Bonauent. *lib. 3. diſt. 25. part. 1. art. 1. quaſt. 3.* apprehenditur enim connexio, & copula, quæ in enuntiatione habetur per ly *Eſt*, & in ſyllogiſmo per ly *Ergo* : quæ eſt qualitas ſimplex.

Instant : Ergo in caſu, quo fiat ens rationis per primam operationem intellectus in enuntiatione & ſyllogiſmo, ſecunda & tertia non poterunt aliquod ens rationis efformare. Probatur conſequentia, quia per primam totum complexum attingitur, & recipit eſſe fictum : ergo nihil remanet ſecundæ, & tertiæ operationi, quia illud ſupponunt iam factum. Ergo illud non faciunt.

Respondetvr negando conſequentiam ; nam poteſt per ſecundam, & tertiam per comparationem expreſſam adhuc effingi nouum ens rationis, & adhuc determinato modo, & relatiuo cognoſci, ratio eſt, quam innuit Seraph. Doct. *lib. 3. diſt. 38. cit.* quia falſum poteſt cadere ſimpliciter ſuper obiectum, & poteſt cadere etiam ſuper intentionem, nempe ratione actus reflexi : facit etiam ad hoc, quod tradit *lib. 1. diſt. 28. dub. 1.* & *lib. 3. diſt. 24. art. 1. quaſt. 3. cit.* Explicat hoc Ouiedus *in Metaph. contr. 12. part. 6.* dicens, quod quando de nouo per ſecundam, vel tertiam operationem fertur in ens rationis factum per primam, nec eſt aduenientia ad fictionem, tunc noua ſpecies expreſſa in intellectu producitur,

O 2

tur, ſicque & ipſum ens rationis, vt repræſentatum in illa ſpecie repræſentatur ſecundùm nouum eſſe fictum, quod recipit vltra denominationem extrinſecam cogniti: vt v. g. ſi prima operatio apprehendit illam connexionem inter ſubiectum, & prædicatum, vt formam inhærentem in illo vno, & per iudicium fiat collatio expreſſa inter illa extrema, concipiendo ea vt correlatiua realia; tunc nouum ens rationis fit, hæcque reflexio eſt non ſpeculatiua entis rationis, ſed factiua, & practica.

Ex quibus omnibus ſequitur primò, quod intellectus poteſt ſimpliciter per actus rectos in prima, ſecunda, & tertia operatione facere ens rationis. Per primam quidem ens rationis abſolutum, vt verbi gratiâ, concipiendo negationem, priuationem, tenebras ad modum nigredinis, ipſam ſimpliciter vt talem apprehendendo: & per ſecundam, & tertiam iudicando eſſe talem, vel inferendo ex congregatione viſus illam eſſe nigredinem; ſicque per actus collatiuos, & relatiuos, ſed rectos, fundatos in entitate rei veræ.

Secvndò per actus reflexos; eſtque differentia inter rectos, & reflexos, quòd recti fundantur immediatè in entitate reali, vt verbi gratiâ, relatio Dei ad creaturam fundatur in vera terminatione relationis creaturæ ad Deum; tenebra in nigredine. At reflexi fundantur in actibus intellectus, verbi gratiâ in denominatione extrinſeca cogniti, taleſque ſunt ſecundæ intentiones; & iſtæ fiunt tantùm per ſecundam, vel tertiam operationem intellectus; cùm importent relationem expreſſam. Intellectus enim reflectendo concipit denominationes ortas ex priori cognitione in obiecto ad modum relationis, ſeu formæ intrinſecæ.

Tertiò, quod ens rationis poteſt verè cognoſci, & tunc accipit denominationem extrinſecam realem cogniti; eſt enim intelligibile, vt factum eſt, & poteſt vt tale affici denominatione reali, cùm in ſe habeat entitatem obiectiuam, quâ poteſt affici per talem denominationem realem.

QVÆSTIO V.

An aliæ potentiæ præter Intellectum poſſint facere Ens rationis.

25. Primò ſupponimus, quod ens rationis poteſt ſumi ſtrictè pro ente ficto, quod ſolùm ex vi rationis habet eſſe obiectiuè tantùm in intellectu; hocque ſolùm poteſt effingi ab intellectu.

Secvndò poteſt ſumi minùs propriè pro ente ficto habente proportionem cum intellectuali, quodque ſolùm obiectiuè exiſtit in aliqua alia potentia cognoſcitiua, vel rationali, vt ſunt voluntas, ſenſus interni. Et quæſtio de hoc ſecundo ente ficto, & de his potentiis eſt, an ab ipſis poſſit effici? quod ad vitandam confuſionem vocabulotum appellabimus ens rationis, licèt impropriè.

Prima opinio abſolutè negat de quacumque alia potentia, præter intellectùm. Sic Complut. hîc, Ioan. à S. Thoma, Conimbric. aliique Thomiſtæ.

Secvnda eſt Scoti, aliorumque apud Maſtrium *diſp.* 2. *quæſt.* 4. admittentium ens fictum etiam in voluntate, & negantium in quacumque alia potentia, tum interna, tum externa.

Tertia opinio ens fictum admittit etiam in ſenſibus internis. Ita Faber 4. *Met.*

Digitized by Google

Met. cap. 5. Vallon. Rochus, Ruuius, Suarez *diſput* 54. *Met. ſect* 2. *num.* 18.

Qvarta eſt admittentium etiam ens fictum in ſenſibus externis. Sic Arriaga *diſp.6. Met. ſect.3. ſubſect.* 2. & 3. Iandunus, aliique, cum quibus adnumero S.Bonau. vt mox patebit. Pro ſolutione quæſtionis

Primò notandum, quod cùm alias dixerimus ad ens rationis ſufficere actum comparatiuum imperfectum, conſequenter illa potentia, quæ poteſt facere aliquam collationem, & quæ ſit capax erroris, & fictionis, etiam habebit vim efficiendi ens rationis. Vt autem id clariùs eluceſcat, notanda eſt doctrina, quam innuit S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad penult.* quod duplex relatio datur: alia ſecundùm rem, alia ſecundùm modum (hanc aliqui appellant rationis.) Sed notanter S.Doct. appellat ſecundùm modum, vt etiam rectè aduertit Ferchius *tom.* 1. *de Angelis*, *quæſt.* 21. *num.* 1. nam aliæ potentiæ vltra intellectum habent ſuum proprium actum immanentem in ſe, ob idque nihil ad extra ponunt in obiecto, niſi denominationem extrinſecam, vel relationem ſecundùm modum, quia ita operantur circa obiectum, ac ſi obiectum reciperet aliquid, vel reipſa referretur ad potentias.

26. Secvndò notandũ, quod ad ens rationis effingendum requiritur, vt eſſe fictum entis rationis ſit impoſſibile perceptum ad modum entis poſſibilis, ita quod talis impoſſibilitas intelligatur in ſenſu compoſito, vt verbi gratiâ vas fractum, vt tale eſt impoſſibile, quod ſit integrum; aliàs rarò darentur entia rationis.

Tertiò notandum, ſpeciem poſſe immutare, & fallere potentiam pluribus modis, & præcipuè, vt ait S.Bonauent. *lib.2. diſtinct.8. part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. quando non ſaluatur debita organi, medij, & obiecti diſpoſitio. Hincque oritur duplex falſitas; alia perfecta, & conſiſtit in difformitate iudicij, quo determinatè affirmatur, quod non eſt; vel negatur, quod eſt. Alia imperfecta, & eſt quæcunque difformitas cuiuſcunque cognitionis, vel ſenſationis, quâ res percipitur non ſicut eſt. Prima eſt propria intellectus: ſecunda aliarum potentiarum; & tunc adeſt in tali actu fictio in ordine ad obiectum cum ſimilitudine aliqua entis realis. Sic ex S.Bonauent. *lib.3. diſt.*38. *quæſt.* 1.

27. Qvartò notandum ex Seraph. Doct. *in Centil. part.3. ſect.* 21. & deinceps, quod in homine adſunt potentiæ, quarum aliquæ ſunt inorganicæ, aliæ ſunt organicæ. Primæ ſunt intellectus, & voluntas, quæ poſſunt operari independenter ab organo corporeo: Secundæ ſunt potentiæ ſenſitiuæ internæ, & externæ, quæ in operari dependent ab organo corporeo, in quarum operationibus duo ſunt conſideranda (ait S. Bonauent. *lib.2. diſt.* 8. *part.* 1. *art.3. quæſt.2. ad vlt.*) Primum eſt receptio ſpeciei: ſecundum eſt virtus animaſtica, & iudicatiua; non enim poſſunt ſentire, vel aliquid iudicare, niſi vniantur cum obiecto mediante ſpecie ab ipſo immiſſa, & recepta in organo, verbi gratiâ in oculo, ex qua vnione reſultat actualis dijudicatio circa obiectum, vt docet S.Doctor *in Itiner. Mentis, cap.*2.

28. Qvintò notandum ex Seraph. Doct. *in comp. Theol. lib.2. cap.*34. & *ſeq.* quod poſt receptionem ſpeciei intentionalis ſupradictæ in ſenſu externo, verbi gratiâ, viſu, auditu, olfactu, guſtu, & tactu, immittitur ſpecies ad potentias interiores, ſcilicet ad ſenſum communem, qui reſidet in parte ante-

 riori

riori cerebri, cuius officium eſt recipere ſpecies obiectorum præſentes ſenſuum externorum, & iudicare differentiam inter obiecta ſenſuum, viſus, auditus, &c. Deinde tranſeunt ad imaginatiuam, cuius eſt retinere perceptas, etiam abſente materiâ; & hæc cum æſtimatiua elicit actus expreſſos ſenſationum; & deinde receptis his in phantaſia, iſta potentia ſpecies componit, diuidit & cognoſcit, quod ſibi eſt proprium. Sic ouis vi phantaſiæ cognoſcit lupum aduerſarium; agnus inter alias oues propriam matrem cognoſcit; auis ſcit nidificare hoc, vel illo modo. Deinde adeſt memoria retinens ſpecies expreſſas, quas omnes ſub vnica numero potentia habente plura munera S. Bonau. comprehendit, vt ſuo loco tradetur in tractatu de Anima ſenſitiua. Deinde phantaſia offert ſuum phantaſma, vel ſpeciem intellectui agenti, cuius eſt depurare illam ſpeciem à conditionibus indiuiduantibus, & ſingularibus, & eam imprimere in poſſibili intellectu; & deinde poſſibilis informatus ſpecie producit intellectionem. Ex quibus patet, quod in qualibet potentia ſenſitiua adeſt vis iudicatiua, vt rectè, & fusè probat S. Doct. *in Itiner. ment. cap.* 3. cùm autem poſſit decipi quælibet potentia, tam interna, quàm externa, patet etiam, quod poteſt effingere ens rationis. Sic clarè *lib.* 2. *diſt.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 1. & aliis locis citatis.

29. Sextò notandum, voluntatem eſſe potentiam reflexiuam ſuper ſe, ſuper proprium actum, & obiectum, ob idque & ipſa poteſt conferre vnum cum altero, & conſequenter pro libito proponere, & præfigere ſibi finem apparentem, qui communiter appellatur finis præfixus: item & imperare intellectui, vt illud effingat, ipſumque amare. Sic S. Doctor *lib.* 1. *diſtinct.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. *&* *q.* 3. *ad* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 35. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 1. *quæſt.* 2. *ad vlt.* Sic Lucifer effinxit ſimilitudinem diuinitatis, eamque amauit, ait S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 2.

Advertendvm tamen eſt, quod totum eſt verum de reflexione perfecta, quæ competit tantùm intellectui, & voluntati: at loquendo de imperfecta, prout importat applicationem conceptus præexiſtentis in potentia ad rem, quæ non eſt talis, & cui non competit, nec competere poſſunt in ſenſu compoſito, verbi gratiâ accidentia aſini, prout concipiuntur in homine; hæc poteſt competere etiam phantaſiæ. Sic S. Doct. *loco cit. lib.* 2. *diſt.* 8. His poſitis ſit

30. Prima Conclvsio: Voluntas poteſt facere ens rationis, ſeu effictum. Eſt S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. & aliis locis proximè citatis. Eſt & Scoti, & ſequacium, & plurium aliorum apud Maſtrium *diſp.* 3. *quæſt.* 4.

Probatvr primò igitur ex eodem S. Doct. citato. Voluntas habet vim collatiuam, non quidem per modũ iudicij, ſed ordinis, & acceptationis, quá poteſt præfigere ſibi finem fictum, & falſum, & in eo fingere bonitatem, vbi non eſt. Habet & vim reflexiuam, licèt hæc non ſit neceſſaria: ergo poteſt facere ens rationis. Antecedens patet; nam finem vltimum ponit in mediis in peccando, vtiturque fruendis, & fruitur vtendis, vt docet S. Doctor *lib.* 1. *diſt.* 1. *per totam.* Poteſt & amare fictionem ab ipſa imperatam, factam ab intellectu, vt docet de Lucifero *lib.* 2. *diſt.* 5. *cit.*

Conseqventia probatur, quia cùm apprehenditur ens, ſeu bonum fictum

ctum ad ſimilitudinem entis, vel boni realis, tunc fit ens rationis: ſed voluntas cùm præfigit ſibi finem, & in eo bonum apparens, tunc attingit non ens ad ſimilitudinem entis boni: ergo.

RESPONDENT Thomiſtæ illam apparentiam fieri ab intellectu, non à voluntate. Sic negant conſequentiam.

CONTRA primò, quia ipſa poteſt imperare talem fictionem, ipſamque amplecti pro libito: ergo & præfigere ſibi aliquod ens fictum. Secundò, quia etiam poſtquam intellectus oſtendit veritatem, & falſitatem obiecti, ipſa poteſt relinquere veritatem, & eligere præfigendo ſibi finem apparentem pro libito ſuo, & aliquod falſum & malum pro bonò: ergo & facere ens rationis. Vide S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 7. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 7. *& part.* 2. *art.* 1. *q.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 3. *&* 4. qui egregiè hanc doctrinam demonſtrat, & ea quæ diximus in notatione tertia ſupra textum.

OBIICIES primò: Volnntas eſt potentia cæca; ergo quidquid vult, ſiue bonum, ſiue malum, ab intellectu efficitur.

RESPONDETVR concedendo Antecedens: ſed addimus eſſe potentiam liberam, & pro libito poſſe velle bonum verum, vel apparens, etiam contra dictamen intellectus. Sic S. Doct. *loc. cit.* & fusè trademus in libris de Anima.

OBIICIES ſecundò: Quantumcunque voluntas ordinet vnum ad aliud, non tamen reſultat relatio rationis, ſed tantùm denominatio extrinſeca amati, & ordinati: Ergo per talem ordinationem non fit ens rationis.

RESPONDETVR concedendo totum quoad actum directum; negando quoad actum reflexum, ſeu repetitum, ſeu proteruum: poteſt enim ordinare poſitiuè vnum ad aliud, & illud velle vt finem principalem. Sic negatur conſequentia, & hæc eſt relatio rationis, vt ait S. D. *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3.

31. SECVNDA CONCLVSIO: Senſus externi, & interni poſſunt facere ens rationis, ſeu fictum. Infertur ex doctrina, & principiis Seraphicis, vt dictum eſt. Probatur: Senſus interni, & externi habent vim iudicatiuam, & perceptiuam obiecti, & poſſunt in perceptione obiecti decipi: ſed id eſt apprehendere ens fictum ad ſimilitudinem entis veri: ergo. Antecedens patet tum ex fundamentis, tum experientià. Potentiæ enim omnes ſenſitiuæ apprehendunt multoties repugnantia in obiecto. Sic oculus videns portam pictam apprehendit eam vt veram: ſic videntur colores apparentes in iride, in vitro triangulari, in collo columbæ, concauitates in picturis, vnum, & idem obiectum multiplicatum compreſſò oculo ex aliqua parte; baculus in aquam ad medium immerſus apparet fractus, & curvus. Ergo ſi externi ſenſus apprehendunt ens fictum, multò magis interni.

RESPONDET Maſtrius *n.* 53. *& ſeq.* cum Morand. & aliis, animalia per ſenſus internos apprehendere tantùm accidentia, vel vt ſibi diſconuenientia, vel vt conuenientia, nec vllam collationem facere; idemque à fortiori dicendum de externis.

CONTRA, quia in tali viſione ſemper interuenit aliquod iudicium, licèt imperfectum, ſcilicet apprehenſiuum, quo decipiuntur: ſed id fit apprehendēdo quid fictum pro vero: ergo. Tum quia animal timens vmbram, ideò timet, quia concipit illam vt ens habens potentiam nocendi: ergo illam potentiam concipit in aliquo concreto.

RESPON

RESPONDET Maſtrius, talem fi-ctionem, & apparentiam eſſe in obiecto, non in potentia, ob idque eſſe veram, quia apprehenditur, ſicut per ſpeciem repræſentatur.

CONTRA, quia datâ tali repræſentatione in potentia, fit iudicium falſum, apprehendendo tale eſſe fictum pro vero; & id patet maximè, quando non adeſt apparentia vera, & tamen interuenit deceptio, verbi gratiâ, ſi proueniat ex diſtantia, vel ex debilitate potentiæ, vel ob indiſpoſitionem medij, vt notat S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 8. *ar.* & *lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 2. *queſt.* 3. quod æquè currit in internis, & externis. Ergo talis deceptio non oritur ex ſpecie: ergo fictio eſt in potentia.

32. OBIICIES primò: In his ſenſibus non adeſt iudicium: ergo nec eſt ens rationis.

RESPONDETVR ex S. Bonauent. quod iudicium poteſt ſumi pro quacumque apprehenſione: ſecundò pro cognitione duarum rerum vnitarum, non tamen attingendo vnionem, vel diſtinctionem per collationem extremorum, ſed tantùm illud concretum. Tertiò propriè, cum collatione vera, cum affirmatione, vel negatione. Primum, & ſecundum eſt in ſenſibus: Tertium eſt in intellectu ſic negatur conſequentia; ſufficit enim primum, & ſecundum ad ens rationis, vt aliàs probatum eſt.

OBIICIES ſecundò: Senſus non attingit niſi accidentia: ſed iſta poſſunt ſimul eſſe: ergo non concipit impoſſibile. Ergo nec format ens rationis.

RESPONDETVR primò negando Minorem abſolutè; album enim, & nigrum in ſummo ſunt incompoſſibilia: tenebræ item, & lux: item illa accidentia ſimul concepta in ſenſu compoſito ſunt incompoſſibilia; nam, verbi gratiâ, accidentia aſini concepta vt hominis, hominem eſſe in illo loco, & vt ſit alibi, ſic negatur conſequentia.

OBIICIES tertiò: Potentiæ præter intellectum non affirmant, vel negant: ergo nec efformant ens rationis.

RESPONDETVR, quod hinc etiam ſequeretur, primam operationem intellectus, in qua nulla eſt affirmatio, vel negatio, poſſe facere ens rationis, quod falſum eſſe probauimus.

RESPONDETVR ſecundò, quod apprehendere aliqua vt conuenientia, vel diſconuenientia, eſt idem, ac æquivalenter affirmare, vel negare. Sic oculus apprehendit tenebras vt formam aliquam in ſubiecto: ouis apprehendit rubum pro lupo, & fugit, &c. quæ vt ſic ſunt incompoſſibilia in ſenſu compoſito.

QVARE fatendum eſt, ad omnes potentias, tum rationales, tum cognoſcitiuas, tum externas, tum internas poſſe facere ens rationis. Addimus tamen hoc eſſe ens rationis valdè imperfectum, nec habere perfectas conditiones entis rationis, ſicut habet illud effictum ab intellectu.

QVÆSTIO VI.

An quilibet intellectus poſſit facere ens rationis.

33. DE intellectu humano iam probatum eſt. De Angelico non eſt magna difficultas; nam, vt ait S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 7. *part.* 2. *art.* 1. *queſt.* 1. in dæmonibus eſt phantaſia proterua, concupiſcentia amens, & furor irrationalis. Hinc & ipſi decipiunt, & multoties decipiuntur indicando de his, quæ eorum iudicio non ſubſunt.

CERTVM

CERTVM eſt etiam, Angelos habere ſpecies inditas omnium rerum, ipſaſque poſſe ad inuicem vnire, & conferre, multaque noua excogitare; ob idque non eſt negandum poſſe facere ens rationis. Sic S. Bonauent. *lib 2. diſt. 3. part. 2. art. 2. quaſt. 1. in fine corp.*

QVARE quæſtio reducitur ad ſolum intellectum diuinum. In qua non eſt difficultas apud ſentientes denominationes extrinſecas eſſe ens rationis; ſic enim ſequitur, & Deum facere ens rationis: ſed cùm ſuprà probatum ſit, has eſſe reales, nec eſſe ens rationis niſi fundamentaliter; hinc cum ipſis non eſt noſtra concertatio, ſed eſt cum aliis ſuſtinentibus ens rationis eſſe quid effictum, &c.

PRIMA opinio eſt negantium, non ſolùm Deum efficere ens rationis, ſed & cognoſcere, eo quia totum importat imperfectionem ex parte intellectus. Sic Vaſquez *part. 1. diſp. 118. cap. 2. & 3.* Cœleſtin. *in Log.* aliique.

SECVNDA opinio admittit, & facere, & cognoſcere, eo quia imperfectio tota ſtat ex parte obiecti, non potentiæ. Sic Faber *in Met. c. 5.* & Scotiſtæ.

TERTIA admittit in Deo ens rationis cum fundamento; negat ens ſine fundamento. Sic Amicus, aliique.

QVARTA concedit Deum cognoſcere entia rationis, nullo autem modo ea facere. Sic Suarez *diſput. 54. Met.* Ruuius, aliique plures cum S. Bonau. infrà citando. Pro ſolutione quæſtionis

34. PRIMÒ notandum, quod ad ens rationis duo concurrunt. Primò ens reale, ſimulque ens rationis: illud eſt fundamentum, in cuius locum hoc ſuccedit, & conſtituitur ad eius ſimilitudinem. Secundò deordinatio conſiſtens in fictione, quâ apprehenditur ad modum entis veri, quod verè non eſt. Vnde deordinatio formaliter eſt in ente rationis, non ſolùm ex parte obiecti, ſed etiam ex parte actus. Sic S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 37. art. 1. quaſt. 3.* Certum eſt autem, Deum concurrere ad id, quod eſt poſitionis, non autem ad deordinationem. Sic *lib. 1. diſt. 41. art. 2. quaſt. 1.* & *lib. 1. diſt. 36. art. 3. quaſt. 2.* Ex quibus ſequitur, quod formalitas entis rationis, cùm ſita ſit in eſſe ficto per actum fictum, per conſequens non conſiſtit in cognoſci, ſed in objici poſiti nè intellectui, aliter ac ſit res, ad cuius ſimilitudinem fit. Vnde eius deordinatio, & imperfectio, licèt inſit in ſuo eſſe obiectiuo, tamen maior eſt in modo fictitio, quo efformatur, cùm ei deficiat veritas, & conformitas cum vero ente, & ob id talis imperfectio eſt in actu, & in intellectu effingente cum deordinatione veritatis. Sic S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 41. art. 2. quaſt. 1.*

SECVNDÒ notandum, quod ad cognitionem diuinam ſufficit, vt res cognita ſit in Deo, vel ipſius cauſa, vel ipſius oppoſitum, & hoc idealiter. Vnde ex ratione oppoſita cognoſcit peccatum, tenebras, & ens rationis. Sic S. Bonau. *lib. 1. diſt. 46. art. 1. quaſt. 4. ad vlt.* & *lib. 2. diſt. 37. art. 2. quaſt. 3.*

TERTIÒ notandum contra Ouiedum, quod per actum diſſenſus, verbi gratiâ, *Chimæra eſt impoſſibilis,* deſtruitur eſſentia, & exiſtentia chimæræ; non enim tunc intellectus habet duo obiecta, vnum poſitiuum chimæræ, aliud negatiuum ipſius, vt malè aſſerit Ouiedus; ſed concipitur implicantia illius vnionis, per quam conceptionem deſtruitur non ſolùm exiſtentia phyſica entis rationis, ſed & intentionalis, quia obiectum intellectus ſunt extrema realia, & negatio vnionis inter ipſa, quæ eſt à parte rei. Sic S. Bonauent. citatus in tertia notatione

notatione ſuper textum. His poſitis,

35. Prima Conclvsio: Deus cognoſcit ens rationis à nobis effictum per ideas illarum rerum, quæ ſunt veluti fundamenta ipſius. Sic S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 41. *cit.* & *diſtinct.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 46. & *lib.* 2. *diſt.* 37. *citat.*

Probatvr: Ens rationis eſt cognoſcibile verè, & realiter: ergo Deus id cognoſcit. Probatur conſequentia, quia Deus cognoſcit omne cognoſcibile; in ipſo enim ratio cognoſcendi eſt prima, & ſumma veritas, quæ eſt expreſſiua cuiuſcumque veritatis participatæ; ſed ens rationis habet veram proportionatam entitatem, & veritatem eſſentialem, ſeu ſigni, vt aliàs ex S. Doctore *lib.* 1. *diſt.* 46. *quæſt.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 3. ergo hæc veritas in ipſo relucet, licèt non reluceat veritas accidentalis ipſius entis rationis, quæ eſt adæquatio ſigni ad rem. Tum quia Deus cognoſcit noſtram cognitionem: ergo & eius terminum. Tum quia, ſi cognoſcit peccatum, multò magis ens rationis.

Obiicies: In Dei cognitione eſt ens rationis: ergo ens rationis eſt Deus; quicquid enim eſt in Deo, eſt Deus.

Respondetvr negando conſequentiam; plus enim eſt cognoſci in Deo, quàm eſſe in Deo: Deus cognoſcit peccatum, & tamen non eſt in Deo. Ratio dicta eſt in notabili ſecundo. Vide *lib.* 1. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. & *quæſt.* 2.

36. Secvnda Conclvsio: Deus ex vi talis cognitionis entis rationis non facit ens rationis. Probatur, quia ex vi talis cognitionis ens rationis accipit tantùm denominationem extrinſecam cogniti: ſed hæc eſt ens reale: ergo. Tum etiam quia ens rationis ad hoc, vt fiat, exigit, vt apprehendatur obiectum modo, quem in ſe non habet: at per cognitionem entis rationis apprehenditur modo, quem in ſe habet, ſcilicet illud ens rationis effictum ad modum entis realis, quod in ſe non habet.

37. Tertia Conclvsio: Deus non poteſt facere ens rationis. Probatur, tum quia id importat imperfectionem, non ſolùm ex parte termini, ſed magis ex parte actus, modique concipiendi; nempe quia extraneo modo intellectus operatur, & fictitio, & diuerſo à veritate, nempe diuerſo modo, ac res eſt à parte rei. Tum quia ens rationis verè non eſt in rebus, niſi effingatur per actum fictionis: ergo eſt ex parte intellectus fingentis: ergo per imperfectionem actus.

Respondent aduerſarij negando, fictionem, & imperfectionem eſſe ex parte actus, ſed tantùm ex parte obiecti; nam eſt aliquid, non nihil: ergo poteſt attingi per verum conceptum, ob idque & efformari: imperfectio enim in obiecto, dummodo ſit aliquid, non impedit, quin Deus illud non efficiat. Sic concipit relationem rationis inter duo indiſtincta, inter quæ licèt non ſit vera relatio realis, eſt tamen rationis, & aliquid.

Contra: Ergo concipit id, quod non eſt ad modum entis: ergo cum fictione: ſed hoc dicit imperfectionem à parte actus: ergo deordinationem.

38. Aliqvi ex aduerſariis probant, poſſe Deum facere ens rationis ex eo, quod ad ens rationis ſufficit, vt apprehendatur ens rationis ad ſimilitudinem entis realis; nec eſt neceſſaria cognitio falſa, ſed eſt vera, quia cognoſcitur eſſe tantùm obiectiuè in intellectu.

Contra, quia talis apprehenſio entis, quod non eſt, ad ſimilitudinem entis, quod eſt, fit extraneo modo, & per ſpecies alienas, & rei aliter ac ſit.

Alii

Alii dicunt ſufficere, quod cognoſcatur habere eſſe tantùm obiectiuè.

Contra, quia repugnat id cognoſcere, & non intelligere ens aliter, ac ſit, idest ad modum entis realis, ob idque per actum fictum; ob idque arguit imperfectionem in modo cognoſcendi.

39. Obicies primò: Si Deus cognoſcit figmenta noſtra, ergo attingit rem, ſicuti non eſt: ergo cum imperfectione. Sed hæc remouenda eſt à Deo: ergo.

Respondetur attingere ens rationis, ſicuti eſt ſcilicet à nobis effictum, & ſicuti non eſt, & ob id illa cognitio eſt perfectionis, non imperfectionis; hæc enim eſt in noſtro modo operandi. Ad hanc rem vide S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 4.

Instant contrà: Ergo dat illi obiecto eſſe obiectiuum: ergo & facit ens rationis.

Respondetur, dare illi denominationem extrinſecã: ſic negatur conſequentia. Sic enim cognoſcitur vt quod, & in actu ſignato, non exercito, vel practico. Sic ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp.*

Respondetur ſecundò, tale eſſe obiectiuum entis rationis eſt in Deo, ſed per actum diſſenſus, per quem deſtruitur ens rationis.

Contra: Si cognoſcit ens rationis, ergo habet ideam ipſius: ergo & ipſum facit.

40. Respondetur ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 36. *q. vlt.* quod in entè rationis eſt eſſe deficiens ab ente reali, & ens rationis. Secundùm primam rationem dicit imperfectionẽ; ſic non habet ideam, vnde cognoſcitur à Deo eo modo, quo cognoſcit priuationes, & peccata, ſcilicet per ſuum oppoſitum. Vnde non attingit hæc obiecta directè per modum entis, ſed indirectè, iudicio quodam diuiſiuo; & attingit in tali organo non eſſe potentiam viſiuam, ſicque cognoſcuntur, ſicuti ſunt per modum non entis.

Obicies ſecundò: Deus cognoſcit, verbi gratiâ, chimæram non eſſe: ergo habet conceptum chimæræ. Probatur conſequentia, quia vbi interuenit negatio alicuius rei, interuenit etiã conceptus talis rei negatæ: ergo datur aliquod ens, quod habet eſſe tantùm obiectiuè in intellectu diuino.

Respondet S.D. Deum attingere in tali actu veritatem eſſentialem ſigni, per quã non fit ens rationis, ſed tantũ reſultat denominatio extrinſeca; immò per talem cognitionẽ deſtruitur, non fit, non ſolùm eius exiſtentia phyſica, ſed & intentionalis: tunc enim obiectum intellectus diuini ſunt extrema realia, & negatio vnionis inter ipſa. Quæ doctrina eſt contra Ouiedum aſſerentem ex hac conceptione negatiua neceſſariò poni ipsũ ens rationis; quod eſt falſum. Nam potiùs negatur, non ponitur, vt in ſimili docet S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in fine corp.*

Obicies tertiò. Intellectus noſter efficere poteſt ens rationis ob latitudinẽ obiecti, in quod tendere poteſt: ſed id importat perfectionem: ergo & in Deo.

Probatur conſequentia, quia quo intellectus plura poteſt cognoſcere, eo perfectior eſt.

Respondetur ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſtinct.* 39. *quæſt.* 1. *ad vltim.* & *lib.* 1. *diſtinct.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1. negando Maiorem, & Minorem; nam ex parte intellectus nec eſt perfectionis, nec imperfectionis; ſed imperfectio ſtat ex modo concipiendi. Quare imperfectio entis rationis non tantùm ſtat ex parte obiecti, ſed magis ex parte modi ipsũ faciẽdi.

Et hæc de Ente Rationis, ad Laudem Dei, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & Seraphici Doctoris Sancti Bonauenturæ.

TRACTATVS SECVNDVS, BIPARTITVS.

PARS PRIMA.

De Formalitatibus, ſeu de Identitatibus, & Diſtinctionibus.

PRÆLVDIVM.

41. TRACTATVS iſte propriè ſpectat ad Metaphyſicum, qui conſiderat per ſe ens abſtractum, eiuſque proprietates, & modos. Sed quia cognitio identitatis, vnitatis, & diſtinctionis rerum, ob idque & formalitatum eſt abſolutè neceſſaria ad eorum perfectam notitiam comparandam, quæ traduntur in Logica, & in Philoſophia; hinc breuis tractatus ante omnes alios poſt conſiderationem entis rationis hîc ſubjicitur, deſumptus ex variis Seraphici Doctoris ſcriptis

INSCRIBITVR hic tractatus *de Formalitatibus* iure merito; nam licèt agatur etiam de identitate, & diſtinctione reali; attamen quia potiſſimæ difficultates ſunt circa formalitates, & diſtinctionem formalem, hinc ab hac parte ſumitur denominatio.

AVTHOR Formalitatum communiter fertur Scotus; ſed immeritò, nam & Thomiſtæ habent etiam peculiarem ſermo-

nem

nem de hac materia, vt videre eſt præcipuè in Aquario, qui integrum de ipſa ſcripſit librum: item & in Bartholomeo Manzolio, aliiſque. Tum etiam, quia plurima, quæ Scotus ſcripſit, notauit, & docuit, mutuauit ipſe à S. Bonauent. vt quiſque poterit patenter videre voluendo vtriuſque Doctoris ſcripta. Nec id eſt mirum; nam cùm paulò ante ingreſſum Scoti in Seraphicum Ordinem obiiſſet Seraphicus Doctor, & cùm eſſet recens eius ſanctitatis, & ſubtiliſſimæ doctrinæ memoria, etiam ipſius ſcripta tunc præ manibus omnium Fratrum Minorum voluebantur, & à Magiſtris in Scholis explicabantur, vt videri poteſt in Chronicis Ordinis Minorum, *part.* 2. Cuius veritatis non modicum argumentum habetur ex operibus Ricardi de Mediavilla, Stephani Brulefer, & aliorum, in quibus patet manifeſtè, tantos Doctores ex fonte Seraphico hauſiſſe plurima, & præcipuas ſubtilitates, quas poſteà cum tanto decore ampliauerunt, & ſua ipſorum ſcripta exornarunt. Idem & eueniſſe credendum eſt Scoto, qui poſteà ob eminentiam ſui ingenij à nemine forſan vnquam æquatam, & plura addidit, & inuenit, & concinnauit tam ſubtiliter, doctè, & egregiè, quod meritò nomen Subtiliſſimi Doctoris adeptus eſt.

Hinc cùm & Seraphicus Doctor ſæpiſſimè tractet de hac eadem materia, operæpretium duxi omnia loca Seraph. Doct. ſparſim tradita in vnum concinnare, & per plures quæſtiones explicare, & hoc vt habeantur fundamenta propria à ſequentibus doctrinam Seraphicam, & vt poſtea meliùs eius ſenſus in Philoſophia, & in Theologia attingatur. Quare Seraph. Doctoris auxilio confiſus, primo loco Textum Seraphicum apponam, deinde Scholium ſuper dictum Textum, & tandem quæſtiones proponam, & ſoluam eodem ferè ordine, quo ab aliis Formaliſtis proponuntur.

Digitized by Google

TEXTVS SERAPHICVS.

A. 42. ENS aliud eſt in anima, aliud extra animam; ideſt, aliud reale, aliud rationis. *Serm.* 4. *in Hexaem. & Itiner. ment. cap.* 3.

B. Ens reale aliud eſt per ſe, ideſt vnum per ſe, vt homo: aliud eſt ens per accidens, vt album.

Item aliud eſt ſubſtantiuè, aliud adiectiuè: ideſt, aliud eſt per ſe, aliud cum alio.

Item aliud eſt ad ſe, ideſt abſolutum; aliud ad alterum, ideſt relatiuum.

Item aliud in actu, ideſt extra ſuas cauſas; aliud in potentia, ſcilicet ſuæ cauſæ.

Item aliud creatum; aliud increatum.

Item aliud ſubſtantia; aliud Accidens.

Item aliud vniuerſale; aliud particulare.

Item aliud vnum, aliud multa; aliud ſimplex, aliud compoſitum; aliud cauſa, aliud cauſatum. *Serm.* 4. *&* 11. *Hexaëm. Itiner. ment. cap.* 3. *& lib.* 1. *diſt.* 23. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 4. *& lib.* 1. *diſtinct.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 4. *& lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 2.

C. Modi entis ſunt exiſtentia, ſubſiſtentia, & inhærentia. Primus competit omni rei extra ſuas cauſas: Secundus ſubſtantiæ: Tertius accidentibus. *Serm.* 4. *Hexaëm. & lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *in corp. & quæſt.* 3. *in argum.* 6. *ad oppoſ.*

D. Proprietates Entis aliæ ſunt incomplexæ, ſuntque Vnum, Bonum, & Verum: Aliæ complexæ, quæ non conueniunt & ſimul, & ſemel enti, ſed ſub diſiunctione: & ſunt Idem, & Diuerſum; Actus, & Potentia; Contingens, & Neceſſarium. De quibus eſt peculiaris conſideratio in Metaphyſica. (Ad rem noſtram tantùm ſunt Vnitas, Identitas, & Diſtinctio;) de his enim tantùm hîc eſt agendum. *Itiner. ment. cap.* 3. *& lib.* 1. *diſtinct.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 4. *in corp. & lib.* 1. *diſtinct.* 4. *dub.* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 2. *& lib.* 4. *diſtinct.* 14. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp. & in Breuil. part.* 1. *cap.* 6. *& in opuſc. Princip. ſacr. Script. & ſerm.* 4. *& ſerm.* 11. *Hexaëm.*

E. VNITAS eſt multiplex. Alia eſt ſimplicitatis (eſtque formalis ad mentem Seraph. Doct.) eſtque propriè in principiis. Alia eſt totalitatis, ſeu plenitudinis; eſtque propriè in principiatis. Alia eſt vniuerſalitatis, ſeu conformitatis, ſeu in vniuerſalibus. Alia eſt indiuidualis, eſtque in indiuiduis, & ſuppoſitis, & dicitur innumeroſitatis. Alia eſt vnitas eſſentiæ, ſeu formalis, ſeu eſſentialis. Vnitas vniuerſalitatis, ſeu communicabilitatis eſt ſecundùm genus, vel ſpeciem, & venit ex parte *quo* ipſius rei. Vnitas verò numerica venit à parte *quod*, & *qui* rei; hacque multiplicata multiplicatur & ipſum *quo*. Quæ autem differunt genere, vel ſpecie, dicuntur differre ratione: quæ verò numero, dicuntur differre re. Et in his idem, & diuerſum diuidunt ens, non verò in illis: illa enim diſtinctio venit ex parte eſſentiæ, iſta ex parte materiæ cum forma. Et hinc propriè diſtinctio numerica non cadit in Deo, niſi cum addito perſonalitatis. *Serm.* 11. *Hexaëm. & lib.* 1. *diſt.* 19. *quæſt. vlt. & lib.* 1. *diſtinct.* 24. *quæſt. vltim.*

F. HINCQVE ſequitur, quod omnis diuerſitas, & vnitas naturalis, quæ eſt in rebus creatis, ad hæc capita reducitur, ad genericam, ſpecificam, & numericam, vel ad vnitatem definitionis, ſcilicet ad formalem, & eſſentialem, & ad collectiuam, ſeu aggregatiuam. *Lib.* 3. *diſtinct.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp. & lib.* 3. *diſtinct.* 6. *art.* 2. *quæſt.* 2. *fund.* 2. *& ad vltim. & lib.* 1. *diſtinct.* 24. *quæſt. vltim. & diſtinct.* 19. *quæſt. vltim.*

G. VNITAS autem, ſeu vnum quoad modum intelligendi, explicandique dicit priuationem diuiſionis; quoad ſuam rationem formalem verò dicit formaliter quid poſitiuum, cùm ſit tale ratione formæ, & perfectionis poſitiuæ; ob idque addit aliquid poſitiuum enti. *Lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 1.

H. VNITAS autem in ſubſtantia dicitur identitas, cuius oppoſitum eſt diſtinctio, ſeu diuerſitas, ſeu alietas, ſeu non identitas. In quantitate dicitur æqualitas, eiuſque oppoſitum dicitur inæqualitas, ſeu pluralitas quantitatiua. In qualitate dicitur ſimilitudo, eiuſque oppoſitum diſſimilitudo. Quæ omnia dicunt quid poſitiuum formaliter. *Lib.* 1. *diſtinct.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 1. *& dub.* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 19. *art.* 1. *quæſt.* 1.

I. HINC eſt, quod valde differunt inter ſe diuerſitas, multiplicitas, diuiſio, & ſeparatio, quia ſe habent vt ſuperius, & inferius. Omnis

Omnis enim ſeparatio & diuiſio eſt multiplicitas, & diuerſitas, ſed non è conuerſo. Item omnis multiplicitas eſt diuerſitas, ſed non è conuerſo, & iſta non recipiuntur in diuinis. *Lib.* 1. *diſt.* 24. *dub.* 1. *& lib.* 1. *diſtinct.* 2. *dub.* 7.

K. SEQVENTIA verò recipiuntur in diuinis, alietas, pluralitas, diſcretio, & diſtinctio, quæ ſimiliter ſe habent vt ſuperius, & inferius inter ſe. Omnis enim diſcretio eſt diſtinctio, pluralitas, & alietas, non è conuerſo, & ſic procedendum ordinatè. Diſtinctio & diſcretio dicuntur per comparationem ad noſtram cognitionem: diſcretio per comparationem ad viſum (ex *dis*, & *cerno*.) diſtinctio ad tactum (ex *dis*, & *tactus*, vel *tinctio*, & ſignatio plurium, quâ exigitur, quod vnum non ſit aliud.) Alietas, & pluralitas dicuntur per comparationem ad rem; alietas per modum ſubſtantiæ; pluralitas per modum quantitatis. Pari modo vnitas, ſingularitas, & ſolitudo ſe habent vt ſuperius, & inferius: omnis enim ſolitudo ſupponit ſingularitatem, & vnitatem, ſed non è conuerſo: ob idque Deus dicitur vnus, nec ſingularis, nec ſolus, quia cum vnitate ſtat communicabilitas, quæ remouetur à ſingularitate, & ſolitudine. *Lib.* 1. *diſt.* 24. *&* 2. *cit.*

L. CVM autem idem, & diuerſum non ſint oppoſita contradictoriè, ob id ſufficienter non diuidunt ens; datur enim medium, hincque oritur diſtinctio in rebus, ſcilicet quæ eſt inter rem, & rem; & quæ eſt inter gradus, vel formas, ideſt formalitates. Prima, ſi eſt cum quantitate, & materia, eſt abſoluta ſuppoſitorum, & formarum, ſeu eſſentiarum compoſitarum: ſi eſt tantùm originis, & ſuppoſitorum tantùm, eſt ſine compoſitione. Prima eſt in creatis; ſecunda propriè eſt tantùm in Diuinis. *Lib.* 1. *diſt.* 4. *dub.* 2. *& lib.* 1. *diſtinct.* 19. *quæſt. vltim. ad vltim. & lib.* 1. *diſt.* 2. *dub.* 7. *& lib.* 1. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & diſt.* 11. *quæſt.* 1. *in argum. & lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *artic.* 1. *quæſt.* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 24. *dub.* 1. *& art.* 1. *quæſt.* 1. *& art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 5. *dub.* 2. *& art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſtinct.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2.

M. DISTINCTIO, quæ ab aliis dicitur realis, poteſt appellari diuiſio, ſeparabilitas, multiplicitas, diuerſitas, alietas, pluralitas, diſcretio, & diſtinctio, ideſt abſolutè ſumpta, vel diſtinctio inter rem, quatenus res dicitur à *ratus, rata, ratum.* Item diſtinctio formarum, ſeu formalis diſtinctio, vt exercita, vt res, vt modus, vel ſecundùm eſſe,

vel

vel ſecundùm pluralitatem diſtinctionum. *Lib.* 1. *diſtinct.* 4. *dub.* 1. *&* *art.* 1. *q.*2. *& diſt.*5. *dub.* 2. *& art.* 1. *per tot. & diſt.* 10. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& diſt.*19. *part.*2. *q.*2. *ad* 4. *& diſt.*8. *part.* 2. *art.*1. *q.*1. *& diſt.*24. *dub.* 1. *& diſt.* 25. *dub.* 2. *&* 3. *& diſt.* 23. *dub.* 4. *& diſt.* 34. *quæſt.* 1. *& lib.*2. *diſt.*37. *dub.* 1. *& lib.* 3. *diſt.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad argum.*

N. HABETQVE tres gradus. Primus ſecundùm diſtantiam localem : Secundus ſecundùm differentiam eſſentialem : Tertius ſecundùm relationem. Res enim dicitur à *reor*, *reris*, & à *ratus*, *rata*, *ratum*. Primo modo comprehendit omne cognoſcibile, vel quod habet eſſe à parte rei conceptibile, vel quod habet eſſe tantùm ex actibus animæ, ideſt obiectiuè tantùm in intellectu : Secundo modo ſignificat rem habentem propriam ratitudinem, ideſt exiſtentiam. *Lib.* 1. *diſt.* 10. *art.*2. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 25. *dub.* 3. *& lib.* 2. *diſt.*37. *dub.*1.

O. DISTINCTIO medians inter idem, & diuerſum (quæ ab aliis appellatur formalis) poteſt variis nominibus appellari, ſcilicet ſecundùm modum ſe habendi; item rationis, ideſt conceptus obiectiui; ſecundùm attributionem, ſecundùm habitudinem, diſtinctio graduum, & ordinis; ſecundùm modum, ſecundùm varietatem formarum, & eſſentiarum, & media diſtinctio. *Lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *dub.* 2. *& q.* 2. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 9. *art.* 1. *q.* 2. *ad vlt. & lib.* 1. *diſt.* 35. *quæſt.* 2. *& diſt.*40. *quæſt.*1. *& diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.*4. *& lib.*1. *diſtinct.*33. *quæſt.*1. *& diſt.* 34. *quæſt.* 1. *& diſt.* 26. *quæſt.* 1. *ad* 6. *& diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.*3. *eiuſdem lib.*1. *& lib.*2. *diſt.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *& lib.* 2. *diſt.*25. *dub.* 3. *& part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *& lib.*2. *diſtinct.*1. *part.*1. *art.* 3. *quæſt.*2. *& lib.*3. *diſt.*27. *art.*1. *quæſt.*1. *& breuil. part.*1. *cap.* 4. *& centil. part.*3. *ſect.*2. *& lib.*2. *diſt.*37. *dub.*1.

P. VLTRA ſupradictas datur alia diſtinctio (quæ ab aliis dicitur rationis ratiocinatæ, vel ratiocinantis,) & eſt, quæ fit per rationem, & operationem intellectus, vel reſoluentis, vel componentis. *Lib.* 1. *diſt.*8. *part.*1. *dub.*5. *& lib.*1. *diſt.*27. *quæſt.* 3. *in corp.*

Q. PRIMA (ideſt rationis ratiocinatæ,) habet fundamentum tum in nimia perfectione obiecti, tum in imperfectione intellectus non valentis vnico actu totam rationem obiecti comprehendere; ideo diſtinguit, quæ ſunt vnum, & idem à parte rei : ſic diſtinguitur bonitas diuina à ſapientia, & cætera attributa : & ob id appellatur diſtinctio ſecundùm intellectum rationalem, & tunc intellectus in operando di-

Digitized by Google

citur ſemiplenus: quare differentia ſtat tantùm ex parte modi intelligendi, & ſignificandi, & hæc ſufficit ad tollenda contradictoria. Appellatur etiam diſtinctio ſecundùm rem conceptam. *Lib.1.diſt.45.art.2. q.1. & diſt.22.q.2. ad 3. & 4. & diſt. 27. art.1. q.3. & diſt.34. art.1. q. 2. & diſt. 8. part. 1. art. 1. quæſt. 1. ad argum. & diſt. 7. quæſt. 3. & 4. & diſt. 35. quæſt. 2. 3. & 4. & diſtinct. 34. art. 1. quæſt. 1. ad 5. & quæſt. 2. & diſt.5. art. 1. quæſt. 1. ad 1. & dub. 2. & diſt. 4. dub. 1. & diſtinct. 19. part. 2. art. 1. quæſt. 2. ad 4. & diſtinct. 14. quæſt. 2. ad argum. & diſt. 41. art. 2. quæſt. 1. & diſtinct. 18. art. 1. quæſt. 5. ad vlt.* Omnia *in libro primo Sent. & lib.3. diſt.5. art.1. quæſt.1. ad 4. & ſerm.11. Hexaëm.*

R. Alia diſtinctio (quæ ab aliis dicitur ratiocinantis) eſt, quando ſtat tantùm in nomine, vel modo dicendi; eſtque ſecundùm intellectum phantaſticum, & cum deordinatione. *Lib.1. diſt. 18. art. 1. quæſt. 5. ad vlt. & lib. 1. diſt. 7. quæſt. vltim. in corp. & lib.1. diſtinct. 34. art.1. quæſt.1. ad 2. & lib.1. diſt. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 1. & 2. & lib.2. diſt.5. art.1. quæſt.2. & lib.3. diſt. 37. dub. 1. & lib.2. diſt.37. art.1. quæſt. 3. & lib.1. diſtinct. 22. art.1. quæſt. 2.*

Scholium ſuper Textum Seraphicum.

43. Primò Nota, quod aliqui pauci termini additi ſunt à nobis (ſignati per parentheſim) ad textum, ad clariorem intelligentiam ipſius textus.

Secundò Nota, quod S. Doct. ſupponit, quod ab omnibus admittitur, nempe ens, & rem eſſe ſynonyma: ob idque ſumpta tranſcendentaliſſimè dicere quid commune, vel æquiuocum, vel analogum ad ens reale, & rationis.

Tertiò Nota, quod ens poteſt ſumi vel verbaliter, ſiue adiectiuè, vt loquitur Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 23. art. 2. quæſt. 2. ad vlt.* ideſt vt participium verbi *Sum, es, eſt*; vel nominaliter, ſiue ſubſtantiuè, & vt nomen ſubſtantiuum deriuans ab eodem verbo *Sum.* Primo modo ſumptum ſignificat concretum ex exiſtentia, & eſſentia, ſed primariò exiſtentiam, ideſt quod eſt actu. Secundo modo ſignificat in concreto ipſam eſſentiam, ideſt rem habentem formam eſſentiæ, & quidditatis; & hoc ſecundum ſpectat ad Metaphyſicum propriè, & ad noſtrum intentum; dicitque quid commune, æquiuocum ad eſſentiam realem, & rationis. Et hæc realis magis propriè ſtat, vel pro re completa capaci exiſtere per propriam exiſtentiam, vel pro re reali non capaci exiſtere propriâ exiſtentiâ; ob idque ſignificat formam in eſſe diminuto, vel formalitatem, vel realitatem; eſt enim (licet minimæ entitatis) talis, quæ poteſt concipi ab intellectu obiectiuè vt quid diſtinctum à quacunque alia re.

Idemqve dicitur de hoc nomine, *Res*; nam provt dicitur à *reor, reris*, ſignificat rem, vel quæ habet modum,

dum aliquem in anima, ideſt rationem conceptibilem in ſe, eſtque idem quod realitas, & formalitas, licèt Seraph. Doctor eam appellet vtpluriṁum nomine vel rationis, ſcilicet obiectiuæ, vel formæ, vel gradus, ſcilicet metaphyſici, vel aliis terminis, vt dictum eſt in textu *ad literam O.* Vel ſecundò ſignificat rem ſecundùm modum, qui ineſt ei ab actibus animæ, & dicitur ens rationis, vt genus, ſpecies, ſubiectum, prædicatum, vt docet *lib. 1. diſt. 25. dub. 3.* & *lib. 2. diſt. 37. dub. 1.* Prout verò dicitur à *ratus, rata, ratum*, ſignificat rem habentem eſſe fixum in ſe, ideſt completam, & exiſtentem. Ex quibus conſtat, quod cùm iſtis entibus competat propria, & proportionata entitas, vnitas, & diſtinctio; hinc & oritur multiplex diſtinctio, & identitas, de quibus agitur in hoc tractatu.

Qvartò Nota, quod tempore S. Bonauent. vocabula, quibus nunc in Scholis vtuntur ſcholaſtici circa has identitates, & diſtinctiones, non erant in vſu; hinc aliis terminis eas explicat tunc eo tempore vſitatis, quibus tamen exprimit earum quidditatem, & ſuum ſenſum proprium, quos & reducemus ad vſum temporis præſentis.

Qvintò Nota, quod ſicut datur multiplex gradus in vnaquaque diſtinctione, & identitate: ſic & S. Doct. eas diuerſis terminis explicauit, vt patet *lib. 1. diſt. 26. art. 1. quæſt. 1. ad 2.* vbi nomine rationis ſe explicat, poſſe ſtare eſſentiam, formalitatem, & ens rationis, quæ ſecundùm ſubiectam materiam debent diſcerni: quod & nos in quæſtionibus ſequentibus aduertemus, & exequemur.

Sextò Nota, quod Seraph. Doctor *lib. 1. diſt. 33. dub. 1. & quæſt. 1. & 2.* & *lib. 1. diſt. 19. part. 2. art. 1. quæſt. 2. ad 4.* docet, nempe quod Pater alio eſt Deus, alio Pater: ibique ſe explicat, Deitatem dicere aliquam differentiam à parte rei à paternitate. Et deinde *lib. 1. d. 33. dub. 4.* dicit eſſe differentiam ſolùm in ratione intelligendi, & dicendi, & ob id videtur ſibi contradicere. Attamen ibi ſe explicat, quod ſumit modum intelligendi, prout præſupponitur aliqua diſtinctio in re. Idem & *lib. 2. diſt. 38. dub. 3.* & *lib. 3. diſt. 8. art. 2. quæſt. 2. ad 5.* & *lib. 1. diſt. 5. quæſt. 1. ad argument.* Vnde in his, & ſimilibus aduertenda eſt ſemper ſubiecta materia, & modus, quo ipſam refert, vt habeatur ſenſus verus Seraph. Doctoris.

Septimò Nota, quod *ad literam K*, dicit diſcretionem, & diſtinctionem dicere comparationem ad noſtram cognitionem: & ſenſus eſt, quod prima inſtitutio talium vocabulorum orta eſt ex tali comparatione, licèt poſteà exprimant veram diſtinctionem à parte rei.

Et ſi alia ſuperſunt notanda, & explicanda, in ſequentibus quæſtionibus fuſiùs tradentur.

Vt autem meliùs percipiantur ea, quæ tradit S. Doct. & diſcrimen, quod eſt in eius doctrina à doctrina Thomiſtarum, & Scotiſtarum; hic ſubijciuntur ſummariè ea, quæ vtraque Schola tradit.

Explicantur ſummariè diſtinctiones Thomiſtarum ex Aquario.

Primò diſtinctio realis, ipſiuſque varij gradus.

44. Prima diſtinctio realis eſt inter ea, quæ exiſtunt per ſe, & poſſunt ſeparari, & ſeparata conſeruari, vt Petrus, & Paulus: & appellatur diſtinctio realis realitate exiſtentiæ.

SECVNDA eſt inter rem includentem intrinſecè aliquid reale, & non illud includentem, vt inter animal, & hominem; inter ſuppoſitum, & naturam.

TERTIA dicitur realis eſſentialis inter duas eſſentias realiter diſtinctas, licèt ambæ ſint in eodem ſuppoſito, vt in lacte albedo, & dulcedo.

QVARTA eſt realis relatiua, vel inter perſonas diuinas, vel inter duas relationes.

QVINTA eſt modalis inter rem, & modum, vt inter Petrum,& ſeſſionem; vel inter duos modos, vt inter ſtare,& ſedere.

SEXTA eſt priuatina, ſeu negatiua, quando vnum extremum habet aliquid, & aliud illo caret, vt inter Petrum album, & non album.

Secundò, Diſtinctio rationis, eiuſque gradus.

45. PRIMA dicitur diſtinctio rationis ſecundùm rem conceptam, ſeu rationis ratiocinatæ, ſeu ſecundùm modum ſignificandi, vt homo, humanitas, bonitas, ſapientia in Deo: & appellatur etiam virtualis, quia virtualiter intellectus habet fundamentum in re diſtinguendi illa.

SECVNDA dicitur Grammaticalis, ideſt ſecundùm modos grammaticales, vt inter verbum, & participium.

TERTIA dicitur ſecundùm rationem concipientem, vel ratiocinantem, eſtque ſine fundamento in re, vt quando intellectus loco duorum vtitur vno, vt Petrus eſt Petrus.

Explicantur Identitates oppoſitæ in ſententia Thomiſtarum.

46. PRIMA identitas oppoſita diſtinctioni reali maximæ eſt, quâ aliqua ſunt ita vnum, vt non poſſint exiſtere vnum abſque alio, vt in diuinis intellectus, & voluntas.

SECVNDA eſt eorum, quorum vnum includit intrinſecè, vel extrinſecè aliud, & quicquid in hoc includitur, vt Deus, & Deitas; homo, & humanitas.

TERTIA dicitur non alietas, ſeu vnitas aliquorum, quæ identificantur vni eſſentiæ ſingulariſſimæ, vt diuinæ Perſonæ ineſſentia, prædicata eſſentialia in homine.

QVARTA eſt identitas rerum abſolutarum nullum reſpectum importantium, vt abſoluta in Deo.

De Identitatibus rationis.

PRIMA identitas rationis eſt, quâ abſolutè non poſſunt verificari contradictoria, vt Petrus eſt idem ſibi.

ALIA identitas rationis non datur oppoſita diſtinctioni rationis ratiocinatæ.

De Diſtinctionibus, & Identitatibus Scotiſtarum.

47. ANTIQVI Scotiſtæ, qui dicuntur Formaliſtæ apud Fabrum in tractatu de Formalitatibus, & apud Meldul. *in Metaph. diſp.6.* & apud Steph. Bruleſer tractatu de Formalitatibus, plures diſtinctiones reales, formales,& rationis aſſignabant, quæ tamen rejiciuntur à ſupradictis, & ab omnibus recentioribus, & hîc ſubjiciuntur, vt habeatur notitia ſaltem terminorum, quibus ab ipſis tradebantur.

PRIMA diſtinctio realis dicitur Maxima, eſtque inter res ſeparabiles, vt inter Petrum, & Paulum.

SECVNDA eſt diſtinctio negatiua inter

inter duas negationes, vt inter tenebras, & cæcitatem, vel inter extrema, quorum vnum eſt negatiuum, aliud eſt poſitiuum, vt inter tenebras, & lucem.

Tertia dicitur poſitiua, eſtque inter entia poſitiua, quorum vnum non eſt aliud; & hoc vel eſſentialiter, eſtque vel inter varia genera, vel ſpecies: vel accidentaliter, vt inter album, & nigrum, quia verè vna eſſentia negatur de altera. Eſſentialis etiam appellatur, vt inter partes, & totum; inter cauſam, & effectum. Ad hoc caput reducunt diſtinctionem, quæ eſt inter rem, eiuſque modum extrinſecum, vt inter Petrum ſedentem, & ſtantem.

Qvarta appellatur ſe totis ſubiectiuè, eſtque inter realitates ſeparatas loco, vt inter rationalitatem Petri, & riſibilitatem Pauli; eſtque eadem, ac diſtinctio realis maxima.

Qvinta dicitur ſe totis obiectiuè, eſtque inter duo extrema, quæ in nullo conceptu obiectiuo, & quidditatiuo conueniunt, vt rationalitas, & irrationalitas; & dicitur etiam diſtinctio realis eſſentialis.

Identitates oppoſitæ etiam aſſignantur, quæ ex oppoſito dictarum diſtinctionum poſſunt facilè cognoſci. Vnde docent identitatem realem eſſe eorum, quæ ab intrinſeco ſunt inſeparabilia ob vnicam exiſtentiam.

Identitatem eſſentialem eſſe eorum, quæ conueniunt in vnicam eſſentiam, vt genus, & differentia: Modalem inter rem, & modum intrinſecum.

Se totis ſubiectiuè eſſe eorum, quæ ſubjiciuntur eidem generi, vt rationale, & irrationale animali.

Se totis obiectiuè eſſe eorum, quorum vnum poteſt quidditatiuè de altero prædicari, quia conueniunt in aliquo conceptu obiectiuo vniuoco, vt Petrus, & Paulus reſpectu hominis: Petrus, & lapis reſpectu corporis.

Deinde aſſignant ſecundum caput diſtinctionum formalium: & tertium, ſcilicet diſtinctionum rationis, &c. earumque membra. Recentiores tamen ad tria capita omnes has diſtinctiones reducunt. Primum eſt diſtinctio realis maxima: Secundum eſt diſtinctio formalis, ſeu ex natura rei, eſtque inter formalitates: Tertium eſt diſtinctio rationis vel ratiocinatæ, vel ratiocinantis, vt dictum eſt ſuprà, & ſuo loco fuſiùs tradetur.

His præiactis deueniendum eſt ad quæſtiones, in quibus explicabitur ſenſus Seraphici Doctoris.

QVÆSTIO I.

Quid ſit formalitas, & res, ad ſenſum Seraphici Doctoris. Vbi plura, variaque ad plenam vtriuſque cognitionem ſpectantia traduntur.

48. Qvia diximus formalitatem, & rem differre, illamque eſſe tantùm rem in obliquo; ideo explicanda eſt primò natura vtriuſque, & differentia. Hinc

Primò notandum, & ſupponendum eſt ex traditis in textu ex S.Bonau.*lib.* 1. *diſt.* 25. *dub.* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 37. *dub.* 1. quod ens, ſeu res poteſt ſumi primò, provt dicit quid fixum, & completum per propriam exiſtentiam. Secundò, provt dicit rem in obliquo, provt importat aliquam minimam entitatem, non quidē exiſtentem propriâ exiſtentiâ, vt riſibilitas in homine; ſed tamen haben-

tem proprium conceptum obiectiuum. Tertiò pro re, quæ habet ſolùm eſſe per actus intellectus, & obiectiuè tantum in ipſo: quæ triplex diuiſio traditur à S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 36. *art.* 1. *quæſt.* 1. ſub nomine rationis tripliciter conſideratæ: nempe ratio primo modo ſumpta ſtat pro eſſentia, & quidditate perfecta: Secundò pro ratione obiectiua, & conceptibili, licèt incompleta, ſeu inadæquata: Tertiò pro ratione ſe tenente ex parte intellectus. Et hinc oritur triplex diſtinctio: Prima realis maxima: Secunda formalis inter realitates, & formalitates; dicuntur enim formalitates in eſſe diminuto, quia carent propriâ exiſtentiâ, nec poſſunt eſſe terminus phyſicæ cauſalitatis, vt eſt prima. Tertia eſt diſtinctio rationis.

49. Secundò Notandum, quod exiſtentia, & eſſentia non ſunt idem; nam eſſentia, vt notat S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 31. *part.* 2. *dub.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. ſignificat ipſam quidditatem in abſtracto, & vt præſcindentem ab exiſtentia: exiſtentia verò eſt modus ſubſtantialis, & intrinſecus ipſius eſſentiæ, quo ponitur extra ſuas cauſas. Vnde per exiſtentiam res tranſit ad extra de potentia ad eſſe actuale: verbi gratiâ, roſa in hyeme eſt in potentia, & virtute plantæ: in vere recipit exiſtentiam, ſcilicet nouum modum eſſendi, quia, dum erat in potentia, fit in actu. Sic Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 39. *quæſt.* 1. *ad* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 15. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 16. *art.* 1. *q.* 3. *in fine corp.* & alibi ſæpè. Hinc eſſentia ſpectat ad quæſtionem *Si eſt*, & importat id, quo eſt, & quod eſt. Exiſtentia ad quæſtionem *Quod eſt*, reſpicitque naturam, rem naturæ, ideſt indiuiduum, & ſuppoſitum, ideſt quod eſt, & qui eſt. Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* & *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *quæſt. vlt.*

50. Tertiò Notandum, quod ex ſupra traditis ſequitur, quod ſolùm eſſentia cum propria exiſtientia poteſt eſſe terminus phyſicæ cauſalitatis; producitur enim per veram, & propriam actionem, quâ intenditur productio talis eſſentiæ in actu; ob idque eſt tantum verè res in recto cum ſua indiuiduatione. Sic S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1. Alia verò, quæ carent propriâ exiſtentiâ, ſolumque comproducuntur cum ipſa re, vt eſt riſibilitas, rationalitas, animalitas, aliaque prædicata quidditatiua in homine, vel Petro, dicuntur realitates, & res in obliquo, vel aliquid rei; & à S. Doct. dicuntur rationes, ſcilicet obiectiuæ, vel formæ, ſcilicet obiectiuæ; vel naturæ: vtque id intelligatur,

51. Quartò Notandum, quod forma alia eſt phyſica, eſtque ſimul pars cum materia componens compoſitum: alia eſt Metaphyſica, & eſt, quæ habet eſſe non per phyſicam cauſalitatem, ſed per emanationem, vt rationalitas, animalitas. Et hæc eſt vel forma partis, vel totius. Prima eſt, quæ ſimul cum genere vel potentia conſtituit compoſitum metaphyſicum, vt animal rationale: hocque compoſitum, quod dicit eſſentiam metaphyſicam, dicitur forma totius. Sic Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. aliiſque locis pluribus: & hæc forma metaphyſica, ſiue partis, ſiue totius eſt, de qua hîc eſt ſermo. Nam de forma phyſica agitur in Phyſica. Vnde dicitur formalitas non ſolùm in eſſe diminuto, vt vult Meld. *diſp.* 6. *Met. n.* 161. ſcilicet quatenus importat formam partis; ſed etiam quia formalizat rem, & dicitur etiam

de

de forma totius cum S. Bonauent. vt infrà dicemus. His poſitis ſit

52. Prima Conclvsio : Id quod habet eſſe à parte rei abſque opere intellectus, rectè, & adæquatè diuiditur in rem, & realitatem, ſiue formalitatem. Eſt S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 25. *dub.* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 37. *dub.* 1. vt explicatum eſt in Textu, & ſuprà in prima notatione : ſcilicet res appellatur à Seraph. Doct. & à Scotiſtis res in recto, vel res habens eſſe fixum, ideſt exiſtentiam; vel entitas abſoluta, ideſt abſolutè habens eſſe. Sic Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 35. *art.* 1. *quaſt.* 3. *ad* 5. *&* *locis cit.* Secunda appellatur realitas, vel formalitas à Scotiſtis, & à S. Doct. forma, & aliquando ratio, ſcilicet obiectiua, & aliquando natura. Sic *lib.* 1. *diſt.* 25. & *lib.* 2. *diſt.* 37. *cit. & dub.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 35. *cit.* & *lib.* 3. *diſt.* 5. *art.* 2. *quaſt.* 1. *argum.* 4. *ad oppoſ.*

Probatvr primò ex Ariſtot. *in prædicament. Subſt.* vbi poſtquam dixit primam ſubſtantiam eſſe ſecundarum ſubſtantiarum ſubiectum, quæ ſunt genera, & ſpecies, concludit : Non ergo exiſtentibus primis ſubſtantiis impoſſibile eſt aliquid aliorum eſſe, ideſt exiſtere : ergo ad mentem Ariſtot. dantur ſubſtantiæ ſecundæ, quæ non habent propriam exiſtentiam. Idem & primo Phyſ. *text.* 29. arguens contra eos, qui aſſerebant omnia eſſe vnum, concludit, quod etiamſi nullum daretur ens præter ſubſtantiam; attamen cùm ea ſit definibilis per genus, & differentiam, eſſet quid conflatum ex pluribus eſſentialiter; ob idque neceſſariò deberet admitti multitudo componentium : at nullius eſſet momenti argumentum, ſi illa duo, genus, & differentia, eſſent per intellectum, & non à parte rei. Idem & 1. *Phyſ. text.* 60. confirmat dicens, idem eſſe aliqua eſſe vnum, vel duo formâ, & ratione : probans, quomodo ſubiectum primum ſit vnum cum priuatione, & quomodo duo : forma enim, cùm ibi cauſaliter ſumatur in ratione cauſæ formalis, patet, quàm meritò Ariſt. ibi cognouerit formalitates, quæ & ipſæ formæ ſunt, quia ordinantur ad ſubiectum, quod formalizant, & de quo prædicantur, vt de ſuo ſubiecto; & hæc eſt cauſa, quare S. Bonauent. vtplurimùm eas nuncupet ſub nomine formæ, & rationis. D. Aug. *lib.* 7. *de Trinit. cap.* 4. dicit rem habere propriam exiſtentiam his verbis : *Omnis res ad ſeipſam ſubſiſtit, ideſt exiſtit.* D. Bernard. *ſerm.* 80. *in Cant.* ait : *Anima, & anima magnitudo, etſi inſeparabiles, diuerſa tamen ab inuicem ſunt.* Ergo anima, & eius magnitudo, ſcilicet virtus, diſtinguuntur vt res à formalitate, quæ ſine ea non poteſt eſſe.

Probatvr deinde ratione. Primò, dantur aliqua entia realia, quæ ſunt capacia propriæ exiſtentiæ, & aliqua, quæ nequaquam; & ob id illa ſunt terminus Phyſicæ cauſalitatis, iſta nequaquam, ſed ſolùm comproducuntur : & tamen remanent in eſſe, quatenus exiſtunt in prima ſubſtantia : ergo datur differentia inter rem, & formalitatem. Conſequentia patet ex ratione adducta. Antecedens etiam patet, quia Petrus producitur, vel humanitas Petri : & comproducitur in eo rationalitas, animalitas, riſibilitas. Ergo verum eſt illud Antecedens.

Confirmatvr : Ad aures Thomiſtarum materia exiſtit exiſtentiâ formæ, & in eorum opinione accidentia exiſtentiâ ſubiecti; humanitas Chriſti exiſtentiâ Verbi. Ergo dantur res, quæ non habent propriam exiſtentiam, & tamen diſtinguuntur à re habente propriam exiſtentiam : ſed iſta, quæ non habent

habent propriam exiſtentiam, dicuntur formalitates: ergo datur vtrumque.

Nota tamen, quod ex hoc exemplo contra nos non licet inferre, ſupradicta eſſe formalitates; nam in opinione Seraphica habent & propriam exiſtentiam, & ſunt terminus phyſicæ cauſalitatis; ſed tantùm vtimur illis exemplis ad hominem contra Thomiſtas non admittentes res, niſi quæ habent propriam exiſtentiam; & quæ illâ carent, dicunt eſſe ens rationis.

Probatvr ſecundò. Si non dantur plures formæ, ſiue formalitates, vna, & eadem entitas, de qua illæ prædicantur, & cui ex natura rei conueniunt, non poterit intelligi diuerſis conceptibus ſe tenentibus ex parte entitatis rei, ſed erunt tantùm plures voces, & nomina, quibus eadem res vocabitur: & ſi hoc, ergo intellectus ſeipſum deciperet, & nugabitur. Conſequens eſt abſurdum: ergo & antecedens.

Confirmatvr, & explicatur ampliùs. Cùm dico *Petrus eſt homo, Eſt animal, Eſt viuens, &c.* vel iſta prædicata dicunt aliquid diuerſum à parte rei, vel non. Si non, ergo idem omninò erit vtrumque extremum, & conſequenter vtrumque monebit intellectum eodem modo, quoad conceptus obiectiuos: ergo tunc erit talis prædicatio vel identica, vel nugatoria, ſolùmque quoad vocem erit formalis. Sed omnia hæc ſunt abſurda: ergo primum dicendum eſt. Ergo dabitur res, & realitas diſtincta.

Respondent Thomiſtæ, ſufficere differentiam rationis, ne fiat nugatio, licèt quoad rem ſit propoſitio identica, vt etiam euenit in diuinis, dicendo, *Deus eſt bonitas, &c.*

53. Contra: In diuinis tales prædicationes admittuntur ob ſimplicitatem, & infinitatem extremorum: ſed in creatis non adeſt hæc ratio: ergo nec admittitur talis prædicatio niſi cum nugatione. Hincque S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. docet cum communi, in creatis non admitti prædicationes identicas, niſi cùm idem enuntiatur de ſeipſo: ſed omnes ſunt formales, quas ipſe vocat per inhærentiam, ideſt ad modum formæ, in quibus aliud ſupponitur, & aliud prædicatur; ſupponitur pro ſubiecto, & prædicatur forma: & hoc ob defectum ſimplicitatis, & infinitatis.

Obiicies primò. Implicat dari aliquid actu exiſtens, & quod careat propriâ exiſtentiâ; ſic enim exiſteret, & non exiſteret: ergo implicat dari tales formalitates carentes propriâ exiſtentiâ, cùm ſint actu, immò & actus.

Respondetvr negando Antecedens: ſunt quidem formalitates in rerum natura, cùm habeant propriam quidditatem: & etiam exiſtunt non ſeipſis, ſed vt dicit S. Doctor *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp.* vt in hoc, ideſt vt in indiuiduo communicante talibus formalitatibus exiſtentiam, quoad effectum exiſtendi ratione identificationis realis.

Contra inſtant Thomiſtæ: Tales formalitates vt ſic, ſunt actu, & ſimul etiam actus, quia formalizant ſubiectum: ergo & exiſtunt per ſe. Confirmatur, quia eſſentia rei in actu eſt per exiſtentiam.

54. Pro ſolutione huius obiectionis, in qua Thomiſtæ collocant vnum ex ſuis præcipuis fundamentis, aduerto, quod dictum eſt in ſecundo notabili, quibus addimus, quod eſſentia, & exiſtentia in re ſe habent ſecundùm prius, & poſterius: illa eſt primus conceptus obiectiuus; iſta ſecundarius, qui dicit eſſentiæ formaliter exiſtere. Vnde vt notat S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 3.

*art.*3.*quæſt.*2.*in corp.*& *lib.*1.*diſt.*26.*q.*3. *in fine corp.* ipſa eſſentia in actu poteſt ſumi vel ſecundùm reſpectum ad ſuam cauſam producentem, vel ſecundùm reſpectum ad ipſam exiſtentiam tribuentem formaliter exiſtere. Secundùm primum reſpectum præintelligitur ad exiſtentiam, non duratione, ſed naturâ: & in ſecundo inſtanti intelligitur habere formaliter exiſtere. Et hinc cùm eſſentia dicat actum entis primarium & abſolutum, & exiſtentia dicat modum conſequentem; ſequitur, quod licèt exiſtentia ſit modus intrinſecus eſſentiæ, provt tamen eſt quid conſequens, ſumitur vt quid extrinſecum. Cùm igitur formalitates comproducantur cum re, ſequitur, quod priùs intelliguntur in actu per ordinem ad cauſam producentem, quàm exiſtant exiſtentiâ rei. Quæ omnia docet S. Bonauent. *loc. cit.* & *lib.*1. *diſt.* 39. *art.*1. *quæſt.*1. *ad* 3. & *lib.*4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.*1.*q.*1. *ad* 3. & *lib.* 4. *diſt.*43. *art.* 1. *quæſt.*4. *in corp.* & *lib.*2. *diſt.*7. *part.* 2. *art.*2. *quæſt.*1. & *lib.*2. *diſt.* 15. *art.* 1. *quæſt.* 1. in quibus firmus ſemper docet eſſentiam dicere actum entis abſolutum, & primarium; exiſtentiam eſſe modum conſequentem eſſentiam.

Hinc reſpondetur primo argumento: Formalitates ſunt actu, provt intelliguntur habere eſſe à ſua cauſa, concedo; ſunt actu per propriam exiſtentiam, nego: hæc enim cùm ſit modus conſequens eſſentiam, ſecundùm quod eſt terminus phyſicæ cauſalitatis, ſolùm competit rei *vt quod*, id eſt indiuiduo; non realitati, quæ non eſt terminus ab agente intentus, vt aduertit Seraph. Doct. *lib.*1. *diſt.* 5. *art.*2. *q.* 1. & *lib.* 2. *diſt.*7. *cit. in reſponſione ad* 3. *&* 4. Quare potiùs dicitur conterminus, quàm terminus actionis phyſicæ: & ob id illis formalitatibus competit exiſtere exiſtentiâ indiuidui in ſecundo ſigno, cùm in primo ſigno præintelligatur eſſe actu per ordinem ad agens illas comproducens. Et ad id, quod dicunt, eſſentiam rei eſſe in actu per exiſtentiam propriam. Reſpondetur ex S. Bonauent. negando hanc propoſitionem abſolutè; ſunt enim priùs in actu, & deinde exiſtentia propria conſequitur, quando eſſentia eſt capax exiſtentiæ: aliena verò exiſtentia conſequitur in entibus, quæ non ſunt capacia propriæ exiſtentiæ; nam, vt dictum eſt, actus eſſentiæ refertur ad duo: ad agens, & hic conceptus antecedit: & ad exiſtentiam, & hic conſequitur; ſicque intelligitur actus eſſentiæ eſſe ab agente, non ab exiſtentia, niſi ſecundariò: & hinc ſequitur, quod formalitates præintelligantur habere eſſe à cauſa, antequam intelligantur exiſtere exiſtentiâ ſubiecti, cuius ſunt formalitates. Vide *in Phyſica lib.*1.*tract.*2.*q.*3. *num.*68. *& ſeq.* vbi hæc doctrina fusè explicatur.

Obiicies ſecundò: Quicquid eſt in mundo, vel eſt materia, vel forma, vel compoſitum, ex Ariſtot. 2. *Met.* à S. Bonau. citato *lib.* 2. *diſt.* 37. *dub.* 4. ſed formalitates non ſunt compoſitum, nec materia: ergo forma. Sed forma habet propriam exiſtentiam: ergo.

Respondetur ex S. Bonauent. *lib.*2. *diſt.* 37. *cit.* ad hæc tria addi ab Ariſtot. etiam eſſentiam, quæ ſtat pro forma; & hæc vel eſt per ſe ſtans, id eſt exiſtens, vel per aliud, vt eſt formalitas. Sic negatur Minor vniuerſaliter, & conſequentia.

Respondetur ſecundò, quicquid eſt, vel eſt forma, ſcilicet vel phyſica, vel metaphyſica, ſcilicet totius, vel partis, ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.*18. *art.* 1. *quæſt.*3. & *lib.* 3. *diſt.* 2. *art.*2. *quæſt.* 3. ſicque formalitates, & prædicata quidditatiua, quæ inſunt in ſubiecto

Digitized by Google

ſubiecto phyſico, ſeu in eſſentia phyſica, appellantur formæ, quia formalizant indiuiduum. Sic negatur Minor de forma metaphyſica, conceditur de phyſica. Illa enim conſiſtit in quidditate de ſe conceptibili, iſta in vera entitate producta, quæ eſt terminus phyſicæ cauſalitatis. Vnde falſum eſt, vel ſaltem inadæquata explicatio formalitatis, quam tradidit Faber in tractatu de Formalitatibus, *cap.* 1. dicens formalitates ideo appellari ſolùm, quia dicunt eſſe diminutum. Hæc ratio, inquam, vel eſt falſa, vel inadæquata; nam vt ait S. Doct. *cit. lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *dub.* 2. & *lib.* 3. *diſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. forma totius metaphyſica eſt compoſitum metaphyſicum, eſtque verè forma in recto: ſed dicuntur formalitates præcisè ex hoc, quod formalizant, & qualificant ſubiectum, ſiue habeant eſſe diminutum, ſiue non, vt Humanitas, Homo; & ob id poſſunt prædicari in recto de ſubiecto. Quare cùm compoſitum metaphyſicum, vt formalitas eſt, ſupponat phyſicum in quo, & per cuius exiſtentiam exiſtat, & quo deſtructo deſinit eſſe; ſequitur, quod & ipſum ſit formalitas conſtans ex formalitatibus, ſicut phyſicum conſtat ex rebus, & entitatibus: quod & rectè notauit doctiſſimus Bordonus *in quæſt.* 1. *formalitatum Scoti.*

Dices: Eſſentia rei eſt capax exiſtentiæ propriæ: ergo non eſt formalitas. Reſpondetur, diſtinguo: Eſſentia phyſica, concedo; eſſentia metaphyſica, nego, vt infrà dicetur.

Obicies tertiò: Si formalitas, ſeu quidditas formalitatis conſiſtit in hoc, quod caret propriâ exiſtentiâ, ſequitur, quod formaliter ſit negatio exiſtentiæ: ergo erit quid negatiuum.

Respondetur explicari per talem negationem, licèt habeat ſuam entitatem, vel quidditatem poſitiuam: & hoc ob defectum vocabulorum. Sic etiam (ait S. Bonauent. in ſimili, *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *artic.* 1. *quæſt.* 1.) explicamus vnitatem, quæ eſt quid poſitiuum à poſteriori per negationem diuiſionis.

Immò, cùm explicemus formalitatis rationem per capacitatem exiſtentiæ alienæ; rectè infertur, eſſentias rerum, & ipſas formalitates habere eſſe in ſuis cauſis, antequam actu recipiant exiſtentiam, vt benè docet S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3.

55. Et ſi quæras, quid ſit formalitas, & quomodo rectè poſſit definiri?

Meldvl. *diſp.* 6. *Met. n.* 161. eam deſcribit tali pacto: *Realitas, ſeu formalitas propriè eſt illa, quæ in ſe præcisè conſiderata non eſt res habens propriam exiſtentiam, & quæ ſit terminus phyſicæ cauſalitatis; ſed eſt aliquid rei, non quocumque modo ad modum partis, vt eſt verbi gratiâ materia, & forma aliquid compoſiti; ſed eſt aliquid rei per identitatem, quatenus eſt aliquis gradus eſſentiæ rei conceptibilis conceptu adæquato ſecundùm ſe.* Qua ratione infert, formam totius metaphyſicam non eſſe realitatem, cùm ſit tota res in recto, non aliquitas rei. Item nec vnitatem, bonitatem, & veritatem entis, quia ſunt inadæquatè conceptibilia, & inuoluentia in adæquato conceptu ipſum ens.

Qvæ deſcriptio à Bordono rejicitur, & iure merito (licèt & ipſe Bordonus nimis dilatet rationem realitatis,) cùm non ſit vera, & adæquata realitatis deſcriptio. Ratio eſt, quia Meldul. malè excludit à choro realitatum formam totius metaphyſicam, & proprietates entis: forma enim totius eſt vera realitas compoſita ex formalitatibus, vt dictum

Digitized by Google

dictum eſt. Item vnum, verum, & bonum, ſunt realitates, vt dicit S. Bonau. *lib. 2. diſt. 1. part. 1. art. 3. q. 2. in fine corp.* cùm habeant de ſe conceptum obiectiuum, dato etiam, quod ſit inadæquatus.

Est & hæc deſcriptio contra mentem Seraph. Doct. qui conſtanter collocat omnes formas, quæ non habent proprium eſſe fixum, propriamque exiſtentiam in numero realitatum, ſiue formalitatum; & ob id iure merito eas modò appellat ſub nomine formæ in recto, & non tantùm in eſſe diminuto; modò ſub nomine rationis, ſcilicet obiectiuæ; modò ſub nomine relationis, ſeu diſtinctionis mediæ; modò ſub nomine graduum, modò ſub nomine ordinis, ſcilicet ſecundùm priorem, & ſecundarium conceptum. Et hinc meritò ad mentem S. Doct. inter has realitates collocandæ ſunt forma totius, & forma partis metaphyſicæ, vnitas, bonitas, & veritas entis, quæ ſunt proprietates entis, vt patebit in ſequentibus quæſtionibus.

Dixi & Bordonum nimis dilatare formalitates, cùm eas extendat etiam ad relationes, & ad accidentia abſoluta, vt videre eſt in tractatu Formalitatum, *quæſt. 5. n. 6. & quæſt. 4. n. 82.* & alibi ſæpè: quod tamen falſum eſt; nam accidentia phyſica habent propriam exiſtentiam; quodque & ipſe agnouit, & notat in calce quæſtionis, *ſub n. 121.* Vnde videtur non ſatis ſibi conſtare, cùm ſuprà *ad num. 82.* dixerit oppoſitum.

Hinc ex doctrina tradita ex S. Doct. ſic poteſt definiri, vel deſcribi formalitas, ſeu realitas: *Formalitas eſt res, ſeu aliquid rei, ſeu ratio formalis, ſeu realitas intelligibilis in obiecto, & in re, à qua habet eſſe, non per phyſicam cauſalitatem, ſed per metaphyſicam, ipſique realiter identificata, in qua eſt, & in ea non amittens propriam quidditatem, quæ ipſi ſecundùm ſe accepta conuenit.* Sic etiam Poſnanenſ. *lib. 1. diſp. 8. quæſt. 4. dub. 1.* & ipſe Bordonus *quæſt. 4. cit.*

Explicatur hæc definitio. Dicitur *ratio formalis*, loco generis. Dicitur, *intelligibilis in re, ſeu in obiecto, in quo eſt*, ad differentiam entis rationis. Dicitur, *à qua habet eſſe non per phyſicam cauſalitatem*, vt diſtinguatur a forma, & entitate phyſica, quia non exit in eſſe, niſi per dimanationem metaphyſicam, ſecundùm quam eſſentia phyſica eſt ratio prior, quare realitas ponatur in eſſe. Vnde poſitâ animâ in corpore humano, reſultat ſtatim riſibilitas. Dicitur etiam, *ipſi realiter identificata*, vt differat à re, quæ realiter diſtinguitur ab alia re. Dicitur, *in ipſa re non amittens propriam naturam*, vt denotetur ipſam etiam cum tali identificatione reali habere conceptum obiectiuum, & entitatem formaliter differentem ab ipſa re: tum etiam, vt denotetur verificari de quocumque conceptu obiectiuo, ſiue adæquato, ſiue inadæquato, dummodo aliquid poſitiuum ſuperaddat enti, & rei. Qua ratione vnum, bonum, & verum ſunt realitates, vt dicetur ſuo loco.

Ex quibus ſequitur, quod formalitas non ſolùm eſt id, quod importat partem, vel gradum eſſentiæ rei in primo, vel ſecundo modo dicendi per ſe, cuiuſmodi ſunt genera, differentiæ, & paſſiones; ſed etiam ratio formalitatis comprehendit alia plura, nempe ipſum cōpoſitum metaphyſicum, & ſimilitudines rerum ſecundùm rationem quidditatiuam, & eſſentialem, ad quam ſunt reducibiles. Sic ſimilitudo eſſentialis Martini, quæ eſt ſpecies, non differt realiter à Martino, quâ eſt ſimilis Petro in humanitate, ſed tantùm formaliter,

maliter, vt docet S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 3. *in fine.* Sic creatio, paſſio, & relatio dependentiæ creaturæ à Creatore non differunt realiter, ſed formaliter tantùm. Sic *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *artic.* 3. *quæſt.* 2. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in fine*, quodque fuſiùs explicabitur ſuo loco.

56. Secvnda Conclvsio: Res habet veram cauſam phyſicam realiter diſtinctam: Realitas verò habet tantùm propriam, & immediatam cauſam metaphyſicam, à ſe non realiter diſtinctam.

Probatvr, & explicatur prima pars ratione à S. Doctore allata *lib.* 1. *diſt.* 9. *art.* 1. *quæſt.* 2. *fundament.* 1. quia nihil producit productione phyſica ſeipſum, & in productione rerum neceſſariò datur producens, & res producta: ergo res ſupponit ſuam cauſam realiter diſtinctam.

Probatvr ſecunda pars: Formalitas, ſeu realitas habet tantùm eſſe metaphyſicum: ergo, & cauſam metaphyſicam: ſed hæc producit tantùm per emanationem aliquid à ſe non realiter diſtinctum: ergo formalitas non habet cauſam realiter à ſe diſtinctam. Maior patet ex ſuprà traditis: Minor eſt communis, & probatur in phyſica.

Hinc ſequitur, quod formalitates licèt ſint immediatè à cauſa metaphyſica, mediatè tamen recognoſcunt pro cauſa phyſica ipſum agens producens ipſam rem, cuius ſunt formalitates, ex cuius rei productione neceſſariò, & naturaliter conſequitur realitas, & formalitas: verbi gratiâ, producens hominem ex corpore, & anima, dicitur etiam producere phyſicè rationalitatem, riſibilitatem, &c. quatenus immediatè, & metaphyſicè emanant ab anima, de qua emanatione agitur in Phyſica. Sic humanitas, forma totius producitur phyſicè ad productionẽ huius hominis, quæ humanitas ex productione huius hominis reſultat ex coniunctione duarũ formalitatum generis, & differentiæ, ſeu animalitatis, & rationalitatis: ſicque vt ſumitur phyſicè, verè exiſtit propriâ exiſtentiâ: vt ſumitur metaphyſicè, coaleſcit ex duabus formalitatibus, animalitate, & rationalitate: & hoc modo vltimo ſumpta non eſt capax propriæ exiſtentiæ, ſed tantùm exiſtentiæ indiuidui.

57. Tertia Conclvsio: Subiectum tam prædicationis, quàm exiſtentiæ formalitatum eſt ipſa res, ſeu entitas. Eſt S. Bonauent. *lib.* 3. *diſtinct.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 1. *&* *diſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 4. cum hac differentia tamen, quod formalitates ſubſtantiales, vt rationalitas, animalitas, &c. habent ſuppoſitum pro ſubiecto adhæſionis: ſecundæ enim ſubſtantiæ ſunt in primis, vt in ſubiecto adhæſionis: accidentales verò habent ſubiectum inhæſionis. Et licèt S. Doctor *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *artic.* 1. *quæſt.* 1. talem prædicationem, verbi gratiâ, *Homo eſt rationalis, riſibilis*, appellet prædicationem per inhærentiam, tamen intelligendus eſt ſecundùm inhærentiam non realem, ſed per modum prædicationis formalis propriæ ſubſtantiæ, & accidentis; nam quoad modum prædicandi dicit inhærentiam, vt *Homo eſt riſibilis, rationalis, animal, animatus, &c.*

Ratio primæ partis concluſionis, ſcilicet quod res eſt ſubiectum tam prædicationis, quàm exiſtentiæ reſpectu formalitatum, eſt, quia, vt tradit Ariſt. deſtructis primis ſubſtantiis, nihil remanet de ſecundis: ergo inſunt in re. Tum quia verè prædicantur de primis ſubſtantiis, *Homo eſt animal, rationalis, viuens, &c.*

Ratio

Ratio ſecundæ partis de ſubiecto adhæſionis eſt, quia cùm formalitates ſint propter res, quibus communicant ſuam perfectionem, per conſequens quando ſunt ſubſtantiales, ipſi ſubiecto inſunt ſubſtantialiter, ſcilicet adæſiuè: non inhæſiuè: & hinc de re prædicantur prædicatione formali.

Ratio tertiæ partis de ſubiecto inhæſionis eſt, quia formalitates accidentales habent modum inhæſiuum, nec habent propriam exiſtentiam, ſed eam emendicant ab ipſa re: ergo in illa inſunt vt in ſubiecto inhæſionis. Sic creatio, paſſio vt dicit S. Doct. *lib.2.diſt.1. part.1.art.3.q.2.* Sic eſſe ſubiectiuũ, eſſe partiale in materia. Sic ratio actuandi, informandi in forma, &c. Sic inhærentia in accidentibus. Aduertendum tamen, quod iſtæ formalitates dicuntur eſſe in rebus, vel in accidentibus inhæſiuè, non quia ſint accidentia ſuperaddita ipſis accidentibus; ſed dicuntur ineſſe in ipſis per identificationem ſecundùm regulam Seraphicam, quam tradit S. Doct. de multiplici eſſe in, vt videre eſt *lib.1.diſt.36.dub.1.&* 2. & *lib.2. diſt.13.dub.4.* aliiſque locis.

Dices: Formalitates identificantur cum re, vel ſuo ſubiecto: ergo non poſſunt eſſe accidentales. Reſpondetur, quod ſicut dantur formalitates ſubſtantiales, quæ inſunt adhæſiuè in ſubſtantiis primis, licèt, vt notat S. Bonau. *lib.2. diſt.3. part.1. art.2. quæſt.2.* habeant modum accidentalem in ſubiecto, vt eſt rationalitas, riſibilitas; ſic etiam dantur accidentales, quæ tales ſunt, licèt ſint ſubſtantiales; tamen accidentali modo inſunt in ſubſtantia, vt eſt creatio paſſiua, relatio dependentiæ. Dantur & in accidentibus, vt eſt inhærentia in accidente, ſimilitudo in relatione, ſeu facere ſimilem, referre extrema, quæ pro ſubiecto identificationis, & etiam inhærentiæ habent ipſum accidens entitatiuum, quod eſt res, vt dictum eſt ſuprà ex Seraphic. Doct. Sic negatur conſequentia.

Nec eſt inconueniens, quod vnum accidens ſubiectetur in alio, vt patet in Euchariſtia, in cuius quantitate ſubiectantur alia, vt docet S. Bonau. *lib.4. diſt.12.part.1.art.1.per totum*, maximè *quæſt. 3. ad arg.* licèt omnia poſteà dicant ordinem ad ſubſtantiam, vt ad ſubiectum principale: tum etiam, quia tales formalitates accidentium non ſunt propria accidentia in recto, ſed aliquid accidentium.

58. Qvarta Conclvsio: In omni re dantur formalitates. Eſt S. Bonauent. *lib.1. diſt.8. part.2. dub.* 2. vbi docet in omni re creata adeſſe multitudinem formarum, ſcilicet ſpeciei, differentiæ, generis, &c. Et in diuinis docet relationes tranſire quidem in eſſentiam diuinam per identitatem ſecundùm rationem *in*: tamen retinent rationem *ad*, & conſequenter eſſe formalitates diſtinctas ab ipſa eſſentia. Sic *lib.1.diſt.5. art.1. quæſt.1.* & alibi infrà citandus in quæſtione de diſtinctione formali; & patet veritas concluſionis in materia, in qua eſſe ſubiectiuum, potentiale, partiale, & ſimilia ſunt ipſius formalitates. In forma item ratio actuandi, ſpecificandi, informandi, &c. In compoſito ſubſtantiali adeſt genus, differentia, ſpecies, &c. Item in accidentibus, vt dictum eſt: ergo non eſt dabilis vlla res abſque formalitatibus.

59. Qvinta Conclvsio: Formalitates, tam abſolutæ, quàm reſpectiuæ in creatis important aliquam compoſitionem, in diuinis verò nequaquam. Eſt S. Bonau. infrà citandi in quæſtione de diſtinctione formali, & virtuali.

Probatvr prima pars de creatis, quia formalitates ſunt in re, vt in ſub-

iecto, ſiue adhæſionis, ſiue inhæſionis: ſed vtroque modo addunt aliquid ad ipſam rem, cùm ſint quid ab ipſa diſtinctum: ergo & compoſitionem. Tum quia non eſt maior ratio de genere, & differentia, quæ faciunt compoſitionem ſecundùm omnes, ac de aliis: immò maior eſt ratio in aliis, quia mutant ſubiectum aliquo modo, & ſunt actus formalizantes ipſum. Probatur ſecunda pars de increatis, quia cùm relationes in creatis retineant ſuum eſſe totale, in diuinis verò tranſeant ſecundùm eſſe abſolutum in diuinam eſſentiam per identitatem infinitam ratione *in*, retinendo rationem *ad*; & cùm habitudo pura non poſſit facere compoſitionem, cùm tantùm dicat reſpectum ad terminum; hinc patet differentia inter creatas, & increatas: de qua materia alibi in hoc tractatu fuſiùs agetur proprio loco. Ex qua poſitione patet, quà difficultate inter alias, & maximâ torqueantur negantes compoſitionem in Angelis ex materia, & ſolùm admittentes compoſitionem ex genere, & differentia. Cùm enim iſta ſint duæ formalitates componentes Angelos, ſequitur, quod etiam Angeli debeant dici formalitates, quod eſt maximum abſurdum. Sed de hoc alibi.

Ex quibus omnibus patet, quàm rectè res communiſſimè ſumpta diuidatur in tria capita. Primò in rem habentem propriam exiſtentiam: Secundò in rem non habentem propriam exiſtentiam, licèt ſit vera, & realis, & dicitur communi vocabulo realitas, ſeu forma, ſeu formalitas, ſeu ratio, & conceptus obiectiuus: Tertiò in rem rationis, quæ habet eſſe obiectiuè tantùm in intellectu; & ob id ens reale ad duo capita tantùm habet reduci, ſcilicet ad rem, & realitatem.

QVÆSTIO II.

De vnitate, quid ſit, & quænam ſit eius ratio formalis.

60. EX traditis in ſuperiori quæſtione patet, rem, ſeu ens diuidi adæquatè in rem propriè ſumptam, in formalitatem, ſeu realitatem, & in ens rationis. Sed quia præcipuus ſcopus huius tractatus eſt conſideratio identitatum, & diſtinctionum rerum, quæ fundantur in vnitate, & ortum habent ab ipſa; hinc priùs diſſerenda eſt natura, & multiplicitas vnitatis.

Certvm eſt autem, quod vnum, ſeu vnitas eſt multiplex: nam vnum aliud eſt per ſe, aliud per accidens, ex communi cum S. Bonauent. *lib. 3. diſt. 6. art. 2. quæſt. 2.* Hoc ſecundum eſt aggregatum vel ex variis entibus in actu, vt maſſa lapidum; vel ex rebus diuerſi generis, vt album ex albedine, & pariete; & de hoc non eſt nunc ſermo. Vnum per ſe eſt, quod tale eſt ex ſuis principiis indiuiſis, vt homo (quod multipliciter ſubdiuiditur, vt dictum eſt in textu *ad literam E:*) pro nunc vnum per ſe, ſeu vnitas per ſe dicitur etiam identitas, quia quicquid eſt ſibi identificatum realiter, & id verum eſt, ſiue ſit quid ſimplex, ſiue compoſitum. Vnde vnum per ſe aliud eſt vnum ſimplicitate; aliud compoſitione. Prima vnitas reddit ſuum ſubiectum indiuiſum per modum ſimplicitatis, eſtque propria principiorum ſimplicium: Secunda eſt tertia entitas reſultans ex partibus vnitis, eſtque propria principiatorum, vt notat S. Doct. *ſerm. 11. Hexaëm.* & hæc eſt duplex; alia enim reſultat ex duabus partibus, quarum

vna

Digitized by Google

vna eſt per ſe potentia ; alia per ſe actus : vt homo phyſicè conſideratus conſtat ex corpore, & anima ; & metaphyſicè conſideratus conſtat ex genere, & differentia : & hæc vnitas diuiditur in genericam, ſpecificam, & numericam. Alia dicitur integralis, ſeu continuitatis, quæ habetur per partes vnitas per indiuiſibilia continuantia, vt eſt verbi gratiâ vnitas aquæ, hæcque competit & qualitatibus,& quantitati, in quibus vna pars non habet rationem actus, alia potentiæ, ſed totum conſtituunt, quatenus ſunt inuicem coniunctæ, & connexæ mediis indiuiſibilibus, licèt S. Bonauent. recognoſcat etiam in hoc toto rationem actus, & potentiæ, vt aduertit *lib.* 1. *diſt.*17. *part.* 2. *art.*1. *quæſt.* 2. *ad vlt.* Vnitas igitur per ſe communis dictis vnitatibus eſt paſſio entis, quia dicit indiuiſionem principiorum, eſtque tranſcendentalis, & æquè participatur vt quid ſuperius ab omnibus aliis vnitatibus per ſe, de quibus S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 3 *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. & *lib.* 3. *diſt.* 6. *art.* 2. *quæſt.*2.

Et de hac procedit quæſtio, an hæc vnitas tranſcendentalis, quæ eſt proprietas entis, ſuperaddat enti aliquid entitatis poſitiuæ, ſicut ſuperaddit rationalitati riſibilitas ; an verò ſolùm ſuperaddat tantùm negationem, ſeu priuationem diuiſionis : vnum enim dicitur, quod eſt indiuiſum in ſe, & à ſe, ob idque quod importat negationem multitudinis. Ex cuius ſolutione patebit etiam, an aliæ vnitates inferiores dicant quid poſitiuum, an ſolùm negationem. Circa quam quæſtionem,

Prima opinio eſt D.Thom. *part.* 1. *quæſt.* 11. *art.* 1. *& quæſt.*30. *art.* 3. & omnium ferè Thomiſtarum cum Suarez *Metaph. diſput.* 4. *ſect.* 1. Ocham, Nominalibuſque, ſuſtinentium vnitatem de ſuo formali nihil ſuperaddere enti, niſi negationem diuiſionis, & multitudinis.

Secvnda opinio eſt oppoſita D. Bonau. *lib.* 1. *diſt.*24. *quæſt.* 1. *per totum*, Scoti *in Metaph. lib.*4. *q.* 2. & *lib.* 2. *Sent. diſtinct.* 1. *quæſt* 6. §. *Poſſet etiam addi*, & *lib.* 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 1 *&* *diſt.* 16. Fabri, omniumque Scotiſtarum, & etiam aliorum à Meldul. *in Metaph. diſp.* 5. *quæſt.* 4. *num.* 42. citatorum, ſuſtinentium vnitatem addere aliquod poſitiuum entitati, ob idque formaliter eſſe quid poſitiuum, & de connotato dicere negationem diuiſionis. An autem talis entitas poſitiua vnitatis ſit quid diſtinctum ab ente, eſt in quæſtione, omneſque iuxta ſua principia procedunt. Nam Auicenna videtur velle, eſſe aliquid diſtinctum realiter : alij apud citatum Maſtrium non explicant, quali diſtinctione diſtinguantur, inter quos ipſe Maſtrius collocat S. Bonauenturam, ſed malè, nam ipſe admittit diſtinctionem rationis obiectiuæ, ſeu ſecundùm habitudinem, quæ eſt eadem cum diſtinctione formali, vt ſuo loco patebit. Sic *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art* 3. *q.* 2. *in fine corp. & ad vltim.* & aliis locis infrà citandis. Hinc pro ſolutione quæſtionis.

61. Primò ſupponendum ex Ariſtot. *lib.* 10. *Metaph. text.* 9. à S. Doct. citato *lib.* 1. *diſtinct.* 24 *quæſt.* 1. *in corp. & ad* 2. quod vnum, & multa opponuntur ſicut priuatio, & habitus ; quod tamen ſano modo eſt intelligendum. Vnitas enim poteſt ſumi dupliciter, ſcilicet vel materialiter, ſcilicet in materia ; vel formaliter, & præcisè. Primo modo enim vnum, & multa opponūtur priuatiuè, ita quod priuatio ſtat ex parte vnitatis iam diuiſæ in materia, & poſitio ex parte multitudinis. Si enim ſumitur vnitas in hac, vel illa materia,

tunc

tunc dicit multitudinem poſitiuam per multiplicationem vnitatum,& multitudo importat vnitatem tantùm in potentia, non actu habentem indiuiſionem. Vnde multitudo plus dicit, quàm vnitas. Sic S.Bonauent.*lib.*1. *diſt.*2. *dub.*7. Sed hic non ſumitur hoc pacto, ſed ſumitur vnitas ſecundùm ſuum eſſe præciſum, & formale, vt præſcindens à materia; quæ comparata ad multitudinem dicit entitatem poſitiuam, & in materia. Eam S.Doct.appellat homogeneitatis *lib.*2. *diſt.*3. *part.*1. *art.*1. *q.*2. & hoc pacto multitudo nihil aliud eſt, niſi deſtructio vnitatis, ob idque quid negatiuum, vel quid minus ipſa vnitate; dicit enim diuiſionem ſolam, quæ eſt ſimplex carentia, & hoc ſecundo modo vnum, & multa opponuntur tantùm contrariè, ſeu potiùs contradictoriè, vt notat S. Doct.*lib.*1. *diſtinct.*24. *quæſt.*1.*ad* 2.vtque id rectè intelligatur,

62. Secundò ſupponendum,quod valdè differunt vnitas tranſcendentalis, & vnitas ſolitudinis; illa enim eſt quid commune omnibus vnitatibus entium; vnde licèt opponatur contradictoriè diuiſioni ſui,tamen admittit poſteà vnitatem, quæ ex diuiſione reſultat, & ex aliis vnitatibus extrinſecè aduenientibus; æquè enim competit omnibus. Vnde etiam ſtat cum pluralitate plurium entitatum, licèt opponatur diuiſioni præcisè.At vnitas ſolitudinis non admittit conſortium aliarum, vt vnus homo, Petrus: & hæc, vt conſtituatur, exigit ablationem multitudinis, ſicque poteſt dici quid priuatiuum: ſed hoc pacto ſumitur pro materiali tantùm, non pro formali, quod aduertit S. Bonauent. *lib.*1. *diſt.*24. *q.*2. *in corp.*

Tertiò ſupponendum ex S.Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *artic.* 3. *quæſt.*2.*cit.* & Breuil.*part.*1. *cap.*6.quod diſtinctio, quæ eſt inter ens, & vnum, verum, & bonum, appellatur rationis, ſcilicet obiectiuæ, vel habitudinis, ex S. Doct. *lib.*2. *diſt.*1. *cit.* & inre merito; nam cùm non ſint differentiæ contrahentes ens, ſed proprietates tantùm emanantes ab ipſo ente, comparatæ ad idem ens non habent propriam exiſtentiam, ſed ſuperaddendo aliquid dicuntur ipſius formalitates ipſum ens formalizantes ſecundùm proprias formales rationes. His poſitis ſit,

63. Prima Conclusio: Vnitas formaliter, & præcisè ſumpta eſt quid poſitiuum ſuperadditum enti, de connotato tamen, & ex conſequenti dicens negationem diuiſionis.Eſt S.Doct. *lib.*1. *diſt.*24.*cit.* item Scoti,& aliorum citatorum.

Dvas partes habet concluſio. Prima eſt, quod vnitas formaliter dicat quid poſitiuum: ſecunda eſt, quod connotatiuè tantùm dicat negationem.

Probatvr igitur prima pars ex Seraph.Doct.infrà citando. Ab eodem conſtitutiuo eſt entitas, & vnitas: ergo quoad eſſe poſitiuum ſunt ſimilia: ſed ens eſt quid poſitiuum: ergo & vnum. Antecedens patet, quia ens, & vnum conuertuntur. Tum quia ab eadem cauſa eſt ſubiectum, & paſſio: ergo ſi conſtituens tribuit enti eſſe poſitiuum, & idem tribuit paſſioni:ergo & vnitati.

Probatvr ſecundò à S. Bonau. *lib.*1. *diſt.*24.*cit.* (quo argumento, & ſequentibus à S. Doct. allatis vtitur etiam Scotus, & ipſe Meldul. ea fusè explicat.) Nulla negatio, vel priuatio præcedit ſuum habitum, ſed tantùm conſequitur: ergo per ſe primò, & immediatè non poteſt ineſſe alicui ſubiecto: ergo ratione alterius rei poſitiuæ, & maximè quando negatio, & priuatio ineſt ſubiecto inſeparabiliter, & neceſſariò. Sic negatio viſus ineſt ligno non per ſe primò, ſed ratione ſuæ

homogeneitatis, vel alterius qualitatis: ſed negatio diuiſionis neceſſariò ineſt enti: ergo immediatè ipſi non poteſt conuenire: ergo ineſt ratione alicuius formalitatis poſitiuæ, quæ eſt veluti radix talis negationis: ſed hæc non poteſt eſſe niſi vnitas: ergo eſt & ipſa aliquid poſitiuum, ſicut eſt ens.

Prima Minor, & ſimul conſequentia patent, quia enti ineſt neceſſariò indiuiſio; ſed non ineſt ei, provt eſt ens, quia vt ſic dicit indifferentiam ad vnum, & multa: ergo enti competit indiuiſio, ſeu negatio ratione alicuius alterius entitatis, ſcilicet vnitatis. Confirmatur. Ratio entis abſoluta & præciſa eſt tantùm ratio eſſendi: ergo immediatè non dicit negationem diuiſionis: ergo, ſi ei conuenit, id erit ratione alicuius alterius entitatis poſitiuæ. Antecedens patet, quia ens, & quodcumque ſubiectum eſt in ſe priùs, quàm habeat paſſionem; important enim ordinem ſecundùm prius, & poſterius: ſed vnitas eſt paſſio entis: ergo ens de ſe primò dicit rationem eſſendi, antequam intelligatur vnum: ergo ſi ens dicit indiuiſionem, id erit ratione alicuius poſitiui. Tumquia ſi ens ex vi ſuæ rationis formalis eſt vnum, id intelligitur vel formaliter, & præciſè, vel cauſaliter. Si primum dicitur: ergo vnitas non erit paſſio entis; paſſio enim non importat rationem formalem ſubiecti, ſed potiùs dicitur paſſio tantùm quoad nomen, & quoad rem paſſio ſui. Si ſecundum datur, habetur intentum. Probatur, quia cùm ratio entis non poſſit cauſare formaliter, & præciſè, & primò negationem diuiſionis, vt probatum eſt; cauſat enim tantùm eſſe vel actuale, vel poſſibile: ergo cauſabit aliquid poſitiuum, ex conſequenti verò negationem.

Respondet Blaſius à Conceptione, duplicem proprietatem dari, aliam quæ phyſicè, & realiter fluit ab eſſentia ſubiecti, vt riſibilitas ab homine, & hæc diſtinguitur realiter à ſubiecto; aliam, quæ tantùm virtualiter emanat à ſubiecto, & hæc non diſtinguitur à ſubiecto, ſed continetur implicitè in eo; explicitè enim ſubiectum dicit tantùm tale eſſe, & rationem fundamenti paſſionis, taleſque ſunt proprietates entis, vnum, verum, & bonum, quæ implicitè continentur in ente.

Contra primò, quia falſum eſt dari paſſiones, quæ differant realiter à ſubiecto, cùm omnes emanent per cauſalitatem metaphyſicam: ſed quicquid ſit de hoc,

Contra ſecundò: Paſſiones quæcumque dicunt ordinem poſterioris ad prius, vt ad ſuam cauſam metaphyſicam, &c. ergo ratio continentiæ implicitæ non tollit propriam entitatem paſſiuam ab vnitate.

64. Probatvr Tertiò à S. Doct. Vnitas de ſuo conceptu formali dicit perfectionem, & complementum: ergo formaliter dicit quid poſitiuum. Conſequentia patet, quia omnis perfectio vt ſic fundatur non in negatiuo, ſed in poſitiuo. Antecedens probatur, quia vnum in quolibet ente melius eſt ipſum, quàm non ipſum; hæc enim eſt deſcriptio perfectionis à D. Anſelmo tradita, & ab omnibus Theologis acceptata: & patet de vnitate in Deo; quo enim aliquid eſt perfectius, eo magis vnum, & ob id etiam ſuſcipit magis, & minus: ergo dicit perfectionem.

Respondet Suarez vnitatem ratione fundamenti, ſcilicet entis, in quo fundatur, dicere perfectionem non ratione ſui: ideo vnum ens eſt magis vnum, & perfectum, quàm aliud ratione

tione entitatis ſuæ, non ratione vnitatis præciſæ, ideſt quatenus ens eſt magis, vel minùs compoſitum.

Contra primò, quia vnum eſt paſſio entis, non ratione fundamenti, quia ſic eſſet paſſio ſui; ſed eſt ratione ſui, & identificatur cum ente: ergo eſt aliquid poſitiuum; nulla enim negatio eſt idem realiter cum poſitiuo. Tum quia vnitas in Deo importat perfectionem ſimpliciter ratione ſui, non ratione fundamenti.

Contra ſecundò: Compoſitio formaliter eſt vnitas, ſeu effectus vnitatis: ergo eſt talis non ratione fundamenti, vel entium componentium. Tum quia aliud eſt dicere, hoc eſt magis ens, aliud dicere hoc eſt magis vnum. Primum dicitur in primo: ſecundum in ſecundo modo dicendi per ſe.

65. Probatvr quartò à S.Doct. Nulla priuatio conſtituit ſuum habitum, nec ſaluatur in illo; non identificatur cum illo, nec præcedit illum: ſed vnitas ſaluatur in multitudine, quæ conſtituitur per vnitatem multiplicatam; & identificatur cum ente, & antecedit ipſam multitudinem, & diuiſionem: ergo eſt quid poſitiuum.

Respondet Caiet. *part. 1. q. 11. art.* 1. cum aliis, vnum eſſe idem cum ente negatiuè, ideſt quia non dicit aliam naturam ab ente, ſed eandem alio modo.

Contra: Si vnitas eſt quid negatiuum: ergo contradictoriè opponitur enti: ergo non identificatur cum ente; vnum contradictorium enim eſt alterius deſtructiuum, & ens importat aliquid à nihilo contradiſtinctum; negatio verò eſt nihil, tollenſque illud poſitiuum.

Respondent vnitatem dicere negationem non omnimodam, ſed tantùm diuiſionis; ob id negatur conſequentia.

Contra, quia negatio diuiſionis includit vt quid inferius negationem vt ſic vt quid ſuperius: ergo dicit nihil, & contradictorium entis: ergo erit deſtructiua ipſius.

Probatvr quintò: Relationes reales identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis fundantur in vnitate, tanquam in proxima ratione fundandi: ſed ratio fundata non poteſt habere maius eſſe, quam fundamentum, & iſtæ relationes ſunt quid poſitiuum: ergo & vnitas.

Probatvr ſextò: Vnitas in abſtracto, & concreto prædicatur identicè, & formaliter de ente: at ſi vnitas eſſet formaliter negatio, prædicatio eſſet falſa. Probatur minor. Entitas dicit aliquid poſitiuum, vnitas dicit quid negatiuum: ergo ſi dicam, *Ens eſt vnum*, erit idem, ac dicere, *Ens eſt negatio entis:* ſed de negatione formaliter non poteſt prædicari ens, nec è conuerſo, aliàs inuoluerent contradictoria. Hoc argumentum coincidit cum alio ſuprà poſito contra reſponſionem Caietani ad quartum argumentum.

Probatvr ſeptimò: Vnitas, & multitudo opponuntur priuatiuè per aduerſarios: ſed multitudo formaliter non eſt niſi negatio vnitatis, vt dictum eſt in primo fundamento: ergo vnitas eſt poſitio alicuius entitatis. Nec valet reſponſio Suarez, opponi ratione entitatis, ſcilicet quatenus vnum non eſt aliud; nam oppoſitio vnitatis, & multitudinis eſt entium, non vt entia ſunt, ſed vt plura, & vt vnum ſunt; ob idque erit negatio multitudinis, & conſequenter negatio negationis identitatis multorum: ſed negatio negationis eſt quid poſitiuum: ergo.

Probatvr octauò: Vnitas vt ſic

diuidi

diuiditur in plures ſpecies poſitiuas, ſcilicet in genericam, ſpecificam, & numericam: ergo eſt quid poſitiuum; totum enim poteſtatiuum debet eſſe eiuſdem naturæ cum partibus.

66. Probatvr ſecunda pars, nempe quod vnitas connotat ſecundariò negationem diuiſionis; nam vt notat S. Doct. in primis eſt ſtatus, & maximè in ſimplicibus, quæ non poſſunt explicari à priori, aliàs non eſſent prima: ergo à poſteriori. Sed vnitas eſt prima proprietas conuertibilis cum ente: ergo à priori non poteſt explicari: ergo à poſteriori tantùm, & per notiora, ſcilicet per indiuiſionem, dicendo vnum eſt indiuiſum in ſe. Sic S. Doct. *lib. 1. diſt. 24. cit.* & *lib. 1. diſt. 33. quæſt. vltim.*

Obiicies primò, Ariſtot. explicaſſe vnitatem per negationem diuiſionis: ergo ex Philoſopho conſiſtit in negatione.

Respondet S. Doct. aliud eſſe id, in quo res conſiſtit, aliud per quod explicatur: explicatur quidem per negationem, & à poſteriori; ſed conſiſtit in entitate poſitiua, vt dictum eſt.

Obiicies ſecundò cum Auerſa: Si vnum diceret quid poſitiuum, ſequeretur, quod plura, ſiue multitudo diceret minus, quam vnum, quia pluralitas diceret negationem oppoſitam: ſed conſequens eſt falſum: ergo.

Respondetvr, ſi multitudo ſumitur formaliter, concedo; ſi materialiter, nego: formaliter enim dicit tantùm diuiſionem, ſeu negationem vnitatis.

Obiicies tertiò ex Arriaga aſſerente eſſe totam quæſtionem de ſolo nomine. Vnum vel dicit vnionem partium, vel dicitur in concreto, ſecundùm coniunctionem cum materia, vt vnus homo, vnum lignum. Si primo modo, ſic dicit quid poſitiuum: ſed talis vnitas non competit omnibus entibus; Michaël enim dicitur vnus abſque vnione partium, cùm non habeat partes: & ideo in hoc ſenſu non ſumitur vnitas tranſcendentalis, cùm non ſit communis omnibus entibus. Si ſecundo modo, ſic eſt idem, ac dicere vnus homo, id eſt non multi homines: ergo vel dicit formaliter negationem, vel eſt quæſtio de ſolo nomine, vel eſt diſtinctio vnitatis inadæquata.

Respondetvr ex doctrina Seraphica tradita in fundamento primo, vnitatem partium, ſiue compoſitionis competere omnibus per ſe entibus completis, etiam Angelis (componuntur enim ex materia & forma;) vnitatem verò ſimplicitatis competere principiis: ſic negatur prima pars maioris, tanquam inſufficiens, datur enim vnitas vera, quæ non importat vnionem partium. Et ad aliam partem de vnitate in materia hac, vel illa, reſpondetur hîc nos non loqui de tali vnitate, quæ dicitur ſolitudinis excludentis conſortium aliarum; in quo ſenſu ſolùm dicit quid negatiuum, ſcilicet negationem multitudinis: ſed loquimur de vnitate vt ſic, & tranſcendentali, quæ etiam admittit pluralitatem vnitatum reſultantem ex diuiſione, licèt excludat multitudinem, & ex conſequenti negationem formalem, quæ reſultat ex ſui diuiſione. Vnde etiam in tali materia diuiſa dicit quid poſitiuum, licèt conſiderando materiam actu diuiſam, illa vnitas materialiter ſumpta, cùm non ampliùs extet, ſit quid negatiuum. Sic negatur conſequentia.

Contra inſurgit Arriaga: Diuiſum, & indiuiſum ſunt contradictoria: ſed diuiſum dicit quid poſitiuum: ergo aliud extremum dicit negationem.

Digitized by Google

Probatur minor : Indiuiſum realiter competit etiam chimæræ : ſed de chimæra non poteſt prædicari aliquid poſitiuum : ergo aliud extremum eſt poſitiuum.

67. Pro ſolutione obiectionis aduertendum ex Summulis, per ea quæ *num.*31. tradita ſunt, quod ad hoc vt ſit vera contradictio, oportet, vt ſit inter abſoluta; nam in propoſitionibus, vbi eſt terminus aliquis ſyncathegorematicus, poteſt dari medium. Affert S. Bonauent. *lib.*1. *diſtinct.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2. hoc exemplum : *Iſte Monachus eſt albus, & non eſt albus*; ſi in prima propoſitione deſignetur natura, in ſecunda ſtatus, non eſt contradictio : ſic, *Iſte eſt per ſe albus*, *Iſte eſt per ſe non albus*, vtraque eſt falſa : ſic in propoſito, chimæra realiter eſt vel diuiſa, vel non diuiſa, negatur vtraque pars; nam vnum, & multa; diuiſum, & non diuiſum, ſunt prædicata realia, & ly *non diuiſum*, dicit negationem in genere realem, ob idque non competunt entibus rationis. Hinc

Respondetvr, diuiſum, & indiuiſum ſunt contradictoria, ſi ſumantur pro materiali, concedo; ſi pro formali, nego : nam datur medium, quod nec eſt diuiſum, nec indiuiſum, vt chimæra. Tum quia indiuiſum, ſcilicet vnum, poteſt ſtare cum diuiſo, ſcilicet cum vnitatibus ex diuiſione reſultantibus; non enim euaneſcunt vnitates ex compoſitione, & diuiſione, licèt diuiſio formaliter opponatur vnitati. Quæ doctrina traditur à S.Doct.*lib.*1.*diſt.*24. *quæſt.*1.*in corp.& ad* 2. Vide Maſtrium *in ſummul. part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 7. *& diſp.*9. *Log. quæſt.*1.*art.*4.& *in Metaph. diſp.*5. *num.* 77.

Obiicies quartò : Multitudo realis opponitur vnitati : ſed vnitas eſt carentia multitudinis : ergo eſt quid negatiuum formaliter. Probatur Minor; nam multitudo eſt vnitatum repetitio : ergo vnitas eſt carentia talis repetitionis : ergo & quid negatiuum; quo enim plus augetur multitudo, eo minor eſt vnitas.

Respondetvr concedendo maiorem de vnitate ſolitudinis, negando de tranſcendentali, quæ ſemper remanet cum ipſa entitate; qualis enim eſt entitas, talis eſt eius vnitas : ſic conceditur totum argumentum de vnitate ſolitudinis. Sed nihil contra nos.

Obiicies quintò ex Aureolo : Illa eſt ratio formalis alicuius, quâ poſitâ illud ponitur, & quâ ablatâ aufertur : ſed poſitâ indiuiſione ponitur vnitas, & ipsâ ablatâ aufertur, & ponitur multitudo : ergo indiuiſio, vel carentia diuiſionis eſt ratio formalis vnitatis.

Respondetvr tali medio poſſe probari etiam oppoſitum; nam poſitâ vnitate tollitur multitudo, &c. ſicuti poſita materialitate, tollitur immaterialitas, & è conuerſo. Vnde argumentum concludit per locum à concomitantibus, non ſecundùm rationem formalem; ſicque conceditur maior, ſi ſumitur id, quo poſito aliud ponitur tanquam ratio formalis, non vt materialis, ſecundùm quam admittimus minorem, & negamus conſequentiam.

Obiicies ſextò : Reducere multa in vnum eſt ea reducere de eſſe in actu, ad eſſe in potentia; & è contrà diuidere vnum in multa, eſt de potentia, vel de non ente reducere illud in actum, & in ens : ergo vnitas eſt quid negatiuum; nam multitudo eſt poſitio, & reductio in actum.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib.*1.*diſt.*2.*dub.*7.& *lib.*1.*diſt.*19.*part.*2. *q.vlt.arg.*4. *ad oppoſitum*, & *q.* 3. *ad* 1. quod cùm diſtinctio vnitatum fiat tripliciter, ſcilicet vel continua diuiſione,

ne, vel formarum diſparatione, vel gradu, ſiue ordine: ex prima, & ſecunda oritur vnitas ſubſiſtentiæ, & totalitatis, ſiue ſolitudinis; ex diuiſione enim, & conſtitutione completa entis partes habent ſuum terminum; & de hac conceditur antecedens. Ex tertia oritur vnitas tranſcendentalis, quam & partes ſeruant etiam in continuo, & dicitur vnitas exiſtentiæ; & de hac negatur antecedens, hæc enim fert ſecum ſemper propriam vnitatem tranſcendentalem. Sic negatur conſequentia; prima enim vnitas eſt materialis tantùm, non formalis, quia ſpectat ad integritatem cuiuſque partis iam propriis terminis circumſcriptæ, non autem ad multitudinem, niſi materialiter.

68. Secvnda Conclvsio: Vnitas tranſcendentalis eſt quid ſuperadditum enti, non ſolâ ratione diſtinctum, ſed mediâ diſtinctione, ſcilicet formali, ſeu vt loquitur S. Bonauent. ſecundùm habitudinem, *lib. 2. diſt. 1. part. 1. art. 3. quæſt. 2. in fine corp. & ad vltim.* & *part. 2. dub. 2.* Eſt & Scoti, & ſequacium apud Maſtrium *diſp. 5. Met. num. 65.* contra Thomiſtas aſſerentes vnitatem dicere ſolùm ens nouo modo expreſſum, ſcilicet per modum negationis, & indiuiſionis, ſecundùm quam rationem non exprimitur per conceptum, & nomen entis.

Probatvr primò: Quod de ſe eſt realiter indifferens ad plura oppoſita, & differentia, non poteſt intelligi contractum ad ea, niſi per aliquid ſuperadditum, & diſtinctum à parte rei: ſed ens eſt huiuſmodi ad vnum, & plura, quæ ſunt oppoſita: ergo ſi ens intelligitur vt vnum, id erit per vnitatem diſtinctam ab ipſo ente. Tum quia ens, & vnum habent diuerſos conceptus obiectiuos: ergo à parte rei diſtinguuntur.

Probatvr Antecedens primò, quia quæ ſe habent verè à parte rei ſecundùm ordinem prioris, & poſterioris, habent diuerſos conceptus obiectiuos: ſed ens eſt prius vt ſubiectum, vnitas eſt quid poſterius vt paſſio: ergo.

Confirmatvr ſecundò eadem propoſitio: Vbi interuenit verè *quo*, & *quod*, ibi interueniunt diuerſi conceptus obiectiui, ex S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 19. part. 2. quæſt. vlt. in corp.* ſed ens eſt, quod dicitur vnum; & vnum eſt quo: ergo. Maior eſt certa, quia vt ait S. Doct. vbi interuenit verè quo eſt, & quod eſt, ibi interuenit maior completio. Minor etiam patet. Tum quia ens dicit præciſam rationem eſſendi: vnum dicit ſingularitatem, indiuiſionem, & diſtinctionem: ergo dicunt diuerſos conceptus obiectiuos. Tum quia modus dicit quid diſtinctum à re, cuius eſt modus: ſed vnitas eſt modus modificans ipſum ens: ergo. Tum quia ens, & vnum habent diuerſos terminos, ergo & diuerſos conceptus obiectiuos. Probatur Antecedens, quia ens pro termino à quo habet nihil; pro termino ad quem habet eſſe: vnum verò pro termino à quo habet ipſum ens, pro termino ad quem habet ſingularitatem, vel numerabilitatem, vel diſtinctionem, vel indiuiſionem. Sic S. Doct. *lib. 2. diſt. 1. part. 1. art. 3. quæſt. 2. & p. 2. dub. 2.* & *lib. 1. diſt. 24. cit.* Ergo.

Hincqve S. Doct. *in op. Princ. S. Script.* dixit vnitatem, veritatem, & bonitatem eſſe differentias entis (intellige non in rigore, ſed vt modos, ſeu proprietates non trahentes ens extra ſuum genus, vt faciunt differentiæ;) ſed ſupponentes ipſam eſſentiam in ſuo eſſe. Ob id notat *in Breuil part. 1. cap. 6.* quod hæc contractio eſt tantùm ſecundùm rationem, non ſecundùm ſuppoſi-

Digitized by Google

ta; ideſt non eo modo, quo differentiæ ſpecificæ contrahunt genus ipſum, trahendo ad eſſe aliquod ſpecificum differens; & indiuiduales contrahunt ſpeciem ad indiuidua, & ſuppoſita: ſed eſt per proprietates, vel modos realiter, & radicaliter imbibitos in ente.

Respondent Thomiſtæ vniuerſaliter negando, talem contractionem entis à ſua indifferentia fieri per nouam entitatem, ſed tantùm ſecundùm maiorem expreſſionem. Vnde conceptus entis, & vnitatis differunt tantùm per magis, vel minùs explicitum; nam ens includit vnum, ſed implicitè: vnum dicit, quod dicit ens, ſed explicitè, & tantùm addit negationem diuiſionis. Vnde ens in actu confuſo continet omnia inferiora, ob id dicit omnia illa, ſine determinatione tamen alicuius; quod tamen non eſt dicendum de genere reſpectu inferiorum. Quare genus in potentia tantùm continet, non in actu confuſo, ob idque dicit aliquid determinatum in ſe, ſed determinabile ad plura per aliquid ſuperadditum, nempe per differentiam. Sic Ioan. à S.Thoma *M.t. quaſt.*14. *art.*2. At ens omnia inferiora continet in actu confuſo, tum vnitatem, tum multitudinem.

69. Contra primò ex Scoto: Aliquis poteſt eſſe certus de ente, & incertus, an ſit vnum; vel multa: ſicut etiam an ſit finitum, vel infinitum, vt de Deo patet apud Philoſophos Gentiles in cognitione Dei: ergo important diuerſos conceptus obiectiuos explicitos. Tum quia conceptus entis præcisè vel aliquid explicat, vel nihil: ſi ſecundùm, ergo dabitur intellectio ſine intelligibili, & conceptus ſine conceptibili; quod implicat. Si primum: ergo ſcietur, quod exprimitur, implicat enim, quod aliquid exprimatur per conceptum, & neſciatur: ergo ſub rationibus peculiaribus diuerſis.

Secundò, quia conceptus implicitus, & explicitus, licèt poſſint eſſe idem materialiter, quatenus explicant eandem eſſentiam, non tamen idem formaliter obiectiuè ſub eiſdem formalitatibus, nec eodem modo. Ens enim formaliter, & præcisè explicat rationem eſſendi, & non ſingularitatem, vel multitudinem: vnum verò, & multa ex oppoſito explicant rationem ſingularitatis, & pluralitatis; ergo important obiectiuè diuerſas formalitates. Tum quia id tantùm concipitur, quod exprimitur: ſed non exprimuntur rationes inferiorum per conceptum entis præciſum: ergo nec in eo concipiuntur vel diſtinctè, vel confusè.

Obiicies primò: Si vnitas eſt quid ſuperadditum reale enti, id eſt vel ens, vel non ens. Si primum, ergo non eſt aliquid ſuperadditum, ſed eſt ens. Si ſecundum, ergo eſt negatio.

70. Respondetur, hoc vnum ſuperadditum eſſe ens identicè, non formaliter; nam vt docet S. Doct. *lib.*2. *diſt.*1 *part.*2. *dub.*2. vnum includitur in conceptu perfecto, & identico entis, cùm realiter identificetur cum ente, vt paſſio cum ſuo ſubiecto.

Contra inſtant aduerſarij. Ens formaliter ſumptum, & nihil opponuntur contradictoriè: ergo, ſi vnitas formaliter non eſt ens, erit nihil.

Respondetur, Ens ſi ſumitur identicè, & nihil, opponuntur contradictoriè, prout ſumuntur realiter, concedo antecedens; ſi verò ens ſumitur formaliter ſolùm, negatur antecedens: datur enim medium, ſcilicet entitas, quæ in recto non eſt ens, ſed eſt aliquid rei, & participatiuè, & dicitur aliquid: id enim latiùs patet, quàm ens, vt rectè docet S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 7. *dub.* 3. & in

in pſ. 50. Vnde vnitas eſt aliquid extra nihil, non per ſe, ſed per aliud, ſcilicet ratione entis, cui identificatur.

Contra inſtant ſecundò. Vnum ſuperaddit aliquid ad ens: ergo cum non ſuperaddat nihil, ſupperaddit ens.

Respondetvr ſuperaddere aliquid rei, ſcilicet formalitatem entis ipſi enti, in quo imbibitur identicè. Vnde eſt additio formalis, non realis, & rei.

Contra inſtant tertiò: Vnum imbibitur in conceptu adæquato entis: ergo ſuperadditio eſt tantùm conceptus inadæquati: ſed talis additio eſt tantùm per modum conceptus concipientis, non à parte rei, & eſt doctrina S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *cit.* dicentis, quod ſecundùm intellectum plenè reſoluentem includitur vnum in ente: ergo ſolùm ſuperaddit maiorem expreſſionem, vel tantùm negationem diuiſionis.

Respondetvr, hoc eſſe argumentum Paſqualigi, ſed tamen debile; nam primò negatur maior; ens enim & vnum habent proprios conceptus adæquatos per ſe. Nec S. Bonauent. dicit aliquid pro Paſqualigo; nam ait, quod ſecundum intellectum apprehendentem ſunt diuerſa ens, & vnum: ſecundùm intellectum reſoluentem, & comparantem ad cauſam, vel ſubiectum, non poteſt intelligi vnum ſine ente, & è conuerſo: nam proprietas comparata ad ſuum ſubiectum dicit radicaliter ipſum ſubiectum: vnde formaliter conſiderata proprietas, ſe habet vt forma ſubiecti; identicè verò dicit idem, quod ſubiectum.

Obicies ſecundò. Vnum ſuperadditum enti eſt etiam vnum in ſe: ergo erit tale per aliquid ſuperadditum, ſicque dabitur proceſſus in infinitum.

Nec valet (ait Oviedus) reſpondere eſſe vnum per ſe, quia ſic etiam potèrit dici de ente, eſſe per ſe vnum.

71. Respondetvr ex doctrina S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad vlt.* negando antecedens; in primis enim eſt ſtatus. Vnde vt notat *lib.* 1. *diſt.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 1. vnitas non dicitur vna, quia forma vnitatis reſpicit ſeipſam, vt eſt *quo*, non vt *quod*; nec eſt vna, nec non vna, ſed eſt quo ens eſt vnum: quod autem eſt alicui ratio eſſendi tale, illud de ſeipſo non eſt tale; ſic vnio ſeipſà vnitur, & non per aliam vnionem: quare eſt fallacia dictionis in argumento, mutando *quo* in *quod*. Ens enim vt ſic abſtrahit ab vno, & multis, & fit vnum per vnitatem; poteſt tamen dici vnum negatiuè, non poſitiuè, quatenus dicit negationem plurium. Vnde vnitas ſi peraddita non dicitur vna, ſed id quo ens eſt vnum.

Instant: Ens, vt abſtrahit ab vno, eſt quid indiſtinctum à quolibet alio: ergo de ſe eſt vnum: ergo nihil poteſt ſuperaddi enti per vnitatem.

Respondetvr in tali ſtatu non eſſe vnum, nec non vnum, niſi fundamentaliter: ſic etiam rationale, vt abſtrahit à riſibilitate, nec eſt riſibile, nec non riſibile.

Obicies tertiò: Omnis paſſio ſubiectum ſupponit vnum: ergo & vnitas.

Respondetvr diſtinguendo antecedens: Omnis paſſio præter paſſiones entis ſupponit ſuum ſubiectum, concedo; omnis paſſio entis, nego. Vnitas ſupponit ſuum ſubiectum, ſcilicet ens, vt præſcindens ab vnitate, & in ſuo eſſentiali conſtitutum. Ratio differentiæ eſt, quia cæteræ paſſiones ſupponunt ſuum ſubiectum eſſe ens in ſuo totali eſſe conſtitutum: vnitas verò ſupponit ipſum ens quidditatiuè ſumptum, ſicque vt præſcindens tantùm.

Obic.

Obiicies quartò: Poteſt dari ens, quod non varietur in entitate, & quod varietur vnitas: ergo non poteſt eſſe illins paſſio. Probatur antecedens: Detur quantitas bipalmaris, & diuidatur; tunc non variatur entitas, & tamen variatur vnitas.

Respondetvr ex S.Doct. quod alia eſt vnitas entitatiua, & tranſcendentalis; alia quantitatiua, quæ conſiſtit in terminatione vnius quantitatis per propria indiuiſibilia, vel in præciſione ab alia comparte, cui erat continuata. Dum igitur fit diuiſio quantitatis, fit duplex vnitas quantitatiua, ſed remanet eadem vnitas tranſcendentalis conſequens entitatem. Sic ex S.Bonau. *lib.2. diſt.3. part.1. art.2. quæſt.3. ad 1. 2. & 3.*

72. Qværes primò, an vnum dicatur, quod eſt indiuiſum in ſe, & à ſe; & an ſint idem.

Respondetvr, rationem formalem vnitatis, ſeu vnius eſſe indiuiſum in ſe; eſſe verò indiuiſum à ſe, eſſe veluti proprietatem conſequentem. Ratio primæ partis eſt, quia per talem negationem ſignificatur negatio diuiſionis, quæ ipſam deſtruit, & cum ea eſt incompoſſibilis. Ratio ſecundæ partis eſt, quia idem non poteſt diſtingui à ſeipſo, & nihil amplius explicat: & eius oppoſitum realiter, licèt non ratione, eſt omninò impoſſibile. Dixi *non ratione*, quia licèt quis realiter non poſſit diuidi à ſeipſo, poteſt tamen diuidi per intellectum, dicendo *Petrus eſt Petrus* Hinc ſequitur, quod cùm poſſit vnum concipi cum diuiſione à ſeipſo, etiam nec poſſit propriè dici paſſio vnitatis; quod non contingit in prima indiuiſione, de quo vide Meldul. *Met. diſp.5. num.* 100.

73. Qværes ſecundò, quomodo intelligenda ſit hæc indiuiſio entis in ſe à

Respondetvr, dimiſſis variis Philoſophorum placitis, ex Seraph. Doct. *lib.1. diſt.24. art. 1. quæſt. 1. in corp. & ad 3.* & *quæſt.2.* optimè explicari per negationem diuiſionis in partes. Sed quia dantur varij gradus indiuiſionis, ſicut & in diuiſione; hinc ſi vnum eſt omninò incapax alicuius diuiſionis, & compoſitionis, tunc talis vnitas fert ſecum ſummam ſimplicitatem, ſoluſque Deus eſt habens talem vnitatem, vt docet S. Bonau. *lib.1. diſt.8. part. 2. art.1. quæſt. 1. & 2.* & *diſt.24. quæſt.1. ad 3. & 4. & ſeq.* Si autem dicat actualem indiuiſionem cum poſſibilitate ad diuidi, vel in ſe, vel cum alio, quale eſt omne creatum; tunc tale ens eſt quidem vnum, & ſimplex, ſed non omninodè; quodlibet enim creatum vel eſt compoſitum, vel componibile cum alio, ſcilicet vel per diuiſionem, vel per aggregationem; ob idque ad multiplicari habet potentialitatem, & ad ſeiungi; quod non contingit in Deo, qui cùm non ſit in potentia ad numerum, nec etiam eſt alij connumerabile. Vnde Deus, & creatura non poſſunt dici duo; cùm excludat Deus omnem diuiſionem, vel numerabilitatem. Sic S.Doct. citatus.

Qværes tertiò, an diuiſio vnitatis ab alio (dicitur enim vnum, quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quocunque alio, vt docet S. Doct. *lib. 1. diſt.24. quæſt.2.*) ſit de eſſentia ipſius.

Respondetvr, talem diuiſionem conſequi ad rationem poſitiuam vnitatis, tanquam proprietatem; quia non identitas, ſeu diſtinctio eſt relatio præſupponens extrema in actu.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

Quid ſit Identitas, & Diſtinctio; & an ſint quid poſitiuum, an verò quid priuatiuum, vel negatiuum.

74. DE Vnitate hucuſque loquuti ſumus: ſed quia vt notat S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* vnitas in ſubſtantia dicitur identitas; vnitas in quantitate dicitur æqualitas, & in qualitate dicitur ſimilitudo; hinc ab vniuerſaliori ad minùs vniuerſale deſcendentes, conſequenter explicare decernimus naturam identitatis, item & diſtinctionis, & non identitatis, quæ ſunt identitati oppoſitæ. Et cùm identitas poſſit ſumi in ampliori ſignificatione, quàm illa, quæ dicit ordinem ad ſubſtantiam ſolùm, nempe prout dicit eſſentiam, vt rectè aduertit S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 33. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 3. & 4. quæ vt ſic vagatur per omnia genera, eſtque ipſa identitas, & diuerſitas vt proprietates entis, vt ait S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 4. *dub.* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *quæſt.* 4. *ad vlt.* hinc de vtraque quæritur, quid ſit, & an ſecundùm ſuam rationem formalem dicat negationem, ſcilicet an identitas formaliter ſit negatio diſtinctionis, ſeu alietatis; & diſtinctio negatio identitatis?

Prima opinio circa identitatem eſt Mauritij, aliquorumque aliorum ſuſtinentium identitatem conſiſtere in negatione, ſcilicet alietatis, ſeu diſtinctionis. Circa diſtinctionem plures Thomiſtæ volunt formaliter conſiſtere in negatione identitatis. Ita Suarez *diſp.* 7. *Met. ſect.* 1. Arriaga *Met. diſp.* 2. *ſect.* 4. Ovied. *contr.* 4. *Met. part.* 1. Paſqualig. *in Met. diſp.* 47. *ſect.* 2.

Secunda opinio eſt S. Bonauent. infrà citandi, Scoti *lib.* 2. *diſt.* 3. *q.* 1. *argum.* 6. & communis Formaliſtarum Scotiſtarum, conſtanter aſſerentium tam identitatem, quàm diſtinctionem dicere quid poſitiuum, eſſeque relationem duorum extremorum. Pro qua ſtabilienda,

75. Primò Notandum, quod licèt identitas fundetur in vnitate, longè tamen habet diuerſam naturam ab vnitate. Ratio eſt, quia conceptus vnitatis vt ſic eſt abſolutus; conceptus verò identitatis eſt relatiuus. Tum etiam quia vnitas formaliter ſumpta excludit pluralitatem; identitas verò plura ſupponit, & inter plura verſatur, quatenus tamen in vnum, & idem eſſe ſunt coadunata. Et hinc S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 29. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 3. docet identitatem eſſe illam, quæ importat vnitatem plurium non multiplicabilem, nec compatitur ſecum pluralitatem ſuppoſitorum; ob idque illa ſunt idem, quorum vnum non poteſt eſſe abſque alio, & hoc ab intrinſeco; nam ſi talis impoſſibilitas eſſet ſolùm ab extrinſeco, non liceret inferre identitatem inter inſeparabilia, qualis eſt immortalitas in ſtatu innocentiæ, & motus, & corruptibilitas in cœlo. Sic S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. poſt medium*: & ob id etiam habet plures gradus, nempe genericum, ſpecificum, & indiuidualem.

76. Secundò Notandum, quod S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 24. *dub.* 1. affert plures gradus diſtinctionum; & primo loco ponit diuerſitatem, ſecundo multiplicitatem, tertio diuiſionem, quarto ſeparationem: quæ omnes competunt entibus, vel ratione diuiſionis continui, vel diuerſitatis formarum, ſeu naturarum, vt aduertit *lib.* 2. *diſt.* 14. *part.* 2. *quæſt.* 1. alibique ſæpe, quæ ſe

Google

habent ſecundùm ſuperius, & inferius; nam ſeparatio includit alias tres; tertia alias duas; & ſecunda primam, ſed non è conuerſo. Additque, diuerſitatem eſſe per ordinem propriè ad ſubſtantiam, & ad principia intrinſeca ſubſtantiæ, vt inter lignum, & lapidem. Multiplicitas importat numerum penes quantitatem: diuiſio eandem multiplicitatem penes poſitionem partium: & ſeparatio penes diuerſa obiecta. Quæ omnes ſunt diſtinctiones phyſicæ, nec ſe habent è conuerſo; nam diuerſitas eſt inter duos Angelos, & animas; non verò inter duas quantitates, vel qualitates. Item multiplicitas eſt in continuo, ſed non diuiſio, & ſeparatio. Item diuiſio eſt inter corpus, & animam vnita, ſed non ſeparatio. Metaphyſicæ verò ſunt ſequentes, alietas, pluralitas, diſcretio, & diſtinctio, quæ ſe habent vt ſuperius, & inferius: diſtinctio enim ſupponit alias tres; tertia ſupponit primas duas; & ſecunda ſupponit primam, ſed non è conuerſo. Alietas enim eſt quidem inter res diſcretas, & diſtinctas; ſed tamen eſt etiam inter extrema, quorum vnum eſt poſitiuum, aliud extremum eſt negatiuum; & dicitur non identitas, vt inter lucem, & tenebras. Pluralitas verò eſt inter plures formalitates ſimul identificatas, quæ important alietatem etiam, ſed non diſcretionem, & quamcunque diſtinctionem. Diſcretio eſt inter varia ſuppoſita, licèt habeant eandem naturam, vt in diuinis tres perſonæ: diſtinctio verò eſt inter res, & dicitur realis; inter formalitates, & dicitur formalis; & inter entia rationis, & dicitur rationis. Vide S.Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad penult.*

77. Hinc optimè Scotiſtæ ex Rada *part.* 1. *contr.* 4. ad tria capita omnes reducunt. Primum eſt diuiſio, ſecundum eſt diſtinctio, tertium eſt alietas, ſeu non identitas. Diuiſio eſt inter res ſeparabiles: Diſtinctio eſt & inter res ſeparabiles, & etiam inter plures formalitates inſeparabiles: Alietas, ſeu non identitas, eſt non ſolùm inter ſupradicta, ſed etiam, vt dictum eſt, inter extrema, quorum vnum eſt quid poſitiuum, aliud negatiuum. Primæ duæ habent varios gradus, vt dictum eſt, & dicetur in ſequentibus. His poſitis ſit

Prima Conclusio: Identitatis ratio formalis non conſiſtit in pura negatione alietatis, ſed in entitate poſitiua. Eſt S.Bonau. citati in primo fundamento, & *lib.* 1. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. & ferè communis.

Probatur iiſdem rationibus, quibus probauimus, vnitatem eſſe quid poſitiuum; nam in tantum aliqua dicuntur idem, in quantum ſunt vnum, vel in quantum adunantur in aliquo eſſe, vel conceptu: ergo ſi vnitas eſt quid poſitiuum, etiam identitas. Tum quia eſt vera proprietas entis. Tum quia eſt conuenientia plurium in tertio: ſed conuenientia eſt quid poſitiuum: ergo & identitas.

Addimus tamen, quod aliquando explicatur identitas per negationem diſtinctionis, ſicut & vnitas, licèt currat maxima diſparitas; nam vnitas, cùm ſit prima proprietas entis cum ipſo identificata, non poteſt declarari à priori: at identitas cùm ſit quid inferius ad vnitatem, poteſt à priori explicari in recto, vt rectè notat S. Bonau. *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* vt ſuprà in primo notabili diximus.

78. Secunda Conclusio: Diſtinctio ex ſua ratione formali dicit quid poſitiuum, & connotatiuè tantùm, & ex conſequenti negationem identitatis.

tatis. Eſt S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 2. *quaſt.* 1. aliiſque locis citatis.

Probatvr primò: Idem, & diuerſum non ſunt contradictoria, licèt idem, & non idem ſint talia, loquendo de iis, quæ ſunt idem, & non idem ſecundùm eſſe completum, & numericum, vt notat S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *quaſt. vlt. ad* 5. quia datur differentia, ſeu diſtinctio medians. Sic S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 4. *dub.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *quaſt. vlt. ad* 5. ergo diſtinctio eſt quid poſitiuum. Probatur antecedens, quia licèt diuerſitas dicat negationem, hæc tamen non eſt omnimoda, & extra genus, ſed in genere aliquid ponens. Sic ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 28. *art.* 1. *quaſt.* 1. *in corp.* & *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 1. ſed idem currit de diſtinctione: ergo.

Probatvr iterum antecedens, quia verſatur inter extrema poſitiua, cùm ſit relatio realis faciens differre duo extrema poſitiua: ergo.

Tvm quia per id differt non identitas à diſtinctione, quòd illa verſatur inter extremum negatiuum, & poſitiuum; iſta inter extrema poſitiua: ergo.

Patet hæc veritas ex Summulis, & ex Toleto *lib.* 3. *cap.* 12. nam verbum, *Differt*, exponitur per tres propoſitiones cathegoricas, v. g. *Homo differt ab equo;* ſic, *Homo eſt: Equus eſt: Et homo non eſt equus.* Sed iſta ſunt extrema poſitiua: ergo non rectè differentia, ſeu diſtinctio explicatur per non identitatem; idem enim, & non idem ſunt contradictoria; idem, & diuerſum ſunt contraria habentia medium, ſcilicet diſtinctionem, vt ſuprà dictum eſt.

79. Obiicies primò: Diſtinctio, & identitas opponuntur contradictoriè: Sed identitas eſt quid poſitiuum: ergo diſtinctio quid negatiuum. Probatur maior, quia diſtinctio eſt non identitas: ergo dicit negationem.

Respondetvr ex Seraph. Doct. primò negando Maiorem: opponuntur quidem, ſed vel contrariè, impropriè tamen (contraria enim propria agunt in ſe inuicem,) vel relatiuè.

Respondetvr ſecundò, opponi quoad noſtrum modum concipiendi, non ſecundùm ſe. Sic S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 1. *quaſt.* 1. *in corp.* & *art.* 2. *quaſt.* 1. Et ad probationem reſpondetur negando antecedens, plus enim eſt non identitas, quàm diſtinctio; hæc enim eſt inter entia poſitiua, illa etiam inter ens negatiuum, & poſitiuum: licèt diſtinctio lato modo ſumpta, ſcilicet negatiuè, coincidat cum non identitate; non autem diſtinctio propriè ſumpta.

Obiicies ſecundò: Diſtinctioni correſpondet diuiſio; eſt enim diſtinctio aliqualis diuiſio: ſed diuiſio eſt formaliter priuatio vnitatis, & continui: ergo & diſtinctio.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 24. *dub.* 1. negando abſolutè maiorem; licèt enim diuiſio ſit negatio continui, diſtinctio tamen eſt quid poſitiuum, ſcilicet relatiò inter extrema poſitiua. Ratio eſt, quia ex Ariſtot. differentia dicuntur aliquid idem entia, ideſt aliquo ſui quidditatiuè conuenientia, & aliquo diſconuenientia. Sic homo, & equus conueniunt in animali, & diſconueniunt in propriis differentiis; ob idque differentia, & diſtinctio eſt inter extrema poſitiua, non omnimodè, ſed limitatè, ideſt cum negatione in genere. Vnde concluditur, quod licèt ſeparatio, & diuiſio formaliter ſint priuationes identitatis, & vnitatis; diſtinctio tamen eſt quid poſitiuum.

80. Tertia Conclvsio: Identitas, & diſtinctio, prout ſunt affectiones entis, ſunt relationes poſitiuæ, ipſi eſſentiæ vel realiter, vel formaliter ex natura rei, vel ratione tantùm ſuperadditæ. Eſt S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 9. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 4. & aliis locis infrà citandis, Scoti, & plurium aliorum contra Hurtadum, aliosque Nominales, aſſerentes res diſtingui ſeipſis immediatè. Vt autem probetur hæc concluſio, aduertendum eſt, quod duplex eſt relatio, alia tranſcendentalis, alia prædicamentalis. Prima identificatur cum re, in qua eſt, & diſtingitur tantùm formaliter; alia diſtinguitur realiter à re, vt docet S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in corp.* & *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 6. & *lib.* 1. *diſt.* 30. *dub.* 4. Prima eſt proprietas entis creati: ſecunda eſt accidens verum realiter diſtinctum ab ipſa re.

Probatvr igitur Concluſio primò: Diſtinctio eſt inter duo: ergo ad aliud refertur, vel dicit relationem. Tum quia diſtinctione poſſunt conuenire oppoſita in ordine ad diuerſa: ergo per relationem ad aliud; nam rationalitas eſt idem cum animali, & eſt diuerſa realiter à lapide: ergo per diuerſos reſpectus. Sic & diſtinctio per ordinem ad Petrum, vt eſt ad ſeipſum, eſt rationis: per ordinem ad Paulum eſt realis. Tum quia diſtinctio relatiuè opponitur identitati: ergo eſt relatio. Tum quia adſunt omnia requiſita ad relationem; nam pluralitas eſt ratio fundandi: adſunt extrema poſitiua: ergo & relatio poſitiua.

Addimvs cum S. Doct. ſuprà citato, diſtinctionem poſſe dici relationem æquiparantiæ, quia adeſt eadem denominatio in vtriſque extremis: poſſe etiam dici diſquiparantiæ, ob rationem fundandi diuerſam in ipſis extremis.

Probatvr ſecundò de identitate, quod ſit relatio. Primò identitas formaliter non poteſt concipi niſi per habitudinem ad aliud, & denominando eodem modo extrema: ergo eſt relatio. Probatur antecedens ex Ariſt. 5. *Met. text.* 20. qui enumerat inter relationes fundatas ſuper vnitatem ipſam identitatem. Confirmatur, quia aut vnum dicitur idem cum alio, quia in vno aliquo communi prædicato conueniunt, aut quia eſt idem ſibi ipſi. Si primum, iam patet, non poſſe concipi ſine habitudine ad aliud, & hæc eſt relatio formaliter ſuperaddita, & diſtincta ab extremis. Si ſecundum, adhuc talis identitas non poteſt concipi, & explicari, niſi per comparationem duorum extremorum, in qua vtimur vno tanquam pluribus, vt docet Ariſt. 5. *Met. text.* 16. & hæc eſt relatio rationis. Confirmatur, quia identitas plura cogit in vnum, vel realiter, vel formaliter, vel ratione: ergo ex ſua ratione formali debet inter plura verſari comparata ad inuicem, & in vnum coadunata. Et hinc ex ratione extremorum, vel realiter, vel formaliter, vel per opus intellectus diſtinctorum venanda eſt hæc diſtinctio, an ſit realis, an formalis, an rationis, ſcilicet an realiter, an formaliter, an per rationem diſtincta.

81. Obiicies primò cum Paſqualigo: Stante identitate nullo pacto poteſt concipi diſtinctio, & è contra: ergo vtraque debet exprimi per negationem: ergo neutra eſt relatio poſitiua.

Respondetvr negando antecedens ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 29. *ſuprà citat.* in primo notabili: non enim ſola denominatio negationis diſtinctionis poteſt explicare rationem formalem identitatis, nec è contra; ſed tantùm per talem negationem explicantur tanquam à poſteriori, cùm habeant eſſe

poſiti

poſitiuum differens ab ipſa negatione.

Qvarta Conclvsio: Hæc relatio diſtinctionis diſtinguitur realiter ab extremis, ſi eſt relatio prædicamentalis; vel formaliter, ſi eſt tranſcendentalis; vel ratione, ſi eſt facta per intellectum. Eſt S.Bonau. citati, & *lib.*1. *diſt.*26.*art.*1.*quæſt.*1.*ad* 6. D.Thomæ, Scoti, & omnium Realium contra Nominales, & Hurtadum, aſſerentes res ſeipſis diſtingui, & non mediâ diſtinctione.

Probatvr. Tum quia eſſentiæ rerum ſecundùm ſe non ſunt relatiuæ: ergo ſi habent referri, id habent per relationem ſuperadditam. Probatur antecedens, quia aliud eſt, quod diſtinguitur; aliud fundamentum, ob quod diſtinguitur; aliud eſt, quo diſtinguitur. Verbi gratiâ, homo diſtinguitur *vt quod* à leone, idque per rationalitatem: ſed rationalitas non eſt relatiua: ergo aliud requiritur, ſcilicet diſtinctio, quâ diſtinguatur. Tum quia eſſentia de ſe eſt indifferens ad identitatem, & diſtinctionem: ergo vt vtram habeat, debet aliquid ſuperaddi.

Respondet Hurtadus, eſſentiam non eſſe diſtinctam, niſi connotatâ negatione identatis vnius cum alia, per quam explicatur diſtinctio, verbi gratiâ ſubſtantia diſtinguitur ab accidente, idque explicatur per hoc, quod ſubſtantia non eſt accidens.

82. Contra: Ergo negatio ſecundùm ſe erit formaliter diſtinctio. Probatur conſequentia, quia ſecundùm Hurtadum ſubſtantia ſecundùm ſe concepta non explicat, nec importat diſtinctionem ſui ab accidente, ſed tantùm vt ſubeſt negationi identitatis: ſed illa eſt ratio formalis, quâ poſitâ ponitur res; & quâ ablatâ aufertur: ergo ſi poſitâ negatione explicatur diſtinctio, illa erit ratio formalis diſtinctionis: ergo eſſentia ſecundùm ſe non diſtinguitur.

Respondet Hurtadus, negationem non eſſe rationem formalem diſtinctionis, ſed potiùs conſequi ex diſtinctione eſſentiæ ſecundùm ſe: ex eo enim, quod Petrus eſt Petrus, ideo diſtinguitur à Paulo: ergo vt ſic non eſt idem cum Paulo: ergo hæc negatio conſequitur ad diſtinctionem, quæ conſiſtit in conſtitutiuo Petri: ergo eſſentia de ſe abſque addito aliquo diſtinguitur, licèt explicetur per negationem identitatis.

Contra: Non identitas non eſt formaliter diſtinctio: ergo non ſufficienter explicatur per illam diſtinctio, etiamſi illam præſupponat. Antecedens eſt ipſius Hurtadi, & probatur, quia negatio identitatis præſupponitur diſtinctioni, quia fundatur in conſtitutiuo, & diſtinctiuo rei; quia enim Petrus eſt Petrus, ideo non eſt idem cum Paulo: ergo non conſequitur ad diſtinctionē. Probatur conſequentia, quia diſtinctio eſt inter duo extrema poſitiua; negatio verò præcisè eſt inter duo contradictoria: ergo per talem negationem non poteſt explicari ratio diſtinctionis. Confirmatur, quia in ſtatu eſſentiali, & præciſo ipſius eſſentiæ non poſſunt enuntiari niſi prædicata primi modi, vt eſſe talem, eſſe non idem cum alia: non autem prædicata ſecundi modi, qualia ſunt diſtinctio, aliæque proprietates conſequentes ad ens: ergo negatio identitatis non poteſt explicare rationem diſtinctionis. Ex quo patet, quomodo malè confundantur à Nominalibus principium formale conſtitutiuum, & diſtinctiuum rei cum ipſa formali diſtinctione. Ex primo enim oritur negatio identitatis cum alia re, & fundamentaliter, & formaliter: ſed diſtinctio oritur ex poſitione, & relatione duorum

T 3 extre-

extremorum diſtinctorum. In primo item eſt contradictio, idem, & non idem: in ſecundo eſt oppoſitio contraria, idem, & diuerſum. Primum præcedit: ſecundum conſequitur.

Obiicies primò: Si diſtinctio eſt relatio: ergo dabitur proceſſus in infinitum. Probatur ſequela: Petrus ſua diſtinctione eſt diſtinctus à Paulo, & iſte ſuâ diſtinctione à Petro; habent enim diuerſa fundamenta, & terminos; ob idque ſunt diuerſæ diſtinctiones: ſed iſtæ referuntur aliis diſtinctionibus, ſicque erit proceſſus in infinitum.

83. Respondet primò S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 30. *dub.* 4. negando ſequelam. Ratio eſt, quia relatio non eſt ea, quæ refertur, ſed quo aliud refertur, & facit differre: ideo non facit numerum, niſi concretiuè cum ſubiecto, cum quo ſimul poteſt dici, quod refertur; ſicque illæ duæ diſtinctiones non referuntur ad inuicem, niſi cum extremis, quæ cùm non multiplicentur, nec etiam & ipſæ multiplicantur relationes.

Respondet ſecundò S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 33. *quæſt.* 4. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 28. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vlt.* & *lib.* 4. *diſt.* 19. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 1. quod ſi relatio reflectatur, & fundetur ſuper abſolutum, non poteſt multiplicari, quia eſt ſtatus in extremis. Si autem fundetur ſuper ipſos reſpectus, tunc etiam poteſt multiplicari, non tamen in infinitum. Fit enim ſtatus in illa relatione, in qua ambæ conueniunt in ratione fundandi, & referendi. Vnde illæ duæ diſtinctiones, quæ ſunt ſimiles in ratione diuerſificandi, ad ſummum poſſunt eſſe fundamentum vnius alterius diſtinctionis, ſeu potiùs ſimilitudinis; quod amplius patebit cùm agetur de fundamento relationis, an relatio poſſit fundari ſuper aliam relationem, & an ad multiplicationem terminorum multiplicentur relationes? Vbi ex S. Doct. probabitur negatiua pars. Vnde hæc obiectio vrget ſolùm Scotiſtas.

Obiicies ſecundò: Relatio ſupponit extrema actu diſtincta: ergo cùm diſtinctio faciat diſtinguere extrema, non eſt relatio.

Respondetur ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 31. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 3. quod relationes aliæ ſunt relatiuæ diſtinctorum, aliæ ſunt diſtinctiuæ relatiuorum. Primæ ſunt ſimilitudo, æqualitas, &c. iſtæ enim ſupponunt extrema iam diſtincta: ſecundæ faciunt diſtinguere extrema, vt in diuinis paternitas, filiatio; & talis eſt diſtinctio. Sic negatur antecedens, & conſequentia. Vide, quæ dicuntur *in cit. quæſt. de Relatione.*

Obiicies Tertiò contra identitatem: Quælibet res ſeipſâ eſt idem cum ſeipſa, vel cum alio, ſecluſo quocũmque accidente, vel modo ſuperaddito: ergo identicè eſt tális abſque relatione denominante ipſam.

Respondet Maſt. *in Metaph. diſput.* 6. *num.* 143. diſtinguendo antecedens, ſi ſumitur identitas fundamentaliter, ideſt pro vnitate eſſentiæ, verum eſt; falſum autem, ſi ſumitur formaliter: ſic enim eſt relatio, non quidem realis, ſed rationis, cùm extrema non ſint realiter diſtincta; in hac enim apprehenditur vt duo. Vnde in primo ſenſu fundamentali identitas ad ſeipſum dicitur omnium perfectiſſima, non quoad eſſe relationis.

QVÆS

QVÆSTIO IV.

Quotuplex ſit Identitas, & Diſtinctio.

84. SVprà in principio huius tractatus in referendo ſententias Thomiſtarum, & Scotiſtarum ex Aquario, Sirecto, aliiſque Formaliſtis, varias ſpecies identitatum, & diſtinctionum dedimus de ipſorum mente. Attamen Thomiſtæ antiquiores, & rigidiores ad duo tantùm membra præcipua reducebant ipſas, ſcilicet ad realem, & rationis. Neoterici tertium addiderunt, nempe diſtinctionem modalem, ſcilicet inter rem, & modum eius extrinſecum.

Scotistæ verò ad tria membra ipſas reducunt, ſcilicet ad realem maximam, ad formalem ex natura rei, & rationis.

Nominales duas item diſtinctiones admittunt, ſcilicet realem, & rationis; ſed ferè omnes diſcrepant à Thomiſtis, quòd cùm iſti admittant diſtinctionem virtualem, ſeu rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re; Nominales verò hanc etiam negantes volunt conſiſtere tantùm vel in ſolis nominibus, vel in ſolis connotatis, vel in ſolis conceptibus formalibus inadæquatis. Sic Ocham *lib.* 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 3. Gabr. Gregor. aliique moderniores, Hurtadus, Ovied. Arriaga, &c.

S. Bonav. verò, quid ſenſerit in hac materia, difficillimum eſt clarè noſcere; vtitur enim variis terminis tunc temporis in Scholis vſitatis, nunc autem obſoletis, & inuſitatis: quæ varietas terminorum occaſionem habuit ex diuerſitate materiarum, quas tractat in diuinis, & in creatis ad deſignanda varia genera, & gradus diuerſos diſtinctionum, & identitatum. Attamen ſi rectè perpendantur eius modi loquendi, & occaſiones vtendi talibus terminis, & modis, clarè apparebit, quàm verum ſit, quod in principio huius libri diximus, nempe Scotum, alioſque plures mutuaſſe à Seraph. Bonauent. plurimas, & verè ſublimiſſimas doctrinas, variaſque diſtinctiones, & identitates, quibus ipſi, & maximè Scotus in ſuis ipſorum ſcriptis cum tanta laude, & acumine vtuntur.

85. S. Doctor igitur ad tria capita præcipua reducit omnes identitates, & diſtinctiones; & hoc demonſtro in Textu Seraphico. Nam cùm *lib.* 1. *diſt.* 4. *dub.* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *quæſt. vltim. ad* 5. *& lib.* 1. *diſtinct.* 23. *dub.* 4. dicat idem, & diuerſum non opponi contradictoriè, ſed inter ipſa dari medium; hinc clarè patet, ipſum admittere diſtinctionem mediam, quæ non omnimodam identitatem excludit, nec omnimodam diſtinctionem, ſcilicet realem: quod & infert ex conſimili Scoti dicto Faber *lib.* 10. *Metaph. diſput.* 6. licèt rejiciatur à Maſtrio *in Metaph. diſput.* 6. *n.* 151. dicente ex tali poſitione non poſſe inferri diſtinctionem mediam ad mentem Scoti, ſed immeritò: licèt enim non coincidant iſtæ quæſtiones in vnum, ſcilicet, an inter idem, & diuerſum detur medium; & an inter diſtinctionem realem, & rationis detur diſtinctio media: attamen dato quod inter idem, & diuerſum detur medium, quod non ſit omnimodè idem, nec omnimodè diuerſum, vt Petrus, & leo in animali habent identitatem, & diuerſitatem inter ſe, ideſt ſecundum aliquid ſui

identitatem, & ſecundùm aliud diuerſitatem: ſic animal nec eſt idem, nec diuerſum; etiam ſequitur, quod illud medium fundat diſtinctionem mediam. Ratio eſt, quia ſi aliqua ſunt omninò idem à parte rei, ſi in eo recognoſcatur aliqua diſtinctio oppoſita tali identitati, iſta erit tantùm per intellectum; ſi aliqua ſunt diuerſa per diuerſam exiſtentiam, tunc intercedet diſtinctio realis; ſi verò non adſit in aliqua re, ſiue formalitate alia omnimoda identitas realis, nec omnimoda diuerſitas exiſtentialis, tunc erit diſtinctio media: quod & clariùs patet ex eo, quod *lib.2.diſt.37.dub.1.* dicit, quod ſi res dicitur à *ratus, ta, tum*, tunc importat idem quod eſſe in ſe, vel in alio, idest quod habet ſuam propriam exiſtentiam, vel exiſtit in alterius exiſtentia: ſicque duplicem diſtinctionem recognoſcit; aliam realem fundatam in rebus habentibus propriam exiſtentiam, & ratitudinem; aliam in carentibus propriâ exiſtentiâ. Addit, quod res dicitur à *reor, reris*, prout dicit rem conceptam ab anima; ſicque fundatur diſtinctio rationis. Hancque primam diſtinctionem rationis diuidit in duo membra; alia enim eſt cum fundamento in re, alia ſine fundamento, quæ ab ipſo appellatur phantaſtica, de quibus in propria quæſtione agetur.

Secundam, ſcilicet realem maximum appellant nomine vel diuerſitatis, vel pluralitatis omnimodæ, vel ſeparationis, vel alietatis.

Tertiam explicat variis nominibus, nempe vel ſecundùm attributionem, vel ſecundùm habitudinem, vel ſecundùm diuerſum modum ſe habendi, vel eſſendi, vel ſecundùm diuerſas formas, & gradus, de quibus omnibus in propriis quæſtionibus fusè agetur, & explicabuntur iſti termini, dante Deo, ad mentem Seraphici Doctoris.

Ex quibus patet, quàm deficiens ſit bimembris diuiſio tradita à Thomiſtis; ex hac enim facilè oritur deceptio, & confuſio rerum habentium propriam exiſtentiam, & eâ carentium, cùm habeant diuerſum modum participationis in ente: & conſequenter multò maiorem confuſionem parit poſitio Nominalium ſolùm admittentium diſtinctionem realem, & rationis ſine fundamento in re, vel tantùm penes connotata, vel penes nomen tantùm, vt dicetur infrà ſuo loco. Quibus ſuppoſitis,

86. Dicimus tria membra diſtinctionum, & identitatum ſufficere: & probatur ex Ariſt. 5. *Met. text.* 18. quia identitas fundatur ſuper vnitatem, & diſtinctio ſuper multitudinem, & pluralitatem: ergo tot modis dicitur diſtinctio, & identitas ex parte rei, quot vnitas, & multitudo ſumitur: ſed hæc eſt duplex ex S. Bonau. *lib. 1. diſt.25. dub.3.* & *lib.2. diſt.37. dub.1.* & aliis locis citatis *ad literam M, & ſequ.* in Textu.

Altera enim eſt pluralitas rerum habentium propriam ratitudinem, & exiſtentiam; & in hac fundatur diſtinctio ex parte rei, & realis maxima: alia eſt rerum non habentium propriam exiſtentiam, ſed eam habentium in alio, ſeu in re, licèt ſint à parte rei: & in hac fundatur diſtinctio media, ſcilicèt formalis ex natura rei: vel eſt pluralitas tantùm facta per intellectum, in hacque fundatur diſtinctio rationis.

87. Pariter & vnitas eſt fundamentum identitatis, vnde ex vnitate reali oritur identitas realis, ex formali formalis, ex rationis vnitate identitas rationis.

Ad primum caput identitatis reducuntur ea, quæ ab intrinſeco ſunt inſeparabilia

parabilia, quia exiſtunt vnicâ, & eadem exiſtentiâ, vt in homine animalitas, vitalitas. Item & identitas eſſentialis eorum, quæ in aliqua eadem eſſentia conueniunt; eſtque, ait S. Doct. generica, vel ſpecifica in creatis, in diuinis verò dicitur eſſentialis, *lib. 1. diſt. 24. q. vlt.*

ITEM & quando vnum eſt conſtituens eſſentiam alterius, vt definitio in definito, rationalitas in homine; & appellatur etiam identitas formalis, prout dicit conceptum formalem, & eſſentialem rei. Item & talis eſt illa, quæ à Scotiſtis appellatur identitas ſe totis obiectiuè, & ſubiectiuè, de quibus ſatis in prolegomenis ad quæſtiones diximus.

88. DISTINCTIO realis oppoſita dictæ identati reali, eſt eorum, vt dictum eſt, quæ habent diuerſam exiſtentiam, etiamſi inſint in eodem ſubiecto, quando ſcilicet vnum non eſt de ratione formali conſtitutiua rei, vt albedo, & dulcedo in lacte; & hæc à S. Bonau. etiam appellatur diſtinctio formalis, *lib. 3. diſt. 6. art. 1. quæſt. 1. in corp.* & *lib. 1. diſt. 8. part. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 4.* ideſt diſtinctio formarum, ſeu naturarum, & etiam diſtinctio omnimoda, quia eſt ex diuerſis cauſis vnio in vnum, *lib. 1. diſt. 4. art. 1. quæſt. 2. in corp.* De quibus infrà ſuo loco.

AD ſecundum membrum, ſcilicet identitatis, & diſtinctionis formalis, dicimus, quod identitas formalis eſt illa, quando vnum eſt de ratione, & conceptu formali alicuius rei, vel quia habent aliqua eandem formalitatem, & rationem conceptibilem, & hæc eſt duplex, ſcilicet vel adæquata, vel inadæquata. Prima eſt, quando nihil formaliter includitur in vno, quod non includatur in alio, vt Deus, & deitas; homo, & humanitas: inadæquata verò eſt, quando ſolùm aliquid formaliter includitur in vno, quod in alio formaliter includitur, licet non omne includatur, vt homo, & animal ſunt idem formaliter inadæquatè, & etiam ſunt inadæquatè diuerſa: homo enim dicit, quicquid dicit animal, & aliquid ampliùs: ſic S. Doct. *lib. 1. diſt. 5. art. 1. quæſt. 1. ad 1. & 2.* Diſtinctio verò formalis eſt, quando aliquid formaliter non includit conceptum obiectiuum alterius.

89. AD tertium membrum ſpectat identitas, & diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſiue cum fundamento in re, & rationis ratiocinantis ſine fundamento in re. Hinc identitas rationis ratiocinatæ eſt, quando res non habet fundamentum, vt poſſit ſecundùm diuerſas rationes obiectiuas terminare diuerſos conceptus inadæquatos ob carentiam eminentiæ obiecti, vel habitudinis ad res alias diſtinctas in ſe: ſed illa res eſt nata facere vnum tantùm conceptum ſui adæquatum: & ſi concipiatur diuerſis modis, & ſub diuerſis ſecundis intentionibus; tamen ſemper eadem ratio obiectiua ipſi intrinſeca concipitur, vt dicendo *Petrus eſt Petrus, Deus & Deitas*; in quibus eſt tantùm diuerſus modus Grammaticalis, vel Logicalis, de quo S. Doct. *lib. 1. diſtinct. 18. art. 1. quæſt. 5. ad vlt.* & *lib. 1. diſt. 7. quæſt. vlt. in corp.* & *lib. 1. diſt. 34. art. 1. quæſt. 2. in corp.* Identitas verò rationis ratiocinantis eſt, quando aliqua ſunt omnino idem ſibi, etiam in ordine ad intellectum concipientem, vt Petrus ſub ratione petreitatis; Deus ſub ratione deitatis. Vide Maſtrium *in Met. diſp. 6. num. 268. in fine*, & *num. 287.*

DISTINCTIO verò oppoſita identitati rationis ratiocinantis eſt, quæ habet fundamentum in re; aliae eſt, quæ non habet fundamentum in re, de quibus infrà in propriis quæſtionibus.

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

De Diſtinctione reali prima, & maxima, eiuſque oppoſita Identitate: & quodnam ſit eius fundamentum.

90. VT quæſtionis titulus pateat aduertendum, quod hic non quæritur quidditas formalis diſtinctionis realis; ſuprà enim ſatis probatum eſt, eſſe quid poſitiuum, relationemque realem inter extrema; identitatem verò realem rei ad ſeipſam eſſe relationem rationis. Sed quæritur hîc, quodnam ſit fundamentum, ad quod conſequitur diſtinctio realis; dicitur enim realis, non quatenus eſt relatio realis, ſed quia eſt inter extrema realia habentia propriam ratitudinem. Vnde ſermo hic eſt de diſtinctione reali, non quatenus reale ſecernitur ab ente rationis; ſed de reali, quæ intercedit inter entitates habentes propriam ratitudinem, & exiſtentiam; nempe in quonam fundamento fundetur ipſa diſtinctio, eiuſque oppoſita identitas.

Prima opinio eſt Thomiſtarum, Heruæi *quodl. 3. quaſt. 3.* Caiet. *part. 1. quaſt. 54. artic. 2.* Ioan. à Thom. *in Log. de Ente rationis quaſt. 2. artic. 3.* Soti, aliorumque recentiorum admittentium in hac ſpecie, & ordine omnes diſtinctiones, quæ non dependent ab opere intellectus; & ob id duo membra tantùm aſſignantium, ſcilicet realis diſtinctionis, & rationis.

Secvnda opinio eſt aliorum recentiorum, maximè Societatis Ieſu, admittentium duas ſpecies diſtinctionis realis; aliam volunt eſſe quæ intercedit inter res ſeparabiles ab inuicem, & quæ ſeparatæ poſſunt per ſe exiſtere, & conſeruari; aliam eſſe, quæ eſt inter rem, & modum extrinſecum, qui licèt poſſit ſeparari à re, cuius eſt modus, vt ſeſſio à ſedente; tamen ſeparatus non poteſt conſeruari in eſſe: & hanc appellant diſtinctionem modalem. Sic Suarez *diſput. 7. Metaph. ſect. 1.* Auerſa, Moriſanus, aliique.

Tertia opinio eſt Nominalium ſuprà allata in antecedenti quæſtione.

Qvarta opinio eſt reducentium diſtinctionem realem ad duo membra, vel ſpecies tantùm, ſed differenti modo à ſecunda opinione, ſcilicet ad illam, quæ eſt inter entitates habentes propriam exiſtentiam, & inter formalitates. Primam appellant per antonomaſiam realem maximam: ſecundam formalem, vel ex natura rei; modalemque collocant ſimul cum prima, & reali. Sic Scotus, & omnes ſequaces cum plurimis aliis; eſtque vera, & germana opinio Seraph. Doct. à quo Scotus ferè totum mutuauit, quod tradidit de Formalitatibus, vt infrà patebit. Pro ſolutione quæſtionis.

91. Primò Notandum, quod vt fusè diximus in prima quæſtione huius tractatus, res, ſeu ens primò diuiditur in reale, & rationis; & hinc oritur etiam identitas realis, & rationis, quæ fundatur ſuper vnitatem. Et quia res, vel ens etiam admittit pluralitatem; hinc etiam & diſtinctionem, quæ eſt vel realis, vel rationis. Et quia rerum multiplicitas poteſt eſſe vel habentium propriam ratitudinem actualem, vel poſſibilem, vel exiſtentium in alio, ideſt per exiſtentiam alienam; hinc rectè ſubdiuiditur diſtinctio realis in realem maximam, quæ per appropriationem dicitur realis; & in diſtinctionem formalem. Sic ex S. Bonau. *lib. 2. diſt. 37. dub. 1. & lib. 1. diſt. 25. dub. 3.*

Secvn

SECVNDÒ Notandum ex S.Bonau. *lib. 2. diſt. 1. part. 2. dub. 2.* & *lib. 1. diſtinct. 3. part. 2. art. 1. quæſt. 3. ad 1. & 2.* quod aliquid eſt eſſentiale alicui, vel conſtitutiuè, vel conſequutiuè tantùm. Primo modo competit rei ſecundùm quod ipſa, & ſecundùm ſuum eſſe quidditatiuum: Secundo modo dicitur id, ſine quo res non poteſt cogitari habere eſſe perfectum, taleſque ſunt proprietates, item & modi intrinſeci entis, vt eſſe finitum, infinitum, exiſtens, ſubſiſtens.

92. TERTIÒ Notandum, quod hæc differentia intercedit inter modos intrinſecos, & extrinſecos, quòd intrinſeci, ſicut & proprietates, licèt aliquid addant rei, tamen non variant ipſam, quia vt ait S. Doct. *lib. 1. diſtinct. 3. part. 2. artic. 1. quæſt. 3. ad 1. in fine*, non trahunt rem ad aliud genus, ſed tantùm eam intrinſecè modificant, ſuperaddendo illi aliquid intrinſecum: Extrinſeci verò mutant rem, & eam trahunt ad aliud genus accidentale; ideò dicuntur extrinſeci, vel exteriores, vel extranei, vt loquitur S. Doct. *lib. 3. diſtinct. 6. dub. 3.* & *lib. 2. diſt. 41. artic. 1. quæſt. 2. in corp.* & *lib. 1. diſtinct. 31. part. 1. dub. 2.* vt ſeſſio, eſſe coloratum, figuratum, &c. Et hi modi licet non ſint res completæ, ob idque dicantur communiter aliquid rei, vel modi rei; tamen quia ſunt terminus phyſicæ cauſalitatis, habent propriam exiſtentiam diſtinctam à re, cuius ſunt modi: hinc & poſſunt dici res, licèt imperfectæ ſecundùm ſe. Modi verò intrinſeci, quia intrant in conceptu adæquato formali rei, & completo, ſeu in intellectu plenè reſoluente, vt loquitur S. Doct. *lib. 2. diſtinct. 1. part. 2. dub. 2.* ob idque dicuntur non res, ſed realitates, & formalitates, nec habent exiſtentiam propriam. Quare Recentiores conſiderantes differentiam horum modorum extrinſecorum, & intrinſecorum, videnteſque extrinſecos accidere rebus, ſeparatoſque non poſſe per ſe conſeruari, nec ab ipſo Deo, inuenerunt aliam ſpeciem diſtinctionis, quam appellant Modalem; & hinc appellantur Modaliſtæ, quaſi ipſi fuerint primi inuentores talis diſtinctionis; quod falſiſſimum eſt. Nam à priſcis Philoſophis, & Theologis, D. Thom. D.Bonau. Scoto, & aliis cognita, & poſita fuit, licèt non vt membrum, ſeu ſpecies diſtincta à reali maxima, vt infrà patebit.

93. QVARTÒ Notandum, quod alij Doctores recentiſſimi veſtigia ſequentes Nominalium, Ocham, Greg. Gabriel, aſſerentium dari tantùm duo prædicamenta, ſcilicet ſubſtantiam, & accidens, introduxerunt in Scholis iam obſoletam opinionem de modis extrinſecis, eos nullo modo diſtinguendo ab ipſa re, quam modificant, vt eſt ſeſſio in ſedente, inhærentia in accidente, quantitas in ſubſtantia ſecundùm talem, vel talem modum ipſius extenſiua, vt eſt videre apud Guarinum *tract. de modis*, & Bagatam *tract. de prædicamentis*; & aliqui ipſorum citant pro ſe S. Bonauent. qui licèt admittat in aliquibus tales modos, vt quantitatem ſpiritualem in Angelis, reſpectum in materia ad formam, & è contrà; tamen hos modos vult diſtingui vel realiter, vel formaliter ſecundùm variam ipſorum naturam, vt patebit ſuo loco: ſic *lib. 1. diſtinct. 17. part. 2. artic. 1. quæſt. 1. ad 3.* docet quantitatem molis differre eſſentialiter à quanto, non autem quantitatem virtutis. Et *lib. 1. diſt. 19. part. 2. quæſt. 1. ad 3.* & *lib. 1. diſtinct. 24. art. 1. quæſt. 2. ad 1.* docet in creaturis eſſe pluralitatem diſtinctorum, & ex ipſis vnius conſtitutionem, & compo

Digitized by Google

compoſitionem. Et licèt *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad vlt.* dicat materiam circumſcriptâ omni formâ ſeipsâ diſtingui à forma; tamen ibi intelligit, & loquitur de fundamento diſtinctionis, quod eſt ipſa materia de ſe, quæ per diſtinctionem à forma diſcernitur.

94. Qvintò Notandum, quod modus extrinſecus à Suarez rectè ſic definitur: *Modus eſt forma* (qualitas ſuperaddita rei, ait S. Doct.) *neceſſariò afficiens ſubiectum, dando illi aliquod eſſe, quod eſt extra eſſentiam totam vt indiuiduam, & exiſtentem in rerum natura.* Dicitur *forma, ſeu qualitas*, loco generis. Dicitur, *ſubiectum afficiens neceſſariò*, vt ſignificetur eius inſeparabilitas à ſubiecto, quatenus non poteſt conſeruari in eſſe extra ſubiectum. Dicitur, *dando illi aliquod eſſe*, vt explicetur munus modi extrinſeci, quod eſt modificare rem ipſam. Dicitur *extra eſſentiam totam, vt indiuiduum, & exiſtentem*, vt explicetur differentia inter modos intrinſecos, & extrinſecos. Nam modi intrinſeci licèt non pertineant ad quidditatem rei primò, & directè, remque ſupponant in ſua eſſentia integrè conſtitutam; tamen non ſupponunt eam vt indiuiduam, & exiſtentem, vel ſubſiſtentem. Modi enim intrinſeci, alij comitantur naturam ſpecificam, vt quantitas virtutis, ſiue perfectionalis, & finitas, infinitas, contingentia, neceſſitas; alij comitantur eam vt indiuiduam, vt gradus intenſionis in qualitate; alij faciunt eam formaliter exiſtentem, vt exiſtentia; alij faciunt eam ſubſiſtentem, vt ſubſiſtentia. Modi verò extrinſeci ſupponunt rem in ſuo complemento totali, & indiuiduo, & proueniunt ab extrinſeco. Hinc modus intrinſecus à Formaliſtis definitur ſic: *Modus intrinſecus eſt quædam entitas minima, quæ addita alteri non variat rationem formalem conſtituti*; ſeu, vt dicit S. Bonau. quæ non trahit rem in aliud genus, vel ſpeciem; per quod diſcernitur à differentia, & à modo extrinſeco, vt dictum eſt: licèt enim aliquid addat, tamen non diſtrahit rem ad aliud genus & naturam. His poſitis ſit

95. Prima Conclvsio: Non identitas, licèt poſſit verſari inter extrema poſitiua, ſicuti diſtinctio realis, tamen propriè loquendo eſt quid ſuperius ad diſtinctionem, eſtque inter extrema, quorum vnum eſt poſitiuum, aliud negatiuum. Prima pars patet, quia quæ poſitiuè diſtinguuntur, important etiam vt quid ſuperius negationem identatis; & hanc S. Bonau. appellat alietatem. Secunda pars patet etiam, quia non identitas de ſuo formali, & ex vi nominis dicit negationem identitatis; & cùm ſit relatio, dicit ordinem ad aliud extremum oppoſitum: ergo debet eſſe quid poſitiuum.

Ex quibus patet, quomodo hallucinentur aduerſarij confundentes ſimul hos terminos non identitatis, diſtinctionis, & diuiſionis.

96. Secvnda Conclvsio: Diſtinctio realis eſt membrum diſtinctum ſpecie à diſtinctione formali, & rationis; & hoc, quia eſt inter entitates habentes propriam exiſtentiam, ſiue actualem, ſiue poſſibilem; & ob id quæ ſunt terminus per ſe phyſicæ cauſalitatis. Eſt S. Bonau. qui *lib.* 1. *diſt.* 25. *dub.* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 37. *dub.* 1. notat rem vel dici de entitate habente propriam ratitudinem, & de re, quæ non dicit propriam ratitudinem, ſed habet eſſe in alio, ideſt in exiſtentia alterius, vel tantùm in cognitione. Eſt & Scoti, & aliorum citatorum.

Probatvr primò: Diſtinctio eſt relatio vera poſitiua: ergo ſpecificatur

ex

ex extremis: ſed extrema habentia propriam exiſtentiam, & non habentia eandem in ordine ad fundandam relationem, habent diuerſam rationem formalem ſpecificam: ergo diſtinctio realis, prout ſumitur penes entitates habentes propriam exiſtentiam, fundat diſtinctionem ſpecie diſtinctam à diſtinctione formali, & rationis. Maior cum ſua conſequentia patet ex tractatu Relationũ. Minor etiam patet, quia habere propriã exiſtentiam excludit compoſſibilitatem, identitatem realem, & vnitatem cum alia re habente propriam exiſtentiam; quæ rationes inſunt in carentibus propriã exiſtentiã: ergo & habent diuerſitatẽ ſpecificam, quoad fundandam relationem. Subdimus, ſed quæ ſunt terminus phyſicæ cauſalitatis per ſe, habent propriam exiſtentiam: ergo iſta tantùm fundant diſtinctionem realem. Probatur ſubſumpta Minor, quia omnis actio vera, phyſicaque habet aliquid realiter à ſe, & ab agente diſtinctum pro termino, vt cum communi docet S.Doct. *lib.* 2. *diſt.* 37. *dub.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 2. *& diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 7. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 4. & *lib.* 3. *diſt.* 8. *art.* 1. *quæſt.* 2. *&* 3. & *lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. Et hinc inferunt Theologi diſtinctionem realem inter Patrem, & Filium in diuinis, quia generatio terminatur ad naturam communem, vt in hoc; ideſt vt ſingularizatam per exiſtentiam, & indiuidualitatem, vel vt ſubſiſtentem. Hinc infertur, quod poteſt dari inſeparabilitas inter aliqua diſtincta realiter; iſta enim non ſemper officit huic diſtinctioni reali, dummodò talia habeant diuerſas exiſtentias, vel ſubſiſtentias; & tamen diſtinguuntur realiter. Item actus vitales realiter diſtinguuntur à potentia, & tamen non poſſunt conſeruari ſeparati. Sic totum realiter diſtinguitur à partibus, ſine quibus non poteſt conſeruari: ſic in opinione Thomiſtarum materia à forma: ſic & modi à re, cuius ſunt modi, non poſſunt ſeparati conſeruari, vt infrà dicetur. Tum etiam quia mutua ſeparabilitas conſequitur ad diſtinctionem realem: ergo prius eſt diſtinctio realis inter res, quàm intelligantur ſeparabiles: ergo ſeparabilitas eſt quid conſequens, & extraneum ad diſtinctionem. Tum quia ſequeretur, quod id, quod deſtruitur per ſeparationem, eſſet idem, & non idem cum re. Eſſet idem, vt ſupponitur: non eſſet idem, quia deſtruitur. Tum quia permanentia in eſſe eſt quid conſequens ad diſtinctionem: ergo non poteſt eſſe ratio formalis diſtinctionis.

97. Tertia Conclvsio: Diſtinctio inter rem, & modum extrinſecum, quæ propriè dicitur modalis, ſeu vt dicit S.Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 4. *dub.* 1. vt modus, eſt verè realis, includiturque in hoc membro diſtinctionis realis. Prima pars eſt S.Bonau. Scoti, & ſequacium, Suarez, & omnium Modaliſtarum, qui tamen à nobis diſſentiunt in ſecunda parte concluſionis, quia ponunt hanc diſtinctionem modalem, vt membrum diſtinctum, licèt potiùs ſit diſſenſio in nomine tantùm.

Probatvr autem ex fundamentis allatis: Modi extrinſeci habent propriam exiſtentiam, ſuntque per ſe terminus phyſicæ cauſalitatis: ergo fundant diſtinctionem realem. Antecedens patet, verbi gratiâ in ſeſſione, quæ cùm ſit terminus phyſicæ cauſalitatis, quilibet enim modus incipit eſſe de nouo in ſubiecto, & deſinit, non incipiente, vel deſinente ſubiecto: ſed hoc eſſet omninò impoſſibile, ſi modus haberet eandem prorſus entitatem, ac exiſtentiam cum re, cuius eſt modus.

RESPONDENT Recentiores, & præcipuè Nominales, ſicut etiam Guarinus, & Bagata diſputatione de modis, negando conſequentiam ex hoc, quod res propriè petit, vt ſeparata poſſit permanere in eſſe, ſaltem per Dei abſolutam potentiam. Vnde ſeparabilitas debet eſſe mutua.

CONTRA, quia vt notauimus ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 24. *dub.* 1. diſtinctio realis in plus ſe habet, eſtque quid ſuperius ad mutuam ſeparabilitatem, vt probatum eſt ſuprà: ergo ſufficit, vt extrema habeant propriam ratitudinem, ſintque terminus phyſicæ cauſalitatis per ſe: ſed modi extrinſeci ſunt huiuſmodi: ergo diſtinctio inter res habentes propriam exiſtentiam, ſiue ſint ſeparabiles mutuò, ſiue non, fundant diſtinctionem realem: ergo & modi.

98. HIC nouiſſimè inſurgit Bordonus in ſuo tractatu Formalitatum, *part.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 82. *& tract.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 13. *& ſeq.* contra Maſtrium ponentem pro ſigno diſtinctionis realis eſſe per ſe terminum phyſicæ cauſalitatis, tali pacto: Accidentia nonnulla abſoluta, & relationes, ſeu relatiua omnia ſunt per ſe terminus phyſicæ cauſalitatis, ſiue primarius, ſiue ſecundarius; & tamen non habent propriam exiſtentiam: ergo malè ponitur hæc conditio. Antecedens patet, verbi gratiâ in figura quantitatis, in ſeſſione, in relationibus, quæ exiſtunt ad exiſtentiam rei, cuius ſunt modi, idque patet præcipuè de relationibus, vt ſæpè notat dictus Author, præcipuè *quæſt.* 5. *num.* 88: ergo eſſe terminum phyſicæ cauſalitatis non eſt ſignum huius diſtinctionis.

RESPONDETVR negando Antecedens abſolutè; id enim habet propriam exiſtentiam, quod ponitur in eſſe extra ſuas cauſas, & maximè abſque poſitione exiſtentiæ ſuæ rei, vt patet in ſeſſione, in relationibus, in figura, &c. quæ ponuntur in eſſe, & deſtruuntur abſque eo, quod de nouo ponatur in eſſe, vel deſtruatur ſubiectum, in quo ſunt. Addimus quidem, dari aliqua accidentia, etiam abſoluta, quæ non habent propriam exiſtentiam; ſed iſta non ſunt terminus phyſicæ cauſalitatis.

DICES ex Ariſtotele, non dari motum ad relationem: ergo nec poteſt eſſe terminus phyſicæ cauſalitatis.

RESPONDETVR, vel intelligi de motu ſenſibili, non autem de inſenſibili, vel de termino per ſe primò intento, non autem de ſecundario; relatio enim conſequitur ad productionem alterius. Hinc tamen non ſequitur, quod per hoc non habeant propriam exiſtentiam, vt perperam putauit Bordonus *quæſt.* 8. *tract.* 1. *num.* 144. *& ſeq.* quod & nos explicabimus ex S. Doct. *in tract. de relationibus*: licèt enim ſint terminus ſecundariò producti, non per hoc tamen carent propriâ exiſtentiâ proportionatâ, cùm verè educantur extra ſuas cauſas.

INSTANT Nominales: Si haberent propriam exiſtentiam, ſaltem à Deo poſſent ſeparari, & ſeparata conſeruari, & facere tranſitum de ſubiecto in ſubiectum: ſed conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Et in hac obiectione ponunt totum robur.

RESPONDETVR ex Scoto *lib.* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. & ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 2. quod licèt ſint aliqua accidentia, quæ poſſunt ſeparari, & conſeruari à Deo, vt patet in Euchariſtia; tamen alia ſunt, quæ non poſſunt ſeparari tali modo, quia eorum exiſtentia eſt tam minima, vt dependeat

Digitized by Google

deat eſſentialiter ab exiſtentia rei: Et hoc patet in relationibus, quæ licèt habeant communem rationem eſſendi *in*, cum aliis accidentibus; tamen quia earum ratio formalis conſiſtit in ratione *ad*, ſcilicet ad extrema; hinc non poſſunt conſeruari ſeparatæ ab iiſdem extremis. Et cùm modi ſint relatiui, vel relationes, hinc nec ipſi poſſunt conſeruari ſeparati. Patet etiam de actu vitali, & de materia, quæ licèt non ſint modi, nec poſſunt in opinione aduerſariorum ſeparari à Deo.

99. Obiiciunt ſecundò: Sepatio importat permanentiam. Nam ſi vnum extremum deſtruitur, potiùs eſt deſtructio, quàm ſeparatio: ergo nulla reſponſio.

Respondetvr negando antecedens abſolutè. Ratio eſt, quia permanentia eſt quid poſteriùs conſequens ad ſeparationem, & deſtructionem vnionis duorum; ob idque eſt quid extraneum diſtinctioni, & ſeparationi: ergo illa permanentia, & non permanentia non poteſt conſtituere diuerſas ſpecies diſtinctionis. Ratio eſt, quia ſeparabilitas ita debet intelligi, vt extrema ſint res, ita vt vnumquodque poſſit produci, vel corrumpi abſque deſitione, & corruptione alterius.

Obiicies Tertiò. Creaturæ, antequam exiſtant, nullum eſſe habent exiſtentiale; & tamen dicunt ordinem ad exiſtentiam poſſibilem, & tunc vt ſic realiter non diſtinguuntur: ergo malè poſita eſt pro ſigno diſtinctionis realis exiſtentia vel actualis, vel poſſibilis.

Respondetvr ex Scoto, duplicem poſſibilitatem creaturarum, antequam exiſtant, poſſe conſiderari. Alia dicitur obiectiua, eſtque potentia Dei actiua valentis illas producere: & in hoc ſtatu intrinſecè non ſunt entia realia, ſed tantùm extrinſecè, & per denominationem extrinſecam. Alia eſt Logica, quæ eſt non repugnantia ad eſſe exiſtentiale, ſicque intrinſecè ſeipſis creaturæ ſunt poſſibiles exiſtere; talis enim potentia Logica importat prædicata ad inuicem non repugnantia, & excluſionem contradictionis in vnione ipſorum; hancque habent creaturæ ex ſeipſis intrinſecè, extrinſecè verò, & principiatiuè ex intellectu diuino cognoſcente talem non repugnantiam, vt S. Bonau. docet *in Itiner. ment. c. 3.* & in tali ſtatu ſunt verè entia realia poſſibilia. Hincque reſpondetur, cùm hic loquamur de fundamento diſtinctionis, quæ eſt relatio, hoc ſufficere ad fundandam diſtinctionem realem, ſeu relationem tranſcendentalem, ſaltem inter extrema poſſibilia habentia actu ſuum eſſe eſſentiæ, ſcilicet per incluſionem prædicatorum quidditatiuorum: vel dicendum cum S. Doct. tunc adeſſe relationem poſſibilem.

100. Obiicies quartò: In diuinis dantur diſtinctiones plures reales; & tamen datur vnica exiſtentia perſonarum. Reſpondetur ex S. Bonau. habere diuerſas ſubſiſtentias, quod eſt plus quàm exiſtentias plures habere; & id ſufficit.

Obiicies quintò, etiam formalitates ſunt extra ſuas cauſas: ergo habent propriam exiſtentiam.

Respondetvr, quod licèt aliqui Scotiſtæ admittant conſequentiam, reſpondent tamen illam exiſtentiam eſſe ita debilem, vt dependeat eſſentialiter ab exiſtentia rei: at ex S. Bonauent. nos reſpondemus, formalitates eſſe extra ſuas cauſas, non ſeipſis, ſed per aliud, ſcilicet per rem; ob id negatur Conſequentia.

Qvarta Conclvsio: Diſtinctio eſſentialis, quæ eſt inter eſſentias comple

completas, eſt etiam realis, licèt quæ eſt inter eſſentias, quæ dicunt tamen rationem formalem, ſeu formalitatem, ſit tantùm diſtinctio formalis.

101. Probatvr,& explicatur ex doctrina tradita à Seraph. Doct. *lib.*1. *diſt.*3.*part.*2.*artic.*1 *quæſt.*3.*ad* 1.*&* 2. nam vel eſſentia dicit entitatem conſtitutiuam integrè in ſuo eſſe completo ex principiis intrinſecis: vel dicit tantùm formalitatem metaphyſicam, vel quid conſequens ad totam eſſentiam, vt riſibilitas. Si primo modo, ſic cùm quælibet eſſentia habeat propriam exiſtentiam, fundat & identitatem realem, & inter duo diſtinctionem realem. Si ſecundo, & tertio modo, fundat diſtinctionem formalem,& ex oppoſito identitatem realem. Tum quia vel eſſentia eſt in ſingulari, vel eſt plurium conuenientium in eadem eſſentia, vt Petri, & Pauli in humanitate. Si primo modo, eſt diſtinctio realis inter duo ſingularia: ſi ſecundo modo, cum diſtinctione reali ſtat etiam identitas realis in tertio, vt patebit in quæſtione de diſtinctione formali. Identitas, inquam, realis in illa tertia entitate metaphyſica, & diſtinctio realis inter duas entitates phyſicas habentes propriam exiſtentiam.

102. Ne autem fiat æquiuocatio circa diſtinctionem, & identitatem eſſentialem,cùm poſſit ſumi iſte terminus æquiuocè, aduertendum eſt, quod aliqua poſſunt dici idem eſſentialiter tribus modis, ſumendo ly *eſſentialiter* ſecundùm diuerſa ſignificata. Primò enim aliqua dicuntur idem eſſentialiter, quatenus ſunt vna eſſentia completa ſecundùm ſe, vel prout vni eſſentiæ habenti propriam exiſtentiam identificantur. Sic animal rationale, viuens, corpus, &c. in homine, cui identificantur. Secundò quatenus aliqua habent eandem rationem formalem, vt rationale & homo,& Deus & deitas, dicunt eandem rationem formalem. Tertiò quatenus aliqua dicuntur de eſſentia alterius, vt riſibilitas in homine. Prima eſt identitas realis, ſicut & tertia, & vtraque poteſt ſtare cum diſtinctione formali. Secunda eſt identitas formalis admittens tantùm diſtinctionem ſecundùm noſtrum modum intelligendi.

Ex oppoſito verò aliqua dicuntur diſtingui eſſentialiter: Primo modo, quatenus important diuerſas eſſentias completas, ſic lapis, & homo, materia & forma. Secundò, quatenus aliqua habent diuerſas rationes formales, vt animalitas, & rationalitas. Tertiò, quatenus dicunt diuerſas eſſentias, cum hoc tamen, quod ſunt de eſſentia, vel de conſtitutione alterius. Sic materia, & forma ſunt de conſtitutione eſſentiali hominis,ob idque eſſentialia ipſi;habet tamen diuerſas eſſentias ab homine. Primo modo importatur diſtinctio realis: ſecundo modo importatur diſtinctio formalis tantùm: tertio modo cum continentia eſſentiali ſtat diſtinctio realis. Vnde in primo modo diſtinctio eſſentialis, & realis coincidunt in vnum. Item in ſecundo modo diſtinctio eſſentialis, & formalis coincidunt. In tertio modo identitas, ſeu potiùs continentia eſſentialis, & diſtinctio realis ſunt compoſſibiles ſimul. Sic totum, & partes diſtinguuntur primo, & tertio modo, quia ſunt diuerſæ eſſentiæ; & tamen partes ſunt de eſſentia totius. Vnde non eſt mirum, ſi à pluribus fiat æquiuocatio in quæſtione de diſtinctione reali totius à partibus, non perſpicientibus, quomodo aliquid poſſit eſſe de eſſentia alterius, & tamen diſtingui realiter ab illo. Idque patet verum etiam in opinione ſuſtinentium formas elemen

elementares reperiri formaliter in mixto; iſti enim tenentur admittere eandem diſtinctionem totius à partibus. Hinc defectu huius conſiderationis Pater Gallicius noſter, & P. Baudunus, aliàs doctiſſimi, pertrahunt in dicta quæſtione de toto, & partibus S. Bonau. & Scot. ad partes Thomiſtarum, ex eo quod Scotus deridet eos, qui tenent totum diſtingui realiter à partibus ſuis per excluſionem ipſarum; cùm neceſſariò includantur tanquam partes eſſentiales totius: ſed decipiuntur, aliud enim eſt contineri in aliquo per continentiam, & incluſionem eſſentialem; aliud per identitatem. Hanc doctrinam tradit ex Scoto Meldul. *in Phyſ. diſp.* 5. *q.* 13. *n.*164. parum differenter, ſed non tam clarè. Hanc eandem doctrinam tradidit ſparſim S. Doct. pluribus locis, præcipuè *lib.*1. *diſt.*10. *art.*2.*q.*2. *ad* 1. Vbi in ſecundo gradu ponit diſtinctionem eſſentiarum, & naturarum, & etiam *lib.* 1. *diſt.* 16. *dub.*2. & *lib.*1. *diſt.*17. *part.*2. *art.*1. *q.*1. vbi dicit, quod quantitas molis eſſentialiter diſtinguitur à ſuo quanto; quantitas verò virtutis eſſentialiter non diſtinguitur. Et *lib.*1. *diſt.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. dicit, quod totum, & partes conſtituentes, ſcilicet vt vnitæ, diſtinguuntur eſſentialiter, & poſteà *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. dicit, quod ſunt de eſſentia, ſeu eſſentiales totius: & *ibid. ad* 1. & 4. tractat etiam de diſtinctione eſſentiali ſecundo modo ſuprà tradita. Videantur ea, quæ infrà à nobis traduntur *in quæſt. ſeq.* in explicatione terminorum Seraph. Doct. & in quæſtione de diſtinctione formali.

103. Ex quibus omnibus patet, quàm deficiens fuerit P. Gallicius Noſter in aſſignanda ratione diſtinctionis realis in ſua Logica *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.*3. *num.* 3. & *ſeq.* vbi admittit tantum diſtinctionem realem inter numerabilia, & inter exiſtentia in diuerſis ſubiectis; negat verò in pluribus formis exiſtentibus in eodem ſubiecto ex eo, quod poſſunt ad inuicem prædicari, vt album & dulce in lacte; muſica, & albedo in Petro: hæc enim non poſſunt dici duo, quia adeſt vnum ſuppoſitum, de quo prædicantur illæ plures formæ: ergo habent vnitatem, & identitatem realem: Ab hoc dicto non multùm diſcrepat Bordonus, & cum eo conſentit Sirectus in tractatu Formalitatum, *art. vlt.*

Sed id eſt contra mentem Seraph. Doct. & contra veritatem: Seraph. enim Doct. *lib.*1. *diſt.* 8. *part.* 2. *art.*1. *quæſt.* 1. *ad* 1. notat, quod iſtæ formæ poſſunt conſiderari vel ratione ſubiecti, vel ratione ſui. Si primum, ſic eſt vnum ſubiectum inhærentiæ: ſi ratione ſui, ſic ſunt diuerſæ entitates habentes ſingulæ propriam exiſtentiam, & ob id inter ſe diuerſæ. Et *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *lib.*3. *diſt.*6. *q.*1. notat, quod concretum aliud ſupponit, & aliud ſignificat. Vnde licèt ſupponat vnum ſubiectum inhæſionis, ſignificat tamen diuerſa in ſubiecto, & prædicato, quæ vniuntur in illo ſubiecto inhæſionis ex diuerſis cauſis: hinc & importantur diuerſæ entitates, quæ in vnum ſubiectum inhæſionis conueniũt per nouam additionem nouæ entitatis. Hinc reſpondetur, quod illæ duæ formæ non poſſunt numerari diuerſimodè à ſubiecto ſumptæ in concreto, & vt inhærentes, concedo; vt ſumuntur ſecundùm propriam entitatem, & exiſtentiam, nego: ſic negatur conſequentia, nempe quod inferatur identitas inter ipſas, licèt inferatur vnio.

Instat idem P. Gallicius, S. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 6. *cit.* appellare hanc diſtinctionem

ctionem formalem, ergo non eſt realis.

Respondetvr ibi ſe explicare, ſe intelligere de diſtinctione formarum, & eſſentiarum diuerſarum; & affert exemplum de diuinitate, & humanitate in Chriſto.

QVÆSTIO VI.

Examinantur regulæ ad dignoſcendam diſtinctionem realem; explicanturque varij termini, quibus Seraph. Doct. adſtruit diſtinctionem hanc realem.

104. Qvoad primam partem maxima eſt varietas opinionum circa ſigna adæquata diſtinctionis realis; quas fusè affert Maſtrius *diſp.6. Met. num.*181. *& ſeq.*

Primò enim aſſignant contradictionem à parte rei inter extrema pro ſigno diſtinctionis realis; quod tamen à Scotiſtis non admittitur, cùm etiam per diſtinctionem formalem ex natura rei poſſint verificari contradictoria de eadem re habente plures formalitates, vt verbi gratiâ, Deus per intellectum producit Filium, & non producit per voluntatem. Rejicitur & à Thomiſtis, & à S. Bonau. qui *lib.*1.*diſt.*5. *art.*1.*q.*1. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 34. *artic.* 1. *quæſt.*1. *ad* 5. ait ſufficere etiam diſtinctionem rationis ratiocinatæ ad verificanda contradictoria de extremis, licèt à parte rei ſint vnum, & idem formaliter, vt patebit in ſequentibus quæſtionibus.

Secvndò alij aſſignant exiſtentiam extremorum in diuerſis ſubiectis totalibus, & adæquatis. Sic Sirectus *in tract. Formalitat. art. vlt.* ſic & Gallicius noſter ſuprà citatus. Vnde albedo, & dulcedo in lacte non diſtinguuntur realiter, anima in pluribus partibus corporis, & Angelus in pluribus locis, in quibus eſt inadæquatè. Attamen ſuprà in quæſtione antecedenti in fine reiecimus hanc opinionem.

Tertiò alij aſſignant pro ſigno adæquato huius diſtinctionis oppoſitionem producentis, & producti; cauſantis, & cauſati. Sic Mag. Formalit. cum aliis Scotiſtis, Fonſeca 5. *Met. cap. 6. quæſt. 6. ſect.* 1. quod & rejicitur à Suarez *diſp.* 7. *Met. ſect.*2. *n.*15. à Maſtrio citato *num.* 183. tanquam inadæquatum. Nam inter bouem, & hominem adeſt diſtinctio realis; & tamen nulla adeſt oppoſitio, ex dictis. Alias obiectiones adducit Suarez, & Maſtrius citatus, de quibus infrà.

Qvartò alij aſſignant ſeparationem mutuam extremorum, & hæc eſt communior, tum Nominalium, tum Thomiſtarum. Attamen non eſt ſignum adæquatum. Ratio eſt, quia vt notat S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* & *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *dub.* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 10. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſt.*19. *part.* 2. *artic.* 1. *quæſt.* 4. *fund.* 5. licèt ſeparabilitas inferat diſtinctionem realem, tamen in plus eſt diſtinctio realis, quia eſt etiam inter inſeparabilia, vt inter perſonas diuinas. Item in opinione Thomiſtarum materia eſt inſeparabilis à forma, & tamen diſtinguuntur realiter.

Qvintò alij aſſignant diuerſitatem exiſtentiarum. Sic Bonetus, Paſqualigus, Bordonus, aliique: quam opinionem rejicit Suarez *cit. num.*14. tanquam continentem petitionem principij, vel tanquam effectum à poſteriori, vel tanquam quid minùs notum.

105. Nos autem admittentes omnia ſupra

ſupradicta ſigna tanquam vera, ſed tamen vt inadæquata, vt diximus cum Seraph. Doct. ſupponimus ex *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *dub.* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 37. *dub.* 1. diſtinctionem eſſe quid ſuperius ad diuerſitatem, ſcilicet ſubſtantiarum, & naturarum, ad mutiplicitatem quantitatum, ad diuiſionem, & ſeparabilitatem rerum. Item & eſſe quid inferius ad pluralitatem, & alietatem: pluralitas autem in creaturis importat plurium diſtinctorum vnionem, *ex lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. & in diuinis diſtinctionem perſonarum, quæ ſunt idem in eſſentia, & *ex lib.* 1. *diſtinct.* 13. *artic.* 1. *quaſt.* 3. emanationes, ſeu productiones diuinæ Filij, & Spiritus Sancti, differunt penes terminos, nempe generatio, quia terminat ad Filium, differt à ſpiratione, quia terminat ad Spiritum ſanctum. Hinc ſequitur, quod diſtinctio realis venanda eſt ex natura extremorum; nam ſi eſt inter extrema, quæ ſint res habentes propriam ratitudinem, & exiſtentiam, tunc ſignum eſt, quod ſit realis maxima: ſed quia multoties poteſt accidere, quod hæc exiſtentia ſit cognitu difficilis, vel quia non apparet, vel quia ſimul eadem actione, vel alicui alteri annexa, quâ producitur vna res exiſtens, producatur & altera, vt in lacte albedo, & dulcedo; in indiuiduo ſubſtantia, & quantitas, & qualitates; tuncque poteſt cognoſci per aliquod ſignum ex ſuprà allatis à Doctoribus, quæ licèt ſint inadæquata, ſunt tamen ſufficientia, & bona, quæ à S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 10. *art.* 2. *ad* 1. reducuntur ad tria capita, nempe vel ad diſtantiam localem, ſeu quantitatiuam; vel ad diuerſitatem naturarum, vel ad relationem, ſcilicet vel quæ fundatur ſupra vnitatem, ſeu conuenientiam, vel multitudinem ſubſtantiæ, quantitatis, & qualitatis, vel ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam; eſtque producentis, & producti: vel ſuper menſuram, & menſurabile, vt ſcientia, & ſcibile, de quibus infrà.

Ex qua doctrina tradita diluuntur rationes ad oppoſitum adductæ à Suarez; ait enim primò, difficile eſſe agnoſcere exiſtentiam rerum, magis quàm diſtinctionem. Reſpondetur enim diuerſitatem rerum non cognoſci ex exiſtentia, tanquam ex effectu poſteriori, ſed tanquam ratione formali fundante ipſam diſtinctionem: hanc autem vtplurimùm agnoſci ex ratione terminationis veræ cauſalitatis, & productionis; vel ex aliis ſignis ſuprà poſitis à Seraph. Doct.

106. Obicies ſecundò, quia productio accidentalis aliquando terminat ad modum extrinſecum rei: ſed modus non diſtinguitur realiter à re, ſed tantùm modaliter: ergo.

Respondetvr ex traditis in ſuperiori quæſtione, negando Minorem; diſtinctio enim modalis coincidit cum reali, de qua agimus.

Obicies Tertiò cum Suarez: Chriſtus in Euchariſtia ſeipſum producit verè, licèt ſecundariâ productione, nempe ſacramentaliter; & tamen non diſtinguitur à ſeipſo.

Sed Reſpondetur, vel nos poſſe loqui de primaria productione, ſicque corruit argumentum; vel negatur Chriſtum ſeipſum producere in Euchariſtia: de quo agetur in Phyſica in ſecundo libro, cùm de cauſa, & effectu.

Obicies quartò cum Maſtrio, hanc regulam de oppoſitione producentis, & producti non eſſe vniuerſalem; nam bos, & homo diſtinguuntur realiter; & tamen non habent hanc oppoſitionem.

Respondetvr, nihil vrgere

contra nos, qui dicimus cum S. Doct. ſignum, & rationem formalem diſtinctionis realis eſſe diuerſas exiſtentias; & has dignoſci ex eo, quod ſunt terminus phyſicæ cauſalitatis diuerſæ, vt euenit in boue, & homine.

Obiicies quintò cum Achilino: Paſſiones producuntur à ſuo ſubiecto, ſuntque conterminus cum re, ſeu terminus ſecundarius, ſicut & relationes; & tamen non diſtinguuntur realiter: ergo eſt inadæquata illa ratio. Reſpondetur, paſſiones produci per emanationem, vel reſultantiam metaphyſicam. non per influxum phyſicum, per quem producuntur modi, relationes, & ſimilia, de quo hîc loquimur in creatis.

Contra, ad relationem non datur motus, & actio, ex Ariſt. 5. *Phyſ. text.* 10. & *in Met.* 3. *c.* 3. & 14. ergo non ſunt terminus phyſicæ cauſalitatis.

Respondetur, vt ſuprà diximus etiam in præcedenti quæſtione, cõcedendo non dari motum ſenſibilem, negando de inſenſibili. Tum etiam, quia ad relationem datur motus per ſe ſecundariò, licèt non per ſe primò, quia ad mutationem vnius extremi mutatur & alterum per accidens; nam vt ait S. D. *lib.*4. *diſt.* 27. *q.* 1. *ad* 3. relatio per ſe non eſt ſenſibilis, & ideo minimam inducit mutationem in creatis.

Secunda pars quæſtionis petit explicationem terminorum, & graduum, quibus Seraph. Doct. adſtruit hanc diſtinctionem realem.

107. Primò igitur dicimus, quod S. Bonau. *lib.*1. *diſt.* 10. *art.*2. *quæſt.*2. *ad* 1. tres gradus diſtinctionis realis recognoſcit. In primo collocat ea, quæ ſecundùm diſtantiam localem ſunt diſſita, hancque appellat *lib.* 1. *diſt.* 24. *dub.* 1. diuiſionem, ſeparationem, & multiplicitatem, quia eſt penes quantitatem, & locum. In ſecundo collocat ea, quæ habent differentiam eſſentialem, ſeu eſſentiam, eſtque vel penes intrinſeca principia, vt inter corpus, & animam; vel penes eandem eſſentiam in recto, vt infrà explicabitur; eãque appellat diuerſitatem. In tertio collocat ea, quæ habent diuerſum eſſe per relationẽ, vt in diuinis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; eamque appellat diſtinctionem, ſeu diſcretionem realem.

Primus gradus includit omnem diſtinctionem realem, quæ eſt omnimoda, maxima, & exactiſſima, & ad ſenſum patens, cùm ſit inter diſſita, non ſolùm eſſentiâ, ſed & loco per quantitatem: ſic partes habentes diuerſum ſitum, & diuiſæ, ſunt hoc pacto diſtinctæ, ob idque iure merito appellatur à S. Doct. ſeparatio, diuiſio, multiplicitas: & *lib.* 1. *diſt.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 3. omnimoda diſtinctio: & ibidem *art.* 1. *quæſt.* 1. diſtinctio vt res, ſeu ſecundùm rem.

Secundus gradus continet omnem dinctionem realem, quæ eſt inter ea, quæ habent inter ſe aliquam vnionem cum diuerſitate eſſentiæ. Sic Petrus, & Paulus, licèt conueniant in humanitate, diſtinguuntur tamen penes diuerſa ſuppoſita: ſic partes vnitæ in continuo habent diuerſitatem eſſentialem: ſic paries, & albedo: ſic totum, & partes vnitim ſumptæ diſtinguuntur realiter, quia licèt eſſentialiter includantur partes in toto, tamen cùm habeant diuerſam eſſentiam, hinc & diſtinctionem realem; ait enim S.D.*lib.*1.*diſt.*4.*art.*1. *q.*2. quod ibi eſt diſtinctio realis, vbi eſt vnio ex diuerſis cauſis: ſic Petrus, & Paulus vniuntur in eſſentia humanitatis, ſed ratione diuerſarum cauſarum, ſeu entitatum: hinc diſtinguuntur realiter, licèt formaliter conueniant in eſſentia formali. Sic materia, & forma vniũtur in tertia entitate ratione diuerſarum

ſarum cauſalitatum. Quia verò Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vniuntur in vnica eſſentia, quæ eſt vnica ratio vnionis, hinc non diſtinguuntur eſſentialiter: & quia vniuntur cum diuerſis proprietatibus, hinc diſtinguuntur perſonaliter. Et hæc diſtinctio appellatur vt plurimùm à S. D. eſſentialis. Sic *lib.* 1. *d.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 1. loquens de differentia rei quantæ à quantitate molis in ipſa exiſtentis; & hac non differunt emanationes diuinæ. Sic *lib.* 1. *diſt.* 13. *art.* 1. *quæſt.* 3 *ad arg.* de qua diſtinctione eſſentiali videantur ſuprà tradita in quæſtione antecedenti ad quartam concluſionem.

108. Tertius gradus diſtinctionis realis eſt per relationes, eſtque in creatis, & in diuinis, ſed differenti modo. Nam in creatis, ait S. D. ſemper importat compoſitionem in ſubiecto relatiuo, non verò in diuinis; omnis enim reſpectus in creatis, vt docet *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. & 2. & *lib.* 1. *diſt.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* & *ad* 4. vel eſt fundatus ſuper eſſentiam, ita quod inter rei reſpectum, & eſſentiam non cadit medium, id eſt quia identificatur cum ipſa eſſentia: vel eſt quid medium inter rem, quæ refertur, & ſuum correlatiuum. Si primo modo, vt euenit in reſpectu materiæ, vt potentia eſt ad formam, & è contrà, & in creatura per dependentiam ad Deum, vt *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *quæſt. vlt.* fusè explicat, ſic oritur relatio identificata cum ſubiecto, quæ nunc communiter in Scholis appellatur relatio tranſcendentalis. Si ſecundo modo, ſic relatio realiter diſtinguitur à ſuo fundamento; ſuperaddit enim ad ipſum fundamentum accidens entitatiuè, & realiter diſtinctum. Sic *lib.* 1. *diſt.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. & 4. & *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. & *ibid. quæſt. vlt.* & ob id tertius gradus diſtinctionis realis eſt per huiuſmodi relationes, quæ neceſſariò ſunt inter extrema realia. In diuinis verò cùm relationes habeant & *In*, & *Ad*, ratione *in* tranſeunt, & formaliter identificantur cum eſſentia diuina, retinentque tantùm rationem *ad*; & conſequenter nec faciunt compoſitionem, quæ tantùm aduenit ratione *in*, non ratione *ad*, quæ addit tantùm modum ſe habendi. Vt autem intelligatur hoc dictum valde obſcurum Seraphici Doct. notandum ex ipſo *lib.* 1. *diſt.* 26. *quæſt.* 2. quod relatio creata conuenit cum aliis accidentibus, quòd eſt accidens, ob idque importat eſſe *in*, ſcilicet inhærentiam in ſubiecto; differtque ab ipſis ratione *ad*, ſeu vt loquitur *lib.* 3. *diſt.* 8. *art.* 2. *quæſt.* 2. per eſſe à quo ad quem, vel per *in ad*. Hinc cùm relationes diuinæ non ſint accidentia ratione primi *in*, tranſeunt formaliter in eſſentiam diuinam, cùm non habeant inhærere, ſed identificari cum eſſentia, retinentque *in ad*, vel à quo ad quem, vel præcisè *ad*: qui modus, cùm verè ſit in diuinis, dicitur etiam res, facitque differre ipſas perſonas abſque compoſitione; & hinc dicitur à S. Doct. diſtinctio vt res, ſeu realis: ſic *lib.* 1. *diſt.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* & *ad* 1. 2. & 3. & *lib.* 1. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *ad vlt.* & *lib.* 1. *diſt.* 5. *dub.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 4. *dub.* 1. qui addit *lib.* 1. *diſt.* 33. *cit.* & *diſtinct.* 26. *quæſt.* 2. *ad vlt.* quod relatio quæcumque eſt in aliquo non abſolutè, ſed cum ordine ad aliud, habetque minimum de entitate; ideò vel nullam, vel modicam facit compoſitionem. Nullam quidem in Deo, quia identificatur ratione *in* cum eſſentia; modicam in creatura, quia retinet ſuum ineſſe in ſubiecto, diſtinctum cum *in ad*, ſeu à quo ad quem.

109. Svperest etiam alius locus valde obſcurus Seraph. Doct. explicandus; nam *lib.*1. *diſt.*4. *dub.* 1. notat, quod nomina relatiua dupliciter important diſtinctionem, vel diuerſitatem, ſcilicet vel vt rem, vel vt modum: & vtraque diſtinctio eſt, vel vt exercita, vel vt concepta: ſeipſum autem explicat tum ibidem, tum *lib.* 1. *diſt.* 22. *art.* 1. *quæſt.*4. *ad* 3. & *diſt.*34. *art.* 1. *quæſt.*1. *in corp.* tum *lib.*1.*diſt.*33.*art.*1. *quæſt.* 1. 2. *&* 3. & *in Breuil. part.* 1. *cap.* 4. vbi docet, quod in Deo ſunt tres modi differendi.

Primvs eſt ſecundùm modos eſſendi: ſecundus ſecundùm modos ſe habendi: tertius ſecundùm modos intelligendi. Primo modo differt perſona à perſona; Pater enim eſt generans, Filius generatus: quæ differentia eſt maxima in Deo, & eſt ſecundùm rem, & rem; & ob id dicitur diſtinctio vt res, eſtque non per additionem alterius naturæ, ſed tantùm ratione originis addentis tantùm ordinem, & reſpectum ad alium. Secundo modo differt relatio ab eſſentia, quia relatio addit tantùm modũ diuerſum ſe habendi, ſcilicet ad aliud; & hæc diſtinctio dicitur vt modus, ſeu modalis, vt dicit Brulefer *in S. Bonau.* Quare in ſententia S. Doctoris diſtinctio vt res eſt realis, vt modus eſt modalis inter eſſentiam, & relationem. Additque, ſiue vt exercita, ſeu vt concepta, quodque explicat *lib.*1.*diſt.* 31. *art.*1. *quæſt.*2. *ad* 3. dicens, quod diſtinctio inter perſonas vel actu exercet diſtinctionem, faciens vnam perſonam diſtingui ab alia, vt paternitas, & filiatio; hæcque dicitur diſtinctio vt exercita: vel eſt per relationes non diſtinctiuas perſonarum, ſed relatiuas perſonarum diſtinctarum, vt ſunt ſimilitudo, & æqualitas, & hæc appellatur diſtinctio vt concepta, ideſt cognita vt antecedens ipſas relationes.

Hincqve diſtinctio perſonarum ab eodem S.Doct. appellatur vt res, ſeu realis: diſtinctio verò inter eſſentiam, & relationes appellatur vt modus, ſeu modalis, *lib.*1. *diſt.*34. *art.* 1. *quæſt.*1. *ad finem:* vtraque etiam à S.Doct.*lib.*1. *diſt.*33.*art.*1.*quæſt.*2. *&* *diſt.*26. *art.*1. *quæſt.*1. *ad* 2. appellatur ſecundùm rationem. Prima quidem inter perſonas dicitur ſecundùm rationem ſuppoſitalitatis, ſeu diuerſorum ſuppoſitorum: vnde *lib.* 1. *diſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.*4.*in corp.* dicit, quod in diuina eſſentia eſt trinitas rationum, ideſt perſonarum. Secunda ſecundùm rationem obiectiuam, eſtque formalis ex natura rei: tertiò diſtinctionem rationis puræ appellat ſecundùm modum intelligendi, & dicendi, quæ eſt inter abſoluta diuina. De qua expoſitione videri poteſt Ferchius *in D.Bonau.tom.*1.*de Angelis,q.*25.*n.*2.

110. Advertendvm tamen, quod cùm S.Bonau. dicat *in Breuil. cit.* quod differre ſecundùm modum intelligendi eſt differenti modo differre ſecundùm modum ſe habendi: illud quidem importat diſtinctionem rationis, iſtud diſtinctionem formalem ex natura rei. Poſteà *lib.*1.*diſt.*7.*art.*1.*q.*1.*in corp.& ad arg.& q.*3. cùm dicat, quod poſſe generare in perſona dicit diſtinctionem ſecundùm rationem intelligendi, ibique ſe explicat, quod hæc differentia eſt aliquid à parte rei; vnde videtur ſibi contradicere: nempe, quod differentia ſecundùm modum intelligendi ſit à parte rei, quod eſt contra dicta *in Breuil.cit.* Attamen explicandus eſt S. D. eo modo, quo & ipſe ſe explicat *ibid.quæſt.*3. quod ſi poſſe generare ſumitur abſolutè, differt ſecundùm modum intelligendi tantùm; ſi ſumitur in actu, ſcilicet per ordinem ad aliud, & perſonaliter, ſic differt ſecundùm modum, vt clarè docet

*lib.*1.

lib. 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad arg.* ſcilicet ſecundùm modum intelligendi obiectiuum.

De diſtinctione modali ex traditis patet ſenſus Seraph. Doct. nam in diuinis diſtinctio vt modus, ſeu modalis eſt eadem, ac formalis; in creatis eſt per additionem qualitatis abſolutæ, vt dictum eſt, & ob id realis.

QVÆSTIO LATERALIS.

De Identitate reali.

111. Pro complemento huius celebris quæſtionis ſupereſt, vt aliqua de identitate diſtinctionis reali, eſſentiali, & modali oppoſita dicantur.

Et primò ſupponimus ex S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 43. *art.* 1. *quæſt.* 4. *in corp.* quod ſicut diſtinctio non prouenit ex accidentibus rei, ſed ex principiis intrinſecis, licèt multoties per accidentia innoteſcat, ita & identitas. Et ſicut datur latitudo gradualis in diſtinctione reali, ſic & in identitate, vt rectè notat S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 29. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 3. quia in coadunatione plurium datur maior, & minor intimitas, ſicut & maior, & minor compoſitio in entibus creatis, ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2.

Secundò ſupponimus ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 4. *quæſt.* 2. & *diſt* 5. *quæſt.* 1. *ad* 2. identitatem aliam eſſe omnimodam, (hæcque eſt formalis, de qua in ſequenti quæſtione,) aliam non omnimodam, quæ ſtat cum pluralitate, & hæc eſt, de qua hîc eſt ſermo.

Tertiò ſupponimus, identificationem realem plurium conſiſtere in hoc, quod exiſtunt ad vnicam exiſtentiam rei; vnde non important tranſlationem, vel mutationem naturæ formalitatis in naturam ſuæ rei, ſed retinent ſuas ipſarum naturas in rebus, quibus identificantur per ipſius exiſtentiam. Et ob id Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 3. hanc identitatem appellat rationis identitatem, non quòd non ſit realis, ſed eſſentiæ; cum qua identitate retinent ſuam rationem formalem, nec contrahere dicuntur ipſam rem, vt faciunt differentiæ, nec contrahi ab ipſa re. Et hinc ſequitur, quod ſimul cum diſtinctione formali, & cum identitate reali poſſit prædicatio formalis fieri in recto; & hoc quia prædicatio reſpicit ſubiectum, in quo ſunt. Quibus poſitis,

Primò dicimus, quod ſicut ad tria capita reduximus diſtinctionem realem, ſic pari modo reducenda eſt identitas realis.

Prima diſtinctio enim erat eorum, quæ ſunt verè diſtincta diuiſiuè ratione quantitatis; ſic & identitas huic oppoſita eſt eorum, quæ identificantur in eodem ſuppoſito, vt animalitas, & rationalitas in Petro; & hanc Scotiſtæ appellant identitatem poſitiuam realem.

Secunda diſtinctio erat eorum, quæ habent diuerſitatem naturæ, ſiue in eodem ſubiecto, ſiue in diuerſis; & dicitur eſſentialis. Identitas huic oppoſita eſt eorum, quæ habent eſſentiam eandem integram, vt eſt animalitas, & rationalitas in homine: partes eſſentiales in compoſito, quæ identificantur eſſentialiter in tertio ratione vnius exiſtentiæ, ſed tamen non inter ſe, & appellatur etiam identificatio formalis, ſeu rationis, ideſt naturæ, non formalitatis. Vnde partes ſunt de eſſentia totius, non è conuerſo, & appellatur à Scotiſtis identitas ſe totis obiectiuè, quia conueniunt in vnico conceptu obiectiuo.

Tertia

Tertia erat diſtinctio relatiuorum; & hæc, ſi ſumitur relatio prædicamentalis, non admittit identitatem realem, niſi in diuinis, quia in creatis relatio importat accidens realiter diſtinctum: ſi ſumitur relatio tranſcendentalis, in creatis admittit identitatem realem.

QVÆSTIO VII.

De Diſtinctione, & Identitate formali, ſeu media, ſeu ex natura rei.

112. AB hac celeberrima diſtinctione deſumpſit totus iſte tractatus denominationem de Formalitatibus; eſt enim hæc diſtinctio potior, celebrior, & magis impugnata, ſimulque magis apta ad multa Philoſophiæ, & Theologiæ arcana enodanda.

Circa quam prima opinio eſt Nominalium, & Thomiſtarum, negantium hanc diſtinctionem formalem eſſe veram actualiter, & nullo cogitante intellectu; ſed tantùm admittitur à Thomiſtis diſtinctio virtualis, quæ eſt à parte rei fundamentaliter, & virtualiter; actualiter verò fit ab intellectu: hancque multi perperam confundunt cum diſtinctione formali actuali, ſuſtinentque nihil amplius admiſiſſe S. Bonau. & Scotum, quàm iſtam virtualitatem. Sic Suarez *in Metaphyſ. diſputat.* 7. *ſect.* 1. *num.* 13. & *lib.* 4. *de Trin. cap.* 4. Hurtad. *diſp.* 6. *Met. ſect.* 3. aliique plures; & quod eſt mirabile, aliqui etiam Scotiſtæ, & Bonauenturiſtæ, vt Herrera, & Trigoſius, & P. Baudunus noſter *cap. de Differentia, ſect.* 3. qui de more trahunt ſemper S. Bonau. ad partes Thomiſtarum, ſed immeritò, vt patebit.

Secvnda opinio vera eſt S. Bonau. Scoti, & ſequacium, & Ferchij *in D. Bonau. de Angelis tom.* 1. *quæſt.* 25. admittentium hanc diſtinctionem actualem, vt membrum diſtinctum à prima ſuprà poſita, realique: qui tamen Doctores, nempe S. Bonau. & Scotus procedunt diuerſis fundamentis, & viis in hac diſtinctione admittenda, vt patebit in quæſtionis decurſu: pro cuius ſolutione.

113. Primò Notandum, quod nomine identitatis formalis non ſumitur hîc, quatenus importat vnum cum eſſentia, ſeu ratio formalis quidditatiua alterius, vt animal rationale eſt ratio formalis, ſeu eſſentia hominis: nec diſtinctio formalis ſumitur hîc, provt importat ea, quæ ſunt extra eſſentiam formalem alicuius rei, vt eſt albedo reſpectu hominis, vel quatenus eſt inter duas formas eſſentialiter diuerſas, vt eſt albedo, & muſica in Petro; hæc enim ſpectant ad identitatem, & diſtinctionem realem, ſeu eſſentialem, vt dictum eſt; ſed ſumitur identitas formalis pro vnica ratione conceptibili ſimplici, & pura; diſtinctio formalis verò quatenus eſt inter duas rationes, ſeu conceptus obiectiuos puros, & ſimplices, ſeu inter rem, & eius formalitatem, ſeu conceptum obiectiuum præciſè ſumptum. Conceptus autem eſt duplex; alter dicitur formalis, eſtque actus intellectus, quo concipit aliquid; alter dicitur obiectiuus, eſtque ipſum obiectum conceptibile ab intellectu: quod, ſi eſt ens completum, & ſecundùm ſe exiſtens, fundat cum altero conſimili diſtinctionem realem. Si verò eſt quid incompletum, vel ſecundùm ſe non exiſtens, ſed exiſtens ad exiſtentiam rei, verbi gratiâ animalitas, rationalitas,

nalitas, vitalitas, &c. dicitur formalitas, realitas, ſeu conceptus formalis obiectiuus: hancque appellat Seraph. Doct. etiam rationem, *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 6. & *lib.* 1. *diſt.* 27. *art.* 1. *q.* 3. eam appellat conceptum ſecundùm abſtractionem realem: qui conceptus obiectiuus fundat diſtinctionem formalem, quæ eſt actualis à parte rei inter plura diſtincta ſecundùm ſe; qui conceptus dicitur conceptus inadæquatus reſpectu rei, adæquatus verò, & perfectus in ordine ſuo; habet enim totum à parte rei, ait S.D. *lib.* 1. *diſt.* 27. *cit.* Si verò à parte rei nullam habet rationem conceptibilem obiectiuam de ſe, dicitur inadæquatus in ordine proprio, & ad rem. S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 28. *dub.* 1. appellat conceptum obiectiuum conceptum ſecundùm intellectum plenè reſoluentem; inadæquatum verò ſecundùm intellectum ſemiplenè reſoluentem.

Hic autem inſurgit maxima difficultas, an talis conceptus, ſeu formalitas inferat neceſſariò compoſitionem in re? Scotus, & Scotiſtæ negant: D. Bonauent. affirmat in realitatibus abſolutis, & etiam reſpectiuis in creaturis, & etiam in abſolutis in diuinis; negat in relatiuis diuinis, ob idque hanc diſtinctionem. S. Doct. admittit in reſpectiuis diuinis, negat in abſolutis.

114. Secundò Notandum, quod diſcrimen præcipuum inter S. Bonau. & Scotum in hac materia eſt in aſſignando gradus vnitatis, & identitatis; in hoc autem notabili explicanda eſt opinio Scoti, deinde in tertio ſequenti explicabitur ſenſus S. Doct. Scotus igitur apud Radam *part.* 1. *contr.* 4. *in ſecunda appendice*, §. *Quartò obſerua*, *fol.* 107. primò diuidit vnum in vnum per compoſitionem, & in vnum identitatis, & ſimplicitatis. Primum eſt vel vnum per accidens, ſcilicet aggregatum ex pluribus entibus in actu; vel diuerſi generis, vt album, aceruus lapidum: vel eſt vnum per ſe vnitate compoſitionis, quod eſt ex actu, & potentia, ideſt quando adeſt mutua inclinatio potentiæ ad actum, & è conuerſo, vt inter materiam, & formam: de quibus etiam S. Bonauent. *lib.* 3. *diſt.* 6. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. & 4. & *in comp. Theol. lib.* 1. *cap.* 21. qui ibidem *lib.* 1. *diſt.* 8. addit & aliam compoſitionem ſimilem vni per accidens, quando eſt plurium entium poſitiuorum, & coacernatio fit plurium vnitatum.

Aliud vnum Scoticum eſt vnum identitatis, & ſimplicitatis, eſtque id, in quo omnia, quæ ibi reperiuntur, ſunt idem perfectâ identitate reali, quia ibi nihil eſt, quod habeat rationem potentiæ, & actus; ſed omnia ibi ſunt idem actus perfectus in vltima vnitate, & actualitate, per quod diſtinguitur ab vno compoſitionis, in quo omnia non ſunt perfectâ identitate reali idem: & hæc identitas realis non opponitur diſtinctioni formali, quia ſecum hanc compatitur; ſed tantùm opponitur diſtinctioni reali, & compoſitionis vnitati: illa enim dicit ſummam actualitatem; iſta admittit potentialitatem cum actu. Quam doctrinam admittunt Scotiſtæ tantùm in diuinis, vbi eſt perfecta ſimplicitas, & infinitas, per quam identificantur in Deo in recto omnia, quæ ſunt in ipſo. At in creatis, quæ diſtinguuntur formaliter, verbi gratiâ genus, & differentia, rationalitas, animalitas, &c. faciunt compoſitionem, non ob diſtinctionem formalem, quæ ineſt in eis, ſed ob defectum ſimplicitatis, & ratione non identitatis; ſolùm

enim identificantur inuicem ratione tertij, quod deficiente deficit & identitas. Vnde cùm identitas realis in creatis non ſit ſumma, ſed redundans in identificata ex vnione eorum in tertio, per conſequens vna realitas in ordine ad alteram ſe habet vel vt antecedens, & potentialis, vel vt actuans, & informans, ob idque & componens. Sic Scotus *lib. 1. diſt. 8. quæſt. 3. ad literam I*, & *lib. 2. diſt. 3. quæſt. 6. prope finem.*

115. Tertiò Notandum, quod vt pateat ſenſus S. Bonauent. qui in aliquibus à Scoto eſt oppoſitus, ſupponendum ex eodem S. Doct. cum communi *lib. 1. diſt. 5. art. 1. quæſt. 1. ad 2.* & *lib. 1. diſtinct. 8. part. 2. art. 1. quæſt. 1. & ſeq.* quod in ſolo Deo reperitur ſumma, & perfecta vnitas identitatis, & ſimplicitatis: hæc autem ſimplicitas (intellige de ſumma, & prima) ait S. Doct. ibidem *diſtinct. 8. quæſt. 2.* non eſt conditio generalis entis, cùm nulli creaturæ ſit omnimodè, & abſolutè communicabilis; ſed eſt modus entis nobiliſſimus, ob idque intrinſecè incluſus in deitate, per quem excludit omnem multitudinem, & pluralitatem, ſiue actualem, ſiue potentialem, vt aduertit S. Doct. *lib. 1. diſt. 24. art. 1. quæſt. 2. ad 3. & 4.*

Ex quibus infert S. Doct. quod talis ſimplicitas importat puriorem vnitatem, & ſimpliciorem, quæ poſſit excogitari: hæc autem eſt formalis, quæ eſt conceptus ſimpliciter ſimplex, & remotior à pluralitate quacumque. Hinc in opinione Seraphica primus, & ſupremus gradus identitatis erit formalis; ſecundus verò erit identitatis realis, admittens ſecum aliquam pluralitatem. Quod verò prima identitas tollat diſtinctionem formalem, docet *lib. 1. diſt. 9. art. 1. q. 2. ad vltimum.*

116. Qvartò Notandum ex S. Doct. *lib. 1. diſt. 4. quæſt. 2. in corp.* quod omnimoda diſtinctio non eſt, vbi non eſt ex diuerſis cauſis vnio, vt inter Petrum, & Paulum ratione duarum humanitatum: & inter corpus, & animam in homine; & è conuerſo non habet locum omnimoda identitas, vbi eſt ſimul cum vnione diſtinctio. Et hinc Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ratione plurium relationum diſtinguuntur realiter, ſed non omnimodè ratione vnius deitatis, in qua non adeſt vlla diuerſitas rationis. Hinc etiam ſequitur, quod vbi nulla eſt diuerſitas rationis, ibi ſit omnimoda, & ſimpliciſſima vnitas, nec poſſit vlla eſſe abſoluta diſtinctio; quæ diuerſitas rationis, cùm non adſit in abſolutis diuinis, quia vnitur in Deo ratione deitatis, & in quibus eſt omnimoda, & eadem ratio, conſequenter nec in ipſis poteſt inueniri alia vnitas, niſi illa, quæ excludit quamcunque pluralitatem, quæ eſt identitas formalis; quippe quæ eſt purior, & ſimplicior. Idque eſt, quod docet S. Bonauent. *lib. 1. diſtinct. 26. art. 1. quæſt. 1. ad 3.* nempe differentiam fundatam ſuper abſolutum tollere ſimplicitatem, non autem ſi eſt fundata ſuper reſpectiuum, ſeu ſecundùm diuerſum modum eſſendi, vel ſe habendi. Et *lib. 1. diſtinct. 24. dub. 1.* dicens, quod in diuinis remoueri debet diuerſitas, & multiplicitas, quia hæc reſpicit ſubſtantiam, ſcilicet deitatem; admitti verò debet alietas, & diſtinctio rationis relationum. Idemque *lib. 1. diſtinct. 24. art. 1. quæſt. 2. in fundament.* & *lib. 1. diſtinct. 34. articul. 1. quæſt. 2.* & alibi ſæpiſſimè. Vt autem hæc veritas radicitus innoteſcat.

117. Qvintò Notandum, quod vnitas, ſeu identitas formalis per id differt

differt à reali, quòd formalis eſt intimior, & per intrinſeca, & ſimpliciſſima, & abſoluta, & omnimoda: at identitas realis admittit plura, & ea, quæ ſunt de conceptu ſecundario, vti ſunt relationes. Nec hinc in diuinis ſequitur compoſitio in hac identitate reali, ſicuti ſequeretur, ſi talis identitas eſſet in abſolutis cum diſtinctione formali, quia diuerſitas per relationem non eſt per additionem alicuius entitatis abſolutæ, immò propriè loquendo nec relatiuæ, ſed prouenit illa diuerſitas ratione originum, & productionum, & ſolùm per comparationem paſſiuam, & habitudinem ad obiectum; ob idque non tollit ſummam ſimplicitatem, ſicut facit diuerſitas facta per additionem entitatis abſolutæ. Sic S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. & 4. Dixi, quod diſtinctio per relationes non fit per additionem entitatis, nec abſolutæ, nec relatiuæ, quia entitas relatiua dicit duo, ſcilicet quid abſolutum, & ipſam relationem *quod*, & *quo*; & additio eſt tantùm ſecundùm habitudinem: ratione *in* tranſit in diuinam ſubſtantiam, ideſt cùm dicat eandem rationem ac deitas, & quodcumque abſolutum, non differt formaliter: remanet verò ratio *ad*, ideſt reſpectus ad obiectum, qui dicit diuerſam rationem: & ob id tantùm additur hæc comparatio reſpectiua. Sic S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 33. *quæſt.* 1.

Cvm autem acceſſus ad ſimplicitatem ſit per maiorem depurationem, & excluſionem pluralitatis, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 17. *part* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. hinc & ſimplicitas pura, cùm ſit ſumma vnitas, opponitur etiam cuicumque pluralitati abſolutæ. Et hinc etiam patet, quàm falsò dicant Scotiſtæ, ſimplicitatem ſummam opponi tantùm compoſitioni, quæ eſt per actum, & potentiam; vnitatem verò pluralitati, cùm ſimplicitas ſit modus ſummæ vnitatis: ergo & opponitur pluralitati entium diuerſorum à parte rei, quæ verè eſſet in Deo, ſi admitteretur diſtinctio formalis inter attributa, cùm ſint actus per ſe perfectiſſimi. Sic *ex lib.* 1. *diſt.* 24 *dub.* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 26. *quæſt.* 1. *ad* 3. & ratio eſt, quia cùm deitas ſe habeat eodem modo, immò formaliori, & magis intrinſeco modo ad bonitatem, iuſtitiam, miſericordiam, &c. ſequitur, quod ipſa deitas, & alia attributa ſimul dicant quid vnum formaliter ſimpliciſſimum, & conſiderata ſecundum ſe, & per ſe dicant tantùm conceptum obiectiuum inadæquatum, per conſequens & admittunt inter ſe tantùm diſtinctionem rationis: quod non poteſt dici de deitate reſpectu relationum, cùm habeant rationes diuerſas, vt mox patebit. Quibus ſic poſitis ſit

118. Prima Conclvsio: Formalitates ſunt rationes obiectiuæ conceptibiles in ſe, & de ſe conceptu adæquato, & perfecto, ob idque neceſſariò debet admitti diſtinctio formalis ex natura rei, & præciſa quacumque operatione intellectus. Eſt S. Bonauent. infrà citandi, & maximè in calce quæſtionis, Scoti, & ſequacium.

Prima pars iam patet ex huius tractatus quæſtione prima, & ſecunda.

Probatvr ſecunda pars ex S. Doctore *lib.* 1. *diſtinct.* 4. *dub.* 2. & *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *quæſt.* *vltim.* *ad vltimum.* Datur medium inter idem, & diuerſum realiter, & exſtentialiter, ex Ariſtot. ibidem citato non enim ſunt contradictoria, ſed po-

tiùs oppoſita contrariè : ergo datur medium fundans diſtinctionem formalem mediam : ergo datur diſtinctio media participans de identitate reali, & diſtinctione reali. Circa vim huius rationis vide, quæ dicta ſunt in quæſtione 4. ad mentem S. Bonau. contra Melduleníem.

Probatvr ſecundò ex doctrina tradita à S. Bonau. *lib.2. diſt.18. art.1. quæſt.3. in corp.* Dantur multæ perfectiones, quæ in tertio, vel in aliquo ente ſuperiori, vel inferiori incluſæ retinent ſuam rationem formalem adæquatè conceptibilem, & definibilem per ſe : ergo & fundant diſtinctionem formalem, ſeu mediam ex natura rei. Conſequentia eſt euidens; nam id, quod per ſe eſt conceptibile adæquatè, & perfectè, & definibile per conceptus adæquatos, importat diſtinctionem maiorem, quàm rationis; definitio enim propria explicat rem, ſicuti eſt à parte rei.

Probatvr antecedens : In anima rationali eſt ratio formalis potentiæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ ſecundùm proprium eſſe quidditatiuum ; item in homine eſt animalitas, vitalitas, &c. ſed iſta ſunt de ſe conceptu adæquato conceptibilia, & definibilia; immò aliquæ ex dictis formalitatibus habent oppoſitas definitiones, vt eſt genus, & differentia : ergo iſta diſtinguuntur pluſquam ratione.

Respondent aduerſarij negando minorem, & conſequentiam; Definitio enim eſt opus intellectus, ob idque & explicat res ſecundùm eſſe intentionale, non ſecundùm eſſe ſubiectiuum, & reale.

119. Contra : Definitio adæquata explicat rem, ſicuti eſt, vt docet cum communi S. Doct. *lib.2. diſt.3. part.1. art. 1. quæſt.1. fund.4.* ergo definitum eſt ens reale : ſed dantur definitiones plures adæquatæ formalitatum exiſtentium realiter in vna re : ergo & habent diuerſum eſſe obiectiuum. Minor patet in rationalitate, animalitate, &c. quæ diuerſis definitionibus obiectiuè explicantur. Confirmatur, quia ſi animalitas, & rationalitas eſſent idem formaliter, eſſent etiam adæquatè conuertibiles, & vnicâ definitione definibiles; nec poſſet concipi animal, quin conciperetur rationale. Sed patet id eſſe falſum, cùm animal verè ſit in plus, quàm rationale; immò, vt ait S. Doct. *lib.2. diſt.18. art.1. quæſt.3. ad 2.* aliquando prius eſt genus in eſſe naturæ, quàm ſpecies : in Geneſi enim *cap. 1.* priùs producta fuerunt animalia, quàm hic homo; & tunc animal vt ſic erat indifferens ad hominem, & alias ſpecies : ergo vt ſic dicunt conceptus obiectiuos adæquatos diuerſos.

Respondent Nominales cum Ouiedo *contr.4. Met.* eandem entitatem phyſicam poſſe diuerſis definitionibus explicari, nec ob id importare vllam differentiam obiectiuam, ſed tantùm penes connotata, & diuerſum modum explicandi, vt verbi gratiâ, homo eſt vna ſimplex entitas Metaphyſica, & poteſt definiri in ordine ad ſenſationes; ſicque induit nomen animalis, & definitur, quod ſit ſubſtantia animata ſenſibilis; ſi in ordine ad diſcurſum induit nomen hominis, & definitur animal rationale. Vnde diuerſitas eſt penes effectus diuerſos, non penes obiectum ipſum.

Contra primò, quia argumentum noſtrum procedit de definitionibus explicantibus adæquatè naturam rei, quales non ſunt aſſignatæ. Tum quia dantur entitates differentes ſpecie, conuenientes in genere, quæ non ſunt de genere actiuorum; ob idque nec poſſunt

Digitized by Google

ſunt explicari penes connotatos effectus, vt qualitates non actiuæ, quantitates, relationes, modi extrinſeci, & intrinſeci, &c. Tum quia idem argumentum currit in iiſdem operationibus, quæ in vna ratione generica conueniunt, & differunt ſpecie: ergo non poſſunt definiri in ordine ad alias operationes. Tum quia genus, & differentia diſtinguuntur penes ſuos primos conceptus intrinſecos, non penes extrinſecos, quales ſunt operationes; priùs enim res in ſe eſt, quàm ſit operatiua, vt ait S.Doct. *lib.*1. *diſt.*3.*part* 2.*art.*1. *quæſt.*3. & *diſt.*8.*part.*2. *quæſt.*2.

Probatvr tertiò à Scotiſtis ex eo, quod de formalitatibus verè prædicantur contradictoria ipſis conuenientia, quæ tamen formalitates conueniunt identicè in tertio, verbi gratiâ, quod eſſentia diuina ſit communicabilis, relatio ſit incommunicabilis; quod genus ſit quid commune pluribus ſpeciebus, ſpecies nequaquam: ſed de eodem ſecundùm idem formaliter impoſſibile eſt verificari contradictoria: ergo habent aliquam diſtinctionem à parte rei. Sed hæc ratio nullam vim habet in doctrina Seraphica.

Respondent Thomiſtæ, ſufficere diſtinctionem virtualem. Idem & docet S. Bonau. *lib.*1.*diſt.*5.*art.*1.*quæſt.*1. *ad* 1.& *lib.*1.*diſt.*34.*art.*1.*quæſt.*1.*ad* 5. aduertit enim, quod illa contradictio, in qua vnum extremum eſt negatiuum negatione non abſolutâ, ſed in genere, vt in diuinis incommunicabilitas, innaſcibilitas; in creatis immortalitas, incorruptibilitas, tunc non licet inferre diſtinctionem realem. Hinc in aliquibus, vt in abſolutis diuinis prædicationibus, verbi gratiâ, *Pater intellectu generat Filium, non verò Spiritum Sanctum, ſed voluntate*, ſufficit virtualis diſtinctio: in iis verò, in quibus eſt diuerſa ratio, vt inter relationes, & abſoluta, vt dictum eſt in fundamentis; & in creatis, non ſufficit eadem diſtinctio virtualis, quia important aliquam differentiam in obiectis, & magis patebit in ſolutione obiectionum.

120. Probatvr quartò ex doctrina Seraphica *lib.*1.*diſt.*26.*artic.*1. *quæſt.*1. *ad* 6. & *quæſt.*3. *ad* 4.& *lib.*1. *diſt.*33. *art.*1. *quæſt.*1. *ad* 3. Vbi eſt abſolutum, & reſpectiuum, nullo cogitante intellectu, ibi abſolutum verè non eſt relatio, quia important oppoſitos conceptus: ergo verè diſtinguuntur: Sed in diuinis, & in creatis dantur abſoluta, & reſpectiua, vt eſſentia eſt quid abſolutum, paternitas eſt relatio; at in multis non poſſunt diſtingui realiter, vt patet in diuinis, & in creatis: materia dicit reſpectum eſſentialem ad formam, & è conuerſo forma ad materiam, ex Ariſt. & S.Bonau. *lib.*1. *diſt.*26. *art.*1. *quæſt.*1. *ad* 6. qui reſpectus non poſſunt diſtingui realiter à ſuo ſubiecto: ergo diſtinguuntur formaliter. Minor eſt omnium: Maior probatur, quia quod eſt verè prius, diſtinguitur verè à ſuo poſteriori: ſed abſolutum eſt prius reſpectiuo: ergo vera maior.

Probatvr quintò ex S. Doct. *lib.*2. *diſt.* 2. *part.*1. *quæſt. vlt. in corp.* creatio paſſio eſt prior naturâ ipſâ creaturâ, & tamen eſſentialiter in ea incluſa; idque patet, quia priùs intelligitur terminus in eſſe in ordine ad cauſam producentem, & creantem, quàm in ordine ad ſuum eſſe exiſtentiale, vt in prima quæſtione huius tractatus probatum eſt ex S. Doct. ſed creatio paſſio formaliter non eſt creatura; & tamen in illa eſt realiter, & eſſentialiter incluſa: ergo formaliter diſtincta.

Probatvr ſextò: datur compoſitio vera in gradibus Metaphyſicis,

Digitized by Google

vtputà per genus, & differentiam: ergo diſtinguuntur pluſquam ratione. Conſequentia patet, quia ſi ſolùm per intellectum diſtinguerentur, non facerent compoſitionem, niſi per intellectum; ſed verè ipſam faciunt: & probatur antecedens, quia talis compoſitio repugnat ſimplicitati Dei, vt notat S. Doct. cum communi, *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *q.* 1. 2. *& vlt.* quod non eſſet, ſi eſſet tantùm per intellectum, cùm etiam per intellectum admittatur ab omnibus compoſitio inter Deitatem, & attributa, quæ eſt tantùm ex parte intellectus concipientis, vt rectè aduertit S. Doct. infrà citandus in quæſtione de diſtinctione rationis ratiocinatæ. Quæ ratio fuſius examinabitur *in tract. de Vniuerſalibus in particulari*, ſcilicet de genere, & differentia.

Et habet maximum robur contra Thomiſtas, eſtque vnum ex præcipuis fundamentis Seraph. Doctoris, quare ponit compoſitionem ex materia, & forma in Angelis.

121. Et confirmatur, quia ſi hæc compoſitio eſt tantùm in conceptibus formalibus, non autem in obiectiuis, vel in conceptibus inadæquatis, vt diuerſimodè procedunt aduerſarij, ſemper ſequitur, nihil officere poſſe Dei ſimplicitati; quod tamen eſt falſum.

Nec valet reſponſio Suarez, & aliorum, negantium hanc ſequelam ex hoc, quod licèt talis compoſitio non ponat actualem diſtinctionem in obiecto; ponit tamen fundamentalem in re. Nam hæc diſtinctio fundamentalis, ex ſententia Suarez, & aduerſariorum à parte conceptuum eſt vera, à parte rei eſt extrinſeca denominatio nihil actu recognoſcens in ſe, quod tollat ſimplicitatem diuinam: ergo nihil officit, quin ponatur in Deo, ſi eſt tantùm per intellectum.

Probatur ſeptimò: Vbi eſt ordo ex natura rei, ibi eſt aliqua diſtinctio à parte rei, quia nihil ordinatur ad ſeipſum: ſed inter gradus metaphyſicos datur verè ordo ſecundùm ſuperius, & inferius in ratione determinatiui, & determinabilis, inter quæ eſt prioritas & ſecundùm ordinem, & ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam; nam ab inferiori ad ſuperius conſequentia tenet affirmatiuè, non è contra: ergo & inter hos gradus datur diſtinctio ex natura rei.

Respondent Thomiſtæ, totum id concedere ex ratione fundamenti exiſtentis à parte rei, non quia ibi ſit aliqua diſtinctio actualis.

Contra illud fundamentum, ſecundùm aduerſarios à parte rei eſt vna omninò entitas ſimplex, nihil actualiter diſtinctum importans: ergo pro libito intellectus poterit inuertere talem ordinem: ſed non poteſt: ergo actu erit in re diſtinctio.

Probatur Octauò ex ſeparatione horum graduum; nam videmus gradus ſuperiores ſeparari ab inferioribus, verbi gratiâ animal à rationali in equo: ergo ſignum eſt, quod diſtinguuntur à parte rei, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quaſt.* 3. *ad* 2.

Respondet Oviedus negando, quod ſeparentur; nam animalitas equi non eſt animalitas hominis; & ob id nunquam datur ſeparabilitas iſta.

Contra, quia ſic tollitur communitas naturarum: ſed verè conueniunt homo, & equus in animali: ergo.

Respondet Suarez concedendo animal vt conceptum per intellectum ſeparari non verò vt contractum: hinc negat conſequentiam.

Contra

CONTRA hanc reſponſionem agetur in quæſtione de natura communi: pro nunc ſufficiat dicere, quod datur vnitas communis à parte rei formaliter diſtincta ab inferioribus; verè enim animal eſt de ſe indifferens ad hominem, & ad equum.

122. OBIICIES primò ex Paſqualigo, Ouiedo, aliiſque: Omne ens actu vel eſt reale, vel rationis: ergo & omnis diſtinctio: ergo non datur hæc diſtinctio media, & formalis.

RESPONDETVR, omne ens vel eſt reale, ideſt habens propriam exiſtentiam, vel exiſtens ad exiſtentiam alterius, vel eſt rationis, concedo: ergo omnis diſtinctio vel eſt realis, vel rationis, ideſt vel inter entitates habentes propriam exiſtentiam, vel non habentes, concedo; ſic vel eſt realis, vel formalis, vel rationis.

OBIICIES ſecundò: Omne, quod verè definitur, eſt vera res in recto; definitio enim explicat naturam rerum: ſed formalitates verè definiuntur: ergo ſunt res; & ſi non definiuntur, ergo non ſunt res: ergo ſunt ens rationis.

RESPONDET Meldul. formalitates non definiri perfectâ definitione, quia non conſtant ex genere, & differentia, ſicut conſtant res. At verior reſponſio eſt Bordoni, eſtque doctrina Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* quod formalitates habent propriam vniuocationem veram, ob idque & propriam cognoſcibilitatem, & definitionem. Vnde tam res, quàm formalitates habent ſuas definitiones, quas appellat Seraph. Doct. nomine rationis, ſcilicet obiectiuæ, *lib.* 1. *diſtinct.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. ſed cum hac differentia, quod res definitur per ordinem ad propriam exiſtentiam; formalitates verò per ordinem ad exiſtentiam alienam.

OBIICIES tertiò: Identitas formalis, & diſtinctio formalis opponuntur ad inuicem: ergo diſtinctio formalis tollit identitatem formalem: ſed non tollit eam: ergo eſt diſtinctio tantùm ſecundùm nomen, & rationem.

PROBATVR minor: In homine includitur anima formaliter; & tamen rationale, & animal diſtinguuntur per nos formaliter: ergo identitas formalis non opponitur diſtinctioni formali.

RESPONDETVR negando minorem. Ad probationem reſpondetur, prout in homine includitur animal, & rationale, conſtitui identitatem eſſentialem, quæ eſt eadem cum reali; & cum hac ſtare etiam diſtinctionem formalem.

DICES Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. diſtinctionem formalem appellare eſſentialem: ergo ſi hæc incluſio dicit identitatem eſſentialem, erit idem cum formali.

RESPONDETVR diſtinguendo de eſſentiali: alia eſt, quæ eſt idem cum reali, in qua plures formalitates identificantur in vnica eſſentia; alia, quæ dicit tantùm vnitatem vnius formæ, vel naturæ, vel formalitatis; & de vtraque ibi agit S. Doct. ſed de ſecunda loquitur tanquam de formali.

OBIICIES Quartò: Si formalitates diſtinguuntur inter ſe: ergo vna eſt extra aliam: ſed hoc eſt falſum, nam omnes ſunt ſimul à parte rei: ergo vna non eſt extra aliam.

RESPONDETVR concedendo maiorem, ſi ſumuntur formalitates ſecundùm propriam rationem, negando; ſi ſecundùm eſſe exiſtentiale, & identicum, ſeu ſecundùm identitatem realem,

Digitized by Google

realem,& eſſentialem, ſecundùm quod currit totum argumentum, ſicque nihil contra nos concluditur.

Obiicies Quintò ex Paſqualigo: Contradictio actualis de aliquibus infert diſtinctionem realem inter ea: ſed diſtinctio formalis admittit contradictionem actualem: ergo eſt realis.

Respondet Bordonus,& optimè: Contradictio actualis infert diſtinctionem realem, ſi eſt inter entitates habentes propriam exiſtentiam; infert verò diſtinctionem formalem, ſi eſt inter formalitates.

Respondetur ſecundò ex doctrina S. Bonau. quod ſi in contradictione vnum extremum eſt abſolutè negatiuum, infert diſtinctionem realem, non verò ſi eſt negatio in genere; tunc enim infert diſtinctionem vel virtualem, ſi eſt in diuinis circa habentes eandem rationem formalem; vel formalem, ſi eſt in creatis: in diuinis verò ſi eſt inter habentes diuerſas rationes formales, vt inter abſoluta, & relationes, de quo in ſequentibus quæſtionibus.

123. Obiicies ſextò ex Arriaga, & Hurtado: Eſſe aliquid à parte rei eſt eſſe quid reale: ſed diſtinctio formalis eſt aliquid à parte rei: ergo eſt realis.

Respondetur ex doctrina S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 25. *dub.* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 37. *dub.* 2. & ex Scotiſtis, eſſe aliquid à parte rei eſt eſſe quid reale, ideſt vel res, vel formalitas, concedo; ideſt vel habens ratitudinem in ſe, vel in alio, vt loquitur S. Doct. & eodem pacto diſtinguitur minor, & conſequens; vnde nihil contra nos.

Obiicies ſeptimò cum ſupradictis DD. Diſtingui realiter nihil aliud eſt, niſi quod vnum non eſt idem realiter cum altero; ſed datur vna formalitas, quæ ante omnem operationem intellectus non eſt idem cum alia: ergo realiter diſtinguitur: ergo hæc diſtinctio non niſi verbis differt à reali.

Respondetur in hoc argumento committi fallaciam accidentis, & conſequentis. Tum quia proceditur à ſuperiori ad inferius. Tum quia fit tranſitus ex non identitate ad diſtinctionem realem; vnum enim non eſſe aliud, ſeu non identitas, non eſt ratio formalis diſtinctionis realis, vt ſuprà fusè dictum eſt: ſic negatur conſequentia.

Contra inſurgit Ioan. à S. Thoma *quæſt.* 3. *art.* 6. Diſtinctio formalis non tollit identitatem in ipſa re, ſed ſolam identitatem conceptus, ſeu formalis rationis: ſed ad hoc ſufficit diſtinctio rationis, nec eſt neceſſaria actualis, quia ſufficit, vt vnum ſub diſtinctione ab altero concipiatur, & ſine illo repræſentetur: ergo ſuperflua eſt hæc diſtinctio.

Respondetur concedendo hanc diſtinctionem non tollere identitatem realem rei cum ſua formalitate, & formalitatum inter ſe in ordine ad exiſtentiam rei; tollit autem identitatem conceptuum formalium obiectiuorum. Sic negatur minor, & ad probationem reſpondetur, quod ſi illa repræſentatio vnius formalitatis vt diſtinctæ ab alia formalitate eſt per conceptus inadæquatos, tunc concedo, quod ſufficit: ſi eſt per adæquatos, & obiectiuos, nego. Sic poſteà negatur, quod id non inferat diſtinctionem ex natura rei.

Obiicies octauò. Hæc diſtinctio, ſi eſt realis, debet eſſe relatio: ſed hoc eſt falſum. Et probatur, quia relatio realis eſt inter extrema realiter diſtincta: ergo.

Respondetur negando minorem: ad probationem reſpondetur, eſſe extrema realiter diſtincta, ideſt actu independenter ab intellectu. Aliam reſponſionem dat Meldul. in Logica *diſt.* 1. *num.* 82.

Digitized by Google

num. 82. ſed hæc eſt verior, eſtque Vallonij, aliorumque.

Complvtenses hîc opponunt multa, quæ omnia deſumpta ſunt ex diuiſione entis, & diſtinctionis in realem, & rationis, ad quæ ſufficienter ſuprà ſatisfactum eſt: hallucinantur enim in hoc, quod dum appellatur hæc diſtinctio media, non intelligimus, quod ſimul participet de ente reali, & rationis; ſed tantùm dicitur media, quatenus mediat inter ens, quod habet propriam exiſtentiam & ratitudinem, & inter ens rationis, &c. eademque æquiuocatione laborant argumenta Vaſquez, Recupiti, aliorumque, à Bordono allata, & ſolidè ſoluta ab ipſo.

124. Obiicies nonò cum Arriaga: Si gradus ſuperior metaphyſicus eſſet ex natura rei diſtinctus ab inferioribus, & differentiis, indifferenſque ad illas, vt ratio entis, ſubſtantiæ, ſequeretur ſubſtantiam, quæ eſt in Angelo, poſſe eſſe in lapide: ſed hoc eſt impoſſibile; nam ſubſtantia lapidis eſt corporea: ergo, ſicut & ratio entis, quæ eſt in Deo, poſſet eſſe in lapide.

Respondetvr hunc Authorem, ſicut & ferè omnes alios aduerſarios, committere fallaciam conſequentis; tranſit enim à gradu præciſo ad non præciſum, & contractum. Vnde reſpondetur concedendo maiorem cum ſua ſequela, & negando minorem: & ad probationem reſpondetur, ſubſtantiam lapidis præcisè ſumptam nec eſſe corpoream, nec incorpoream, ſed præſcindere à quacumque differentia inferiori, à qua contrahitur iuxta exigentiam inferiorum. Et ad illud de ratione entis vt ſic reſpondetur eodem modo: Ens vt præſcindit, non dicere quid finitum, vel infinitum: ſed verè præſcindit formaliter à ratione ſubſtantiæ; quod & in Metaphyſica meliùs examinabitur.

Instat Arriaga: Ens formaliter prædicatur de ſubſtantia: ergo ab hac non præſcindit.

Respondetvr concedendo antecedens, negando conſequentiam; nam prædicatio formalis non tollit diſtinctionem formalem; immò nec realem, vt patet de prædicatione accidentium de ſubſtantia, vt docet S. Doct. *lib. 1. diſt. 5. quæſt. 1. ad 2.*

Obiicies decimò: Si quæ ſunt idem realiter, diſtinguuntur formaliter, ſequitur, quod ab vno, & eodem ſumitur vnitas, & diſtinctio ſecundùm rem: ſed hoc implicat. Probatur ſequela, quia ab vnitate ſumitur identitas realis, & ab eadem eſt diſtinctio formalis: ſed iſta ſunt implicantia: ergo.

Respondetvr negando ſequelam maioris; ab ipſa re, quatenus eſt vnum ſubiectum plurium formalitatum, ſumitur identitas realis, diuerſitas verò ſumitur ab illa multiplicitate conceptuum obiectiuorum.

Obiicies vndecimò: Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe: ſed gradus metaphyſici ſunt idem formaliter vni tertio, verbi gratiâ homini, de quo formaliter prædicantur; homo enim formaliter eſt animal, viuens, &c. ergo ambo ſunt idem formaliter inter ſe.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 33. artic. 1. quæſt. 3. ad 1.* maiorem, & illud axioma eſſe verum de identitate, quà ſunt idem extrema illi tertio; negando autem minorem: nam licèt prædicentur formaliter tanquam incluſa formaliter in includente, tamen ſimul etiam diſtinguuntur, cùm retineant adhuc ſuas rationes obiectiuas, licèt identificentur ratione exiſtentiæ

tiæ tertij, in quo ſunt; vnde ſunt idem inter ſe in tertio, non autem præciſè ſumpta.

125. SECVNDA CONCLVSIO: Diſtinctio formalis ex natura rei inter abſoluta in diuinis ponit compoſitionem; ideo à Deo eſt remouenda. Hæc concluſio eſt merè theologica, ideò ipſam proſequi eſt altioris negotij: quare vnâ, vel duabus rationibus vtemur ad ipſam probandam, remittentes fuſiorem ipſius explicationem ad primum lib...in ſententiarum. Et concluſio ſupponit, quod omnia, quæ ſunt in Deo, vel ſunt abſoluta, vt Deus, deitas, & diuina attributa, intellectus, voluntas, ſapientia, miſericordia, & omnes aliæ perfectiones, quæ in creatis ſunt abſolutæ. Vel ſunt relatiua, vt perſonæ diuinæ, Pater, paternitas, Filius, filiatio, Spiritus Sanctus, ſpiratio actiua, & paſſiua, generatio actiua, & paſſiua. Concluſio eſt S. Bonau. ſuprà *in fundam. cit. & infrà cit.* & maximè in calce quæſtionis: eſt & D. Thomæ, & ſequacium contra Scotum, & Scotiſtas.

PROBATVR primò ex S. Bonau. In diuinis ſecundùm Scotiſtas diſtinctio formalis inter abſoluta ideò non importat compoſitionem, ſicut importat in creatis, quia adeſt ibi ſumma ſimplicitas: ſed ſumma ſimplicitas eſt purior vnitas, & identitas cæteris omnibus: ergo eſt formalis. Probatur conſequentia, quia ſupra realem formalis eſt purior, & à pluralitate remotior: ergo ſi ſumma ſimplicitas formaliter non dicit identitatem formalem, non erit ſumma.

RESPONDENT Scotiſtæ negando conſequentiam ex hoc, quod ſummæ ſimplicitati opponitur ſolùm diſtinctio realis.

CONTRA: Summæ ſimplicitati opponitur id, quod recedit ab ea, & ponit pluralitatem: ergo opponitur etiam diſtinctioni formali, & identitati reali, quæ admittunt pluralitatem. Probatur conſequentia, quia ſumma ſimplicitas eſt modus vnitatis perfectiſſimus, & puriſſimus, ſuper quem alius purior non poteſt dari: ergo ſi admitteret pluralitatem, non eſſet ſummus: nam vt ait S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt* 1. ſimplicitas non eſt formaliter vnitas, vt falsò dicunt Scotiſtæ apud Bordonum *quæſt.* 4. *tract.* 2. *num.* 216. ſed eſt modus vnitatis puriſſimus; ſupra vnitatem enim vt ſic non datur vnitas, ſed ſub vnitate eſt varietas modorum, ſcilicet maior, & minor vnitas, verbi gratiâ ſimplicitatis, compoſitionis. Vnde ſi rectè perpendatur, Scotiſtæ reſpondent ſemper, quod eſt in quæſtione; nam negando, quod ſimplicitas non opponitur diſtinctioni formali, ſuſtinendo, quod ſolùm opponitur reali, id reſpondent, quod eſt in quæſtione: nos verò aſſignamus rationem à priori noſtri dicti, nempe cùm ſupra vnitatem vt ſic non detur vnitas, hinc hæc vnitas, cùm diuidatur in varias ſpecies, datur maior, & minor; maior autem eſt, quæ habet modum perfectiſſimum, & actualiſſimum, & puriſſimum, & remotum à pluralitate rerum eiuſdem rationis; eſtque ſumma ſimplicitas, hinc rectè infertur, hanc eſſe formalem.

CONFIRMATVR ex S. Doct. Vbi eſt additio entitatis abſolutæ, ibi eſt ablatio ſummæ ſimplicitatis: ſed vbi eſt diſtinctio formalitatum abſolutarum, ibi eſt additio: ergo & ablatio ſummæ ſimplicitatis.

RESPONDENT Scotiſtæ hanc additionem tollentem ſimplicitatem ſolùm fieri ex actu, & potentia; non verò ex formalitatibus, quæ ſunt actus, &

& actus infiniti ; & ob id ob infinitatem reſultat identificatio.

Contra : Vbi eſt actus, & potentia, ibi eſt compoſitio ex partibus diuerſæ rationis : ſed datur etiam compoſitio ex partibus eiuſdem rationis, vt patet in materia tota, in partibus ſimilaribus, in quantis, in gradibus eiuſdem rationis, verbi gratiâ in calore : ergo nulla reſponſio. Totus iſte diſcurſus fundatus eſt in dicto Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 17. *part.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 3. quod in quanto molis acceſſus ad ſimplicitatem eſt per diminutionem perfectionis : in ſpiritualibus verò acceſſus ad ſimplicitatem eſt per additionem perfectionis, puritatis, & vnitatis, & abſtractionis.

Confirmatvr, quia ſi attributa diuina ſunt diſtincta ex natura rei : ergo vt talia, ſed tamen tantùm vnita tribuunt effectum formalem eſſentiæ diuinæ : ergo ſi vniuntur ex natura rei, etiam faciunt compoſitum ex natura rei; quâ ratione partes, quæ diſtinguuntur, & vniuntur, etiam conſtant compoſitum.

Probatvr ſecundò, & ampliùs confirmatur ſupradicta ratio : Impoſſibile eſt, quod idem ſecundùm idem diſtinguatur, & identificetur cum alio : ſed ſapientia, verbi gratiâ, identificatur cum eſſentia, & ab eſſentia diſtinguitur formaliter : ergo ſecundùm diuerſas rationes : ſed id eſt impoſſibile ; nam formalitas eſt entitas ſimpliciſſima, alioquin erit duplex formalitas.

Respondent identificari ratione exiſtentiæ eſſentiæ ; & diſtingui ratione ſui.

Contra : Ipſa exiſtentia eſt formalitas diſtincta ab eſſentia : ergo ſi identificatur cum eſſentia ratione exiſtentiæ, identificabitur, & ſimul diſtinguetur ratione ſui, quod eſt impoſſibile.

126. Probatvr tertiò : Diſtinctio in diuinis fundatur in aliqua oppoſitione extremorum, ex D. Anſelmo, & communi ſententia Theologorum : ſed in abſolutis nulla eſt oppoſitio : ergo nulla diſtinctio, niſi per opus intellectus.

Respondet Meldul. in Logica *diſput.* 1. *num.* 82. *ad* 4. cum aliis, hanc oppoſitionem ſufficere, vt ſit fundamentalis in extremis, ideſt per non identitatem ipſorum, licèt non adſit diſtinctio realis.

Contra : Non identitas in extremis poſitiuis eſt vera, & poſitiua diſtinctio : ergo vera, & poſitiua relatio : At inter abſoluta nulla eſt talis relatio : ergo nec oppoſitio, vel diſtinctio : ergo nec non identitas. Tum quia diſtinctio vel formalis, vel realis eſt incommunicatio in eſſentia formali, vel reali ; ſed in ſumma, & puriſſima vnitate, ſeu identitate nulla eſt talis incommunicatio : ergo nec diſtinctio. Probatur Minor ex S. Bonauent. diſcurſu verè Seraphico *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. Eſt intelligere vnum in vno, & vnum in pluribus multiplicatum, & vnum in pluribus non multiplicatum : ſimplicius autem eſt vnum in pluribus multiplicatum, quàm vnum in vno ſingulari ; illud enim eſt vniuerſale, iſtud indiuiduum : & adhuc multò ſimplicius vnum in pluribus non multiplicatum : ergo qui intelligit Deum plurificatum in eſſentia, vel vnum in vno ſuppoſito, derogat ſummæ ſimplicitati, quia hæc tollit pluralitatem.

Probatvr quartò : Hæc non identitas, ſeu diſtinctio formalis poſitiua importat in creatis compoſitionem: ergo & in diuinis.

NEGANT paritatem Scotiſtæ cum Meldul. *diſp.6. Met. num.*234.*& ſeq.* ex hoc, quod in diuinis eſt infinitas, & ſumma ſimplicitas identificans realiter omnia; non verò in creatis: & hinc in creatis identificantur extrema in tertio ob vnicam exiſtentiam, non inter ſe, niſi eadem ratione; & ob id ſi abſtrahantur ab illo tertio, retinent ſuam realitatem diſtinctam: quod non euenit in diuinis, cùm quodlibet attributum ſit infinitum, ob idque identificans ſibi realiter alia.

CONTRA primò, quia hæc infinitas importat ſummam ſimplicitatem: ergo excludit quamcunque pluralitatem, vt dictum eſt.

CONTRA ſecundò, quia datâ tali infinitate, adhuc illa attributa retinent ſuam ipſorum entitatem formalem poſitiuam diſtinctam: ſed ſecundùm talem rationem abſtractam, & præciſam, eſſentia licèt ſit infinita, ea non importat, nec includit formaliter; ſed eſt diuerſa: ergo in tali ſtatu poteſt recipere additionem formalem: ergo in illo ſtatu recipiendo nouam entitatem admittit compoſitionem, & conſequenter ratio infinitatis non tollit additionem; & compoſitionem.

RESPONDENT Scotiſtæ negando ſequelam; nam vt ait Scotus *lib. 1. diſt.8.q.4.ad literam X*, licèt eſſentia diuina dicatur quodammodo perfectibilis ab attributis in eſſe ſecundariò, hæc tamen perfectibilitas non dicit quid potentiale in ipſa, quia nō eſt perfectibilis per informationem, ſed per identitatem: ſic patet etiam in forma, quæ licèt ratione informationis dicat imperfectionem, quia dicit partem; tamen ex eo, quod homo eſt homo per animam, dicit perfectionem. Sic ſapientia in nobis vt eſt accidens, dicit imperfectionem; prout verò eſt id, quo homo eſt ſapiens, dicit perfectionem, quia dat bene eſſe, vt etiam dicebat non ad hoc propoſitum Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 26. part. 1. art. 1. quæſt. 3. & diſt. 19. art. 1. quæſt. 2. ad 3.* Sic) ait Meldul. *Met. diſp. 6. num.* 237.) ſapientia in diuinis non informat diuinam eſſentiam, nec eſt pars; ob id non cauſat compoſitionem, licèt ſit id, quo eſſentia eſt formaliter ſapiens ratione identitatis, quam habet ad ipſam eſſentiam ob ſui infinitatem.

CONTRA: Quod de ſe formaliter non eſt tale, & formaliter ſit tale per aliud diſtinctum, & ſuperadditum, ſit tale per nouam additionem: ſed vbi eſt addito vera, ibi eſt compoſitio: ergo & in diuinis. Tum etiam quod de ſe formaliter non eſt tale, & poteſt fieri formaliter tale, dicit potentiam ad id, quod non habet, & poteſt habere: ergo & ex actu, & potentia ſit talis additio, *lib. 1. diſt. 34. quæſt. 1. in corp.*

OBIICIES primò cum Scotiſtis, debere neceſſariò admitti hanc diſtinctionem in attributis diuinis, tum ratione quidditatis præciſæ obiectiuæ vniuſcuiuſque, tum ratione contradictionis. Pater enim intellectu generat Filium, nec producit Spiritum Sanctum; tum ratione definitionis completæ vniuſcuiuſque. Sed

127. RESPONDETVR ad hæc, & conſimilia argumenta ex traditis in quinto fundamento, quod inter abſoluta non datur conceptus communis adæquatus, præſcindens perfectè ab ipſis: nec eſſentia diuina eſt tali modo præſcindens, niſi ab intellectu inadæquatè illam concipiente, quia omnia habent eandem rationem formalem obiectiuam.

ET ad hoc facit pulcherrima doctrina S. Bonau. *lib. 1. diſt. 8. part. 1. art. 1. quæſt. 1. ad vlt.* vbi ait, quod nomina aliqua

Digitized by Google

aliqua prædicantur de Deo per modum proprietatis, vt ſapiens, iuſtus; & tamen in Deo non ita ſe habent, nec ex hoc ſequitur falſa prædicatio. Ratio eſt, quia talia nomina poſſunt ſumi dupliciter, vel ratione eius, quod de ſe nominant, & important; vel ratione eius, in quo ſignificatum ponitur, vt ſenſus vt ſic, & ſenſus hominis; ſapientia vt ſic, & ſapientia Dei. Primo modo ſapientia eſt quid ſuperadditum ſubiecto, in quo applicatur: Secundo modo, prout trahitur ad Deum, licèt non poſſit eſſe aliquid ſuperadditum in Deo, tamen ratione ſignificati generalis, quo vtimur in creatis, vnum accipitur vt proprietas alterius. Nec eſt ibi ſynonymia, cùm maneat ratio ſubiecti, & proprietatis ſecundùm diuerſum modum ſignificandi, & ſecundùm modum intelligendi.

Hinc reſpondetur negando attributa habere rationem obiectiuam præciſam, ſed definiri ſecundùm modum ſignificandi, qui eſt in nomine ſignificante proprietatem vt ſic, veluti à ſubiecto diſtinctam ob generalem acceptionem nominis; non autem ſecundùm modum eſſendi. Idem habet *lib.* 1. *diſt.* 22. *art.* 1. *q.* 2. & *diſt.* 45. *art.* 2. *q.* 1. *in corp.*

Et ad illud de contradictione, reſpondetur ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 28. *art.* 1. *quæſt.* 1. quod illa propoſitio valet, quando adeſt negatio abſoluta, & extra genus. Non ſic eſt hæc in diuinis, quia ponit aliquid eiuſdem rationis cum alio extremo, & ob id, quod eſt idem formaliter cum ſubiecto alterius propoſitionis, licèt verificetur ſecundùm quod ſumitur nomen ſecundùm generalem ipſius ſignificationem.

Instant primò: Sunt actu oppoſita: ergo contradictoria.

Respondetvr, extrema propoſitionis ſunt actu, concedo; ſunt diſtincta ſecundùm modum intelligendi, concedo; ſecundùm modum eſſendi, nego.

Instant ſecundò: Diuina eſſentia per ordinem ad attributa ſe habet *vt quod*, ipſa attributa ſe habent *vt quo*: ergo ſecundùm rationem formalem diſtinguuntur.

Respondetvr ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 5. rationes *quo*, & *quod*, de ſe nullam dicere imperfectionem, ſed tantùm ratione eius, in quo ſunt, ideſt in quo faciunt compoſitionem. Vnde cùm in diuinis non admittatur talis imperfectio, in Deo reponenda ſunt ſecundùm omnimodam perfectionem, vnitatem, & identitatem formalem. Hinc negatur conſequentia.

Instant tertiò: In diuinis admittitur à S. Bonau. diſtinctio formalis inter eſſentiam, & relationes abſque compoſitione: ergo & poteſt admitti inter abſoluta.

Respondetvr negando paritatem, vt patebit in ſequenti concluſione.

Instant quartò: Diuinitas eſt res habens propriam exiſtentiam: ergo non eſt formalitas: ergo dicit identitatem realem cum attributis; ergo diſtinguuntur formaliter.

Respondetvr concedendo antecedens, negando conſequentiam: Diuinitas quidem habet propriam exiſtentiam, & dicit identitatem realem cum diſtinctione formali in ordine ad relationes; in ordine verò ad attributa dicit identitatem formalem, ſcilicet vnitatem puriſſimam, & ſummam.

128. Tertia Conclvsio: Diſtinctio formalis datur in relationibus diuinis per ordinem ad diuinam eſſentiam abſque vlla compoſitione: in creatis verò diſtinctio formalis ponit com-

poſitionem. Eſt S.Bonau. infrà citandi, Scoti, & ſequacium.

Probatvr prima pars de relationibus diuinis: Nullum relatiuum eſt ſuus reſpectus, ex communi, & S. Bonau. *lib.1. diſt.26. art.1. quaeſt.1. ad 6.* ergo differunt à parte rei. Tum quia relatio addit diuerſum modum ſe habendi à modo eſſendi. Tum quia abſolutum eſt prius reſpectiuo. Tum quia abſolutum dicitur ad ſe; reſpectus dicitur ad aliud, & hoc nullo cogitante intellectu: & hinc S.Doct. *lib.1. diſt.26. cit. & diſt.33. quaeſt. 1. & 2.* & *diſt. 34. quaeſt.1.* docet relationes in diuinis differre ab eſſentia realiter, ideſt non per opus intellectus. Quod verò non dicat talis additio compoſitionem in diuinis, probatur, quia ordo ad aliud, ſeu origo vnius ab alio nihil entitatis ſuperaddit, ſed tantùm hanc formalitatem relatiuam: ergo nec facit compoſitionem.

Probatvr ſecunda pars, quia in creatis formalitates ſunt verae entitates accidentaliter formalizantes ſuum ſubiectum: ergo ſuperaddunt, & faciunt compoſitionem, & in hoc conueniunt S. Bonau. & Scotus.

Obiicies primò: Datur diſtinctio formalis inter relationem, & eſſentiam: ergo & inter attributa. Probatur conſequentia: Multiplicatio relationum in eadem perſona, & eſſentia eſt verè pluralitas; & tamen non tollit ſimplicitatem: ergo nec inter attributa diſtinctio formalis tollit ſimplicitatem.

Respondetvr negando conſequentiam, & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quia vt docet S.Doct. *lib.1. diſt.19. part.2. quaeſt.2. ad vlt.* & aliis locis citandis, praecipuè *lib.1. diſt. 26. quaeſt.1. ad 3. 4. & 6.* quia abſoluta dicunt qualitatem ſuperadditam abſolutam, ideo faciunt additionem veram, & compoſitionem ob pluralitatem entitatum. Reſpectiua verò dicunt tantùm originem, ſcilicet reſpectum ad obiectum; nam ratione *in* tranſeunt in diuinam eſſentiam, vt dictum eſt in fundamentis. Vnde relationes ſecundùm modum ſe habendi ad aliud dicunt formalitatem minimam diſtinctam, licèt ratione *in* identificentur. Nec ob id fit compoſitio vlla, quia vt ait S. Doct. haec fit ex diuerſis modis eſſendi, non ex diuerſis modis ſe habendi: quare cùm in abſolutis ſit eadem ratio eſſendi, nec etiam eſt ibi vlla diſtinctio à parte rei, & ob id nec compoſitio vlla.

Contra: Relationes in creatis faciunt compoſitionem: ergo & in diuinis; tam enim illae, quàm iſtae ſunt entia in recto.

Respondetvr negando relationes diuinas eſſe entia in recto, ſiue res; ſed ſunt formalitates, praeciſè loquendo ratione *ad*; nam ratione *in* tranſeunt formaliter in eſſentiam diuinam: ſic negatur paritas.

Obiicies ſecundò: Vbicumque eſt abſtractio, abſtractum eſt ſimplicius concreto, & concretum fit tale per additionem: ſed Pater vt ſic eſt quid abſtractum, vel abſtrahibile: ergo paternitas aliquid addit ad Deitatem.

Respondet S. Bonauent. *lib. 1. diſt.27. art.1. quaeſt. 3.* concedendo maiorem, vbi eſt maior, & minor ſimplicitas, quae non poteſt eſſe in Deo, cùm ſit ſumma: Deus autem vt ſic eſt quid abſtractum abſtractione ſe tenente ex parte intellectus noſtri, & modi ſignificandi; non autem à parte rei. Ratio eſt, quia cùm abſtractio fiat à concreto, & ſubiecto, cùm relatio ex parte ſubiecti ſit omninò idem formaliter ratione *in*, hinc non admittit abſtractionem realem, licèt relatio per comparationem ad obiectum remaneat, & ſit quid

quid differens: tamen cùm hæc differentia nihil faciat ad compoſitionem, nec etiam facit ad abſtractionem. Notetur hæc doctrina Seraphica, eſt enim fundamentum concluſionis.

Dices: In creatis ſuperaddit relatio ad relatiuum veram entitatem: ergo & in diuinis.

Respondet S. Bonau. negando paritatem; ratio eſt, quia in creatis relatio eſt accidens realiter diſtinctum; in diuinis non eſt accidens, ſed eſt formalitas de conceptu ſecundario Dei; & ob id ratione reſpectus ad aliud dicit quid diſtinctum ab eſſentia diuina.

Dices: Eſſe *in* dicit aliquid diſtinctum ab eo, in quo aliquid eſt: ſed relatio eſt in eſſentia diuina: ergo vt ſic dicit quid diſtinctum ab eſſentia. Confirmatur, quia relationes prædicantur de ſubſtantia: ergo ſunt in ea: ergo ſuperaddunt aliquid ipſi.

Vt reſpondeatur his obiectis aduertendum ex S. Doct. quod relationes creatæ per id conueniunt cum cæteris accidentibus, quod dicunt *in*, ideſt important inhærentiam ad ſubiectum, cum quo faciunt compoſitionem, & à quo dependent: vltra hoc dicunt *in* per ordinem ad fundamentum; ſed hoc eſſe *in* eſt ſimul, & idem cum *ad*, ideſt eſt *in ad*, quatenus ordinant fundamentum ad obiectum. Secundùm primam rationem, cùm dicant imperfectionem, tranſeunt in diuinam eſſentiam relationes in diuinis, & retinent proprium *in ad*, eſtque formalitas diſtincta à ratione prima *in*. Vnde ſuppoſita hac veritate, reſpondetur diſtinguendo de eſſe *in*: relationes dicunt aliquid præter eſſentiam ſecundùm *in ad*, concedo, ſecundùm *in*, quatenus dicit inhærentiam, nego; hæc enim abeſt à relationibus diuinis.

129. Qvarta Concluſio: Modi intrinſeci, tum abſoluti in creatis, tum relatiui diſtinguuntur formaliter à re, cuius ſunt modi. Eſt S. Bonau. infrà citandi.

Vt intelligatur, & probetur hæc concluſio, aduertendum eſt ex S. Bonau. quod modus eſt quædam minima entitas modificans rem; & ſi intrinſecè eam modificat, dicitur intrinſecus, quales ſunt finitas, infinitas, ſimplicitas, exiſtentia, ſubſiſtentia, quæ additæ rei ipſam non variant, ſed modificant, & determinant. Hos modos vult Meldul. cum aliis Scotiſtis diſtingui formaliter negatiuè tantùm, non poſitiuè, & completè, ideſt quia non poteſt concipi adæquatè modus ſine re, cuius eſt modus, licèt è conuerſo poſſit concipi res. Hinc ſequitur, modum non eſſe formaliter rem, non verò diſtingui perfectè formaliter à re.

Attamen ex Seraph. Doct. dicimus, hanc eſſe perfectam, & poſitiuam diſtinctionem formalem. Relatio enim in diuinis, ait Seraph. Doct. *lib. 1. diſtinct. 33. art. 1. quæſt. 2. in corp. & diſtinct. 32. quæſt. 1. in fine corp.* addit ad eſſentiam ſolum modum; exiſtentia ad res ſolum modum eſſendi: ſic ſubſiſtentia, ſic actus, & potentia: ſed iſta ſunt veræ formalitates per ſe conceptibiles: ergo & diſtinguuntur formaliter. Ratio eſt maximè in creatis, quia modus cum re facit aliqualem compoſitionem; modus enim aliquid ſuperaddit eſſentiæ, licèt in diuinis non currat hæc ratio, cùm de ſe Deus habeat hos modos; & ob id in Deo admittunt modi diſtinctionem rationis tantùm. Vide pro hac compoſitione Meldul. *Metaphyſ. diſputat. 8. num. 149.* Quare addimus, quod adſunt etiam aliqui modi intrinſeci, vt ſimplicitas diuina eſt modus entis increati, vt ait *lib. 1.* *diſt. 8.*

diſtinct. 8. *part.* 2. *quæſt.* 1. & Infinitas Dei, qui perfectè non poſſunt concipi, & adæquatè abſque re, cuius ſunt modi: ſicque verum eſt, quod dicit Meldul. *diſp.*6. *M:t.n.*204. *& ſeq. & diſp.*8. *num.*141. & in Logica *diſp.*1. *num.*80. quod hæc diſtinctio licèt ſit minor gradus diſtinctionis formalis, ſpectat tamen ad hanc ſpeciem. Quibus omnibus præmiſſis, & explicatis ſupereſt, vt pro complemento huius prolixæ quæſtionis explicentur varij termini, quibus Seraph. Doct. in variis locis admittit hanc diſtinctionem formalem.

130. S. Doctor igitur admittit hanc diſtinctionem & in diuinis, & in creatis, vt probatum eſt. In diuinis ipſam admittit tantùm inter relationes, & eſſentiam diuinam: ſic *in Breuil. part.*1. *cap.*4. vbi docet in diuinis eſſe differentiam triplicem. Prima eſt ſecundùm varios modos eſſendi, eſtque inter perſonas diuinas, eamque appellat vtplurimùm ſecundùm originem. Secunda eſt penes diuerſum modum ſe habendi, eſtque inter eſſentiam, & relationes; & hæc eſt formalis. Tertia eſt penes modum diuerſum intelligendi, eſtque rationis. Hanc ſecundam igitur appellat aliquando realem: ſic *lib.*1. *diſtinct.*33. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *in corp. & quæſt.*2. & *diſt.*34. *art.*1. *quæſt.*1. *in fine corp.* aliquando ſecundùm diuerſum modum ſe habendi, tanquam quid medium inter diuerſos modos eſſendi, ſcilicet realem diſtinctionem; & inter diuerſos modos intelligendi, ſcilicet rationis. Aliquando appellat hanc diſtinctionem formalem ſecundùm rationem, ſcilicet obiectiuam: ſic *in centil. part.*3. *ſect.* 2. & *lib.*1. *diſt.*26. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 4. & locis citatis ſuprà. Idem *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. quam etiam appellat differentiam attributionis, quia aliquis modus ponitur circa vnum, qui non ponitur, vel attribuitur alteri. Idem & *lib.*3. *diſt.*5. *art.*1. *quæſt.*1. *ad* 2. Videtur tamen oppoſitum dicere *lib.* 1. *diſt.*7. *art.* 1. *quæſt.*1. *& quæſt.*3. vbi ait perſonam differre ab eſſentia ſecundùm diuerſitatem in intelligendo, & dicendo; quæ differentia eſt rationis ratiocinatæ tantùm, vt patebit in propria quæſtione, & docet *in Breuil. cit.* At intelligendus eſt S. Doct. de diuerſitate in concipiendo, id eſt ſecundùm conceptum obiectiuum, vt docet *lib.* 1. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad arg.* In creatis verò ſæpiſſimè hanc diſtinctionem inter abſoluta etiam admittit, ſicut inter relatiua. Vnde in creatis tantùm, non in diuinis facit compoſitionem, quia eſt per additionem entitatis veræ, non ſolùm ſecundùm modum ſe habendi, vt in diuinis, ſed & eſſendi, hancque admittit inter creationem paſſiuam, & creaturam. Sic *lib.*2. *diſt.*1. *part.*1. *quæſt. vlt. in fine corp.* Item inter vnitatem, & veritatem, & ens; & inter reſpectum materiæ, & formæ, & ipſam materiam, & formam, *lib.*1. *diſt.*26. *quæſt.*1. *ad* 6. Et inter ens, & eſſe, ſcilicet eſſentiam, & exiſtentiam, *lib.*1. *diſtinct.*8. *part.*2. *quæſt.*2. *in corp.* Item *in lib.*1. *diſtinct.*9. *art.*1. *quæſt.* 2. *ad vlt.* & *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.*1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 3. ait, quod in indiuiduo ſubſtantiali eſt pluralitas naturarum tollens ſimplicitatem, & identitatem formalem: idque explicat *lib.* 1. *diſt.*8. *part.* 2. *dub.* 2. intelligere ſe de formalitatibus; ſic *lib.*2. *diſt.*37. *dub.* 1. *&* 2. explicat quot modis res, & natura poteſt ſumi: idem & repetit *lib.*2. *diſt.*3. *part.*2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad vlt.* & *lib.*2. *diſt.*18. *art.*1. *quæſt.* 3. docet vniuerſale diſtingui à parte rei à ſingulari, quia vniuerſale dicit præcisè quid vniuocum, & eſſe definitiuum: & *lib.*1. *diſt.* 3. *part.*2. *quæſt.* 3. docet potentias animæ non eſſe idem per eſſentiam,

tiam, ideſt formaliter cum anima; nec tamen eſſe diuerſi generis,ſed idem realiter, & ab ea differre, quia addunt aliquid poſitiuum, pluſquam potentia addat materiæ. Vnde hæc differentia eſt ſecundùm attributionem, quia anima vt ſic eſt principium eſſendi, potentiæ ſunt principium operandi; ideò licèt anima dicatur ſuæ potentiæ, non tamen eſt omninò idem per eſſentiam. Vide ibidem *ad* 1.2. *&* 3. & *lib.*2. *diſt.* 24. *part.*1. *art.*2. *quæſt.*1. & *lib.*2. *diſt.* 25. *art.*1. *quæſt.*2. *in corp.* & *lib.*3. *diſt.*27. *art.*1. *quæſt.*1. *in corp.* & *lib.*2. *diſt.*33. *art.*1. *quæſt.*2. docet actionem,& paſſionem differre ſolâ comparatione, ſcilicet paſſiuâ, & ſecundùm attributionem. Vide *lib.*1. *diſt.*40. *art.*1. *quæſt.*1. *ad* 2. & *lib.*1. *diſt.*7. *art.*1. *quæſt.*4.

Ex quibus omnibus patet, quod potiſſimum ſignum diſtinctionis formalis inter aliqua eſt,quando verè attribuitur vnum alicui, quod non alteri, non tamen habenti propriam exiſtentiam diſtinctam: ita quod faciunt duos conceptus adæquatos importantes diuerſas rationes formales, ſecundùm quas aliquid de vno affirmatur, & de alio negatur. Tunc ſignum eſt, à parte rei diſtingui formaliter, taleſque ſunt eſſentia diuina, & relationes: natura item communis, & indiuidualitas. Sic S. Doct. *lib.*1. *diſt.*5. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad primum*, & *lib.* 1. *diſt.*26. *quæſt.* 1. *ad* 2. aliiſque locis citandis.

QVÆSTIO VIII.

De Diſtinctione Rationis in communi.

131. PRo tituli explicatione obſeruandum ex S. Bonauent. *lib.*1. *diſt.*26. *art.*1. *quæſt.* 1. *ad* 2. quod diſtinctio rationis poteſt ſumi tripliciter. Primò pro pluralitate rationum,ſeu entitatum; & hæc eſt realis, hancque S. Doct. recognoſcit inter diuinas perſonas, quam appellat rationis,quia non eſt tam exacta, ſicut eſt inter entitates diuerſas ſecundum naturam: poteſt tamen dici rationis etiam in creaturis, quatenus eſt inter diuerſas naturas,quæ dicunt diuerſam naturam, & eſſentiam exiſtentialem. Secundò ſecundùm differentiam attributionis, eſtque formalis ex natura rei, vt diximus in præcedenti quæſtione. Tertiò pro ratione ex parte noſtræ apprehenſionis, & in hoc ſenſu procedit quæſtio.

Secvndò obſeruandum eſt, quod hic non eſt ſermo de ipſa formalitate diſtinctionis; diximus enim eſſe relationem,ſiue realem, ſiue formalem, ſiue rationis: ſed de fundamento, & extremis. Et quæritur, quid ſit diſtinctio rationis per ordinem ad extrema ſecundùm communem rationem. Hinc

Primò dicimus, diſtinctionem rationis ſumptam in communi, provt diſtinguitur à reali in communi,eſſe illam, quæ ſuum actuale eſſe habet ab intellectu. Eſt contra plures Formaliſtas,qui confundunt hanc cum diſtinctione formali ex natura rei.

Probatvr, quia per talem deſcriptionem diſtinguitur à reali,& formali, quæ habent eſſe actuale, nullo cogitante intellectu: ſed hoc pacto dicit quid commune ad diſtinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ: ergo. Probatur maior, & minor, quia vt ſic fundatur ſuper extrema, quæ ſunt idem omninò à parte rei, & quæ habent tantùm per intellectum pluralitatem rationum, & conceptuum obiectorum inadæquatorum.

Obiicies primò: Plura entia ra-

Digitized by Google

tionis poſſunt accedere rebus abſque operatione intellectus, vti ſunt denominationes extrinſecæ, vt verbi gratiâ ratio dextri, & ſiniſtri in columna reſpectu diuerſorum, in Deo ratio creationis: ergo non per ordinem intellectus debet dari hæc deſcriptio.

Respondetur, quod illæ denominationes præcisâ operatione intellectus dicuntur entia rationis materialiter tantùm; formaliter verò adueniente operatione intellectus eas concipiente ad modum qualitatis inhærentis.

Secundò dicimus, diſtinctionem rationis ſufficienter diuidi in diſtinctionem rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis: de quo infrà.

QVÆSTIO IX.

De Diſtinctione Rationis ratiocinantis.

132. Svpponit titulus quæſtionis id, quod dictum eſt de ente rationis, & de ente vt ſic; ſcilicet ens diuidi in reale, & rationis. Reale diuiditur in reale habens propriam exiſtentiam; & in reale, ſeu formale, ſeu formalitatem, quæ non habet propriam exiſtentiam: & ens rationis diuiditur in id, quod habet fundamentum in re, & in id, quod caret tali fundamento: & conſequenter, quia diſtinctio, & identitas ſunt proprietates entis, etiam diſtinctio ptoportionaliter diuiditur in realem maximam, in formalem, & in diſtinctionem rationis cum fundamento in re, & in diſtinctionem rationis ſine fundamento. Et de hac vltima procedit quæſtio, quid ſit, & in quonam conſiſtat.

Prima opinio eſt Nominalium, Gregor. *lib.* 1. *diſp.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 1. Ocham *lib.* 2. *diſput.* 2. *quæſt.* 3. Gabriel. Hurtad. *diſputat.* 6. *Met. ſect.* 5. aliorumque cum Suarez *diſp.* 7. *Met. ſect.* 1. ſuſtinentium hanc diſtinctionem non conſtituere membrum ab aliis diſtinctum, ſed conſiſtere tantùm in repetitione omnimoda eiuſdem conceptus: vnde volunt, quod tota reſideat penes intellectum tantùm, ſcilicet penes conceptus mentis.

Secvnda opinio eſt communis D. Thomæ, S. Bonauent. Scoti, & realium, ſuſtinentium hanc diſtinctionem eſſe veram diſtinctionem rationis, factam quidem ab intellectu, ſed attingendo obiectum, ipſumque diſtinguendo. Pro ſolutione quæſtionis

Primò Noto ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. & *lib.* 4. *diſtinct.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vltim.* quod dupliciter poteſt intellectus procedere circa obiectum. Primò componendo, ſeu collatiuo modo: Secundo modo reſoluendo, ſeu abſtrahendo; & hic ſecundus modus poteſt fieri dupliciter. Primò per conceptus adæquatos, conſiderando rem vt præciſam ab alia, ſicut eſt à parte rei; iſtique fundant diſtinctionem vel realem, vel formalem. S. Doct. appellat hanc conceptionem ſecundùm intellectum plenè reſoluentem, ideſt quatenus reſoluendo habet conceptum plenum, & adæquatum obiecti. Sic *lib.* 1. *diſtinct.* 28. *dub.* 1. Secundò diuidendo id, quod à parte rei non eſt diuiſum, verbi gratiâ ſapientia à Deitate: vterque modus, ſcilicet compoſitiuus, & reſolutiuus poteſt verſari circa obiectum ipſum diuidendo, quomodo à parte rei non eſt diuiſum, ſcilicet vel cum fundamento in obiecto, vt verbi gratiâ, ſi adeſt eminentia

Digitized by Google

nentia in obiecto, quæ tantùm inadæquatè poteſt concipi ab intellectu, de quo in ſequenti quæſtione; & hanc conceptionem appellat ſecundùm intellectum ſemiplenè reſoluentem. Secundò vel ſine fundamento, ita quod intellectus, cùm nullam pluralitatem præſupponat actualem in obiecto, attamen pro ſua vi innata poteſt idem ſibi ipſi comparare, & componere, vel idem diuerſis modis concipere; & hoc vel Grammaticaliter, vel Logicaliter, vel Metaphyſicè. Grammaticaliter per rectum, & obliquum, vt homo, hominis: Logicaliter, verbi gratiâ per concretum, & abſtractum, vt homo, humanitas: & Deus, Deitas, *lib.* 1. *diſt.* 23. *art.* 2. *quaſt.* 3. *ad* 2. vel multiplicando relationes rationis, vt per ſubiectum, & prædicatum, vt Petrus eſt Petrus: Metaphyſicè per maiorem, vel minorem explicationem, vt per definitionem, & definitum. Vnde ſequitur, quod fundamentum proximum rationis ratiocinatæ eſt penes intellectum tantùm: in obiecto verò eſt tantùm capacitas, ſeu non repugnantia ad poſſe comparari, vel concipi diuerſis modis. Vide *lib.* 1. *diſt.* 22. *quaſt.* 3. & 4. & infrà *ad num.* 142.

Secundò Notandum, quod in hac diſtinctione duo interueniunt. Primum eſt opus intellectus comparanti idem ad ſeipſum, vel diuerſis modis ipſum concipientis: Secundum eſt id, quod ex tali operatione intellectus reſultat in obiecto, nempe denominatio paſſiua diſtinctorum; non enim poteſt fieri comparatio, vel diuerſa conceptio eiuſdem rei, niſi mediâ aliquâ diſtinctione, ſaltem exiſtente in intellectu: hinc fit, vt illa diſtinctio rationis deriuet in ipſum obiectum.

Et cùm ſynonymia ex Seraphico Doct. citato, & communi ſit repetitio eiuſdem conceptus facta ſemper eodem modo; hinc fit, quod in hac diſtinctione non interuenit talis ſynonymia, cùm importet repetitionem diuerſis modis factam, & reſultantem in ipſo obiecto, verbi gratiâ ſub ratione ſubiecti, & prædicati. His poſitis ſit

133. Prima Conclvsio: Diſtinctio rationis ratiocinantis non conſiſtit in ſola, & nuda repetitione eiuſdem conceptus de eadem re; ſed in effingendo diſtinctionem ſine fundamento in eadem re à parte rei non exiſtentem.

Probatvr prima pars, quia ſola repetitio conceptuum importat tantùm diſtinctionem realem ipſorum, & in obiecto puram ſynonymiam: ergo hoc modo non poteſt appellari diſtinctio rationis. Patet conſequentia, quia dicendo, *Petrus, & Petrus, & Petrus*, replicantur iidem termini, & iidem conceptus, qui ſunt diſtincti realiter; & in Petro nulla differentia importatur: ergo nec diſtinctio.

Probatvr ſecunda pars, quia eo ipſo, quod concipio idem diuerſis modis, vel quod comparo idem ad ſeipſum, reſultat noua denominatio diſtinctionis ab intellectu in ipſum obiectum, vt verbi gratiâ ratio ſubiecti, & prædicati: ſed iſta non diſtinguuntur realiter, nec formaliter, nec per rationem fundatam in re, vt dictum eſt in fundamento primo, & ſecundo: ergo per rationem ratiocinantem, vt magis in ſequenti quæſtione patebit.

Obiicies primò, quia intellectus, niſi habeat aliquod fundamentum in re, nihil poteſt concipere: ergo non datur hæc diſtinctio ſine fundamento.

Respondetvr concedendò antecedens de fundamento remoto; nam vt ait S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 4. *quaſt. vlt.*

& *lib.*2. *diſt.*3. *art.* 1. *quæſt.* 3. & aliis locis citatis in quæſtione de entis rationis cauſis, quicquid concipit intellectus, concipit per ordinem ad aliquam rem realem; negando antecedens de proximo fundamento exiſtente in ipſo obiecto, ſicut euenit in diſtinctione rationis ratiocinatæ, vt mox dicemus: ſed totum fundamentum eſt in ipſo intellectu valente ex ſua vi effingere ens rationis in obiecto ad ſimilitudinem entis realis.

Obiicies ſecundò: Cum dico, *Petrus eſt Petrus*, nihil aliud fit niſi repetitio eiuſdem conceptus: ergo vera eſt opinio Nominalium.

Respondetvr eſſe quidem repetitionem, ſed non eodem modo, ſed diuerſis modis: verbi gratiâ ſub ratione ſubiecti, & prædicati. Sic negatur conſequentia.

134. Instant Suarez, & Vaſq. *part.* 1. *diſp.* 117. *cap.* 3. Si cadit diſtinctio in obiecto, ſequitur, quod non ſit vlla differentia huius diſtinctionis cum diſtinctione rationis ratiocinatæ; in hac enim hoc pacto cadit in obiecto diſtinctio rationis factæ per intellectum.

Respondetvr negando ſequelam maioris. Ratio eſt, quia in diſtinctione rationis ratiocinatæ non vnico conceptu exprimitur adæquatè exiſtentia obiecti: in hac autem vnico conceptu concipitur res obiectiuè ſumpta ſecundùm ſe, ſecundùm verò, quod ab intellectu exprimitur, vnico conceptu non exprimitur, quatenus importat pluralitatem conceptuum ex parte intellectus, & modorum ſe tenentium ex parte intellectus qui ſe habent ſubordinato modo in ipſo; & ex hoc reſultat in obiecto talis noua denominatio.

Secvnda Conclvsio: Hæc diſtinctio non eſt omninò vana, inſeruit enim ad explicandos varios conceptus, tum grammaticales, tum logicales, tum metaphyſicales, tum ad cognoſcendas prædicationes identicas diuerſas à formalitatibus.

QVÆSTIO X.

De Diſtinctione Rationis ratiocinatæ.

135. HOc eſt aliud membrum diſtinctionis rationis, & factæ per opus intellectus; diciturque rationis, quia formaliter, & actualiter non eſt in rebus, ſed per opus rationis; & dicitur ratiocinatæ ob præuium fundamentum in re, in qua quaſi inchoatè reperitur, & ob id dicitur etiam virtualis, circa quam

Prima opinio eſt aliquorum Scotiſtarum, & Formaliſtarum apud Meldul. hanc coincidere cum diſtinctione formali ex natura rei.

Secvnda opinio eſt Nominalium, Ocham. Gabr. Ouiedi, Hurtad. aliorumque negantium præciſiones obiectiuas, de quibus in calce quæſtionis dicetur, qui ſuſtinent hanc diſtinctionem nullatenus eſſe in obiecto, ſed tantùm penes conceptus intellectus.

Tertia opinio recognoſcit hanc diſtinctionem effictam ab intellectu in obiecto: ſed iſti volunt ipſam fundari in aliquo extrinſeco tantùm, nempe vel in connotatis effectibus, vel ex aliis rebus diſtinctis, ad quarum ſimilitudinem fit illa diſtinctio in intellectu. Sic aliqui Nominales, Vaſquez etiam *part.* 1. *diſp.* 117. *cap.* 3. aliique.

Qvarta opinio eſt D. Thomæ, S. Bonauent. Scoti, & ſequacium recognoſcen

gnoſcentium fundamentum intrinſecum in ipſo obiecto, ob quod ab intellectu fit talis diſtinctio. Pro ſolutione quæſtionis,

Primò Notandum, quod vt dictum eſt in præcedenti quæſtione ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 8. aliiſque locis ibidem citatis, duplex vis eſt in intellectu; alia eſt compoſitiua, alia reſolutiua, & ex vtraque poteſt fieri diſtinctio rationis, tum ratiocinantis, tum ratiocinatæ per conceptus inadæquatos: nam ſi eſt per conceptus adæquatos, tunc inſurgit diſtinctio formalis ex natura rei: ſi verò eſt per conceptus inadæquatos, tunc conſurgit diſtinctio rationis; & ſi habet fundamentum in re, dicitur rationis ratiocinatæ; fitque tunc, quando in re adeſt eminentia, & ob id pluralitas virtualis, ita quod illæ rationes, ſeu formalitates, quæ ſunt plures tantùm virtualiter, ſingulæque ſunt ſimul termini plurium conceptuum, & extrema diſtinctionis, ſunt inadæquatæ, non ſolùm quia non dicunt totam eſſentiam rei, ſed etiam quia non exprimunt proprias entitates illis conceptibus correſpondentes, cùm omnes, & ſingulæ ab vna, & eadem re inadæquatè concepta ſumantur. Et hinc ſequitur, quod non adſit pluralitas in hac diſtinctione ſecundùm eſſe reale, vel formale; ſed ſecundùm eſſe obiectiuum, ideſt prout tantùm objicitur, vel concipitur ab intellectu; & ideo hæc pluralitas virtualis præcedit opus intellectus; actualis autem conſequitur, quatenus tales rationes terminant diuerſos conceptus formales.

136. Secundò Notandum ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 45. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp. & ad* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *quæſt.* 1. *ad arg.* & *diſt.* 22. *quæſt.* 2. *ad* 3. *&* 4. & *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. & *diſt.* 34. *art.* 1. *q.* 2. aliiſque locis citatis in textu *ad literam E*, quod duplex fundamentum reperitur in hac diſtinctione virtuali, aliud intrinſecum, eſtque eminentia ipſius obiecti; aliud extrinſecum, nempe imperfectio noſtri intellectus non valentis concipere, & exprimere illud obiectum, ſicuti eſt, ideſt adæquatè, ſed tantùm inadæquatè: ob id deſumit ab extrinſeco motiuum diſtinguendi actualiter, quo à parte rei non eſt diſtinctum, niſi virtualiter, nempe vel penes connotatos effectus, vel penes alias res verè diſtinctas; & hinc diſtinguimus bonitatem Dei à iuſtitia, &c. nempe quia videmus diuerſos effectus prouenientes à bonitate, & iuſtitia; tum quia videmus has eſſe diſtinctas in nobis. Et per hæc patet differentia inter diſtinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ. Nam in diſtinctione rationis ratiocinantis nullum fundamentum in re reſpondet, niſi illa capacitas, vel non repugnantia, vt dictum eſt; nec adeſt vlla pluralitas virtualis, & ideo à S. Doctore appellatur diſtinctio ſecundùm intellectum phantaſticum, vel tantùm penes modum dicendi. In hac verò non ſolùm adeſt hæc non repugnantia, ſed etiam virtualis pluralitas, & eminentia præbens occaſionem intellectui ipſam actuandi diuerſis conceptibus.

Dices, quod ex hoc ſequitur, nullum diſcrimen eſſe inter vtramque, quia in vtraque actuatur diſtinctio ab intellectu in obiecto, nec à parte rei adeſt in ipſo.

Respondetur negando hanc ſequelam; nam licèt diſtinctio rationis ratiocinantis cadat etiam in obiectum, tamen adhuc eſt diſcrimen; nam diſtinctio virtualis ita tangit obiectum, quod non omnia, quæ exprimuntur vno conceptu, exprimuntur & alio, ſed ſingulis conceptibus ſingulæ correſpondent

Aa 3 for

formalitates obiectiuæ exprimendæ, ſed inadæquatæ, quæ continentur eminenter in eodem obiecto, nec niſi virtualiter diſtinctæ. At in diſtinctione rationis ratiocinantis ita benè exprimitur obiectum vno conceptu, quàm alio; & ob id hæc diſtinctio tangit obiectum extrinſecè tantùm, quatenus diuerſis modis concipitur.

137. Tertiò Notandum, quod eſt maxima diſputatio inter Philoſophos, & Theologos, an hæc diſtinctio ſufficiat ad verificanda contradictoria de extremis ipſius, vt verbi gratiâ, Pater generat intellectu Filium, & non Spiritum Sanctum; & voluntate Spiritum Sanctum producit, & non Filium: quod per ideam hominis producit hominem, & non aſinum, cùm voluntas, & intellectus, & ideæ ſint quid vnum formaliter in Deo, diſtincta tantùm virtualiter. Scotiſtæ abſolutè negant de prædicatis contradictoriis veris, & realibus: at in contradictoriis rationis ſufficit, vt verbi gratiâ, quod in luce eadem virtus ſit exſiccatiua, & non calefactiua; hæc enim diſtinctio eſt per opus intellectus, & etiam prædicata ſunt contradictoria tantùm per opus intellectus, quia actu non eſt illa duplex virtus in luce.

Thomistæ cum S. Bonau. oppoſitum docent: ſic S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 5. *quaſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 5. & *quæſt.* 2. *ad* 7. & alibi ſæpè. Sic Soncin. Capreol. aliique apud Meldul. *in Met. diſput.* 6. *art.* 3. Vtque id pateat, aduertendum ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 28. *art.* 1. *quaſt.* 1. quod negationes in diuinis præcipuè (idemque proportionaliter in illis rebus creatis, in quibus adeſt eminenter pluralitas virtualis formalitatum) ſunt negationes in genere, ideſt non abſolutè, ſed limitatè, vt ingenitus in Patre: & licèt aliquid negent, tamen ponunt aliquid commune cum altero extremo, vt in creatis dicendo, *Hoc coloratum non eſt album*; tamen ſupponit colorem alium, vt nigrum, ſeu qualitatem, in qua conueniunt extrema: ex conſequenti importat colorem alium. Hinc vnum extremum, licèt aliquid neget, tamen ex conſequenti ponit aliud, quod eſt ambobus extremis commune. Sic dicendo, *Pater intellectu generat Filium, & non voluntate*, licèt ſint vnum, & idem formaliter à parte rei intellectus, & voluntas; tamen important virtualem diſtinctionem, quæ ſufficit ad verificanda contradictoria dicta. Ratio autem, quam afferunt communiter Thomiſtæ, & eam affert S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 4. *art.* 1. *quaſt.* 2. *ad* 3. eſt, quia, vt ſit vera contradictio in complexis, oportet, vt negatio feratur ſuper totum complexum, aliàs non eſt vera contradictio: contradictoria enim complexa habent eſſe tantùm per opus intellectus; & cùm conceptus noſtri non adæquent totam rationem obiecti, hinc & obiectum poteſt admittere plures propoſitiones contradictorias, vt ſi dicam, *Pater intellectu generat, & non voluntate*, ly *voluntate*, cadit ſuper generare, non ſuper totum complexum Patris, & Dei, qui eſt principium productiuum. Sic etiam reſpondetur, ait S. Doct. illi difficili obiectioni: Pater genuit alium: ergo vel alium Deum, vel alium non Deum. In qua obiectione adſunt tria, ſcilicet Deus, Deum, & alium in Deitate: negatio fertur ſuper ly *alium*, non ſuper Deum: ſicque alius Deus, & alius non Deus, non contradicunt; alius Deus, & non alius Deus, contradicunt. Vnde de eodem obiecto poterunt verificari contradictoriæ propoſitiones; & hoc quia ſecundùm diuerſum modum, & ſecundùm

ſecundùm formalitates tantùm virtualiter diuerſas exprimitur. Hinc verum eſt, hominem produci per ideam hominis, & non aſini, licèt ſint vna res formaliter à parte rei; idque fundatur in diuerſis connotatis per talia nomina, quæ vt ſunt connotata, includuntur ab æterno in illis nominibus, v. g. in idea hominis: licèt vt ſunt in ſe, ſint in tempore diuerſa; idque in diuinis abſolutis verificatur, non in relationibus, quia relationes important veram negationem abſolutam communicabilitatis: ob id important diſtinctionem à parte rei. Vide S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 35. *per totam*, & *lib.* 3. *diſt.* 5. *q.* 1. *ad* 4. & *lib.* 1. *diſtinct.* 28. *quæſt.* 1. His poſitis ſtat

138. Prima Conclvsio: Verè datur diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſeu virtualis, vt membrum diſtinctum à quacunque alia ex ſuprà poſitis. Eſt D. Thom. Scoti apud Meldul. *diſp.* 6. *Met. num.* 269. & S. Bonauent. citandi in calce quæſtionis, qui appellat hanc diſtinctionem ſecundùm intellectum, rationalem, & ſecundùm modum intelligendi.

Probatvr ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 27. *art.* 1. *q.* 3. *in corp.* quia duplex abſtractio datur, alia quæ habet, vel ſupponit totum eſſe à parte rei: alia, quæ habet totum eſſe ab intellectu: ſed hæc eſt diſtinctio rationis vel ſine, vel cum fundamento in re: ergo. Probatur Minor de diſtinctione rationis cum fundamento, quia per vim abſtractiuam intellectus producit varios conceptus inadæquatos circa rem exiſtentem vnam, & eminenter tantùm multiplicem, vt patet de vi exſiccatiua, & calefactiua in luce, & in Deo de bonitate, iuſtitia, &c. Tum quia dantur rationes formales rerum, quæ in propriis naturis reperiuntur, vel formaliter, vel realiter diſtinctæ, vt virtus exſiccatiua, ac calefactiua in diuerſis ſubiectis: at ſi iſtæ reperiuntur vnitæ in aliqua re ſuperiori eminenter eas continente, tunc conueniunt in vnum formaliter, & ſunt tantùm virtualiter diſtinctæ: ergo datur hæc diſtinctio virtualis in rebus. Tum quia diſtingui hac diſtinctione, eſt diſtingui ſecundùm extrema inter ſe identificata formaliter, prout terminant diuerſas cognitiones ſecundùm diuerſam rationem obiectiuam explicitè: ſed multa ſunt, quæ ſic diſtinguuntur, vt quando obiectum cum ſimplicitate æquiualet multis perfectionibus ex natura rei diſtinctis, vt diximus de Sole, & in Dei abſolutis: ergo.

Probatvr ſecundò ex doctrina Seraphica: Quo res eſt ſimplicior, eo eſt eminentior, & continens maiores, & plures perfectiones, & ſimul magis vna: Sed Deus eſt huiuſmodi, & in rebus creatis dantur huiuſmodi res, vt per ſe patet: ergo & continentes cum vnitate formali multas perfectiones: ſed iſtæ vnico conceptu non poſſunt adæquari obiecto: ergo vt inadæquatè conceptæ tantùm. Sed hæc concluſio probabitur fundatiùs in ſequenti quæſtione laterali.

139. Obiicies primò cum Saxio: In hac diſtinctione ſupponitur pluralitas: ergo non eſt rationis.

Respondetvr, ſupponi virtualiter pluralitatem tantùm fieri actualem per intellectum.

Obiicies ſecundò: In hac diſtinctione verificantur contradictoria realia: ergo non eſt rationis.

Respondetvr negando abſolutè antecedens, & licèt aliud extremum ſit negatiuum, non eſt tamen tale abſolutè, ſed cum poſitione alterius extremi exiſtentis quid vnum formaliter cum

cum illo poſitiuo, in quo ponitur negatio.

Obicies Tertiò: Pluralitas extremorum eſt tantùm entium rationis: ergo coincidit cum diſtinctione rationis ratiocinantis.

Respondetvr eſſe entia rationis, provt ſunt actu ab intellectu diſtincta: eſſe entia realia fundamentaliter ſumpta, quæ ad ſui explicationem exigunt varios conceptus inadæquatos, conuenientes tamen in vnam rem, ſicque ſunt plura virtualiter à parte rei, actualiter per opus rationis.

Obicies quartò: Id, quod eſt vnum in ſe, natum eſt producere vnum conceptum ſui, & per eundem vnicum adæquatum exprimi, quia immutat intellectum, quantùm natum eſt immutare: ergo immutatio per conceptus inadæquatos eſt ſine fundamento intrinſeco in obiecto.

Respondetvr concedendo antecedens, cæteris paribus, ideſt dummodò non adſit impedimentum vel ex parte obiecti, vel ex parte intellectus, vt euenit in habente eminentem perfectionem reſpectu intellectus imperfecti, & indigentis alienis ſpeciebus.

140. Secvnda Conclvsio: Sola relatio obiecti ad connotata non eſt ſufficiens fundamentum huius diſtinctionis virtualis. Eſt contra Vaſq. citatum, alioſque. Ratio eſt, quia hæc connotatio eſt communis vtrique diſtinctioni rationis. Tum quia eſt reſpectus extrinſecus obiecto; vnde differentia inter concretum, & abſtractum eſt penes connotata, nempe penes ſubiectum quod connotatur, vel non connotatur: ergo aliquod aliud fundamentum exigit hanc diſtinctionem diſtinguens à ratione ratiocinante.

Addimvs tamen, quod iſte reſpectus ad connotata valde iuuat ad dignoſcendam hanc diſtinctionem, & ad ipſam exprimendam, & hac regula ſæpiſſimè vtitur Seraph. Doct. licèt ſit ſignum tanquam à poſteriori.

141. Tertia Conclvsio: Diſtinctio rationis ratiocinatæ ſufficit ad verificanda contradictoria, non ſolùm rationis; ſed & realia, etiam aliqua, vt patet ex fundamento tertio. Sic virtus, dum eſt calefactiua, non eſt exſiccatiua: ſic idem intellectus formaliter eſt apprehenſiuus, iudicatiuus, & diſcurſiuus; quæ prædicata ſunt vera, vnumque importat negationem alterius, præciſè loquendo: & tamen in his rationibus adeſt ſolùm diſtinctio rationis. Sic & inter attributa diuina, vt dictum eſt. Tum etiam, quia verè prædicantur conceptus, ſeu formalitates inadæquatæ contrariæ de eodem ſubiecto cum veritate, quod nullam diſtinctionem actualem, ſed tantùm virtualem habet: ergo ſola diſtinctio rationis cum fundamento in re ſufficit. Tum quia per prædicationem vnius formalitatis non euacuatur tota eminentia ſubiecti: ergo aliam oppoſitam poteſt admittere.

Obicies primò. Qualis eſt contradictio, talis eſt diſtinctio: ergo ſi contradictio eſt prædicatorum realium, erit etiam diſtinctio realis.

Respondetvr, qualis eſt contradictio, talis eſt diſtinctio, ſcilicet vel actualis, vel æquipollens, concedo; actualis tantùm, nego. Tum etiam, quia in dato caſu eſt contradictio tantùm apparens, non vera, vt ingenitus, & genitus; nam negatio in genere dicit quid poſitiuum ex conſequenti; ad contradictionem enim veram requiritur, vt in altero extremo ſit abſoluta negatio, nihil ponens commune alteri extremo poſitiuo.

Contra

Contra: Ergo idem obiectum erit ipſum, & non ipſum ſimul, verbi gratiâ lux eſt exſiccatiua, & non exſiccatiua: ſed conſequens eſt impoſſibile: ergo.

Respondetur negando ſequelam maioris, quia obiectum integrum manet ſecundum eſſe formale, & virtuale, licèt diuidatur per conceptus inadæquatos terminantes ad plures rationes diſtinctas virtualiter tantùm.

Contra: Ergo fruſtra ponitur diſtinctio formalis ex natura rei ad ſaluandas contradictiones de eadem re ſumpta vel realiter, vel formaliter multiplici.

142. Respondetur negando conſequentiam; ponimus enim diſtinctionem formalem ex natura rei in entitatibus, ſeu formalitatibus, quæ habent diuerſum modum eſſendi, vel ſe habendi à parte rei, ad quem poſteà ſequitur prædicabilitas contradictoriorum: ſed hæc non eſt ſignum infallibile diſtinctionis realis, vel formalis; cùm diſtinctio antecedat ipſa prædicata, & contradictionem, vt aliàs dictum eſt.

Contra: Si non præcedit diſtinctio actualis à parte rei in huiuſmodi prædicationibus, ſequitur, quod prædicata erunt ſynonyma: conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Minor patet, quia non poteſt dici catholicè, *Intellectu Pater ſpirat Spiritum Sanctum, voluntate generat Filium.* Probatur ſequela maioris, quia illa ſunt ſynonyma, quæ omninò eandem rem ſignificant: ſed per nos intellectus, & voluntas in diuinis ſunt vna res formaliter: ergo ſunt ſynonyma; & ſi ſunt ſynonyma: ergo pro libito adhiberi poterunt vnum pro alio.

Respondetur negando maiorem cum ſequela. Ratio eſt, quam adducit S. Bonauent. ſæpiſſimè, præcipuè *R.P. Bart. de Caſtrouetro Philoſ.* P. I. *lib. 1. diſt. 8. part. 1. art. 1. q. 1. ad vlt.* & *lib. 1. diſt. 22. art. 1. quaeſt. 2. & diſt. 26. art. 1. quaeſt. 3. ad 4. & 5.* & *lib. 4. diſt. 3. part. 1. art. 1. quaeſt. 2. ad 3.* & *lib. 4. diſt. 8. part. 2. quaeſt. vlt. ad 3.* quia cùm nomina ſint inſtituta ad ſignificandas res, in iis debet conſiderari ratio, ſeu modus innoteſcendi, & eorum inſtitutio. Nam ſi in iis eſt vnica ratio, & modus innoteſcendi, & inſtitutio, tunc proculdubio ſunt ſynonyma, vt gladius, enſis; ſynonymia enim importat tantùm diuerſitatem ex parte vocis, conformitatem verò ex parte rei ſignificatæ, & modi ſignificandi. Vnde cùm eſt diuerſa ratio inſtitutionis, & innoteſcendi, tunc ſunt plura nomina, nec ſunt ſynonyma. Cùm autem per nomina impoſita rebus creatis ſignificemus, & intelligamus diuina, & cùm in ipſis nominibus remaneat ratio innoteſcendi, quæ non dicit imperfectionem, hinc ſequitur, quod ipſis pro libito non poſſumus vti ad conuertentiam. Vnde licèt in Deo ſint idem formaliter intellectus, & voluntas; tamen cùm in iſtis nominibus adſit diuerſa ratio innoteſcendi, & inſtitutio, ſequitur, quod non poſſumus dicere, *Intellectus ſpirat, voluntas generat*; & patet etiam in aliis prædicatis diuinis. Licèt enim eſſentia, & veritas ſint vnum, & idem formaliter; tamen cùm veritas in creatis ſit proprietas entis, non poſſumus dicere, *Veritas eſt formaliter eſſentia*, vel *Eſſentia eſt veritas*; hæc enim concipitur, ſicut exprimitur, ideſt vt proprietas conſequens. Et hæc eſt potiſſima ratio, quare admittuntur prædicationes contradictoriæ, vt *Pater intellectu generat Filium, non voluntate.*

Instas: Ergo diſtinctio virtualis deſumitur penes nomina, ſeu connotata extrinſeca.

Respondetur negando conſequen-

quentiam; nam præſupponitur multiplicitas virtualis in obiecto, quod formaliter eſt vnum.

Obiicies vltimò: Obiectum conſideratum per vnum conceptum eſt idem conſideratum per alium; idemque euenit de diuerſis nominibus: ergo diſtinctio erit tantùm ipſorum conceptuum, & nominum.

Respondetur obiectum eſſe idem ſecundùm rem; multiplex ſecundùm æquiualentiam, & etiam ſecundùm rationem variam innoteſcendi nominum. Sic negatur conſequentia; nam illa pluralitas virtualis eſt verè in obiecto per æquiualentiam ob eminentiam obiecti continentis illa plura eminenter, quæ in rebus creatis, & peculiaribus ſubiectis ſunt diſtincta; ſicque non ſolùm eſt pluralitas conceptuum, & nominum, ſed & in re æquiualenter.

Instat Meldul. *in Met. diſput.6. num.* 144. hæc æquiualentia, ſcilicet multiplicitas eſt virtualis tantùm, non formalis, aliàs faceret res diſtinctas à parte rei, & actu: ſed talis æquiualentia virtualis tribuit ſolùm intellectui occaſionem effingendi diſtinctionem in re, quæ eſt vna formaliter: ergo cùm formaliter nulla ſit pluralitas actualis, nec etiam erit capax prædicatorum contradictoriorum.

Respondetur negando Maiorem; hæc æquiualentia enim eſt virtualis, & etiam formalis, quia illa eminentia formaliter eſt in obiecto; ſicque negatur ſequela maioris, nempe quod faceret illa plura actu diſtincta: & ratio eſt, quia æquiualentia plurium formaliter dicit quid vnum, & plurificabile per opus intellectus inadæquatè concipientis ipſum.

Ex quibus ſequitur, quod vltra præciſiones formales dantur etiam obiectiuæ: ſed quia his temporibus aliqui recentiores, vt Hurtadus, Arriaga, aliique ſuſcitauerunt hanc opinionem de præciſionibus formalibus; hinc fuſiùs ipſam hîc diſcutiemus.

QVÆSTIO LATERALIS.

An præter præciſiones formales etiam obiectiuæ ſint admittendæ.

143. Svpra diximus, & probauimus, dari diſtinctionem rationis ratiocinatæ, fierique per opus intellectus præſcindentis ex parte obiecti varias formalitates in ipſo exiſtentes quid vnum formaliter; vt in Sole vim calefactiuam, & exſiccatiuam. Sed quia aliqui Recentiores (vt dictum eſt) negant has præciſiones obiectiuas, ſolaſque formales, quæ ſe tenent ex parte actus præſcindentis, admittunt, hinc ex Meldul. *in Metaphyſ. diſput. 6. num.* 291. *& ſeq.* vt omnia, quæ ad huius quæſtionis notitiam, & ſolutionem faciunt, pateant:

Primò Notandum, quod cùm intellectus habeat vim abſtractiuam formalitatum, quæ ſunt identificatæ in ipſa re, & obiecto, id duobus modis poteſt excogitari poſſe fieri: quod & docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. Primò, quando intellectus præſcindit diuerſas formalitates, quæ licèt ſint vnum cum re realiter, & identicè; tamen habent ſecundùm ſe diuerſum modum vel eſſendi, vel ſe habendi: & tunc iſti conceptus dicuntur inadæquati reſpectu rei, adæquati verò ſecundùm ſe, fundantque diſtinctionem formalem ex natura rei, vt dictum eſt: quando verò continentur in re tantùm virtualiter, & eminenter,

nenter, vt in luce calor, & ſiccitas, tunc talis abſtractio, vel tales conceptus fundant diſtinctionem rationis ratiocinatæ; differunt autem iſti duo modi præciſionum obiectiuarum, quia primum præcedit in formalitatibus diſtinctio formalis ex natura rei, & actualis: ſecundum verò tantùm præcedit diſtinctio virtualis in obiecto, actualis verò fit ab intellectu; & ob id hæc conſequitur ad ipſas præciſiones, quia varij conceptus ſumuntur ab eadem re inadæquatè concepta, & æquiualenter multiplici. Has duas præciſiones negant Nominales citati, eaſque admittunt S. Bonau. & Scot. D.Thom. verò cum ſuis tantùm hanc ſecundam admittit.

Secvndò Notandum, quod ſicuti habetur ex Hurtado *in Metaphyſ. diſp. 6. ſect. 2.* & Meldul. citato, formales præciſiones explicantur ab ipſis Nominalibus hoc pacto: Idem obiectum cùm indiuiſibiliter poſſit ita attingi, vt licèt totum attingatur formaliter per quemlibet actum, ita quod ex parte obiecti non correſpondeat aliquid vni actui, quod non correſpondeat alteri; poteſt tamen ita confusè cognoſci, vt apparere videatur ſolùm ſecundùm vnum prædicatum, non verò ſecundùm aliud, vt patet de colore de longinquo viſo, qui totus videtur; tamen non diſcernitur, vtrum ſit albedo, vel rubedo: qui actus cùm ſit à potentia materiali, & intuitiuus, non præſcindit, nec abſtrahit; tamen totum illud obiectum ita imperfectè cognoſcit, ac ſi cognouiſſet ſolùm rationem coloris, non verò albedinis. Hoc pacto aſſerunt Nominales intellectum res diſtinguere in obiecto per conceptus, & præciſiones formales, ſcilicet per maiorem, vel minorem expreſſionem; non verò per obiectiuas, quia nulla diſtinctio adeſt in ipſo obiecto illarum formalitatum. Vnde concipiendo animalitatem in homine, totus homo indiuiſibiliter attingitur, ſed confusè, & imperfectè. Quare in hoc conueniunt præciſio formalis, & obiectiua, quòd vtraque eſt cognitio imperfecta: differunt poſteà, quòd formalis attingit totum obiectum; obiectiua verò attingit obiectum ſecundùm vnam formalitatem tantùm, ſeu ſecundùm vnum gradum, & non ſecundùm alium. Quibus poſitis ſit,

144. Vnica Conclvsio: Præter præciſiones formales dantur etiam obiectiuæ. Eſt D.Thom. Scoti, S. Bonauent. vt probatum eſt in ſuperioribus.

Probatvr primò: Datur diſtinctio formalis ex natura rei; item & diſtinctio virtualis, vt probatum eſt in quæſtionibus antecedentibus: ergo dantur præciſiones obiectiuæ.

Probatvr ſecundò: Natura poteſt concipi ſine eo, quod eſt extra eius eſſentiam: ſed differentiæ ſunt extra eſſentiam generis, & cuiuſlibet rationis communis: ergo poteſt concipi obiectiuè ſine ipſis: ergo dantur præciſiones obiectiuæ. Hæc vltima conſequentia patet, quia ex eo, quod aliqua diſtinguuntur obiectiuè, ſiue formaliter, ſiue virtualiter ab aliis, dantur conceptus obiectiui naturæ communis diſtincti ab inferioribus. Probatur Minor primò auctoritate S. Bonauent. *lib. 1. diſtinct. 35. dub. 1.* vbi docet genus prædicari de differentia, non per identitatem, ſcilicet omnimodam, & formalem. Probatur ſecundò eadem minor ex eodem S. Doct. Genus non diſtinguit, differentia diſtinguit: ergo, cùm habeant diuerſa attributa, habent aliquam diſtin-

ctionem. Tum quia habent diuerſas definitiones. Tum quia ſuperius includitur quidem in inferiori, ſed non è contra. Tum quia animalitas eſt quid commune pluribus ſpeciebus, non verò differentia.

145. Arriaga cum aliis duas reſponſiones affert à nobis in ſummam redactas, & ab eo fuſiùs traditas in Logica *diſp. 5. num. 13. & ſeq. & num. 47. & ſeq.* Prima eſt, quod ſi animalitas, ſeu ratio alicuius communis ſumitur ex parte obiecti, tunc differentiæ ſunt de ratione ipſius communis, non tamen ita vt quælibet ſint de ratione cuiuſcumque communis: ſed differentia hæc eſt de ratione huius animalitatis, & illa de alia. Vnde animalitas, verbi gratiâ hominis, benè poteſt concipi obiectiuè ſine differentia equi, quia eſt extra eſſentiam ipſius, non verò abſque rationalitate. Vnde in hoc ſenſu admittit differentias non eſſe de eſſentia generis vt ſic ſumpti in ſenſu explicato.

Secvnda reſponſio eſt, quod ſi ſumitur conceptus animalitatis ex parte actus, tunc datur conceptus communis deſumptus ex diuerſis connotatis, ſcilicet ſenſationibus, quæ ſunt communes omnibus animantibus: & in hoc actu, qui dicitur confuſus, confunduntur in vnum ſpecies inferiores: ſed tamen illa confuſio ſtat ex parte actus, & eſt cauſata à ſpecie imperfecta extrinſeca ſenſationum; nam cauſa intrinſeca talis actus eſt ipſa differentia ſpecifica cognitionis repræſentare habentis obiectum cum hac potiùs, quàm illa claritate, verbi gratiâ magis per animal, quàm per rationale.

Contra primò: Si ratio animalis ex parte obiecti non poteſt concipi ſine rationalitate, ſequitur nec poſſe concipi vt communis equo, & homini, magis quàm rationalitas: patet conſequentia, quia ſunt vnum, & idem indiuiſibiliter: Secundò, quia ratio animalis in homine de ſe eſt indifferens ad plures ſpecies, vt probabitur in quæſtione de natura communi. Tertiò, cùm conceptus communis animalis abſtrahitur ab homine, & equo, quæro, an de ratione talis conceptus ſint differentiæ contractiuæ? Si non, vt fatentur: ergo nec etiam erunt de ratione huius, vel huius animalitatis, nec in hac, vel illa ſpecie. Probatur Conſequentia. Tum quia ratio communis, dum ad inferiora contrahitur, non amittit ſuum formale conſtitutiuum. Tum quia, quod eſt de eſſentia ſuperioris, eſt etiam inferioris: ſed differentiæ non ſunt de eſſentia animalis vt ſic: ergo nec huius animalis, quod eſt inferius, vel indiuiduum animalis vt ſic.

Respondent concedendo totum, ſi ſumitur animal ex parte actus confuſi; negando, ſi ſumitur ex parte obiecti.

Contra (& eſt inſtantia contra ſecundam reſponſionem ſuprà datam) ſic arguo: Actus ille confuſus, in quo confunduntur omnes ſpecies in ratione animalis, vel exprimit, & repræſentat ſolùm id, in quo conueniunt illæ ſpecies; vel etiam id, in quo differunt: hoc ſecundum eſt impoſſibile, quia actus ille dicit communitatem: ergo excludit id, quod dicit differentiam: ergo primum, ſicque habetur intentum, nempe quod differentiæ nec ex parte actus ſunt de ratione eſſentiæ animalis: ergo animal in homine erit ſolùm rationale per identitatem, & realem vnionem eius cum illa differentia in tertio, & non per formalem incluſionem vnius in alio, aliàs non poſſet abſtrahi ab illo nec ex parte obiecti, nec

nec ex parte actus. Probatur hæc vltima conſequentia, quia actus ille non repræſentaret rationalitatem: ergo nec animalitatem.

Probatvr quartò: Per genus, & differentiam fit vera compoſitio; & patet, quia non poteſt poni in Deo abſque offenſa ſuæ ſimplicitatis ſummæ: ergo important diſtinctionem, & præciſionem: quod & in capite de differentia probabitur fuſiùs.

Probatvr quintò: In diuinis paternitas eſt verè incommunicabilis; eſſentia eſt communicabilis: ergo datur inter has præciſio obiectiua.

Respondet Arriaga concedendo in diuinis, negando in creatis: ſed verè vrget hæc ratio contra Nominales; nam ex regula Seraphica, acceſſus ad perfectionem in diuinis, & ſpiritualibus eſt per acceſſum ad maiorem ſimplicitatem; & in creatis per acceſſum ad maiorem multiplicitatem: ſi admittitur in diuinis, ergo multò magis in creatis. Tum ex hoc, quod verificantur contradictoria in diuinis, & in creatis. Tum quia præciſiones formales ſpecificantur ab obiectiuis: ergo ſi illæ dantur, debent admitti & iſtæ.

Omitto alias rationes, quas ſolidè, & fusè congerit Meldul. *diſp.* 2. *Met. quæſt.* 6. & *diſp.* 6. *quæſt.* 16. *art.* 1. quæ ibi poterunt videri.

146. Obiicies primò cum Hurtad. Diſtinctio rationis eſt in intellectu, quia eſt actus ipſius, ergo non eſt in obiecto: ergo non datur præciſio in obiecto. Confirmatur, quia illa diſtinctio rationis non poteſt attingere duas formalitates in obiecto, cùm in ipſo non adſint diſtinctæ: ſed cognitio terminatur ad obiectum, vt eſt à parte rei: ergo vt habet eſſe cognitum tantùm diſtinguitur: ſed id eſt in intellectu tantùm: ergo ex parte intellectus tantùm ſtant præciſiones.

Hvic argumento Ouiedus *contr.* 4. *in Met. part.* 8. conatur reſpondere, qui tamen in fine concedit, quicquid intendit Hurtadus, admittendo ex vi diſtinctionis virtualis non poſſe admitti præciſiones obiectiuas, quod rectè aduertit Meldul. *cit. diſp.* 6. *num.* 303.

Sed reſpondetur primò, hoc argumentum nihil vrgere contra admittentes diſtinctionem formalem ex natura rei, quod & aduertit citatus Hurtadus, ſed contra diſtinctionem virtualem. Reſpondetur ſecundò diſtinguendo antecedens, diſtinctio rationis eſt in intellectu formaliter, & actualiter, concedo; virtualiter, nego: eſt enim in obiecto antecedenter ad opus intellectus. Addo, quod licèt actus intellectus ſit in ipſo intellectu, tamen quia diſtinctio virtualis erat ſubiectiuè in re, ſic ratione talis fundamenti, poſtquam facta eſt actualis, dici debet eſſe ſubiectiuè in re, & obiecto; & obiectiuè tantùm in intellectu, quatenus actu recto illas attingit vt virtualiter plures: fiunt verò plures actualiter ex vi actus reflexi, quo cognoſcuntur vt actualiter plures, & diſtinctæ. Sic etiam diximus de ente rationis, quando actu recto fit, & reflexo cognoſcitur. Vnde ante actum reflexum habetur in obiecto pluralitas formalitatum in eſſe intentionali: ſed tamen in eo ſigno priori non cognoſcitur illa pluralitas vt actualis, ſed tantùm per actum reflexum in poſteriori ſigno.

Instant: Diſtinctio rationis non ponit in obiecto niſi denominationem extrinſecam rationis, quia obiectum redditur ſic, vel ſic cognitum: ergo formaliter diſtinctio hæc eſt tantùm in actibus intellectus, pluralitas enim non reſultat niſi ab actibus intellectus.

Digitized by Google

RESPONDETVR negando aſſumptum; nam in obiecto adeſt antecedenter pluralitas, ita quod obiectum vt ſubeſt actibus intellectus ſecundùm vnam formalitatem, concipiatur per vnum actum, & per alium ſecundùm aliam; ſicque partitur actu id, quod eſt tantùm virtualiter multiplex.

147. OBIICIES ſecundò: Non minùs contradicunt cognoſci, & non cognoſci, quàm exiſtere, & non exiſtere: ſed repugnat animalitatem poſſe exiſtere, & rationalitatem non exiſtere: ergo & cognoſcere vnam, & non aliam: ergo ex parte obiecti vtraque reſpondet actui cognoſcenti. Confirmatur, quia ſicut implicat animal terminare vnionem phyſicam, vel aliquam actionem phyſicam productiuam, quin terminet ad aliquam differentiam; ſic & implicat in cognitione.

ARRIAGA, & Ovied. *in Met. contr.* 4. *part.* 8. *num.* 30. *& ſeq.* appellant hoc argumentum deſperatum, & inſolubile in hoc mundo, & hoc ſolo fatetur Ovied. ſe conuictum, & inductum ad negandas præciſiones obiectiuas: idque non eſt mirum, cùm vtplurimùm ferè omnes aduerſarij in impugnanda diſtinctione formali procedant ex falſa ſuppoſitione, tranſeundo ab entitate exiſtentiali ad realitates: idemque etiam faciunt in hac impugnatione præciſionum tranſeundo ab eſſe exiſtentiali ad eſſe cognoſcibile.

S. BONAV. igitur *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad finem, corp. & ad* 3. *& lib.* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 3. aduertit, quod proceſſus productionis phyſicæ eſt valde diuerſus à proceſſu cognitionis metaphyſicæ; nam licèt ſolùm res phyſica, & ſingularis exiſtens poſſit terminare productionem phyſicam, tamen res non exiſtens, ſeu formalitas, ſeu prædicatum vniuerſale, & metaphyſicum poteſt terminare cognitionem, ſiue inadæquatam, ſiue adæquatam. Hinc reſpondetur diſtinguendo maiorem: Non minùs contradicunt cognoſci, & non cognoſci, quàm exiſtere, & non exiſtere, quoad contradictionem ſecundùm veritatem, concedo; quoad inferendã ex tali contradictione diſtinctionem æqualem, nego paritatem; ſufficit enim vel diſtinctio realis, vel formalis, vel virtualis ad inferendam contradictionem ſecundùm cognoſci, & non cognoſci; non ſic ad exiſtere, & non exiſtere phyſicum, quia idem poteſt cognoſci ſecundùm vnam formalitatem, & non ſecundùm aliam; nec ibi interuenit vlla repugnantia, vt dictum eſt. Vnde terminus productionis phyſicæ, cùm ſit entitas exiſtens; terminus verò cognitionis, quæcumque formalitas, hinc negatur paritas.

IMMÒ contra ipſos aſſerentes animalitatem non diſtingui à rationalitate, niſi penes connotata attincta à diuerſis actibus intellectus, retorquetur argumentum, vt rectè notat Meldul. *diſp.* 6. *num.* 311. hoc pacto: Implicat ſecundùm ipſos cognoſci animalitatem, non cognitâ rationalitate, quia idem cognoſceretur, & non cognoſceretur: ergo & implicat animalitatem connotare ſenſationes, & has non connotari à rationalitate ſibi realiter, & formaliter identificata; quia idem haberet eadem connotata, & non haberet. Patet conſequentia, quia dicunt contradictoriè ex æquo repugnare, ſiue ſint realia, ſiue rationis, ſiue ſint denominationes intrinſecæ, ſiue extrinſecæ: ergo ſicut animalitas poteſt connotari à ſenſationibus, & non à rationalitate, poterit etiam cognoſci animalitas obiectiuè, & non cognoſci rationalitas.

Digitized by Google

nalitas. Et confirmatur, quia ſicut ipſi dicunt, tales connotationes ſunt quid extrinſecum; ita & nos dicimus, cognoſci, & non cognoſci importare quid extrinſecum. Vnde cùm hæc ſint friuola, & friuolum conſequenter eſt eorum argumentum, quod tanti faciunt, & exiſtimant eſſe deſperatum: quare concluſio ſit, quod in opinione noſtra admittente formalitates diſtinctas à parte rei, idem ſecundùm vnam formalitatem poſſet cognoſci, & ſecundùm aliam non cognoſci; & in admittentibus tantùm diſtinctionem virtualem idem euenire ob pluralitatem virtualem exiſtentem in obiecto.

Instant contra diſtinctionem virtualem, quia hæc in obiecto importat eandem rem formaliter: ergo eadem res, ne dicatur cognoſci, & non cognoſci diſtincta, eſt obiectum vnicum terminatiuum actus intellectus: ergo diſtinctio ſtat ex parte actus.

Respondetvr, formalitates diſtinctas virtualiter præcedere opus intellectus tendentis ad ea, vt prædiſtincta fundamentaliter, & ob id actu recto, inadæquato, & confuſo terminare ad ea, vt ſunt à parte rei; licèt poſteà actu reflexo eis tribuat diſtinctionem actu, ipſam non habentibus à parte rei, niſi fundamentaliter.

148. Pro complemento tamen huius quæſtionis ſupereſt aſſignare loca, quibus Seraph. Doct. adſtruit hanc diſtinctionem virtualem. Primò *in Breuil. part.* 1. *cap.* 4. appellat hanc virtualem diſtinctionem ſecundùm modum intelligendi ſimul, & ſignificandi: ſic & *lib.* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 45. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *dub.* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 5.

Distinctionem autem rationis ratiocinantis appellat ſecundùm intellectum phantaſticum: ſic *lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 1. *quæſt.* 3. *arg.* 2. *ad oppoſ.* aliquando ſecundùm modum dicendi tantùm, vt *lib.* 1. *diſt.* 7. *quæſt. vltim. in corp.* & *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.*

Hanc autem diſtinctionem virtualem appellat ſecundùm intellectum rationalem; & *lib.* 1. *diſt.* 27. *artic.* 1. *quæſt.* 3. appellat ſecundùm abſtractionem; & *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. appellat diſtinctionem rationis, quod & ſæpe facit; & *lib.* 1. *diſtinct.* 9. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* appellat diſtinctionem rationalem, & intellectualem, ad differentiam diſtinctionis realis; & *ſerm.* 11. *in Hexaëm.* ſecundùm intellectum ſemiplenum, ideſt per conceptus inadæquatos: & *lib.* 1. *diſt.* 35. *art.* 1. *quæſt.* 2. 3. & 4. appellat hanc diſtinctionem penes connotata. Vide textum *ad literam Q.*

De Identitate Rationis.

Ex dictis in duabus quæſtionibus præcedentibus patet, quid ſit identitas rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ: illa enim eſt, per quam aliqua ſunt omninò idem ſibi ipſis, etiam in ordine ad intellectum concipientem, vt eſt verbi gratiâ in vna formalitate, in qua nulla poteſt cadere diſtinctio rationis, prout talis eſt in re, & ab intellectu conſiderata: iſta verò eſt, quâ aliquid non poteſt admittere diſtinctionem rationis ratiocinatæ, vt eſt in propoſitione identica, *Petrus eſt Petrus*; non enim adeſt fundamentum, vt poſſint de eo ſecundùm ſe fieri plures conceptus inadæquati, licèt admittat diuerſos modos ſignificandi vel Grammaticales, vel Logicales.

PARS

Digitized by Google

PARS SECVNDA FORMALITATVM.

De Prædicationibus variis, earumque fundamentis.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit prædicatio, & in quibus terminis poſſit exerceri.

149. QVIA ex identitate, & diſtinctione oritur prædicatio affirmatiua, vel negatiua; illa enim eſt conuenientia extremorum in vnum, iſta eſt diſconuenientia ipſorum; hinc pro complemento tractatus Formalitatum aliqua ad mentem Seraphici Doct. ſubjicienda ſunt de multiplici prædicatione, & priùs in hoc capite fundamenta prædicationum tradenda, & explicanda ſunt.

QVIA igitur ens aliud eſt per ſe, aliud per accidens; hinc etiam oritur prædicatio alia per ſe, alia per accidens. Prima eſt habitudo vnius rei ad alteram per ſe, & ex natura ſua: Secunda eſt habitudo accidentalis prædicati ad ſubiectum; & hinc oriuntur varij modi talis habitudinis per ſe, & per accidens, vt notat S. Bonau. *lib.* 3. *diſt.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. *& diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. & alibi ſæpè.

MODI per ſe ab Ariſtot. 1. *Poſter. cap.* 4. reducuntur ad quatuor capita.

PRIMVS eſt, quando prædicatum conuenit per ſe primariò ſubiecto, non per accidens, ſcilicet vel quia eſt definitio, vel pars definitionis, vt *Homo eſt animal*, *Eſt animal rationale*: vel quando ſuperius prædicatur de inferiori, vt *Homo eſt ens*, *Eſt ſubſtantia, &c.* vel tanquam incluſum eſſentialiter, vt *Homo eſt animal*, *&c.* vel tanquam eſſentiale in recto, vt *Homo eſt animal*; vel in obliquo, vt *Homo eſt ex corpore, & anima*: vel quando per negationem remouentur prædicata eſſentialiter oppoſita, vt *Homo non eſt irrationalis*: vel etiam quando prædicatur natura impoſſibilium, vt *Chimæra eſt nihil*, *Homo albus eſt ens per accidens, non per ſe.*

SECVNDVS Modus eſt, quando propria paſſio prædicatur de ſuo adæquato ſubiecto, vt riſibile de homine: & ſi non eſt de adæquato ſubiecto, vt riſibile de animali, tunc non eſt propria prædicatio.

TERTIVS Modus non eſt prædicandi, ſed eſſendi per ſe, competitque rebus, quæ in nullo ſubiecto exiſtunt per inhærentiam, nec per informationem; ſed ſunt ſubſtantiæ per ſe completæ, vt Petrus, &c. per quod excluduntur accidentia, & formæ. Zabarella verò ad hunc modum reducit prædicationes de ſecundo adiacente, vt *Petrus eſt.*

QVARTVS Modus eſt, quando effectus formalis prædicatur de aliquo mediante ſuâ causâ formali, vt homo albedine eſt albus, ſapientiâ ſapiens: in talibus enim prædicationibus continetur proxima ratio inhærentiæ prædicati cum ſubiecto, ſiue neceſſaria ſit, ſiue contingens.

MODI dicendi per accidens ſunt ſequentes. Primus eſt, quando accidens de ſuo ſubiecto prædicatur, vt *Petrus eſt albus*. Secundus, quando ſubiectum prædicatur de accidente, vt *Album eſt Petrus*. Tertius quando accidens

dens prædicatur de accidente, vt *Album eſt dulce*. Quartus, quando inferius prædicatur de ſuo ſuperiori, vt *Animal eſt homo*, quæ prædicatio eſt indirecta, & innaturalis, quia prædicatum habet rationem habentis, quod eſt contra ordinem naturalem. Ad hoc caput etiam reducitur prædicatio effectus de aliquo accidentaliter connexo ſuæ cauſæ, vt *Muſicus ædificat*. Has omnes prædicationes appellat S. Bonau. *lib.* 3. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 6. excedentis, & exceſſi, ob naturas diſparatas ſubiecti, & prædicati, quæ non poſſunt inferre propoſitionem de omni.

CAPVT II.

De Concretis, & Abſtractis in ordine ad Prædicationem.

150. SVPPONENDVM primò ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. quod concretum per hoc differt ab abſtracto, quòd concretum ſignificat formam, & ſupponit ſubiectum, cui forma adiacet: vnde eſt nomen impoſitum à forma, non ipſi formæ, ſed ſuppoſito, vt album. Abſtractum verò eſt nomen ſignificans tantùm formam abſtractam à ſuppoſito: vnde eſt nomen impoſitum formæ ab ipſa forma per ſe conſiderata. Hoc abſtractum, ſi eſt à concretis ſubſtantialibus, eſt totum metaphyſicum tantùm, quia tantùm vna abſtractio poteſt fieri ab ipſis ſubſtantiis ſecundis, in quibus ineſt forma, vt homo ſupponens pro Petro, Paulo, &c. admittit vnicam abſtractionem vltimatā humanitatis. Sic S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *q.* 3. Si eſt à concretis accidentalibus, quia ſupponunt & pro ſubiecto, & pro inferioribus, vt album admittit abſtractionem phyſicam, & metaphyſicam, verbi gratiâ, ſi abſtrahis album à pariete, eſt abſtractio phyſica, dicendo *albedo*: ſi verò album ab inferioribus, erit abſtractio metaphyſica, in qua meliùs dicitur albideneitas, quàm albedo; albideneitas enim eſt communis huic, & huic albedini.

Ex quibus modis concretorum & abſtractorum oriuntur etiam multæ prædicationes, quæ poſſunt fieri in rebus.

CAPVT III.

De prima Prædicationis diuiſione generali.

151. THOMISTÆ primò diuidunt prædicationem in identicam, diſparatam, & mediam. Prima eſt, in qua idem de ſeipſo prædicatur, vt *Petrus eſt Petrus*. Secunda, in qua prædicatum diſparatum prædicatur de ſubiecto, vt *Homo eſt lapis*. Tertia, in qua extrema habent aliqualem connexionem, ſed non totalem, vt *Album eſt dulce: Muſicus eſt Logicus*.

SCOTVS cum Formaliſtis primò diuidit prædicationem in identicam, & formalem: quam diuiſionem amplectitur S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. & *diſt.* 34. *infrà cit.* qui tamen formalem appellat per inhærentiam, ſumens hoc nomen inhærentiæ lato modo, ſcilicet pro quocumque prædicato, quod ſe habet ad ſubiectum vt forma, ſiue ſit accidentalis, & verè inhærens, vt *Petrus eſt albus*; ſiue ſit ſubſtantialis, & adhærens, vt *Homo eſt animal rationale*. Ratio eſt, quia vt notat *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 4. ſubiectum ſe habet ad prædicatum vt materia non ex qua, ſed vel de qua, vel in qua: ſicque prædicatum vel dicit eſſentiam, vel actum ſubiecti, *lib.* 3. *diſt.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.*

Hincque omnis prædicatio importat ſemper complexionem; & compoſitionem vel re, vel ratione, *lib. 1. diſt. 34. art. 1. quæſt. 2. ad 2. & 3.*

CAPVT IV.

De Prædicatione identica.

152. PRIMÒ aduertendum, quod valde differunt prædicari identicè, & prædicari per identitatem. Prædicatio enim identica plus dicit, quàm prædicari per identitatem; eſt enim prædicatio ſui de ſe, vt *Petrus eſt Petrus*; & dicitur à S. Bonauent. prædicatio omninò, & ſummè identica, aitque in creatis propriè non admitti in concreto ob defectum ſummæ ſimplicitatis, *lib. 1. diſt. 5. quæſt. 1. ad 2.* & *lib. 1. diſt. 33. dub. 1. & diſt. 34. art. 1. quæſt. 2. in arg. 5. & in corp.* Vnde hæc propriè fit in abſtractione, non in concretione, *lib. 1. diſt. 33. art. 1. q. 3. in corp.* Prædicari per identitatem, eſt prædicatio non omninò identica, & eſt, quando duo diuerſa vel re, vel ratione identificantur realiter, vt *lib. 1. diſt. 34. art. 1. quæſt. 2. ad 5.* Et hæc eſt etiam duplex, vel enim eſt omnimoda identitas ratione ſummæ ſimplicitatis, & infinitatis, vt diuina eſſentia eſt paternitas, eſtque ſolum in diuinis, ait S. Bonauent. citatus, & *lib. 1. diſtinct. 4. dub. 5.* vel eſt, in qua plura identificantur in tertio, vt genus, & differentia in homine, quæ tamen inter ſe præciſè non identificantur, niſi ratione tertij. Rurſus prædicatio per omnimodã identitatem in diuinis eſt triplex: vel enim eſt eſſentiæ ad eſſentiam, ſiue ad abſoluta, vt *Deitas eſt eſſentia, bonitas, magnitudo, &c.* vel eſſentiæ ad relationes, vt *Deitas eſt paternitas*; & vtraque dicitur eſſentialis: vel eſt proprietatis ad proprietatem, vt *Paternitas eſt filiatio*; & hæc non admittitur, quia extrema non dicunt præciſè infinitatem, & perfectionem, & quia ſunt oppoſita. S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 33. art. 1. quæſt. 3. ad 3.*

Ex quibus concluditur, quod prædicatio per omnimodam identitatem, ſeu identica, eſt illa, in qua prædicatum, & ſubiectum ſignificant omninò idem. Prædicatio verò per identitatem vt ſic, eſt, in qua ſubiectum, & prædicatum ſupponunt idem ſuppoſitum: & licèt ſit inter diuerſas formalitates, tamen identificantur realiter, vel ob infinitatem vnius, vel amborum extremorum, vel ratione tertij, in quo vniuntur.

ET ſi quæras, quare relationes diuinæ, item & genus, & differentia non poſſunt inter ſe prædicari identicè, niſi in tertio?

RESPONDET S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 33. art. 1. quæſt. 3. & diſtinct. 34. art. 1. quæſt. 2. in corp. & fund. 4.* & *lib. 1. diſt. 27. part. 1. art. 1. q. 1. ad 3.* & *lib. 1. diſt. 5. cit.* quod cùm prædicatio per identitatem communiter fiat in terminis abſtractis, in quibus prædicatio fit ratione formæ, non ſuppoſiti; ſequitur, quod vbi vna forma abſoluta importatur, tunc admittitur, vt *Iuſtitia eſt Deitas, eſt bonitas, &c.* at cùm relationes retineant ſuam rationem *ad*, licèt tranſeant in eſſentiam diuinam ratione *in*, hinc & important diuerſas formas reſpectiuas: ob id in iſtis ratione talis diuerſitatis non poteſt admitti omnimoda identitas: in creatis verò, vt genus, & differentia, cùm dicant diuerſas formas, præciſè loquendo, hinc & non admittunt prædicationem identicam omninò, ſed tantùm in tertio, in quo identificantur: quod

Digitized by Google

quod notat S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vltim.*

CAPVT V.

De Prædicatione Formali, ſeu per inhærentiam.

153. PRÆDICATIO formalis appellatur à S. Bonauent. *per inhærentiam*, vt dictum eſt, & etiam dicitur formalis *lib.* 3. *diſtinct.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 33. *quæſt.* 3. & fit in terminis concretis, eſtque non ratione vnius formæ importatæ, ſed ratione vnius ſuppoſiti, ratione cuius eſt vera; importatur enim diuerſitas aliqua in extremis vel ſecundùm modum eſſendi, vel ſe habendi; & hæc eſt vel eſſentialis, & quidditatiua, & in primo modo dicendi per ſe, vt *Homo eſt animal rationale*; vel eſt denominatiua, in qua prædicatum ſupponit ſuppoſitum, & importat formam per modum inhærentis, & denominantis ſubiectum, *lib.* 1. *diſtinct.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. & *lib.* 3. *diſt.* 8. *art.* 1. *quæſt.* 3. Hæc autem eſt quadruplex, *lib.* 3. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. Prima per modum verè inhærentis, vt *Iſte eſt albus.* Secunda per modum tranſmutantis, vt *Iſte eſt dealbatus.* Tertia per modum poſſeſſionis, vt *Iſte eſt liber Socratis.* Quarta per modum vnionis, vt *Ferrum eſt ignitum.* Et iſtæ omnes ſunt denominatiuæ, & accidentales propriè, ſecundùm quod important denominationem intrinſecam. Vnde & additur quinta denominatiua extrinſecè, vt *Paries eſt viſus.*

ADEST tamen & alia prædicatio denominatiua, ſed dicitur talis impropriè, vt *Homo eſt animal*; quia eſt quidditatiua, & hæc admittitur in diuinis etiam, & hoc ait S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 2. ob intellectus noſtri defectibilitatem, quia vt addit *lib.* 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. intellectus noſter, ſi habet intelligere obiectum terminatiuum, exigit aliquam rationem, quâ ipſum obiectum *vt quod* intelligat, vt dum aliquis intelligit hominem eſſe rationalem, rationalitas eſt id, quo ipſum intelligit, & ob id ſemper eſt cum compoſitione, ſaltem ex parte intellectus, vt Deus intelligitur talis per deitatem, tanquam per formam.

CAPVT VI.

De Prædicatione exercita, & ſignata, ſeu ſecundarum, & primarum intentionum inter ſe.

154. PRIMÒ Notandum, quod duplex eſt prædicatio, alia exercita, alia ſignata. Exercita eſt, quæ fit per verbum *Eſt*, vt *Homo eſt animal*, *Genus eſt vniuerſale.* Signata eſt, quæ fit per verba *prædicatur*, *dicitur*, *enuntiatur*, vt *Animal prædicatur de homine*, *Homo enuntiatur de Petro*: diciturque ſignata, quia, quod in hac ſignatur, exercetur in ſecunda, vt verbi gratia in hac, *Homo prædicatur de Petro*, dicitur ſignata, quia ſignatur hominem conuenire Petro. Vnde poteſt exerceri per verbum *Eſt*, dicendo, *Petrus eſt homo.* Prima appellatur à S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. prædicatio ſecundùm ſubſtantiam: ſecunda ſecundùm rationem; vtraque tamen poteſt reperiri in terminis tam primæ, quàm ſecundæ intentionis. In primis, vt *Petrus eſt homo*,

Digitized by Google

homo, homo prædicatur de Petro. In ſecundis, vt *Genus eſt vniuerſale*, genus prædicatur de pluribus ſpeciebus.

155. Secvndò Notandum, quamlibet ſecundam intentionem poſſe dupliciter accipi: vno modo vt quid, alio modo vt modus. S. Bonau. *lib.* 1. *diſtinct.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* primam appellat *vt quo*, & veluti in abſtracto: ſecundam *vt quod*, & veluti in concreto. Primo modo ſignificat tantùm ſeipſam, vt verbi gratiâ genus prout ſignificat genereitatem tantùm. Secundo ſignificat & ſeipſam ſimul cum fundamento, in quo fundatur, vt genus ſignificans genereitatem; & ſimul animal, quod per illam denominatur genus. Vnde ſecunda intentio primo modo ſumpta poteſt comparari ad inferiora, vt genus vt ſic ad hoc, & hoc genus; & ſpecies ad hanc, vel illam, vel etiam genus ad ſpeciem. Secundo modo comparantur ſecundæ intentiones cum primis, vt genus ad animal, ad hominem. Hinc

156 Primò dicimus, quod omnis ſecunda intentio vt quid, ſeu quidditatiuè ſumpta, ſeu in abſtracto, ſuperior poteſt prædicari de inferiori vt quid, tam prædicatione ſignatâ, quàm exercitâ. Signata eſt, verbi gratiâ, *Species, vt quid prædicatur de hac, vel illa ſpecie.* Exercita eſt, vt *Hæc ſpecies eſt ſpecies, & illa eſt ſpecies.* Sic etiam animal prædicatur de homine: ergo homo eſt animal. Quæ prædicatio, cùm ſit eſſentialis, non poteſt exerceri in primis intentionibus, dicendo: *Animal eſt genus: Ergo homo eſt genus*; cùm animali competat tantùm denominatiuè, & non quidditatiuè, vt notat S. Doctor *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *citat.*

Secvndò dicimus, quod omnis ſecunda intentio vt modus, ſeu in concreto ſumpta, poteſt vtraque prædicatione prædicati de inferioribus, vt genus de hoc: & illo genere; vniuerſale de ſpecie, & conſequenter poteſt dici, *Hoc genus eſt genus.* Item & de prima intentione, vt *Genus prædicatur de animali: ergo animal cognitum eſt genus.*

Tertiò dicimus, quod licèt poſſit fieri prædicatio ſignata in ſecundis intentionibus in ordine ad primas, vt dictum eſt; tamen non poteſt prædicatio ſignata exerceri propriè, niſi in terminis primæ intentionis, vt *Genus eſt, quod prædicatur, &c. ergo homo eſt animal.* Niſi tamen ſit ſicut ſuperius, & inferius, vt *Vniuerſale prædicatur de genere, Ergo genus eſt vniuerſale.* Nam ſi exerceretur in terminis ſecundæ intentionis, eſſet fallacia accidentis, vt rectè notat S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. ſic dicendo, *Genus prædicatur de pluribus: ergo homo eſt genus. Leo eſt genus: ergo ſpecies eſt genus.* Quia fit tranſitus à proprietate extranea ad propriam, & intrinſecam: termini enim ſecundarum intentionum ſupponunt pro fundamento, ad quod ſemper debet attendi, & ſecundùm aptitudinem ipſius debet fieri applicatio exercita ad inferiora: & hinc

157. Qvartò addimus ad ſupradictam regulam, quod ſecundæ intentiones poſſunt conferri ad inuicem, & ob id prædicari tam exercitè, quàm ſignatè, vt genus, licèt ſit tale, quod ſupra ſe non detur genus vt quid; tamen intellectus poteſt ſuper ipſum fundare aliam ſecundam intentionem denominatiuè, comparando ipſum genus ad vniuerſale; & tunc vniuerſale denominatiuè, & vt modus, dicitur genus ad quinque prædicabilia, & genus

genus induit vt modus rationem ſpeciei, per nouum modum ab intellectu ei attributum per comparationem factam cum vniuerſali, veluti inferioris ad ſuperius. Vide Meldul. ex Scoto *diſputat. 3. Logic. num. 128. quæſt. 8. art. c. 2.* & *diſputat. 5. quæſt. 1. artic. 1.* Sic enim intentio fundans eſt vt quid, fundata eſt vt modus, ſeu ſecundùm denominationem nouam. Genus enim conſideratum in ordine ad ſua inferiora quidditatiuè, eſt genus; comparatum verò ad aliquam ſecundam intentionem nouam, verbi gratiâ ad vniuerſale, denominatur vt ſpecies, & hoc pacto poſſunt iſtæ ſecundæ intentiones prædicari ad inuicem, & exercitè, & ſignatè. Signatè, verbi gratiâ, *Genus eſt, quod prædicatur de pluribus.* Exercitè, verbi gratiâ, *Vniuerſale eſt genus, quod prædicatur de pluribus.* Item *Genus eſt ſpecies: Species eſt ſpecies vniuerſalis.* Vide infrà *tract. 3. de Vniuerſal. num. 237.*

CAPVT VII.

De Prædicatione Concretorum, & Abſtractorum.

158. QVIA omnis prædicatio eſt in terminis vel concretis, vel abſtractis, & inter ipſos poteſt fieri quadruplex combinatio; hinc & multiplex conſideratio debet etiam fieri de ipſorum prædicatione.

PRIMÒ enim poteſt fieri combinatio concreti cum concreto: Secundò concreti de abſtracto: Tertiò abſtracti de abſtracto: Quartò abſtracti de concreto.

SECVNDÒ aduertendum ex S. Bonauent. *lib. 1. diſtinct. 5. quæſt. 1.* quod duo genera ſunt abſtractorum. Primum eſt nominum abſtractorum omnimodà abſtractione: Secundum eſt non omnimodà abſtractione abſtractorum. Prima ſunt, vt Eſſentia, Natura, Animalitas, Humanitas, Deitas, Albideneitas, & omnia abſtracta metaphyſica; iſtaque ſignificant puram eſſentiam. Secunda ſunt medio modo ſe habentia, vt in diuinis Lumen, Sapientia, Voluntas, ſuntque abſtracta potiùs phyſica. Prima nullo modo concernunt ſuppoſitum: Secunda verò concernunt aliqualiter ſuppoſitum, non per modum inhærentiæ, vt faciunt propria concreta; ſed vel ratione actus, vel originis ipſorum ſuppoſitorum; ſupponunt enim in diuinis perſonam producentem, vel productam. Hinc

159. PRIMÒ dicimus, quod quando nomina ſunt abſtracta vltimâ abſtractione, non poſſunt prædicari concreta de abſtractis, vt *Humanitas currit, eſt alba: Deitas generat*; & hoc ob defectum identitatis extremorum, quia illud abſtractum omninò excludit (præcisè loquendo) concretum. Si verò ſunt abſtracta medio modo, tunc poteſt fieri prædicatio, vt *Humanitas eſt ens, eſt ſubſtantia: Sapientia generat de ſapientia, lumen de lumine.* Prædicatum enim conuenit ſubiecto vel ratione inhærentiæ, vel adhæſionis, vel actus, vel originis.

SECVNDÒ dicimus, quod in prædicatione abſtracti de concreto, quando abſtractum addit alium modum eſſendi, tunc non poteſt fieri prædicatio: & hoc in creatis, vt *Rationale eſt rationalitas.* Ratio eſt, quia abſtractum ſignificat formam tantùm, ſcilicet rationem *quo*, ſeu rationem conſtituendi. Concretum verò ſe habet

bet *vt quod*, ſicque mutatur *quod* in *quo*. Cùm verò non communicent in modo ſignificandi, hinc prædicatione identica non poſſunt prædicari, vt rectè aduertit Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 33. *artic.* 1. *quæſt.* 3. prædicatio enim identica eſt tantùm abſtractorum; concreta verò prædicantur prædicatione formali, ſeu per inhærentiam. Addit Seraph. Doct. ibidem, quod in diuinis admittitur, vbi eſt extremum infinitum, vt *Pater eſt generatio:* non verò quando extrema non ſunt infinita, vel ſaltem vnum, vt *Paternitas eſt generatio, filiatio, ſpiratio.*

160. Tertiò dicimus, quod comparando abſtractum ad abſtractum, cùm hæc prædicatio abſtractorum ſit ratione formæ, non ſuppoſiti, *lib.* 3. *diſt.* 8. *artic.* 1. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 4. *quæſt.* 1. ob idque dicit puram identitatem; hæc conſequenter in diuinis admittitur, quando ambo extrema, vel ſaltem vnum extremum eſt abſolutum, & infinitum, vt *Deitas eſt paternitas, eſt filiatio, &c.* quando verò extrema ſunt purè relatiua, non admittitur, vt dictum eſt, vt *Paternitas eſt filiatio, ſpiratio.* Sic S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 3. *&* 4. In creatis verò admittitur, quando fit ſuperioris de inferiori, vt *Albedo eſt color*; & hoc quia non ſunt vltimatè abſtracta, & ſuperius ſe habet veluti concretum; & ob id non eſt per omnimodam identitatem, ſed potiùs ſe habet vt prædicatio formalis, quia ſubiectum ſe habet per modum totius, & habentis. Quando verò nulla adeſt implicita concretio, tunc non poteſt fieri prædicatio vera, vt *Animalitas eſt rationalitas*, ob defectum identitatis: ſic *lib.* 1. *diſtinct.* 33. *dub.* 1. & *lib.* 3. *diſtinct.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. Tum etiam, quia extrema habent diuerſum modum ſignificandi, quo vnum ab alio præſcindit.

161. Qvartò dicimus circa concreta adinuicem prædicata, quod concreta, cùm ſignificent formam, concernunt ſuppoſitum, vt notat S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *lib.* 3. *diſtinct.* 7. *quæſt.* 1. *ad* 2. poſſuntque ſignificare vel partem, vel totum, quoad modum prædicandi. Quando verò ſignificant partem, tunc non poteſt fieri prædicatio vera, vt *Homo eſt corpus:* quando verò prædicatum habet rationem totius, ſcilicet ſignificans formam, & ſuppoſitum, tunc eſt vera prædicatio, vt *Homo eſt animal rationale*, vel *Homo eſt animal*; ly enim *animal*, ſignificat totum potentiale, ſeu formam, concernendo ſuppoſitum per modum habentis, vel etiam quando prædicatum ſe habet vt quid vnitum ſubiecto, vt homo eſt Deus, de quo vide *lib.* 3. *diſtinct.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. ſed de hac materia fuſiùs agetur *in cap. de Genere*, ex S. Bonauent. in fundamentis.

Qvintò dicimus, concreta ſubſtantialia vnitatem ſumere ex vnitate perſonæ, ſeu ſuppoſiti, in quo totum eſſe rei ſubſtantificatur: accidentalia verò deſumere ſuam vnitatem extrinſecam à ſubiecto, in quo ſunt, & quod concernunt, licèt poſteà à propria differentia deſumant vnitatem intrinſecam: ſic Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 6. *quæſt.* 1.

CAPVT

CAPVT VIII.

De aliis Prædicationibus.

162. ADDIMVS ad ſuprà poſitas prædicationes etiam ſequentes, quæ tamen etiam coincidunt cum ſupradictis, licèt habeant diuerſas conſiderationes.

PRIMÒ, Prædicatio igitur alia eſt abſoluta, alia relatiua, *lib. 3. diſtinct. 7. art. 1. quæſt. 1. ad* 5. Prima eſt abſque determinatione diminuente, vel ampliante, vel variante; & dicitur ſimplex, vt *Homo eſt animal*. Secunda eſt cum aliqua variatione, *lib. 3. diſtinct. 11. dub.* 2. vt homo albus eſt pulcher.

SECVNDÒ: Alia eſt prædicatio vniuoca, & dicitur formalis, ſeu eſſentialis; eſtque de pluribus ſub eadem omninò ratione, *lib. 3. diſt. 7. artic. 1. quæſt. 1. ad* 3. Alia æquiuoca, alia analogica. S. Bonauent. *ibid.*

TERTIÒ: Item alia eſt formalis, alia cauſalis, alia per inhærentiam, ſiue per concomitantiam, ſiue per denominationem; alia per identitatem, alia per vnionem. Formalis eſt eſſentialis, vel accidentalis, quatenus aliquid per modum formæ, vel adhærentis, vel inhærentis prædicatur: cauſalis cùm cauſa à ſuo effectu vel in recto prædicatur, vt *Ira eſt accenſio ſanguinis circa cor*: vel in obliquo, vt *Homo conſtat ex anima, & corpore.* Per inhærentiam, vt ſuprà explicatum eſt. Per identitatem fit in abſtracto, vt *Deitas eſt paternitas.* Per vnionem eſt in concreto, vt *Homo eſt Deus*. De quibus in ſuperioribus ſatis dictum eſt. S. Bonauent. *lib. 1. diſtinct. 5. artic. 1. quæſt. 1. ad 2.* & *lib. 2. diſtinct. 27. art. 1. quæſt. 2. ad 1.* & *lib. 3. diſtinct. 3. part. 2. artic. 1. quæſt. 3. ad 1.* & *lib. 3. diſtinct. 7. art. 1. quæſt. 1.*

QVARTÒ: Item alia eſt actualis, ſcilicet quando prædicatum actu ineſt ſubiecto; alia aptitudinalis, vt Roſa in hyeme dicitur flos; alia medio modo, ſcilicet quando ſuppoſitum actu eſt, non verò forma, vt Chriſtus in triduo dicebatur homo, *lib. 3. diſt. 22. art. 1. quæſt. 1.*

ET hæc dicta ſufficiant de Formalitatibus, & Prædicationibus, ad laudem Dei, Beatæ Virginis, & Seraphici Doctoris Sancti Bonauenturæ. Amen.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS TERTIVS.

De Vniuerſalibus, ſeu Prædicabilibus in communi.

163. EXPEDITIS quæſtionibus procemialibus Logicæ; item naturâ, & cauſis entis rationis, ſecundarumque intentionum; item & tractatu Formalitatum, ſeu diſtinctionum, & identitatum; ordo doctrinæ poſtulat, vt ad explicandum in ſpecie Logicales intentiones, & alia quæ ad Logicam vniuerſam ſpectant, deſcendamus, & ab iis, quæ primam intellectus operationem reſpiciunt, exordium ſumamus, ob idque ab Vniuerſalibus, ſeu Prædicabilibus, de quibus Porphirius, poſtquàm Ariſtot. expoſuit, tractatum integrum compoſuit, vt introductionem, & viam ad doctrinam Ariſtotelicam de Prædicamentis faciliùs capeſſendam pararet. Diuidemus autem hanc tractationem in duas partes, ſeu Tractatus, in quorum primo agemus de Vniuerſalibus in communi, hocque ſub duplici conſideratione. Primò de Vniuerſalibus ſecundùm ſe, & metaphyſicè conſideratis; ſunt enim fundamenta cognitu neceſſaria ad capeſſendum Vniuerſale Logicum, quod conſequenter conſiderabimus. In ſecundo de ipſis Vniuerſalibus in particulari agemus, differendo eorum naturam, aliaque ad ipſa ſpectantia. Vt autem pateat Seraph. Doct. S. Bonauenturæ ſenſus, hîc de more ſubjicimus Textum ex variis ipſius locis, & ſcriptis excerptum, & collectum, & ordinatim poſitum, vt iam ſuprà notauimus.

TEXTVS

TEXTVS SERAPHICVS.

A. 164. QVIA vniuerſaliora ſunt priora naturâ, hinc ab ipſis eſt exordiendum. *Lib.* 2. *diſt.* 18. *artic.* 1. *quæſt.* 3. *&* *lib.* 3. *diſtinct.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2.

B. VNIVERSALE dicitur vnum per ordinem ad multa; hocque poteſt eſſe vel nominis tantùm, & hoc facit æquiuocationem; vel nominis, & rationis tantùm, & hoc facit analogiam; vel nominis, & rationis, & rei, & hoc facit vniuocationem. *Lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in argum. vltim. & lib.* 1. *diſt.* 1. *dub.* 5.

C. VNIVERSALE autem, quod eſt nominis, rationis, & rei (quodque ſolùm facit ad præſens inſtitutum) aliud eſt complexum, & eſt oratio ſignificatiua multorum; aliud incomplexum, eſtque terminus ſimplex vniuerſalis; (& de hoc ſolo hìc agitur.) *Lib.* 1. *diſtinct.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1. *fund.* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 2. *quæſt.* 3.

D. VNIVERSALE incomplexum aliud eſt vniuerſale in cauſando, & dicitur vnum ad multa; ſic Sol ad plures effectus, & materia ad formas varias: & dicitur vniuerſale phyſicum, quia eſt de conſideratione Phyſici: dicitur etiam vniuerſale phyſicum totum habens partes conſtitutiuas in eſſe naturæ, & exiſtentiali. Aliud eſt vniuerſale in ſignificando, eſtque terminus vniuerſalis plura ſignificans, eſtque nomen vniuocum, de quo infrà. *Lib.* 3. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp. & lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& ſerm.* 4. *in Hexaëm. & lib.* 1. *diſt.* 7. *quæſt. vltim. & diſtinct.* 14. *artic.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 2. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 3. *& lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.*

E. ALIVD vniuerſale in repræſentando, vt idea in mente artificis, quod etiam dicitur vnum ad multa, eſtque ratio cognoſcendi multa eiuſdem rationis, & dicitur ſpecies, ſeu ſimilitudo idealis: vniuerſale verò in cauſando dicitur vnum in multa. *Lib.* 1. *diſtinct.* 35. *art.* 1. *quæſt.* 1. *& lib.* 1. *diſtinct.* 17. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *in corp. & lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp. & lib.* 2. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.*

F. Alivd eſt vniuerſale in eſſendo, & aliud in prædicando, (quæ duo faciunt ad præſens inſtitutum.) Vniuerſale in eſſendo eſt de conſideratione Metaphyſici: vniuerſale in prædicando eſt de conſideratione Logici. Primum eſt duplex, ſcilicet ipſa natura realis, vt ſic præciſè conſiderata; & dicitur vnum præter, vel ante multa, vel ad multa; & eadem natura, prout eſt abſtracta per intellectum ab indiuiduis, & dicitur vnum à multis. Vniuerſale verò logicum dicitur vnum poſt multa, vel in multis. *Lib. 3. diſt. 27. art. 1. q. 1. in corp. & lib. 2. diſtinct. 18. art. 1. quæſt. 3. & lib. 1. diſtinct. 19. part. 2. quæſt. 2. ad 2. & lib. 1. diſt. 10. dub. 5. & 6. & lib. 3. diſtinct. 2. art. 2. quæſt. 3. in corp. & ſerm. 4. Hexaëm. & infrà ad literam H.*

G. In vtroque, tam metaphyſico, quàm logico eſt aſſimilatio plurium inferiorum in tertio: id autem, in quo eſt prima, & incompletior aſſimilatio, dicitur genus generaliſſimum, & deinde ſecundùm maiorem, & minorem, ſeu completiorem, ſeu incompletiorem aſſimilationem deſcendunt genera, & ſpecies ſubalternæ gradatim. Et vbi eſt completiſſima aſſimilatio, dicitur ſpecies ſpecialiſſima, & atoma. In vniuerſali metaphyſico reperitur vnitas, & communitas per indifferentiam ad plura, & ob id appellatur forma totius, quæ per additionem, vel phyſicam materiæ, vel metaphyſicam differentiæ plurificatur in inferioribus creatis, non verò in diuinis, vbi non interuenit additio, ſeu diuiſio vlla, ſed tantùm diuerſitas eſt penes origines. Et hoc vniuerſale Metaphyſicum importat veram differentiam ab indiuiduis, ob idque habet eſſe obiectiuum, & formale à parte rei ab ipſis diſtinctum: dicit enim formam præciſam, non concernendo inferiora, ob idque eſt naturaliter prior, & differens ab ipſis ſecundùm eſſe. Vniuerſale verò Logicum vltra fundamentum reale naturæ communis importat etiam communitatem factam ab intellectu, ob idque habet ſuum eſſe formale per opus intellectus, & ob id eſt ipſa natura, vt affecta ſecundâ intentione. *Lib. 1. diſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 1. & lib. 1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 1. in corp. & lib. 1. diſtinct. 25. dub. 3. & lib. 2. diſtinct. 18. art. 1. quæſt. 3. & aliis locis infrà cit. & lib. 2. diſt. 3. part. 1. artic. 2. quæſt. 1. & 2.*

H. Hincqve cùm vniuerſale Metaphyſicum habeat ſuam vnitatem, & communitatem realem, ſeu ſubſtantialem, diſtinguitur etiam ab ipſa indiuidualitate, ita quod illa dicit *quo*, indiuiduum dicit *quod*. Ideo ſecundùm hanc communitatem per indifferentiam dicitur

citur eſſe vnum præter, vel ante multa, & etiam in multis, ſaltem quoad aptitudinem. Vnde hæc vnitas rectè dicitur vnitas poſſibilitatis, quia ſtat ſimul cum multitudine indiuiduorum, à quibus poteſt contrahi. Aduertendum tamen, quod conſiderationi phyſicæ, & reali reſpondet vera, & realis conuenientia plurium in tertio, verbi gratiâ Petri, & Pauli in homine; nec tamen oportet eſſentias rerum ita produci, ſicuti habent cognoſci: ſufficit enim, quod ſic ſe habeant ad eſſe, ſicut ad cognitionem; nec oportet quod ſic ſe habeant ad productionem. Vnde diſtinctio, & vnitas in natura vniuerſali præciſè ſumpta non eſt ab indiuidualitate, ſed à ſuis principiis intrinſecis: numerica verò eſt à materia, ſeu indiuidualitate. *Lib. 1. diſt. 10. cit. & lib. 2. diſt. 18. art. 1. quaſt. 3. & lib. 1. diſt. 19. part. 2. quaſt. 2. & 4. & lib. 1. diſtinct. 4. dub. 5. & lib. 1. diſt. 25. art. 2. quaſt. 1. & lib. 1. diſt. 27. art. 1. quaſt. 3. & lib. 1. diſtinct. 35. art. 1. quaſt. 1. & 2. ad 3. & lib. 3. diſt. 2. art. 2. quaſt. 3. & lib. 3. diſt. 5. art. 2. quaſt. 1. ad 2. 3. & 4. & lib. 1. diſt. 5. art. 2. quaſt. 2. & lib. 1. diſt. 25. dub. 3. & comp. Theol. lib. 2. cap. 45. & ſerm. 4. Hexaem. & lib. 2. diſt. 3. part. 1. art. 1. quaſt. 2. in fund. & quaſt. 3. in corp. & ad 1. & 2. & art. 2. quaſt. 2. & 3. ad 1.*

I. VNIVERSALE autem poteſt prædicari de multis, quæ ſe habent vt ſuppoſita, ſeu ſubiecta generi, ſi aſſimilatio ipſorum in ipſo genere ſit prima, vel ſuperior; vel ſpeciei, ſi eſt completiſſima: & quia talis prædicatio vel eſt eſſentialis *in quid*, vel *in quale quid*, vel *in quale accidentale*, ſcilicet proprium, & commune; hinc ex hoc multiplici prædicabilitatis modo oritur diuiſio quinque prædicabilium. *Lib. 1. diſt. 19. part. 2. art. 1. quaſt. 2. ad 2. & lib. 1. diſtinct. 25. dub. 3. & art. 2. quaſt. 1. argum. 1. ad oppoſitum, & lib. 3. diſt. 6. art. 1. quaſt. 1. in corp. & ad 4. & diſt. 7. art. 1. quaſt. 1. ad 4. & 5. & lib. 2. diſtinct. 18. art. 1. quaſt. 3. & lib. 2. diſt. 3. part. 1. art. 2. quaſt. 2. ad 2. & 3. & 8. & lib. 1. diſt. 8. part. 2. art. 1. quaſt. 4. & lib. 3. diſt. 34. part. 2. art. 1. quaſt. 3. ad 3.*

Scholium ad Textum Seraphicum.

165. PRIMÒ Nota *ad literam B,* quod Seraph. Doct. appellans analogiam commune ſecundùm nomen, & rationem; pro ratione ibi intelligit conceptum, cui correſpondet aliquid in re, ſed non omnimodè. Ita Brulefer *ad lib. 1. diſtinct. 25. art. 2. quaſt. 1. S. Bonauentura.*

SECVNDÒ Nota, S. Doct. appellare vtplurimum ſub nomine vniuerſalis abſolutè ſumpti ipſam naturam metaphyſicè ſumptam; quando enim ipſum vniuerſale vult ſignificare, appellat commune affectum ſecundâ intentione, vel vt ſubjicibile, & prædicabile: ſic *lib*.1. *diſtinct*. 25. *art*.2. *quæſt*.1. *&* *dub*.3.

TERTIÒ Nota *ad litteram D, & F*, quod S. Doct. appellat vniuerſale metaphyſicum reale vnum ante, vel præter multa, & iure merito, quia in illo ſtatu habet ſuam vnitatem, & entitatem præciſam à parte rei, diſtinctam ab indiuidualitate, ſecundùm quam ſolùm res numerantur, non ſecundùm eſſe illud præciſum: ſic *lib*.1. *diſt*. 27. *art*.1. *quæſt*.3. *in corp*. & *lib*. 3. *diſt*. 6. *art*.1.*quæſt*.1.*in fine corp*.& *lib*.1.*diſt*.25. *art*.2. *quæſt*.1.*ad* 1.& *dub*.3. *& ſerm*.4. *Hexaëm*. Vniuerſale verò metaphyſicum abſtractum ab intellectu appellat vnum à multis, ideſt ſecundùm eſſe abſtractum, quod eſt ab intellectu, vel ſecundùm modum, per quem fit apud animam: ſic ibidem locis citatis.

QVARTÒ Nota, quod ex ſuprà notatis patet S. Bonau. triplex vniuerſale cum communi DD. recognoſcere: Primum phyſicum, eſtque vel cauſa vniuerſalis valens multos effectus æquinocos producere, vel ipſa natura verè exiſtens in rebus: Secundum metaphyſicum, eſtque vel natura realis præcisè ſumpta, vel ſecundùm eſſe abſtractum ab intellectu: Tertium eſt vniuerſale logicum, habens eſſe ab intellectu: ſic *lib*.3. *diſt*.27. *art*.1. *quæſt*.1. *in corp*. & *lib*.2. *diſt*.18. *art*.1. *quæſt*.3.& *lib*.1. *diſt*.25.*dub*.3.*& art*.2. *quæſt*.1.& *lib*.1. *diſt*.31. *part*.2.*dub*.4. Huicque vniuerſali metaphyſico tribuit proprium eſſe, & vnitatem communem diſtinctam ab indiuidualitate clariſſimè, *lib*. 2.*diſt*.3. *part*.1. *art*.1. *quæſt*.2.*fund*.2. 3.4.*&* 5. *& in corp*.& *quæſt*.3. *apertiſſimè in corp*. vnde patet Scotum mutuaſſe à Seraph. Doct. hanc philoſophicam veritatem de vniuerſali.

QVINTÒ Nota, quod vniuerſale logicum appellatur à S. Doct. vnum poſt multa, quia habet vnitatem, & communitatem effictam ab intellectu, quatenus concipitur vt ſimul inexiſtens in pluribus: quod eſſe eſt quid effictum, cùm à parte rei ſit in multis, non ſimul, ſed diuiſim: ſic *lib*.2. *diſtinct*.18. *quæſt*.3. & *lib*.1. *diſt*.19. *part*. 2. *art*.1. *quæſt*.2.& *lib*.1.*diſt*.25.*art*.2. *quæſt*.1.

SEXTÒ Nota, quod cùm S. Doct. *lib*.2. *diſt*.18. *art*.1. *quæſt*.3. *in corp*. *&* *ad* 3. notet res non cognoſci eo modo, quo producuntur, ſed eo modo, quo ſunt; & cùm producantur ſecundùm eſſe exiſtentiale, & indiuiduum, conſequenter admittit aliquod eſſe obiectiuum in natura diſtinctum à parte rei ab ipſa indiuidualitate, & ob id dicit plura aſſimilari non ſeipſis, ſed ratione tertij: ſic *lib*.2. *diſt*.18. *cit*.

SEPTIMÒ Nota, quod licèt S. Doct. recognoſcat in compoſito phyſico plures formas ſubſtantiales, vt patet *lib*. 2. *diſt*. 18. *cit*. & alibi ſæpè; tamen vult, quod vniuerſale metaphyſicum, cùm dicat formam totius, quæ ex ſupradictis eſt formalitas, deſumatur non ab ipſis formis præcisè, verbi gratiâ rationalitas ab anima rationali, animalitas à forma ſenſitiua, corporeitas à forma corporeitatis, vt docuit Auerroës, ſed à toto compoſito metaphyſico, quatenus tamen coaleſcit ex talibus formis, vt ſuo loco magis patebit infrà *quæſt*. 1. *concl*.2. cætera fuſiùs examinabuntur in ſequentibus quæſtionibus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

An detur vniuerſale à parte rei, ſeu in rebus.

166. PRo explicatione tituli primò ſupponendum, quod Vniuerſale, vt dictum eſt in textu, aliud eſt in ſignificando, eſtque terminus communis, ſeu propoſitio vniuerſalis: aliud in cauſando, vt Sol, Deus: aliud in repræſentando, vt idea, pictura, idolum: aliud in eſſendo, aliud in prædicando, & de his duobus vltimis procedunt quæſtiones iſtæ.

SECVNDÒ aduertendum hîc inquiri, an ratio ſignificatiua per terminum communem, vt *Homo*, ſit quid reale commune; an verò hæc vniuerſalitas ſtet tantùm in nomine, vel voce, vel conceptu formali mentis abſque eo, quod aliqua entitas communis reſpondeat in re: in qua quæſtione tres opiniones circumferuntur.

PRIMA opinio fuit aliquorum antiquorum ante Ariſt. qui nihil reale admittebant in termino vniuerſali, ſed totam vniuerſalitatem conſiſtere volebant tantùm in voce, vel conceptu; quam poſteà ſuſcitauerunt Nominales, quorum anteſignanus fuit quidam Rucelinus Brito, vt patet ex Theatro vitæ humanæ, *vol.*3. *lib.*8. *fol.* 932. & *vol.*4. *lib.*4.*fol.*1777. qui cognitionem rerum nihil aliud eſſe docebat, niſi cognitionem nominum: quæ opinio fuit condemnata ab Academia Pariſienſi, ipſamque denuò ſuſcitauit Ocham Franciſcanus *in Log. part.*1.*cap.*14. & *lib.*1. *diſt.* 2. *quæſt.*4.& *quodl.*5. & ſequuti ſunt Gabr. Gregor. aliique apud Meldul. & nouiſſimè plures ex Societate Ieſu, præcipuè Hurtad. *diſp.*5. *Met. ſect.*10. Arriag. *diſp.*6. *Log. ſect.*4. Ouied. aliique.

SECVNDA opinio eſt admittentium vniuerſale reale actu completum, inter quos Plato admittebat hoc vniuerſale reale ſeparatum ab indiuiduis, à quibus participatur ipſorum eſſe, eo ferè modo, quo ex vna candela plures accenduntur. Verum tamen eſt, quod Seraph. Doct. valdè dubitat, an hæc opinio fuerit aſſerta à Platone: ſic *lib.*2. *diſt.*1. *part.*1. *art.* 1. *quæſt.*1. *ad* 4. Immò D. Augnſtinus aſſerit Ariſt. ingratum diſcipulum id falsò impegiſſe Platoni magiſtro. Alij verò admittunt vniuerſale in actu completum, ſed in ſingularibus identificatum: ita Venetus *quæſt.*1. *de Vniuerſ.* & alij, quam opinionem probabilem putat S.Doct. licèt eam non teneat *lib.*2. *diſt.*18. *art.*1. *q.*3. *in corp.*

TERTIA Opinio media eſt omnium realium, D. Bonau. D. Thom. Scoti, & ſequacium aſſerentium dari naturam realem in indiuiduis, eſſeque veluti vniuerſale inchoatum, & incompletum, complerique, & fieri proximè prædicabilem per opus intellectus. Pro ſolutione Quæſtionis

167. PRIMÒ ſupponendum, quod ex hac quæſtione potiſſimùm orta eſt duarum opinionum, ſeu ſcholarum inter ſe directè pugnantium denominatio, nempe Nominalium, & Realium. Nominales enim negant, dari entitatem communem realem, quæ competat alicui prædicato communi intrinſeco ſingularibus; ſed ſolùm admittunt præciſiones formales intellectus efformantis actum confuſum ex connotatione effectuum conſimilium deſumptum, verbi gratiâ ex multiplici ſenſatione, quam conſpicit intellectus in homine,

ne, equo, leone, &c. efformat actum communem, & confuſum animalis, cui tamen ex parte obiecti nihil commune reſpondet, ſed reſpondet ipſa entitas ſimplex Petri, huius equi, leonis, &c. qui actus confuſus fundatur in quadam ſimilitudine non formaliter relatiua, ideſt non mediat ipſa ſimilitudo ſubſtantialis, ſeu animalitas, tanquam quid tertium; ſed hæc ſimilitudo eſt relatiua fundamentaliter tantùm, ideſt fundata tantùm in connotatis conſimilibus. Vnde Petrus ſe toto eſt ſimilis Paulo, hic leo equo, &c. vt dictum eſt in quæſtione vltima tractatus Formalitat. quam opinionem Nominalium citat S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 41. *artic.* 2. *quæſt.* 2. & *lib.* 3. *diſtinct.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 3. eamque rejicit, proclamatque vt falſam, & contrariam veræ Philoſophiæ, communi opinioni, & rectæ rationi.

Reales verò admittunt naturam communem cum ſua vnitate reali intrinſeca conſiſtentem in prædicatis, ſeu formalitatibus intrinſecis rerum: ſic D. Thom. S. Bonauent. Scot. Diſcrepant tamen inter ſe; nam D. Thomas, & ſequaces concedunt talem naturam realem, ſed in indiuiduis identificatam, ita vt ſolùm adſit diſtinctio rationis ratiocinatæ inter ipſam, & indiuidua, ſeu ſingularitates. D. Bonauent. verò, & Scot. volunt naturam diſtingui formaliter ex natura rei ab ipſis ſingularibus, cum quibus tamen identificatur.

168. Secvndò Notandum, eſſe maximam diſputationem inter Philoſophos, an vox, ſeu nomen immediatè, & principaliter ſignificet conceptum formalem intellectus, an verò obiectiuum, ſeu ipſam rem. D. Thom. cum ſuis apud Ioan. à S. Thom. *in Log. part.* 1. *q.* 1. *art.* 5. docet nomen vnicâ ſignificatione ſignificare & res, & conceptum formalem; principaliùs tamen res, minùs principaliter conceptum formalem intellectus.

Scotvs è contra docet nomen immediatè, & per ſe ſignificare res, non verò ſignificare conceptum formalem, niſi forſan per accidens; & conceptum ipſum itidem ſignificare eaſdem res, idque euenit cum ſubordinatione; nam res immediatè, & per ſe ſignificantur à nomine; ſecundariò verò, & mediatè à conceptu formali, ita quod voces ſubordinentur conceptibus tanquam ſigna poſteriora prioribus, ipſis enim vtitur intellectus ad ſignificandas res. Et hæc eſt ſententia S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *&* *quæſt.* 2. & *lib.* 4. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. *&* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 2. *diſtinct.* 9. *art.* 1. *quæſt.* 4. & *lib.* 3. *diſtinct.* 18. *dub.* 2. *&* 3. & *lib.* 2. *diſtinct.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* in quibus locis docet, quod in nomine ſunt tria, ſcilicet vox, ſignificatio, & ratio innoteſcendi, quæ omnia immediatè ipſam rem ſignificant; ſed ratio innoteſcendi eſt ipſa inſtitutio facta ab intellectu cum fundamento ad exprimendam rem: ergo & vox, & conceptus immediatè ſignificant rem: ſed nomen dependet ex ſua inſtitutione ab ipſo conceptu inſtituentis, vt patet in impoſitione nominum facta ab Adam: ergo nomina ſubordinantur conceptibus, vt ſigna poſteriora prioribus: ergo. Tum quia, vt aduertit S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 1. ad nomina neceſſariò debet præcedere cognitio inſtituentis ipſa; non enim primariò exprimere poſſumus ea, quæ ignoramus; & ſicut res cognoſcitur, ſic & ab intellectu nominatur: ſic *lib.* 1. *diſtinct.* 22. *cit.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 2. *quæſt. vltim.*

in

in fine. Hinc infert S. Doct. quod ad proportionem cognitionis ſolùm poſſumus nominare Deum, contra Scotum aſſerentem poſſe à nobis nominari aliquid perfectè abſque eo, quod præcedat proportionata cognitio perfecta: de quo ſuo loco agitur *in 1. Sentent.* Ex quibus etiam ſequitur, quod vox licèt principaliter ſignificet res, tamen cùm ſubordinetur conceptui, poteſt attingere etiam ipſos conceptus. Ratio eſt, quia priùs homines voluerunt ſuos conceptus communicare vno actu expreſſo, & deinde inueſtigarunt modum accommodatum ad id exequendum; hicque fuit impoſitio vocum: ergo ordinatus fuit ad ſignificandas res, & conceptus. Et ſi aliquando dixerit S. Doct. *lib.1. diſtinct. 22. cit. fund. 3.* quod vox eſt ſignum verbi interioris, debet exponi, vel quod eſt ſignum ſubordinatum verbo, & conceptui, quatenus ſubſtituitur loco conceptuum; & quatenus ſecundariò attingit ipſum conceptum per ordinem ad res. Et hinc ſequitur, quod licèt apud gentes voces ſint diuerſæ, tamen conueniunt in ſignificatione, & modo ſignificandi, prout ſunt impoſitæ ad ſignificandas res: vel quod pro re intelligatur non conceptus purus, ſed ipſum obiectum, vt cognitum: ſic *lib. 1. diſt. 3. part. 2. art. 1. quæſt. 2. ad 5.* Ex qua doctrina infertur, quod ſi dantur voces, ſeu termini communes, ſicut & conceptus, neceſſariò debent dari etiam res communes ipſis correſpondentes. Sed hæc quæſtio examinabitur fuſiùs in ſecunda parte Logicæ, in quæſtione tertia de veritate Enuntiationis.

169. Tertiò Notandum cum communi cum S. Doct. *lib. 1. diſt. 5. art. 2. quæſt. 1. & diſt. 37. part. 1. art. 2. quæſt. 1.* & *lib. 2. diſt. 3. part. 1. art. 1. quæſt. 3. argum. 6. ad oppoſ.* & *lib. 2. diſt. 18. art. 1. quæſt. 3.* & alibi ſæpè, quod terminus generationis quoad intentionem eſt ipſa natura communis; quoad exiſtentiam eſt ipſa natura communis vt indiuiduata, & vt in hoc. Vnde ſecundùm ipſum natura vt ſic, & vt exiſtens importat diuerſas formalitates. Aduertendum tamen S. Doct. vtplurimum nomine vniuerſalis appellare ipſam naturam ſecundùm eſſe reale: quando verò loquitur de vniuerſali logico, appellat ipſam naturam ſecundùm eſſe ei competens ab actibus animæ: ſic *lib. 1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 1.* aliiſque locis infrà citandis.

170. Qvartò Notandum, quod & fuſiùs tradetur in Metaphyſica, *ad quæſt. 6.* nempe quod res, antequam exiſtat, conſideratur ſub duplici eſſe potentiali, ſcilicet primò ſecundùm potentialitatem logicam, ſeu ſecundùm eſſe quidditatiuum metaphyſicum: ſecundò ſecundùm obiectiuam. Prima eſt non repugnantia ad eſſe, & à S. Doct. appellatur ſecundùm eſſe aptitudinale, *lib. 3. diſtinct. 22. art. 1. quæſt. 1. in corp.* & *lib. 1. diſt. 42. art. 2. quæſt. 4. & ad 4.* Potentia ſimpliciter eſt non repugnantia ad eſſe. Secunda, ſcilicet obiectiua eſt, quatenus eſt in potentia agentis, & ſecundùm hanc ſecundam non differt ab ipſa cauſa; diciturque eſſe in potentia obiectiua ſuæ cauſæ: vnde res conſiderata ſecundùm potentiam logicam, ſcilicet ſecundùm ſua prædicata quidditatiua, appellatur à Scoto ens nominaliter, à S. Bonauent. vel ens abſolutè, vel ens ſubſtantiuum: ſic *lib. 1. diſt. 23. art. 2. quæſt. 2.* & *lib. 1. diſt. 8. part. 2. art. 1. quæſt. 2. in corp.* nempe nominatur à Scoto ens nominaliter, quia dicit ipſam eſſentiam rei ſecundùm ſua prædicata quidditatiua: quando verò exiſtit, dicitur à Scoto ens verbaliter: à S. Bonau. verò hoc

Digitized by Google

hoc ens verbale dicitur, vel ens adiectiuum, vel res ſecundùm eſſe, ſeu exiſtere: ſic *loc. cit.* Vnde ſequitur, quod natura, dum recipit exiſtentiam, recipit nouum modum eſſendi, ſed non amittit ſuum eſſe abſolutum, & intrinſecum: ſic S.Doct. *lib.1. diſt.25. art.1. quæſt.1. in corp.* quibus poſitis ſtat

171. PRIMA CONCLVSIO. Vltra ſingularia dantur à parte rei naturæ reales illis communes, in quibus realiter aſſimilantur, atque adeo vniuerſalia in eſſendo non ſunt nudæ voces, aut conceptus, ſed reales quædam naturæ, quæ in ſingularibus verè exiſtunt. Eſt communis omnium realium, D. Bonau. citati in Textu *ad literam G. & H.* D. Thom. Scot. & ſequacium, licèt Hurtadus conetur fruſtrà trahere D. Thom. ad partes Nominalium: eſt & ſententia Ariſt. citati à Complut. & à Meldul. *diſp.* 1. vbi plura loca Philoſophi afferunt, quibus arguit contra antiquos negantes naturas vniuerſales.

PROBATVR primò ratione communiter ab omnibus allata, & irrefragabili. Dantur plures prædicationes veræ, & neceſſariæ, in quibus natura communis prædicatur de inferioribus, vt *Homo eſt animal: Petrus eſt homo*: ergo illud, quod enuntiatur, eſt res aliqua, & non vox ſola, aut conceptus formalis tantùm: alioquin propoſitiones eſſent falſæ; falſum enim eſt, quod Petrus ſit hæc vox *Homo*, vel quod ſit conceptus formalis. Confirmatur, quia in hac voce *Homo*, immediatum obiectum illius conceptus formalis mentis non ſunt ſingularia: ergo eſt aliqua natura communis. Probatur antecedens, quia conceptus communes immediatè tantùm ſignificant res ſecundùm rationem, quâ concipiuntur: ſed per tales voces, & conceptus vniuerſales inferiora, & ſingularia non concipiuntur ſecundùm rationem ſingularitatum, per quas differunt: ergo ſecundùm rationem, quâ conueniunt.

RESPONDENT Nominales, Hurtad. & Arriaga negando Conſequentiam; & ad probationem, & confirmationem reſpondent negando antecedens, dicuntque illos conceptus, & voces immediatè ſignificare ſingularia in confuſo, & abſque vlla diſtinctione in obiecto; & ob id confuſio, & communitas ſtat tantùm ex parte actus intellectus.

CONTRA: Si datur actus communis, & confuſus: ergo datur vna ratio, ob quam in vnum confunduntur plura ex parte obiecti: ſed id non eſt ſingulare, vt ſingulare eſt: ergo aliquid aliud. Probatur minor, quia ſingularia ratione ſingularitatis non conueniunt, ſed diſconueniunt: ergo per aliam rationem communem obiectiuam conueniunt in vnum. Confirmatur, quia illa prædicatio eſt vniuerſalis, & ſuperioris de inferiori, dum dico *Petrus eſt homo*: ergo non poteſt eſſe de termino ſupponente diſiunctiuè, vt vult Hurtad. quia ſic eſſet prædicatio indiuidui vagi, ſicque eſſet prædicatio ſingularis de ſingulari: nec de termino ſupponentè diſtributiuè, vt dicunt alij, quia ſenſus eſſet, quod Petrus eſt omnis homo; ſuppoſitio enim diſtributiua eſt non ſecundùm partem tantùm, ſed ſecundùm totam rationem, & quamlibet partem prædicati: nec de termino ſupponente confuſè, vt vult Arriag. ſcilicet huius, vel illius humanitatis, quia hæc non eſt prædicatio ſuperioris de inferiori, ſed eſt identica, & conſequenter deſtruerentur rationes quinque prædicabilium vniuerſalium: ergo ad euitanda hæc abſurda debet dici, quod vltra conceptum ſingularis datur conceptus

ceptus obiectiuus communis realis, & ſuperior.

Respondent Nominales, illa plura confundi in vnitatem ſimilitudinis, obiectumque immediatum per cognitionem vniuerſalem repræſentatum eſſe non aliquod vnum, ſed illa plura, non tamen vt plura, & diſſimilia; ſed vt vnum, & ſimilia.

Ovied. explicat hanc ſimilitudinem ſic dicens: Hæc ſimilia non ſunt ſimilia formaliter, & poſitiuè in tertio; ſed materialiter, & negatiuè, quia ſignificantur non differentia inter ſe per ſimilitudinem fundamentalem, quam habent, quæ apparet veluti quædam identitas, cùm propter illam non valeat intellectus vnum indiuiduum ab alio diſcernere.

172. Contra primò: Si ſunt ſimilia: ergo debet dari fundamentum proximum talis ſimilitudinis, ex Ariſtot. 5. *Metaph.* ſed hoc fundamentum non eſt ratione ſingularium, vt ſingularia ſunt, quia vt ſic dicunt diſconuenientiam, & diſtinctionem, non vnitatem, qualis eſt neceſſaria ad hoc, vt plura ſint in aliquo vno ſimilia: ergo hoc fundamentum erit natura communis, cui immediatè tribuitur vniuerſalitas.

Respondent hanc ſimilitudinem, & conuenientiam non eſſe ratione alicuius tertij, in quo conueniunt, ſed eſſe ipſa immediata ſingularia, quæ vt talia, ſunt conformia, & quæ confunduntur in vnum actum intellectus, quo cognoſcuntur non differentia inter ſe.

Contra, quia hæc vnitas conformitatis reſpicientis conſimilem operationem non ſufficit ad vniuocationem, cùm faciat analogiam proportionalitatis tantùm, vt rectè notat S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 7. *quæſt.* 4. verbi gratiâ, ſicut ſe habet nauta ad regendam nauim, ita magiſter ad diſcipulos: hancque ſolam recognoſcunt in natura, ſcilicet ratione conſimilium operationum connotatarum. Cùm ergo requiratur vniuocatio & ſecundùm nomen, & ſecundùm rationem & rem, etiam ipſis Nominalibus fatentibus, ſequitur, quod debeat admitti natura communis, in qua vt in tertio ſunt ſimilia.

Contra ſecundò: Eſſe obiectum alicuius cognitionis eſt exprimi per ipſam, & repræſentari intellectui immediatè: ſed per illum actum confuſum non repræſentantur ſingularia ſecundùm proprias rationes ſingularitatis, quia ſic dicunt diſconuenientiam: ergo repræſentatur ſecundùm rationem communem obiectiuam, & hæc ſola attingitur ab intellectu. Tum quia per illum actum non cognoſcitur pluralitas illa terminata ad quid vnum.

Et ſi dicas cum ipſis, repræſentari ſaltem confusè illa plura.

Contra, quia ſi ille actus confuſus repræſentat tantùm rationem materialem fundamenti ſimilitudinis, ſequitur, quod cognoſcatur ſecundùm vnam rationem, & non ſecundùm aliam: ergo cum præciſione obiectiua communi. Tum quia cognoſci materialiter non eſt cognoſci immediatè, ſed mediatè, ideſt ratione alterius immediatè, & formaliter cogniti, cum quo identificatur: ſic etiam viſus dicitur attingere qualitates identificatas cum albedine materialiter tantùm, & ob id ratione albedinis immediatè viſæ.

Probatvr ſecundò: Si vniuerſale conſiſtit in collectione, & aggregatione inferiorum ſingularium, ſequitur non poſſe prædicari de ſingulis: conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Ergo vniuerſale non dicit immediatè

mediatè omnia indiuidua ſimul ſumpta, ſed aliquam naturam illis communem. Probatur ſequela maioris, quia illa tota collectio indiuiduorum, in qua ſtatuunt Nominales vniuerſaliratem, verbi gratiâ naturæ humanæ, explicatur per hoc complexum, *Omnis homo:* ſed hoc complexum non poteſt prædicari de Petro, aliàs eſſet omnis homo; vniuerſale enim debet eſſe ſuperius, & ad ſingula, & ad omnia collectiuè ſumpta: ergo vt recta fiat prædicatio, debet includere, & dicere naturam communem cuicumque inferiori.

173. PROBATVR tertiò: Dantur ſcientiæ: ergo dantur vniuerſalia in rebus.

RESPONDENT dari quoad nomen, & conceptum communem formalem, non quoad obiectiuum.

CONTRA, quia verè definitur res, non nomen; ſed vt eſt definibilis, & obiectum ſcientiarum: ergo datur commune ſecundùm rem.

CONTRA ſecundò, quia currit eadem ratio de nomine, & conceptu formali, de quibus datur ſcientia in communi: ergo datur in his etiam ratio communis. Tum quia datur ſubiectum commune omnium proprietatum realium in qualibet ſpecie, quod non poteſt indiuiduum eſſe: ergo.

PROBATVR quartò: Genus prædicatur vt totum poteſtatiuum, non actuale, & ob id adæquatè de quolibet inferiori, cùm in quolibet reperiatur ſecundùm totalitatem potentialem quidditatiuam: ergo in quolibet reperitur ſecundùm prædicata eſſentialia, & ob id ſecundùm rationem communem.

OBIICIES primò cum Ariſt. Vniuerſale aut nihil eſt, aut poſterius, ſcilicet per ſolam operationem intellectus: ergo non datur à parte rei. Tum quia 7. *Met. text.* 45. ait impoſſibile eſſe vniuerſale eſſe ſubſtantiam.

RESPONDETVR in prima authoritate loqui de vniuerſali logico: in ſecunda de vniuerſali Platonico, & ſeparato, & totum nos vltrò concedimus: nec dicit aliquid contra nos, immò contra ſeipſum, cùm admittat naturam communem in rebus.

OBIICIES ſecundò ex eodem Ariſtot. *lib.* 4. *Polit. cap.* 2. differere nihil aliud eſſe, niſi de nominibus diſputare; ergo vniuerſale non eſt niſi nomen.

RESPONDETVR ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 22. *quæſt.* 2. *in corp.* nomen aliquando, vt hîc, ſumi pro ipſa re ſignificata; ſic nihil contra nos.

OBIICIES tertiò, noſtram concluſionem facere contra nos ipſos, quia prædicatio naturæ communis ex ſuprà traditis non eſt diſtributiua, aliàs Petrus eſſet omnis homo: ergo vel determinata, vel confuſa: ergo tali prædicationi non reſpondet natura communis. Et confirmatur ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. vbi docet, quod quando commune prædicatur de inferiori, prædicatur vt contractum, & vt particulare.

174. RESPONDETVR, quod ſi ſumatur vniuerſale prædicatum ſecundùm prædicationem remotam, & metaphyſicè, ſic natura retinet propriam indifferentiam, ſecundùm quam eſt prædicabilis remotè de quolibet: proximè verò de eo, in quo eſt actu, & de aliis aptitudine, vt ait S. Bonauent. *loc. cit.* At prædicatione propriâ prædicatur vt vniuerſale diſtributiuè ſumptum, quia eſt vniuerſale logicum, & vt ſuperius inadæquatè ſumptum prædicatur de omnibus, & ſingulis inferioribus. Vnde primo modo natura realis ob ſui indifferentiam latiùs patet, quàm

Digitized by Google

quàm ſubiectum : ſecundo modo eſt vniuerſale propriè ob inexiſtentiam conceptam in omnibus inferioribus.

Obiicies quartò : Vnum, & multa opponuntur : ergo ſi vniuerſale ſignificat plura, non poteſt eſſe vnum, nec dicere communitatem ad multa; & ſi dicit communitatem ad plura, intrinſecè dicit neceſſariò ſimul plura in eo conuenientia.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 1. *&* 2. & *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. 2. 3. *&* 4. concedendo antecedens, ſi ſumuntur ſecundùm debitam proportionem ; at vniuerſale, ſeu natura communis dicit communitatem ſecundùm ſuum eſſe formale ; pluralitas verò dicitur per ordinem ad indiuidualitates, quæ non opponuntur illi communitati, immò in illa conueniunt. Ratio eſt, quam affert Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vltim.* quia communitas, ſeu communicabilitas non eſt proprietas faciens diſtinguere, ſed conuenire; ſingularitas contrà facit diſconuenire, & ob id illa debet eſſe quid poſitiuum diſtinctum.

Obiicies quintò : Quod eſt in ſingulari, eſt ſingularizatum : ergo natura quælibet eſt ſingularizata : ergo eſt communis tantùm ſecundùm vocem, & conceptum. Probatur vltima conſequentia, quia quod intrinſecè prædicatur de vno, poteſt intrinſecè prædicari de alio, aliàs eſſet idem vnum, & diuiſum. Tum quia natura, cùm de ſe non ſit exiſtens, ad hoc vt ſit exiſtens, debet eſſe ſingularizata intrinſecè : ergo vt ſic non eſt vniuerſalis.

175. Pro ſolutione huius, & ſimilium argumentorum, quæ à Nominalibus coaceruantur, aduertendum, quod nos admittimus vniuerſale fundamentale reale, ſcilicet naturam communem, quæ de ſe non eſt hæc, ſed ſingularizatur per indiuidualitatem conſequentem, in quo ſtatu non amittit ſua prædicata quidditatiua primi, & ſecundi modi, inter quæ potiſſimum prædicatum eſt indifferentia : vnde valde differt natura præcisè conſiderata, & natura vt ſingularizata, per indiuidualitatem ſuperuenientem, vt aduertit Seraph. Doct. in textu, *ad literam G, & H*, & præcipuè *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 3. & *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. & *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in fine corp.* taliſque natura eſt fundamentum vniuerſalis logici. Hinc patet, quà fallaciâ laborant aduerſarij tranſeuntes vtplurimùm à natura vt ſic conſiderata ad ipſam vt ſingularizatam, vel vt factam vniuerſalem logicè. Ex qua doctrina conceditur antecedens, & negatur conſequentia vltima. Nam de ſe non eſt natura ſingularizata, ſed per additionem indiuidualitatis, vt ſæpe aduertit Seraph. Doct. præcipuè *lib.* 1. *diſt.* 25. *cit. & diſtinct.* 19. *part.* 2. *q.* 2. *&* 4. Et ad id, quod non poteſt eſſe vna, & ſimul diuiſa, negatur hæc propoſitio; eſt enim vna realiter per indifferentiam, & ſimul diuiſa in indiuidua. Ad aliud, natura vt ſingularizata eſt intrinſecè ſingularizata : Reſpondetur concedendo, ſi ſumatur reduplicatiuè; negando, ſi ſumatur ſpecificatiuè, & præcisè vt præſcindens à ſingularitate.

Instat Arriaga : Natura vt ſic poteſt prædicari de quolibet indiuiduo : at non poteſt prædicari adæquatè de Petro : ergo ſecundùm partem tantùm : ergo vt ſingularis, aliàs Petrus eſſet omnis homo.

Respondetvr : Natura ſumpta

metaphyſicè poteſt prædicari de quolibet indiuiduo, vt diuiſa actuali prædicatione, conecdo; vnitim nego: ergo eſt inadæquata, & ſecundùm partem, nego conſequentiam, quia illa natura, quæ prædicatur de Petro inadæquatè, poteſt aptitudinaliter prædicari de Paulo ob ſuam indifferentiam, cum quo ſtat diſtinctio Petri ab aliis. Provt verò eſt vniuerſalis logicè, poteſt prædicari ſimul de omnibus ob inexiſtentiam effictam ab intellectu ipſius in omnibus.

Obiicies ſextò cum Hurtado *diſput.* 5. *Met.* §. 125. Quando fit prædicatio hominis de Petro, tunc eſt prædicatio obiecti immediati de ipſo, & eſt inadæquata: ergo ille terminus *Homo*, habet aliquid in ſe, ob quod ei repugnat prædicatio adæquata: ſed nihil aliud eſt, niſi identitas prædicati cum Petro, & non identitas cum Paulo; nihil enim eſt idem cum Petro, niſi Petrus, & non Paulus: ergo obiectum immediatum hominis eſt Petrus: ergo nihil commune dicit, niſi quoad nomen, vel conceptum.

176. Hoc argumentum fusè traditum ab ipſo Hurtad. exiſtimatur efficaciſſimum, licèt in re coincidat cum ſuprà allato argumento Arriagæ; quod tamen magis vrget eoſdem Nominales, vt rectè aduertit Meldul. nam ſi aliquid ad mentem ipſorum concludit, probat, quod illa prædicatio, *Petrus eſt homo*, ſit indiuidui vagi, ſicque tollitur ratio vniuerſalis prædicabilis, in quo eſt neceſſe, quod prædicetur de ſubiecto ſecundùm omnes partes, quas actu continet.

Nos autem reſpondemus nihil concludere contra nos, & concedimus maiorem cum ſua ſequela, negando tamen minorem. Dicimus enim, quod ratio inadæquationis talis prædicationis non eſt identitas prædicati cum ſubiecto, ſed eſt indifferentia prædicati, ſeu naturæ communis; licèt enim actu ſit applicata Petro, id tamen eſt inadæquatè, quia eſt indifferens ad eſſe in aliis. Hinc ruit tota machina argumentationis Hurtadi, facta cum tanta ſolemnitate verborum, vt videre eſt in eius textu.

Obiicies ſeptimò: Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe: ergo ſi Petrus, & Paulus ſunt idem in humanitate, erunt idem inter ſe.

Respondetur ex S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* §. *Secunda regula*, & *lib.* 3. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. quod vera eſt maior, quando ſeruatur eadem identitas, & vnitas: falſa, quando variatur. Verum quidem eſt, quod Petrus, & Paulus conueniunt in vnitate humanitatis ſumpta ſecundùm eſſentiam, non ſecundùm indiuidualitatem. Vnde negatur conſequentia, quia fit tranſitus ab identitate in natura communi ad identitatem in natura exiſtentialiter ſumpta, & numericè exiſtente.

177. Secunda Conclusio: Natura communis eſt ita identificata cum ſingularibus, vt implicet contradictionem, poſſe ſeparatam exiſtere ab ipſis indiuiduis, etiam per abſolutam Dei potentiam.

Hæc Concluſio eſt contra Auerroïſtas, Iandunum, Venetum, alioſque apud Meldul. *in Met. diſp.* 8. *num.* 187. ſuſtinentes gradus metaphyſicos fundari in diuerſis formis ſubſtantialibus realiter diſtinctis, exiſtentibus in compoſito ſubſtantiali, ita quod rationalitas oriatur ab anima rationali, ſenſibilitas ab anima ſenſitiua, vegetatio, & vitalitas à vegetante, corporeitas à forma corporis, ob idque iſtas naturas eſſe ſepa

ſeparabiles ab ipſo indiuiduo. Et licèt Seraph. Doct. *lib.1. diſt.3.part.2.art.1. quæſt.3. ad 6.* valde inclinet in hanc opinionem diuerſitatis formarum, de quo erit ſermo in Phyſica; attamen loquendo de formis metaphyſicis, ſeu formalitatibus, ſuſtinet cum communi eas deſumi à toto metaphyſico: ſic *lib.2. diſt.31. art.1. quæſt.1. & Centil. part.3. ſect.21. & ſeq.* ſuſtinet tres potentias animæ eſſe non formas, ſed potentias, & formalitates totius compoſiti, & ab eodem principio pullulare, & emanare: idem & de gradibus metaphyſicis dicit *lib.2. diſt.18. art.1. quæſt.3. in corp. & ad 2.* Vnde infert Scotus *lib.2. diſt.12. art.1. quæſt.2. ad 1.* quod licèt partes phyſicæ, cùm ſint res, vniantur in compoſito, tamen non identificantur ad inuicem; gradus verò, ſeu formalitates metaphyſicæ, cùm pullulent ab ipſo toto, non faciunt vnionem, ſed identitatem, quia deſumuntur ab eadem re habente in ſe neceſſariò plures formalitates, & hoc præcipuè, quia totum metaphyſicum, & formalitates nullam habent de ſe exiſtentiam, ſed eam recipiunt per actionem phyſicam terminantem ad indiuidualitatem, vt rectè docet S. Bonauent. *lib.1. diſt.45.art.2.quæſt.1. & diſt.37.part.1. art.2. quæſt. 1.* & *lib. 2. diſt. 3. part. 1. art.1. quæſt.3. arg.6. ad oppoſitum*, & *lib.2.diſt.18.art.1. quæſt.3.* Hinc

PROBATVR Concluſio: Implicat aliquid exiſtere per ſe, & non habere propriam exiſtentiam: ſed natura de ſe non habet propriam exiſtentiam: ergo implicat de ſe exiſtere. Tum quia quæ identificantur ad inuicem, ſunt inſeparabilia intrinſecè; ſunt enim prædicata eſſentialia rei. Tum quia implicat aliquid produci, & non terminari ad ſingularitatem: ergo. Antecedens eſt Seraph. Doct. *lib.1. diſt.5. art.2. quæſt.1.* & communis aliorum; nam productio eſt actio: ſed omnis actio terminatur ad ſingularia: ergo & ad ſingularitatem, & exiſtentiam particularem. Tum quia ſicut nequit aliquid concipi in ſe actu exiſtens, niſi provt actu terminauit actionem agentis; ſolùm enim per talem cauſalitatem phyſicam communicatur effectui exiſtentia: ſic nec res poteſt concipi potens exiſtere, niſi provt potens in ſe, & immediatè terminare talem actionem: ergo implicat dari, vel concipi rem exiſtentem, & non eſſe ſingularem; nam exiſtentia eſt actus, ad quem terminat actio. Tum quia impoſſibile eſt ſeparari ſubiectum ab effectu, qui naturaliter emanat ab ipſo, cùm ſit quid intrinſecum & eſſentiale, licèt conſequenter, vt rectè notat S. Doct. *lib.1.diſt.3.part.2.art.1. quæſt.3. ad 1. in fine.*

178. OBIICIES primò: Natura antecedenter ſe habet indifferenter ad quamcunque indiuidualitatem, tanquam ad quid extrinſecum, & ad ipſam conſequens: ergo poteſt exiſtere ſine quacunque indiuidualitate. Probatur conſequentia, quia in illo priori habet eſſe, & Deus poteſt ſuſpendere ſuum concurſum, ne indiuidualitas conſequatur in ſigno poſteriori: ergo tunc exiſtet abſque aliqua indiuidualitate.

RESPONDETVR concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio eſt, quia illa indifferentia non eſt ſubiectiua, ſed tantùm obiectiua, & metaphyſica, vt infrà dicemus in quinto notabili ſequentis quæſtionis: vnde habet quidem natura de ſe eſſe obiectiuum prius naturâ; ſed hæc prioritas non eſt prioritas eſſendi, ſed potiùs intelligendi, quatenus præintelligitur ſingularitati, & vt non includens eam in ſuo conceptu formali, in quo ſenſu tantùm dicitur indiuidualitas extrinſeca naturæ. Et

dum dicitur, Deum poſſe ſuſpendere ſuum concurſum in illo priori inſtanti, ne emanet indiuidualitas à natura, negatur; nam id, quod ab alio naturaliter emanat, non exigit diuerſum concurſum, & influxum ab influxu, quo ſubiectum producitur: ſed hoc producto neceſſariò intelligitur proprietas emanans, cùm ſit quid ſpectans ad principia intrinſeca naturæ, tanquam ad propriam radicem; licèt ſit quid conſequens, & eo magis, quia exiſtentia naturæ dependet neceſſariò ab exiſtentia indiuidualitatis; nam vt docet S. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. prius dependet à poſteriori quoad exiſtere, ſicque implicat prius exiſtere abſque poſteriori.

Obiicies ſecundò: Nihil poteſt realiter ſibi identificare id, ſine quo aliquando potuit eſſe, & abſolutè eſt: ſed humanitas Petri potuit eſſe ſine Petreitate, & de facto eſt ſine Pauleitate: ergo diſtinguitur realiter ab hæcceitate.

Meldvl. *diſputat.* 9. *Met. num.* 35. appellat hoc argumentum ſatis moleſtum, aduertitque in hoc conſiſtere potiſſimam difficultatem, & affert varias Scotiſtarum reſponſiones *ibid. num.* 57. quas & ipſe rejicit, & tandem reſpondet ex doctrina Scoti: Nihil poteſt identificare ſibi id, ſine quo aliquando potuit eſſe, & de facto eſt, diſtinguo; ſine quo antecedenter ſecundùm indifferentiam ſubiectiuam eſt, concedo; ſecundùm obiectiuam, nego: vt ſic enim præſcindit natura à quacunque indiuidualitate; ſed cùm ſit præciſio obiectiua, non ſubiectiua, & exiſtentialis, hinc dicit indifferentiam ad quamcunque indiuidualitatem in quocunque ſtatu, ſecundùm quam poteſt quamcunque identificare ſibi, licèt poſt contractionem cum vna ſit ita identificata, quod non poteſt eſſe cum alia; ſed tunc conſideratur exiſtentialiter.

Instant: Natura eſt indifferens ad quamcunque indiuidualitatem: ergo ſicut poteſt eſſe ſine hac, & poteſt eſſe ſine quacunque alia; non enim maior ratio eſt de vna, quàm de alia.

Respondetvr concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens: poteſt eſſe ſine hac poſt productionem, nego; quia eſt iam determinata per differentiam emanatam: & licèt obiectiuè natura conſiderata ſe habeat æqualiter ad omnes indiuidualitates, tamen exiſtentialiter, & ſubiectiuè conſiderata non ſe habet æqualiter ad omnes; nam neceſſariò, vt exiſtat, requirit aliquam differentiam determinantem, ab eius principiis intrinſecis pullulantem. Hinc patet, quid dicendum ad illud obiectum, Humanitas Petri diſtinguitur realiter à Pauleitate, diſtinguo, vt contracta à Petreitate, concedo; vt præciſa, nego: nam licèt de ſe habeant inter ſe non identitatem, ſeu diſtinctionem realem, non tamen habent diſtinctionem realem, niſi ratione indiuidualitatis, & exiſtentiæ. Sic Scotus *lib.* 2. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 7. *ſub H h.*

179. Obiicies Tertiò: Materia poteſt eſſe ſine quacunque forma ob ſuam indifferentiam ad quamcunque formam: ergo & à ſimili etiam natura ob ſuam indifferentiam.

Respondetvr negando paritatem; nam materia habet ſuam indifferentiam ſubiectiuam, non natura; hæc enim eſt tantùm obiectiua, & formalis. Vnde forma adueniens materiæ venit ab extrinſeco, nec tribuit ei propriam exiſtentiam: at indiuidualitas venit à natura ab intrinſeco, & tribuit ei eſſe exiſtentiale.

Contra inſtas: Natura de ſe indifferens

differens non includit indiuidualitatem: ergo excludit poſitiuè eam: ergo eſt ſubiectiua. Probatur conſequentia, quia indifferentia adeſt in natura, quæ eſt capax propriæ exiſtentiæ.

Respondetvr negando conſequentiam, quia licèt non includat eam, tamen non hinc ſequitur excludere eam; excluſio enim eſt ratione exiſtentiæ diuerſæ: nec humanitas metaphyſicè ſumpta, verbi gratiâ, eſt capax propriæ exiſtentiæ, ſed tantùm phyſicè ſumpta, nempe quatenus dicit humanitatem veram ſecundùm eſſe reale phyſicum productam, ſicque totus homo recipit per indiuidualitatem, vel cum indiuidualitate propriam exiſtentiam.

Instas ſecundò: Animalitas, quæ eſt in bruto, non eſt in homine: ergo animalitas realiter diſtinguitur à rationalitate.

Respondetvr concedendo antecedens, negando conſequentiam; animalitas enim ob ſuam latitudinem reſpicit hominem, & brutum, ob id vt ſic non eſt idem cum ſolo homine, vel cum ſolo bruto formaliter, quia vt ſic dicit inadæquatam identitatem ob ſuam indifferentiam, & latitudinem; ſed tamen ita petit eſſe in homine, & ſecum habere identitatem, vt eadem identitate petat etiam eſſe in bruto. Hinc non ſequitur, diſtingui realiter animalitatem, quæ eſt in bruto, à rationalitate, quæ eſt in homine, quia de ſe eſt indifferens ad identificandum ſibi & rationalitatem, & irrationalitatem: & ſi diſtinguitur realiter, non eſt niſi ratione indiuidualitatis, vel exiſtentiæ diſtinctæ. Vnde ſi alias realiter ſibi non identificat, id non eſt ratione ſui, ſed ratione indiuidualitatis ſibi iam identificatæ, cum qua alia non poteſt eſſe; id enim habent omnes naturæ ex ordinatione diuina, quâ cum ſint terminis certis limitatæ, ita quod vbi natura coniunxit principium actiuum, & paſſiuum aptitudinis, in eo determinauit actiuum ad vnam numero aptitudinem eiuſdem rationis, & paſſiuum ad vnum actum numero tantum recipiendum ſimul, & ſemel: & patet in materia, quæ de ſe apta eſt ad recipere quatuor formas elementares, & vnâ receptâ, non poteſt ampliùs aliam recipere ſimul: ſic & corpus reſpectu vnius animæ, & ſubiectum reſpectu actus accidentalis: ſic & reſpectu vnius riſibilitatis aptitudinalis, & actualis: ſic & natura reſpectu vnius indiuidualitatis: ſic S. Bonau. *lib.* 2. *diſtinct.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 4. *in corp.* quod rectè notauit Ferchius in S. Bonau. *tom.* 1. *de Angelis, quæſt.* 23. *num.* 10.

180. Dices: Et quare magis natura determinatur ad hanc indiuidualitatem, quàm ad aliam, ſi omnes ſunt eiuſdem rationis?

Respondetvr hoc pendere ex diuina determinatione, vt fusè probatur in Phyſica; id enim ſpectat ad ſupremum authorem naturæ.

Obiicies quartò: Sunt in compoſito corporeo plures formæ ſubſtantiales, ex Seraph. Doct. vt docet *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. & pluribus aliis locis, & patebit in Phyſica; adeſt enim forma corporea, forma complexionis, & in homine vltra iſtas forma rationalis: ergo tales gradus prædicamentales deſumuntur ab iiſdem formis: ſed iſtæ ſunt ſeparabiles: ergo & naturæ metaphyſicæ.

Respondetvr hoc eſſe fundamentum Auerroïſtarum admittentium ſeparabilitatem naturæ ab indiuidualitate. At licèt conueniat S. Doct. ex parte cum iiſdem in fundamento; negatur tamen conſequentia ex eodem Seraph.

Seraph. Doct. docet enim *lib.2.diſt.31. art.1. q.1.* potentiam ſenſitiuam eſſe formalitatem diſtinctam ab anima rationali,& ab ea emanare.Idem de vegetante *in Centil.part.3.ſect.21.& ſeq.*Idem & de gradibus metaphyſicis *lib.2. diſt.18. art.1. quaſt.3. in corp. & ad 2.* Vnde iſti gradus emanant à toto compoſito phyſico, quatenus eminenter continet tales perfectiones multiplices: & ratio eſt, quia vt ait Scotus *lib.2. diſt.12. quaſt.2. ad 1.* licèt partes phyſicæ, cùm ſint res, vniantur in compoſito; tamen non identificantur ad inuicem, cùm ſint res realiter diſtinctæ: gradus verò metaphyſicales, cùm ſint realitates pullulantes ab eodem toto, non faciunt vnionem, ſed identitatem, quia deſumuntur ab eadem re habente in ſe neceſſariò plures realitates; & hinc,ait S.Doct. *lib.1. diſt.19. part.2. quaſt.4.* deſumuntur ab ipſo compoſito ſecundùm maiorem, vel minorem completionem: & hinc non poſſunt ſeparari ab indiuiduo, cùm deſumantur ex diuerſis perfectionibus repertis in ipſo toto. Et hæc doctrina diligenter eſt aduertenda; eſt enim vnum ex præcipuis fundamentis huius aſſertionis.

Obiicies quintò: Si vniuerſale eſt in ſingulari: ergo ſingulare denominabitur vniuerſale ab ipſa forma vniuerſali; forma enim in alio exiſtens ipſum denominat, & afficit.

Respondetvr ex S.Bonau. *lib.1. diſt.36. dub.1.* & *lib.2. diſt.13. dub.4.* Eſſe in alio poteſt eſſe vel per identitatem, vel per informationem: naturæ communes ſunt in ſingulari primo modo, non ſecundo modo. Sic negatur conſequentia.

Obiicies ſextò: Si natura non poteſt eſſe ſine ſingularitate: ergo dependet ab illa: ſed hoc eſt falſum; nam prius vt prius eſt, non dependet à poſteriori, aliàs eſſet prius, & non prius.

Respondetvr naturam ſecundùm ſe, & reduplicatiuè, & ſecundùm propriam formalitatem non dependere à ſingularitate; at per ordinem ad exiſtere dependet à ſingularitate: quæ dependentia, vt ait S. Bonauent. *lib.2. diſtinct.12. artic.1. quaſt.1. ad 3.* eſt à poſteriori, & à Scotiſtis appellatur coëxigentia, eſtque hæc connexio ex identitate naturæ cum ſingularitate; ſic etiam cauſa formalis non poteſt dari abſque effectu formali; & tamen non dependet ab eo.

QVÆSTIO II.

An Vniuerſale metaphyſicum reale, ſeu natura communis diſtinguatur à ſingularibus, & habeat vnitatem aliquam diſtinctam ab vnitate numerali.

181. Svpra ſtatutum eſt, naturam communem,& vniuerſalem non ſolùm non eſſe ſeparatam à ſingularibus, ſed neque realiter diſtinctam, immò perpetuò illis immerſam, & realiter identificatam. Nunc videndum eſt, an ſaltem ſit diſtincta formaliter ab ipſis, ſeu tantùm ratione ratiocinata; & an habeat vnitatem præciſam, & diſtinctam ab vnitate numerali.

Prima opinio eſt communis Thomiſtarum, aſſerentium quidem naturam communem habere eſſe reale in ſingularibus, ſed nullo modo diſtinctum à parte rei à ſingularitate, ſeu differentia indiuiduali, niſi ſecundùm rationem ratiocinatam. Et licèt admittant in tali natura, vt præſcindente à ſingularitate quandam

quandam vnitatem negatiuam, quatenus in tali ſtatu nec eſt vna poſitiuè, nec multiplex; tamen negant habere aliquam vnitatem formalem diſtinctam ab vnitate numerali, ſed eandem prorſus eſſe in ſingulari.

Secvnda opinio eſt Nominalium negantium præciſiones obiectiuas, ob idque nullam diſtinctionem obiectiuam habere ab indiuidualitate.

Tertia opinio eſt Seraph. Doct. citati in textu, & in præcedenti quæſtione, & infrà citandi, quem ſequuti ſunt Scot. & ſequaces, & plures alij citati à Meldul. *in Met. diſp.9. num. 43. & 132.* qui omnes admittunt diſtinctionem formalem ex natura rei inter naturam communem, & indiuidualitatem, & inter eius vnitatem, & vnitatem numeralē. Pro ſolutione quæſtionis

182. Primò Notandum ex S.Bonau. *lib.1.diſt.25.dub.3. & ſerm.4.Hexaëm.* ex D.Thom.*de ente,& eſſentia cap.4.& quodl.8. quæſt.1. art. 1.* & ex Scot. 7. *Met. quæſt.18.& lib.2. diſt.3. quæſt. 1. & 6.* & ex Auicen.citato à Scoto,quod natura poteſt conſiderari in triplici ſtatu. Primò ſecundùm ſe, & abſolutè in ſua propria ratione, & vt loquitur S. Doctor *lib.1. diſtinct.27. part.1. art.1. quæſt. 3. in corp.* in eſſe abſtracto & reali, & appellatur ſtatus naturæ. Secundò, provt eſt ſingularizata, & dicitur ſtatus exiſtentiæ, & dicitur à S. Doct. ſtatus naturæ ſecundùm eſſe exiſtentiæ. Tertiò, provt eſt obiectiuè tantùm in intellectu, & dicitur ſtatus exiſtentiæ obiectiuæ, & ſecundò intentionaliter ſumptæ. Nota hic, ne decipiaris in ſenſu Seraph.Doct. quod *in loco cit. diſt.25.* S. Bonau. diſtingnit naturam vel ſecundùm proprietates, quas habet in ſuo eſſe,ſcilicet in eſſe exiſtentiali; vel ſecundùm modum, per quem fit ab anima, ideſt, vt explicat P. Ferchius, ſecundùm ſuum eſſe abſtractum, & metaphyſicum; & tertiò ſecundùm proprietates ei obuenientes ab actibus animæ, ſcilicet ſecundò intentionaliter: vnde primus ſtatus naturæ explicatur à S.Doct. ſecundo loco: ſecundus ſtatus primo loco: & tertius tertio loco.

In primo ſtatu competunt naturæ, tam phyſicè, quam metaphyſicè conſideratæ propria prædicata, tam primi, quàm ſecundi modi, & hoc ſemper, & vbique, vt eſſe rationale, ſenſitiuum, &c. eſſe indifferens, &c. eſſe commune, communicabile, vnum, &c. Phyſicè enim dicit ipſam naturam in concreto, vt Homo; metaphyſicè verò in abſtracto.

In ſecundo ſtatu competunt ei prædicata per ſingularitatem obuenientia, vt eſſe exiſtentem, & ſingularem, quæ conueniunt ei tantùm provt eſt contracta, & veluti ab extrinſeco, & ex conſequenti tantùm. In tertio ſtatu competunt ei prædicata ſecundæ intentionis, vt eſſe vnam exiſtentem ſimul in multis, & prædicabilem de multis, ob idque accidentaliter; ſicque eam non conſtituunt, ſed denominant tantùm. Ex quo ſequitur,quod in primo ſtatu natura nec eſt vniuerſalis, nec ſingularis, ſed ad vtrumque indifferens.

183. Secvndò Notandum ex S.Bonau.*lib.1. diſt.19. part.2. art.1. quæſt.2. in corp. & quæſt. 4. in corp.* & *lib. 2. diſt.3.part.1. art. 1. quæſt. 3. ad 1. & art. 2. quæſt.2. ad vlt.* & *lib.1. diſt.2. art.1. quæſt.1. in corp.* & *lib.2.diſt.39. art.2. quæſt.2. in corp.* & *lib.3. diſt.37. art.1. quæſt. 1. ad 1.* alibique ſæpe, quod dimiſsâ vnitate tranſcendentali, quæ non facit ad præſens inſtitutum, triplex vnitas prædicamentalis ab omnibus admittitur. Prima eſt numerica, & hæc vel eſt indiuidualis reſultans ex indi

indiuidualitate; vel propriè numeralis, & quantitatiua, accidentaliſque, de qua *lib. 2. diſt. 3. part. 1. art. 2. quæſt. 2.* Hic autem ſermo eſt præcipuè de prima, quæ eſt ſubſtantialis rei: ſecunda eſt ſpecifica: tertia eſt generica, quam S. Doct. *lib. 2. diſt. 3. part. 1. artic. 2. quæſt. 2.* appellat ſubſtantialem: & *lib. 1. diſt. 48. art. 1. quæſt. 1. in corp.* appellat quid tertium, in quo duo aſſimilantur. Prima eſt ex principiis indiuidualibus, ſcilicet ex natura, & indiuidualitate. Seraph. Doct. *lib. 1. diſtinct. 19. quæſt. vltim.* notat hanc vnitatem oriri ex coniunctione ipſius quo, & quod, ſcilicet ex natura, & indiuidualitate. Et ſi additur perſonalitas, ſeu ſuppoſitalitas ipſi indiuiduo, acquirit vnitatem reſultantem ex quod, & ex qui, ſcilicet ex indiuiduo, & ſuppoſitalitate. Secunda verò ſpecifica, & tertia generica eſt ex principiis intrinſecis, & formalibus, & vt quo; nam vt docet *lib. 2. diſt. 18. art. 1. quæſt. 3.* & *lib. 1. diſt. 19. cit.* ſi eſt ex principiis remotioribus admittentibus nouam completionem ſpecificam, eſt generica: ſi eſt ex proximioribus, & completis, erit ſpecifica, & ob id iſtæ vnitates habent varios gradus. Et hinc S.D. appellat has vnitates aliquando ſub nomine vnitatis formalis, aliquando communis, aliquando ſpecificæ, & genericæ, aliquando eſſentialis, aliquando ſub ratione communicabilis, aliquando ſub ratione vt quo. Vide *lib. 2. diſtinct. 33. art. 2. quæſt. 2. in corp.* & *lib. 2. diſt. 24. quæſt. vltim.* & *lib. 1. diſt. 19. part. 2. quæſt. 4. & ſerm. 4. Hexaëm.*

184. Tertiò Notandum, quod cùm natura communis importet & communicabilitatem, & ſimul vnitatem communem, quæſtio celebris eſt, an hæc vnitas ſit realis, an rationis; & ſi realis, quomodo ſit communis pluribus? Thomiſtæ admittunt tantùm diſtinctionem rationis cum fundamento in re, vt dictum eſt: Scotiſtæ ſuſtinent in natura adeſſe vnitatem formalem ab ipſa natura, & ab vnitate indiuiduali diſtinctam formaliter ex natura rei; ſed tamen ſunt diuiſi inter ſe. Alij enim, vt Faber *theor. 95.* & *in Met. diſput. 9.* Bonetus, Cannon. Paſqualig. aliique apud Meldul. *diſputat. 9. Met. num. 107. & ſeq.* volunt naturam eſſe communem per inexiſtentiam phyſicam in multis, & ob id etiam contractam ad indiuidua retinere eandem vnitatem ſpecificam, & genericam. Alij verò admittunt in natura communitatem per indifferentiam tantùm ad eſſendum in multis diuiſim: cùm enim diuerſitas numerica proueniat ab indiuidualitate, veluti naturam extrinſecè determinante; hinc & retinet ſuam intrinſecam indifferentiam, & vnitatem formalem diſtinctam in quolibet indiuiduo, ratione cuius indifferentiæ, & vnitatis communis plura indiuidua dicuntur eiuſdem ſpeciei.

Hæc eſt germana opinio Seraph. Doct. quod & notauit ipſe Meldul. citatus *diſput. 9. num. 158. in fine*, & in hac fuit S. Doct. conſtantiſſimus, vt patet *lib. 1. diſt. 5. art. 1. quæſt. 1. ad 1. & art. 2. quæſt. 1. & 2.* & *dub. 2.* vbi dicit, quod natura dicitur communis, & communicabilis, quia indifferenter ſe habet ad plura, ad actum, & potentiam; habetque plurificari per additionem differentiæ indiuidualis. Idem habet *lib. 1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 1. & 2.* & *lib. 1. diſt. 4. art. 1. quæſt. 2. in corp.* ibi, *Prima regula:* & *lib. 2. diſtinct. 18. artic. 1. quæſt. 3.* & *lib. 2. diſtinct. 3. part. 1. art. 2. quæſt. 1. ad 3.* & *quæſt. 2. in corpor. & ad 4. 5. & 6.* & *lib. 3. diſtinct. 2. artic. 2. quæſt. 3. in corp.* In quibus locis ſecundi libri tradit hanc

pulcher

pulcherrimam doctrinam: Vniuerſale, ait, dicit vnitatem non repugnantem, idest indifferentem ad multitudinem; nam per poſſibilitatem admittit omnem diuerſitatem, ſcilicet numericam, ſimulque eſt in actu, & potentia producentis, & ſimul diuerſis productionibus poteſt produci, & diuerſis formis, ſeu differentiis indiuiduari; & hoc pacto humanitas eſt vna, & homo ſimul qui generatur, & qui generatus eſt; & homo albus, & niger. In his omnibus eſt vna forma per indifferentiam, licèt adſint cum tali vnitate diuerſi termini productionum, & ob id ſit diuiſa in plura indiuidua, in quo ſenſu intelligendus eſt Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp.* dum ait, eandem humanitatem eſſe in Petro, & in Paulo, ſcilicet per indifferentiam. Vide etiam *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *q.* 3. *in fine corp. & ad* 2. *& vlt.*

Et hinc patet, quomodo in hoc indiuiduo, verbi gratiâ in Petro, eſt natura humana ſecundùm totalitatem eſſentialem, ideſt ſecundùm prædicata intrinſeca, & communia cum indifferentia ad eſſe etiam in Paulo, licèt non adſit ſecundùm totalitatem entitatiuam, & phyſicam, quia entitatiuè, & phyſicè eſt diuiſa in indiuiduis, vt rectè docet S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2. *& dub.* 2.

185. Qvartò Notandum ex S. Doct. quod multiplex eſt vnum, ſeu vnitas; nempe Vnum in vno, eſtque vnitas indiuidualis: Vnum in multa, eſtque cauſa vniuerſalis valens producere plures effectus: Vnum ad multa, ſeu præter multa, eſtque vniuerſale metaphyſicum reale: Vnum à multis, eſtque vniuerſale metaphyſicum abſtractum per intellectum ab inferioribus: Vnum in multis, vel poſt multa, eſtque vniuerſale logicum. Sic *ſerm.* 4. *Hexaëm.* & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.*

Ex quibus ſequitur, quod in vniuerſum ad rem præſentem triplex vnitas in natura reperiri poteſt: alia eſt vnitas realis ipſius naturæ conſideratæ ſecundùm ſe, & in eſſe præciſo, & obiectiuo, & dicitur communiter vnitas formalis, ſeu communis, ſeu metaphyſica realis, & dicitur vnum præter multa. Alia eſt vnitas itidem metaphyſica, quæ competit eidem naturæ, prout abſtractæ ab intellectu; vt ſic enim acquirit quandam vnitatem formalem diſtinctam ab antecedente, & dicit vnum à multis. Tertia eſt vnitas per inexiſtentiam efficta ab intellectu, & dicitur vnum in multis, de qua in quæſtione ſequenti. Secundùm primam vnitatem natura habet indifferentiam, quæ licèt ſit poſitiua, tamen magis propriè dicitur negatiua, per quam cùm ſit indeterminata de ſe, non includit in ſuo conceptu formali indiuidualitatem; ſed tamen cùm ad hoc ſit in rerum natura, & debeat eſſe neceſſariò in aliquo ſingulari identificata, hinc realiter per identificationem ipſam indiuidualitatem includit: ſecundùm aliam vnitatem metaphyſicam verò non ſolùm non includit, ſed etiam excludit, cùm per intellectum ſit abſtracta abſtractione diuiſiua. Differunt autem iſtæ duæ vnitates inter ſe, quòd prima ineſt naturæ de ſe etiam in ſtatu contractionis, licèt ex ipſa contractione ſit impedita, ne aliam indiuidualitatem admittat: at ſecunda, dum denuò per intellectum concipitur natura vt actu inexiſtens ſimul in pluribus, deperditur. Hinc patet hallucinatio Thomiſtarum, dum admittunt vnitatem quandam in natura, quam appellant negatiuam, hanc-

que volunt deperdi indiuidualitate adueniente; nos enim vltrò id concedimus de vnitate præciſionis diuiſiuæ; negamus de vnitate vera, & reali indifferentiæ.

186. QVINTÒ Notandum, quod tota difficultas in hac materia ſtat in explicanda hac indifferentia reali naturæ, vt ſubtiliſſimè aduertit, & explicat Meldul. *in Met.diſp.9.num.*35.Nam cùm natura identificetur cum indiuidualitate, quam actu habet, videtur non poſſe habere indifferentiam ad aliam, quam actu non habet, & ob id à qua diſtinguitur realiter. Hinc aduertit idem Doct. quod valdè differunt inter ſe indifferentia materiæ, & naturæ: illa enim eſt ſubiectiua, & præexiſtens, & phyſica, habetque ſuum actum exiſtentialem, præciſà quacumque formâ, vt docet etiam S.Bonauent.*lib.2.diſt.3. part.1. art.1. quæſt.2. & 3.* determinaturque à formis extrinſecis, & extrinſecè: at natura non ita ſe habet ad indiuidualitates; eius enim indifferentia antecedenter eſt tantùm obiectiua, metaphyſicaque, non exiſtentialis; ſed exiſtentiam recipit ab indiuidualitate, vt docet S.Doct. *lib.1. diſtinct.5.art.2. quæſt.1.* non enim poteſt produci, niſi vt in hoc; & ob id cùm à natura neceſſariò emanet ſemper indiuidualitas abſque alio aliquo influxu, ſed eodem concurſu, quo producitur natura, neceſſariò emanat, & neceſſitate adeo indiſpenſabili, vt nec per diuinam omnipotentiam poſſit impediri, cùm ab indiuidualitate dependeat ineſſe exiſtentem, & extra ſuas cauſas; ex qua connexione arguitur earum identitas. Hinc licèt formaliter natura non includat indiuidualitatem, & ob id in tali ſtatu dicat indifferentiam ad quamcunque, tamen quoad exiſtere eam includit identicè, & realiter. Quare emanatâ vnâ indiuidualitate, impeditur natura, ne ab alia contrahatur, licèt retineat formaliter ſuam indifferentiam obiectiuam, cùm ſit proprietas quidditatiua ipſius. Videatur loco citato Meldul. qui fuſiùs, & doctiſſimè hanc doctrinam explicat. His poſitis ſit,

187. PRIMA CONCLVSIO: Natura ſecundùm ſe metaphyſicè, & obiectiuè ſumpta habet communitatem poſitiuam realem, ſeu indifferentiam veram, ſecundùm quam diſtinguitur formaliter ab ipſa indiuidualitate, etiam vt eſt exiſtens in indiuiduis. Eſt S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 25. art.2. quæſt.1. & 2.* & *lib.1. diſt.5. art.2. quæſt.2.* & *lib.1. diſt.27. part.1. art. 1. quæſt.3. in corp.* aliiſque locis citatis in textu. Item & Scoti, & ſequacium, & plurium aliorum apud Meldul. *in Met. diſput.9. num.*43. eſtque contra Thomiſtas, & Nominales, vt in præcedenti quæſtione patet, qui admittunt in natura quandam non repugnantiam, ſeu aptitudinem fundamentalem, conſiſtentem in hoc, quod dato quolibet indiuiduo poteſt dari alia natura ſibi ſimilis potens repræſentari per eandem ſpeciem, quâ ipſa repræſentatur. Vnde hæc communitas eſt tantùm per intellectum, non à parte rei; ipſamque appellat S. Doct. *lib.1.diſt.25.art.2. quæſt.1.* communitatem ſecundùm conſimilem habitudinem & rationis, ipſamque rejicit ab hoc ordine,de quo hîc eſt ſermo. Nos enim cum eodem S. Doct. dicimus, hanc aptitudinem fundari in aliqua communitate poſitiua, quæ ineſt in eadem natura, in qua vt in tertio conueniunt inferiora ratione indifferentiæ,quam continet ad omnia inferiora.

PROBATVR primò ex Ariſt.*5.Met. text.*20. apud S.Doct.*lib.1.diſt.1.art.3. quæſt.1. & diſt.35. quæſt.1.* Omnis conuenientia entitatiua, quæ eſt inter plura

ra eiuſdem rationis, debet fundari in vnitate, & communitate, quæ ſit eiuſdem rationis in ambobus extremis: ſed talis eſt conuenientia, quæ eſt inter indiuidua eiuſdem ſpeciei, & inter tales ſpecies reſpectu generis: ergo fundatur in natura communi omnibus. Probatur maior ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *&* *diſt.* 31. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. quia ſimile, & æquale dicunt conuenientiam plurium in vno, & ob id de ſe important diſtinctionem indiuiduorum, & vnionem in natura: ſed vbi eſt formalitatum diuerſitas, & vna eſt in alia, neceſſariò vna ſe habet alteri vt materialis, & vt fundamentum, ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 3. ergo natura eſt veluti quid materiale, & vnum ad pluralitatem indiuiduorum. Confirmatur, & explicatur ampliùs hæc ratio. Indiuidua diſtinguuntur inter ſe realiter, & non diſtinguuntur in natura, quia in ea conueniunt: ergo datur communitas naturæ in ipſis.

Probatvr ſecundò: Actu à parte rei homo, & brutum differunt per gradum ratiocinandi, & eodem modo conueniunt in gradu ſentiendi: ergo in iſto gradu fundatur conuenientia actualis diſtincta à differentiis.

188. Probatvr tertiò: Natura, quæ eſt in Petro, ſumpta ſecundùm ſe, & ab intrinſeco, vel alteri eſt communicabilis per identitatem ab illo, in quo eſt, vel non. Si primum, habetur intentum. Si ſecundum: ergo dum concipitur ſub ratione vniuerſalis, concipitur ſub modo repugnante tali naturæ. Probatur conſequentia, quia ſecundùm aduerſarios nullam habet aptitudinem, & indifferentiam poſitiuam ad plura.

Respondent Thomiſtæ (nam de Nominalibus ſatis dictum eſt in ſuperiori quæſtione, & in tractatu Formalit.) admittendo ſecundum membrum, & negando conſequentiam, quia licèt natura de ſe, & ab intrinſeco non ſit communicabilis pluribus, non tamen ex ſe eſt incommunicabilis; habet enim non repugnantiam ad communicari, tanquam ab extrinſeco, ſcilicet per opus intellectus, & ad reddi incommunicabilem per differentiam indiuidualē.

Contra inſurgit Meldul. citatus *num.* 51. *&* 78. quia & nos vltrò concedimus, neutrum includi in quidditatiuo conceptu naturæ, ſcilicet communitatem, ſeu communicabilitatem ſimul pluribus, & incommunicabilitatem: dicimus enim talem communicabilitatem ſimul pluribus eſſe per opus intellectus; & admittimus in communitate naturæ fundamentum verum, & reale talis communicabilitatis, quam appellamus indifferentiam competentem naturæ in ſecundo modo dicendi per ſe: & de hac procedit vis rationis, & argumenti ſuprà dati.

Probatvr quartò ex S. Doctore *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *&* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. Deus non ponitur in genere, nec admittit vniuerſale, quia habet repugnantiam, vt in pluribus plurificetur, & communicetur: ſed natura creata eſt plurificabilis: ergo habet fundamentum in principiis intrinſecis. Probatur conſequentia, quia ideo natura diuina non eſt plurificabilis, quia de ſe eſt hæc, & intrinſecè indiuidua, nec admittere poteſt aliquam additionem, vel compoſitionē: ergo ſi natura creata eſt plurificabilis, id erit ex capacitate ad nouam additionem differentiæ indiuidualis: ergo cadit inter naturam, & indiuidualitatem vera diſtinctio. Idque patet, ait Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. quia natura diuina prædicatur de perſonis, tam in concreto, quàm in abſtracto,

Digitized by Google

creata verò ſolùm in concreto: ergo concretum aliquid addit ad naturam, nempe indiuidualitatem: ergo indiuidualitas non eſt de conceptu formali naturæ, aliàs conciperetur cum mendacio, ſicut ſi conciperetur homo ſine rationalitate.

Respondent negando paritatem de natura diuina, & creata; illa enim ob infinitatem, ob quam eſt idem omninò natura, & ſingularitas, eſt de ſe hæc. Vnde cùm repugnet Deo compoſitio vlla, ideo nullum adeſt fundamentum in Deo, ſicut adeſt in creatura.

Contra: Ergo in creata natura datur aliquid reale, ſaltem in fundamento, per quod poteſt concipi ratio generis, & differentiæ: ſed per genus conuenit cum alia natura, & per ſpeciem vnum indiuiduum cum alio: ergo datur à parte rei. Tum quia natura diuina ideo non ſit vniuerſalis, quia includit in ſuo conceptu formali ſingularitatem, non quia ſit infinita; dato enim, quod Deus eſſet infinitus, & non eſſet eſſentialiter ſingularis, tunc illi non repugnaret vniuerſalitas; & è contra, ſi in aliquo eſſet finitas, & tamen eſſet de ſe, & intrinſecè indiuiduum, in eo poſſet tribui vniuerſalitas ob rationem immultiplicabilitatis: ergo cùm natura creata admittat vniuerſalitatem, id erit, quia in ſuo conceptu non includit ſingularitatem, & ob id quia ſingularitas addit verè aliquid ad naturam. Et hinc cùm non valeant aduerſarij aſſignare aliam differentiam inter naturam diuinam, & creatam, ſequitur, quod natura de ſe ſit communis. Et confirmatur, quia natura creata admittit veram vniuocationem in ordine ad plura: ergo & veram communitatem.

189. Obiicies primò: Si natura, quæ eſt in Petro, formaliter diſtinguitur ab eſſe ipſius ſingularis, vel eſt communicabilis alteri, vel non. Si primum: ergo erit etiam prædicabilis de multis, quod eſt abſurdum. Si ſecundum: ergo eſt de ſe ſingularis. Sic Suarez *diſp. 5. Met. ſect. 2.*

Respondet S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 25. art 2. quæſt. 1.* (quam reſponſionem adhibent etiam Scotiſtæ) concedendo naturam, quæ eſt in Petro, eſſe de ſe communicabilem ob ſuam indifferentiam; negando hinc ſequi prædicabilitatem proximam: hæc enim eſt ſecunda intentio, & per opus intellectus. Tum etiam concedendo eſſe prædicabilem de multis remotè, & diuiſim à parte rei; de multis verò proximè ſimul per opus intellectus effingentis illam naturam ſimul inexiſtentem in multis.

Instant: Si de ſe eſt communicabilis: ergo illa, quæ eſt in Petro actu poterit communicari Paulo, quod eſt falſum.

Respondetur negando conſequentiam; natura enim de ſe eſt indifferens ad quodcumque indiuiduum, & ſi contrahitur actu ab vna indiuidualitate, licèt retineat ſuam indifferentiam, attamen ob identificationem cum tali indiuidualitate impeditur, ne poſſit ab alia contrahi, cùm ſint incompoſſibiles ſimul. Explicatur hæc veritas exemplo dependentiæ creaturæ ad Deum, eſt enim eiuſdem rationis, & communis omnibus creaturis; & tamen quælibet in ſingulari identificatur cum natura hac creata. Sic à pari hæc humanitas Petri de ſe eſt indifferens ad hanc, vel illam dependentiam: at contracta, & reſtricta per hanc numero dependentiam amplius non poteſt aliam recipere.

190. Dices: Natura in tali ſtatu eſt

eſt abſtracta : ſed ideſt per opus intellectus : ergo habet illam indifferentiam per opus intellectus tantùm : ergo in tali ſtatu nòn habet indifferentiam realem.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 3. quod duplex eſt abſtractio; alia eſt naturæ conſideratæ ſecundùm ſe, quatenus intrinſecè, & eſſentialiter dicit conceptum obiectiuum diſtinctum ab hæcceitate, & dicitur præciſiua abſtractio; alia eſt facta per intellectum, & hoc vel attingendo naturam, non attingendo hæcceitatem, vel diuidendo eam ab hæcceitate, & dicitur diuiſiua. Prima, & ſecunda abſtractio admittit ſecum identitatem realem cum hæcceitate. Tertia, ſcilicet diuiſiua, excludit. Sic negatur conſequentia de prima abſtractione.

Obiicies ſecundò cum Suarez, Oviedo, Hurtado, & aliis : Natura, quæ eſt in Petro vt diſtincta ab indiuidualitate propria, vel eſt eadem realiter cum natura, quæ eſt in Paulo, vt diſtincta à Pauleitate; vel diſtinguitur realiter. Si primum : ergo eadem omninò natura erit in ambobus. Si ſecundum : ergo illæ naturæ ſunt de ſe ſingulares, cùm diſtinguantur inter ſe realiter.

191. Hvic argumento multi multas reſponſiones afferunt, quibus omiſſis, poſſuntque videri apud Meldul. *cit. num.* 59. Nos reſpondemus, ſicut in præcedenti quæſtione dictum eſt ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 25. *dub.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. & ad* 1. & *lib.* 3. *diſt.* 5. *dub.* 1. & *lib.* 3. *diſt.* 8. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & ad* 1. quod cùm diſtinctio realis ſolùm verſetur inter entitates, quæ habent propriam exiſtentiam, & ob id quæ ſunt indiuiduæ; conſequenter inter illas duas naturas præcisè ſumptas non verſatur diſtinctio realis, niſi ratione indiuidualitatis, & per ordinem ad propriam indiuidualitatem; vnde de ſe non ſunt idem realiter : vel vt dicit S. Bonauent. habent alietatem, non verò diuerſitatem, vel diſtinctionem realem poſitiuam; ob id vna formaliter non eſt alia, realiter autem vt ſic nec ſunt diſtinctæ, nec ſunt idem : non identitas enim eſt quid ſuperius ad diſtinctionem realem, vt aliàs dictum eſt : ob id habent non identitatem inter ſe, non autem diſtinctionem realem; hæc enim ineſt ratione exiſtentiæ conſequentis, poteſtque reſponderi, quod in ſimili dixit S. Thom. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. ſcilicet quod ſunt vnum numero, quia ſunt ſine numero, ideſt non ſunt diſtinctæ numero, quia non habent diuerſas exiſtentias, & indiuidualitates; & ſi aliqualiter numerantur, hæc ſcilicet, & illa humanitas, illa eſt numeratio impropria, & tranſcendentalis, non prædicamentalis.

Dices : Illæ duæ naturæ non ſunt idem realiter : ergo diſtinguuntur realiter.

192. Respondetvr negando conſequentiam, proceditur enim à ſuperiori ad inferius; non identitas enim, vt dictum eſt, ſeu vt loquitur Seraph. Doct. alietas, latiùs patet, quàm diſtinctio : & cùm realitas in antecedente negetur, & in conſequente affirmetur, patet fallacia, & inordinatio in hoc modo arguendi. Ratio eſt, quam affert Scotus *lib.* 2. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. *ad* 1. quia quando realitas, & realitas vnitate identitatis vniuntur, tunc poſſunt ſeparari obiectiuè, & præciſiuè, cùm vnum non includatur in conceptu obiectiuo alterius, licèt non poſſint ſeparari ob carentiam exiſtentiæ

ſtentiæ propriæ. Sic in propoſito illæ duæ naturæ vt ſic habent eſſe præciſum ab indiuidualitatibus, quibus realiter identificantur, & ob id in tali ſtatu habent tantùm non identitatem.

INSTANT rurſum Suarez: Illæ duæ naturæ ſunt realiter diſtinctæ ratione ſuarum indiuidualitatum, & vt ſic præciſè ſunt non idem realiter; & ſimul realiter ob indifferentiam, & communitatem realem conueniunt: vel conueniunt, & differunt ſe totis, vel aliquo ſui. Non ſecundum, quia deberet poni aliquod tertium, in quo conueniunt; ſicque daretur proceſſus in infinitum: & illæ duæ naturæ eſſent duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, quia haberent id, in quo conueniunt, & id, in quo differunt. Si primum: ergo duo ſecundùm eandem omninò entitatem conueniunt, & diſconueniunt; quod eſt impoſſibile.

193. HVIC obiectioni variè reſpondent Scotiſtæ, & plures dicunt, quod in tali ſtatu nec ſunt vna, nec diuerſæ; quod tamen non poteſt ſuſtineri, cùm vnitas, & diſtinctio ſint paſſiones entis, & per conſeqnens inſeparabiles à quocumque ente. Sed ex doctrina, quam affert Seraph. Doct. *lib. 1. diſtinct. 19. part. 2. quæſt. vlt.* & *lib. 1. diſt. 13. art. 1. quæſt. 3. in corp.* vbi docet, quod ratio, quâ aliquid eſt tale, eſt duplex, ſcilicet vel ipſum quo, vel ipſum quod; ipſum quo propriè non differt, nec conuenit, nec numeratur, præciſè loquendo, ſed eſt ipſum quod. Sic etiam ſimilitudo non dicitur ſimilis, ſed id, quo duo ſunt ſimilia: ſic differentia non dicitur differre, ſed facit extrema differre. Idem & docuit Scot. *quodl. 4. §. Contra illud, lit. L,* hinc.

RESPONDETVR argumento poſito: Illæ duæ humanitates nequeunt dici ſpecificè, & eſſentialiter conuenire in recto, ſed tantùm in obliquo; non enim conueniunt in tertio, ſed ſunt id, quo Petrus, & Paulus conueniunt eſſentialiter, & quidditatiuè; ſicque non differunt nec vt quo, nec vt quod, nec ſe totis, nec aliquo ſui; ſed conueniunt in vnica ratione vt quo, ſcilicet Petrus, & Paulus aſſimilantur inter ſe eſſentialiter: quod enim eſt alicui ratio eſſendi tale, illud non eſt tale: ſic albedo non dicitur alba, ſed id, quo aliquid eſt album. Vnde S. Bonau. dicit, quod illæ duæ humanitates conueniunt actiuè, non paſſiuè, ideſt ſunt ratio conueniendi, non ipſæ conueniunt. Sic loquitur in ſimili *lib. 1. diſt. 13. cit.*

DICES primò: Sunt duæ entitates eiuſdem rationis: ergo poſſunt dici ſimiles.

RESPONDETVR, ſunt duæ entitates eiuſdem rationis *vt quo*, concedo; *vt quod*, nego: ſic negatur conſequentia, alioquin conuenirent & ipſæ in tertio. Dicuntur quidem eiuſdem rationis vt quo, quatenus habent indifferentiam ad quodcumque indiuiduum.

DICES ſecundò: Ergo ſicut dicimus de naturis, quod ſeipſis conueniunt, poterimus & dicere de indiuiduis abſque multiplicatione entium.

RESPONDETVR ex doctrina tradita à Seraph. Doct. quod non currit paritas; diuerſitas enim propriè eſt entium completorum conſtitutorum, quæ & differunt, & cõueniunt per rationes formales, quibus talis conuenientia formaliter non conuenit, niſi prout connumerantur cum ipſo *quod*.

DICES Tertiò cum Suarez citato: Differentiæ indiuiduales faciunt differre, & tamen conueniunt inter ſe ſe totis: ergo & idem dicendum eſt de indiuiduis.

RESPONDETVR ex S. Bonau. *lib. 1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 1.* negando paritatem; natura enim dicit communitatem veram,

veram, & realem; indiuidualitates verò dicunt tantum communitatem rationis, & analogiæ, ſecundùm aliquam proportionem, cùm de ſui intrinſeca ratione ſint id, quo plura differunt, & ob id potiùs important negationem communitatis: at duæ humanitates non fundant diſtinctionem, cùm de ſe ſint aſſimilatiuæ; ſic & duæ ſimilitudines. Vnde ſolùm differunt ratione indiuidualitatum, quæ eis ab extrinſeco adueniunt. Hæcque doctrina eſt diligenter aduertenda, hac enim ſatisfit ferè omnibus obiectis aduerſariorum, quæ congerunt vtplurimùm tranſeuntes ab ipſa natura præcisè conſiderata ad ipſam vt contractam.

Et ſi quæras, quomodo ergo humanitas præciſa diſtinguitur à natura præciſa equi, cùm non adſit conuenientia, nec indiuidualitas.

Respondetvr ſeipſis differre ex ſuis principiis eſſentialibus per non identitatem.

Obicies Tertiò cum Oviedo *in Log. contr. 3. part. 2. & 3.* Non poteſt ſeparari natura ab indiuidualitate, nec ab ipſo Deo: ergo nec datur ſtatus talis indifferentiæ, & communitatis, in quo ab ea poſſit contrahi.

194. Respondetvr ex S. Doct. concedendo antecedens, & negando conſequentiam; aſſignatur enim ſtatus præciſionis realis, qui ſtatus non eſt ſubiectiuus, & phyſicus, ſed tantùm obiectiuus, & metaphyſicus, qui non explicatur per indifferentiam exiſtentialem, vt in materia prima, ſed per excluſionem obiectiuam. Sic S. Doct. *lib. 1. diſtinct. 27. art. 1. quæſt. 3. in corp.* & *diſt. 25. art. 2. quæſt. 1. in corp. & ad 1.* Poſſuntque plures inſtantiæ afferri contra ipſos ex S.Theol. vt eſt indifferentia futurorum contingentium, quam adhuc retinent etiam poſt determinationem diuinæ voluntatis; & pariter de indifferentia diuinæ voluntatis, quam retinet cum neceſſitate, & cum identitate diuinorum decretorum. Vide Meldul. *diſp. 9. M. t. num. 94.*

Instat Oviedus: Ante opus intellectus non datur natura non ſingularis, nec negatiuè, nec præciſiuè, quia identificantur realiter natura, & indiuidualitas: ergo non datur natura communis per indifferentiam à parte rei.

Respondetvr: Ante opus intellectus non datur natura non ſingularis exiſtentialiter, concedo; præcisè, & obiectiuè nego. Sic negatur conſequentia; nam natura de ſe non eſt ſingularis, fitque per aliquod ſupperadditum.

Instat denuò: Si natura de ſe eſſet ſingularis, non poſſet concipi vniuerſalis: ergo ſi natura de ſe eſt vniuerſalis, nec poterit extrinſecè fieri ſingularis.

Respondetvr negando paritatem, & concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio eſt, quia ſi natura de ſe eſſet ſingularis, nec poſſet admittere multiplicitatem: at cùm communitas admittat multiplicitatem, & additionem, hinc de communi poteſt fieri particularis abſque præiudicio ſuæ indifferentiæ, cùm adueniat ſingularitas ab extrinſeco, ſeu ex conſequenti.

Instat rurſus: Natura de facto eſt diuiſa ab indiuidualitate, verbi gratiâ ea quæ eſt in Petro, ab indiuidualitate Pauli: ergo cùm ſint eiuſdem rationis, poterit à quacumque ſeparari.

Svpra iam reſponſum eſt huic argumento, & denuò reſpondetur, naturam ſecundùm ſe non poſſe dici diſtinctam realiter ab indiuidualitate quacumque, niſi ratione identificationis

cum aliqua; de ſe enim eſt indifferens ad quamcunque ſibi identificandam, licèt dum eſt ſub vna, non poſſit eſſe ſub alia ob identificationem cum illa, vt ſuprà dictum eſt.

195. Secvnda Conclvsio: Natura communis eſt in pluribus, non per inexiſtentiam, ſed per indifferentiam tantùm. Eſt S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2. vbi dicit, quod natura non eſt vniuerſalis, niſi quatenus eſt realiter multiplicata in pluribus: & idem S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. & ad* 3. docet, quod eſſentiæ rerum non ita producuntur, ſicut habent cognoſci, ideſt prout eſſe obiectiuum habent; vnde ſunt communes non per inexiſtentiam phyſicam, ſed tantùm per indifferentiam, vt dicit *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 2. & aliis locis citatis in tertio notabili, & eſt Scoti, & aliorum ibidem citatorum contra aliquos Scotiſtas, Paſqualig. *tract.* 2. *diſp.* 15. *in Met.* alioſque.

Probatvr primò, quia ſi eſt pluribus communis natura, id eſt vel per inexiſtentiam, vel per indifferentiam: ſed non eſt per inexiſtentiam: ergo per indifferentiam. Probatur minor, quia ſi eſſet vna natura communis per inexiſtentiam, ſequeretur eandem naturam eſſe beatam, & ſimul damnatam.

Respondent eſſe ſpecificè, non indiuidualiter, nec id eſſe abſurdum.

Contra: Secundùm aduerſarios eadem natura entitatiuè eſt in pluribus: ergo eſt non ſolùm ſpecificè, ſed numericè, & phyſicè ſimul beata, & damnata: item ſimul in Chriſto vnita Verbo ſancta, & in Iuda impia: item ſequeretur dari myſterium Trinitatis perſonarum in creatis, ſicut in diuinis, in quibus eadem natura eſt ſimul in tribus perſonis. Conſequens eſt abſurdum, &c.

Respondet Paſqual. cum aliis negando ſequelam de eadem natura numero, concedendo de eadem ſpecie; nec vllum inconueniens hinc ſequi, & ſimul etiam negando ſequi myſterium Trinitatis in creatis; nam in diuinis eſt vna natura numero in tribus; in creatis eſt vna ſpecie.

196. Contra primò quoad myſterium Trinitatis. Ratio, quare natura diuina, quæ eſt in tribus, non multiplicatur numeraliter, bene autem natura creata neceſſariò ex altero horum duorum capitum debet prouenire. Primò vel quia multiplicantur differentiæ indiuiduales in natura creata, & cum ipſa natura identificantur realiter, ob quam identitatem natura ſuſcipit diuiſionem in ſeipſa: ſed id non poteſt eſſe, quia etiam in diuinis perſonæ multiplicantur, & ſimul identificantur in natura, adeo quod poſſunt dici plures perſonæ, non plures Dij: ſecundò vel id eſt, quia natura creata contrahitur per hæcceitates, non ſic diuina per perſonalitates, quia eſt in vltima actualitate: ſed nec id poteſt dici, quia natura creata non poteſt intelligi diuiſa per aduentum alterius, ſi remanet in ſe omninò vna, vt antea, vt dicunt aduerſarij: ergo currit paritas de natura diuina, & creata.

Respondent aduerſarij, diuiſionem numericam redundare in naturam ex variis hæcceitatibus, quibus contrahitur ad illa indiuidua, eam reddentibus incommunicabilem, cùm priùs eſſet communicabilis.

Contra, quia extrinſecè tantùm, & per accidens redditur incommunicabilis, & intrinſecè remanet vna, ſicut erat: ergo nulla reſponſio.

Respondent, reddi incommunicabi

nicabilem, quatenus eſt ſub ipſa ſingularitate.

Contra, quia illa ſingularitas ponit incommunicabilitatem in indiuiduis conſtitutis non in ipſa natura, quod & poſſet dici de natura diuina.

Cvm igitur ex his capitibus non poſſit reddi ratio diſparitatis inter naturam diuinam, & creatam, ſequitur, quod ratio diſparitatis eſt, quia in natura diuina perſonalitates ita identificantur, quod ex vi talis identitatis non fiat multiplex in natura, ſed tantùm in perſonalitatibus. In creata verò ita identificantur indiuidualitates, vt per ipſas multiplicetur etiam in ratione naturæ; & ob id quia deſtruitur illa vnitas, & remanet ſola indifferentia cum vnitate communi, vt dictum eſt ſuprà *num.* 185. de qua videatur S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *per totam*, & *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *artic.* 1. *quæſt.* 2. & *quæſt.* 4. & *diſtinct.* 9. *quæſt.* 1. & *diſtinct.* 33. *art.* 2. *quæſt.* 2. & 3.

197. Probatvr ſecundò, quia concretum ſubſtantiale multiplicari nequit ſine multiplicatione formæ, vt rectè notat S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *quæſt. vltima*, & hæc eſt ratio præciſa, cur tres diuinæ perſonæ non ſunt tres Dij, quia vna tantùm reperitur diuinitas in ipſis, quæ eſt de ſe hæc, & ſingularis: ſed Petrus, & Paulus ſunt duo homines: ergo in ipſis ſunt plures humanitates, per quas differunt non ſolùm numeraliter, ſed & ſubſtantialiter, & phyſicè, aliàs differrent tantùm ſicut perſonæ diuinæ. Tum quia cùm Petrus producitur à Paulo, Paulus non producit ſeipſum, ſed alium: ergo aliquam humanitatem; terminus enim formalis generationis eſt natura vt in hoc, vt dicit S. Doct. citatus; ſicque ſequeretur, Deum non poſſe annihilare Petrum abſque annihilatione Pauli; quæ enim ſunt idem, non poſſunt ſeparari ab inuicem.

Nec valet reſponſio Paſqual. negantis ſequelam ex hoc, quod natura ratione ſuæ latitudinis admittit entitatiuam diuiſionem, & ob id poteſt in vno indiuiduo deſinere, non deſinente in alio, quia eſt deſitio inadæquata; & hinc indiuiſio, & vnitas in natura non eſt entitatiua, ſed ſecundùm prædicata eſſentialia, ſeu ſecundùm eſſe eſſentiale. Non valet, inquam, quia ſi ſermo eſt de diuiſione entitatiua indiuidualitatum tantùm, redit idem argumentum ſuprà allatum de deſitione: ſi verò ſermo eſt de diuiſione eſſentiæ, tunc coincidunt nobiſcum, ſicque contradicunt ſibi ipſis; & probatur, quia eſſe in multis per inexiſtentiam, non eſt eſſe ſolùm ſecundùm prædicata eſſentialia, ſed ſecundùm eſſe phyſicum; ſicque erit ſimul vna in pluribus abſque ſui diuiſione; quod eſt impoſſibile. Tum quia ex hac eorum poſitione ſequitur falſificatio duarum maximarum, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe*: Et *Quæ ſunt identificata realiter, vnum nequit eſſe ſine alio.* Prima maxima redditur falſa, quia Petrus, & Paulus identificantur in humanitate, & non inter ſe: Secunda, quia cùm Petrus, & Paulus identificentur in eadem humanitate, tamen ob illimitationem naturæ humanitas poteſt eſſe ſine Petreitate, & non ſine Pauleitate.

Respondet Paſqualig. illas propoſitiones ſolui debere, ſicut ſoluuntur in materia de Trinitate. Ex quo patet, ipſos introducere in creatis myſterium Trinitatis, licèt verbis illud denegent.

Probatvr ſecundò, quia ſequeretur dari vniuerſale actu à parte rei, ſcilicet vnum actu, vel aptitudi-

Digitized by Google

ne in multis, & de multis: addo & vniuerſale Platonicum; nam natura, quæ eſt vna in Petro, Paulo, &c. poteſt eſſe ſine Petro, &c. Ergo diſtinguitur realiter; ex ſeparabilitate enim infertur diſtinctio realis.

Dicvnt & militare hoc argumentum contra indifferentiam: ſed nos negamus id, quia cùm natura identificet ſibi indiuidualitatem, ablata indiuidualitate, auffertur & natura hæc.

198. Obiicies primò; Vnitas eſt carentia diuiſionis, ex Ariſt. 5. *Met. text.* 11. ſed natura humana, quæ eſt in Petro, & Paulo caret diuiſione formali, & eſſentiali: ergo vt eſt à parte rei in pluribus, eſt vna formaliter, & eſſentialiter. Probatur minor, quia Petrus, & Paulus non differunt in natura, & eſſentia, alioquin non magis differrent Petrus, & Paulus, quàm Petrus & equus. Tum quia habent eandem definitionem, & vniuocationem.

Respondetvr diſtinguendo minorem. Petrus, & Paulus non differunt in natura, ideſt non habent naturas entitatiuè diuiſas, & ſecundùm rem, nego; non habent diuerſas naturas, ideſt diuerſæ rationis, & quoad prædicata eſſentialia, concedo: ſic negatur conſequentia. Et ad illud de Petro, & equo: Reſpondetur, negando ſequelam; nam natura Petri habet indifferentiam ad eſſe in Paulo, non autem in equo; ſunt enim diuerſæ rationis, & ſecundùm hanc identitatem rationis dicuntur habere eandem definitionem, & vniuocationem, ad quod non eſt neceſſaria entitatiua inexiſtentia. Et hinc patet hallucinatio aduerſariorum, qui à natura conſiderata ſecundùm prædicata eſſentialia, & eò modo quo ſumitur ens ſubſtantiuè, ſeu nominaliter à S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 23. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad vlt.* tranſeunt ad ipſam naturam entitatiuè ſumptam, ſicut dicitur de ente aduerbialiter ſumpto: in primo enim ſenſu natura dicitur eſſe in omnibus indiuiduis: in ſecundo ſenſu eſt vt diuiſa numericè, & phyſicè. Sic S. Bonauent. *lib.* 3. *diſt.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp. & ad* 3. diſtinguit humanitatem, prout dicit tantùm principia eſſentialia, & prout dicit totam completionem cum indiuidualitate.

Obiicies ſecundò: Eſſe eſſentiale, quod reperitur in vno indiuiduo, prædicatur & de altero: ergo eadem natura eſt in vtroque.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. & *lib.* 3. *diſt.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* quod natura prædicatur prædicatione actuali, & proximâ tantùm, vt contracta per identitatem de indiuiduo; aptitudinaliter autem, & remotè de aliis ratione indifferentiæ; vnde illa ſolùm, quæ eſt contracta, prædicatur in quid, quia ſimul cum hæcceitate facit vnum per ſe; aliæ verò prædicantur aptitudinaliter tantùm.

Dices: Ergo eſt prædicatio inadæquata: ergo ſecundùm partem tantùm.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 2. *dub.* 6. ex aliàs traditis, eſſe inadæquatam ratione indifferentiæ; non enim eſt prædicatio inadæquata, quia prædicetur prædicatum ſecundùm partem, ſed quia prædicatur ſecundùm totum ſuum eſſe indifferens, ſcilicet quatenus eſt indifferens ad eſſe in alio.

Dices: Natura, quæ eſt in Petro, non prædicatur de Paulo, quia non exiſtit in eo: ergo eſt imperfecta.

Respondetvr prædicari de Petro, quicquid eſt de ratione communi etiam naturæ Pauli ſecundùm totalitatem eſſentialem, non verò ſecundùm entitatiuam, & phyſicam. Illa verò totalitas eſſentialis non dicit negationem

nem naturæ eiuſdem rationis in alio indiuiduo : iſta verò entitatiua dicit negationem actualem, non verò aptitudinalem ; vnde prædicatione proximâ natura, quæ eſt in Petro, ſolùm de illo prædicari poteſt, de aliis verò poteſt prædicatione aptitudinali, & remota, & de diſiunctiuè ſumptis.

199. Tertia Conclvsio : Natura præcisè ſumpta habet ſuam vnitatem minorem vnitate numerali, diſtinctam formaliter ex natura rei & ab ipſa natura, & ab indiuidualitate. Eſt S. Bonauent. *loc. cit.* præcipuè *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in fine corp.* & Scoti, & ſequacium, & plurium aliorum apud Meldul. *in Met. diſp.* 9. *num.* 132. contra Nominales, & Thomiſtas. Primi enim, ſcilicet Nominales, dicunt naturam per ſe, & intrinſecè eſſe ſingularem : Secundi verò, ſcilicet Thomiſtæ, admittunt vnitatem formalem, ſed negant eſſe communem à parte rei. Sic apud Suarez *in Met. diſp.* 6. *ſect.* 1. & Meldul. citatum.

Hic tamen aduertendum, quod Thomiſtæ admittunt vnitatem formalem à parte rei minorem vnitate numerali in natura : illa enim eſt, quâ aliquid dicitur vnum formaliter in ſe per ſuam formam, & eſſentiam ; iſta verò, ſcilicet numerica, oritur ex vnione materiæ, & formæ, vt rectè aduertunt Rada *part.* 2. *contr.* 3. & Meldul. *num.* 139. in quo conueniunt nobiſcum, vt videre eſt apud Complut. *diſp.* 3. *Log. quæſt.* 2. & 3. Suarez citatum, Ruu. *Log. quæſt.* 3. vniuerſoſque alios : ſed diſcrepant à nobis in hoc, quod negant hanc vnitatem habere communitatem veram, & diſtinctionem vllam ex natura rei ab vnitate numerali ; ſed volunt eſſe communitatem rationis. Vnde qualibet natura habet ſuam vnitatem formalem, ſed diuiſam in quolibet ſuppoſito, & ob id in inferioribus multiplicatam, ad quam ſi ſuperadditur differentia indiuidualis, tunc dicitur numerica ; ſicque in Petro adeſt vnitas formalis naturæ, quâ eſt ſubſtantia, viuens, animal, & rationalis ſecundùm maiorem, vel minorem diuiſionem ; eſtque minor vnitate numerali, quia ad illam vnitatem, quâ eſt animal, poteſt ſuperaddi, quod ſit hoc animal, hic homo per vnitatem numeralem, quæ nullam admittit diuiſionem ; ſicque excludunt ab vnitate formali communitatem, quâ natura ſit vna à parte rei in pluribus abſque ſui multiplicatione, ſed totam communitatem eſſe per opus intellectus.

Nos verò admittimus communitatem realem in natura, & in vnitate, non quidem per inexiſtentiam, vt volunt aliqui Scotiſtæ ; ſed per indifferentiam ſolùm, vt dictum eſt in tertio fundamento, & in ſecunda concluſione. Vnde hæc concluſio continet tres partes. Prima eſt, quod naturæ ineſt ſua vnitas formalis poſitiua, vt eius propria paſſio : Secunda, quod hæc vnitas habet veram communitatem indifferentiæ realis : tertia, quod ſit diſtincta formaliter, & à natura, & ab indiuidualitate.

200. Probatvr prima pars ex traditis in præcedenti concluſione : Datur natura communis à parte rei præciſa ab indiuidualitate : ergo & eius vnitas, vt eius paſſio ; quale enim eſt ens, talis eſt eius vnitas, & paſſio.

Addimvs ex traditis in prima quæſtione formalitatum : Sed vnitas eſt quid poſitiuum ſuperadditum enti : ergo naturæ vnitas eſt poſitiua. Tum quia natura per ſe, & præcisè conſideratur à Metaphyſico, & verè definitur : ergo per ſe eſt vna. Tum quia paſ-

ſio per ſe primò conuenit naturæ, non ſingularibus: ſed ſubiectum per ſe, & poſitiuè debet eſſe vnum; vnitas enim paſſionis pendet ex vnitate ſubiecti: ergo natura in ſtatu præciſionis eſt poſitiuè vna.

Respondent Nominales, quod paſſio, ſi ſumitur propriè, conſiſtit tantùm in conceptu mentis, verbi gratiâ riſibilitas in communi eſt conceptus huius, & illius riſibilitatis. Si verò ſumitur paſſio impropriè pro accidente ſuperaddito, negant maiorem, ſcilicet paſſionem conuenire per ſe primò naturæ, non ſingularibus; ſubiectum enim per ſe primum ſunt ſingularia.

Contra: Ergo dum paſſio prædicabitur de ſuo ſubiecto, verbi gratiâ riſibilitas de homine, erit prædicatio conceptus de conceptu, non rei de re; ſicque erit falſa. Tum quia ſi ſingularia ſunt ſubiectum per ſe primò paſſionis, id non poſſunt eſſe ſecundùm ſingularitatem, cùm in tali paſſione conueniant, & ratione ſingularitatis diſconueniant: ergo ſecundùm naturam: ergo natura eſt ſubiectum primò, & per ſe paſſionis. Vide S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 1. qui optimè probat hanc concluſionem.

Respondet Fonſeca, hanc vnitatem eſſe quidem quid poſitiuum, ſed eſſe veluti mixtam de formali, & numerali, ſcilicet prout conſideratur in natura, dici formalem; prout verò conficit numerum, eſſe numeralem.

Contra, quia vnitas formalis admittit diuiſionem, numeralis verò nequaquam: ergo non ſunt iſtæ duæ vnitates vnum, & idem. Tum quia illa vnitas eſt naturæ, iſta eſt ſingularitatum. Tum quia numerus graduum metaphyſicorum non eſt prædicamentalis, cùm non habeant propriam exiſtentiam ex regula Seraphica; ſed eſt tranſcendentalis, & ob id deſcendunt in naturam, prout etiam ſingularizatur, cùm ſit in ſecundo modo dicendi per ſe, nec tolluntur per talem deſcenſum.

201. Probatur ſecunda pars, quod habeat communitatem indifferentiæ realem, ex Ariſt. qui docet relationes primi modi, ſcilicet idem, ſimile, & æquale, cùm ſint æquiparantiæ, fundari ſuper vnitatem: ſed iſtæ ſunt reales: ergo & fundamentum; ſed non poteſt fundare tales relationes niſi ſecundùm communitatem realem: ergo.

Respondent antiqui Thomiſtæ apud Heruæum negando ſubſumptam minorem ex eo, quod relationes fundantur ſuper vnitatem numericam vnius, & terminant ad aliam alterius; ſicque illa extrema ſunt ſimilia ſeipſis, & per ſuam entitatem ſingularem.

Contra: Duo indiuidua in ratione ſingularitatis ſunt omninò diſſimilia: ergo ſingularitas non poteſt fundare ſimilitudinem. Tum quia ſi ſeipſis ſingularia eſſent ſimilia, ſimilitudo fundaretur ſuper duobus, non ſuper vno, contra textum Ariſtot. Tum quia per id differt ſimilitudo in diuinis perſonis à creata, quòd illa fundatur ſuper vnitatem formalem, quæ de ſe eſt hæc, & ob id immultiplicabilis: iſta è contra in natura, &c. Vrget etiam ipſos Nominales hæc eadem ratio; nam ipſi dicunt, quod licèt extrema ſint ſeipſis ſimilia, tamen cùm per intellectum effingatur relatio rationis inter ipſa, admittunt aliquod fundamentum in re. Vnde tenentur aſſignare aliquod fundamentum diuerſum ab vnitate ſingularitatis, quæ eſt fundamentum diſſimilitudinis.

Respondent alij recentiores

Thomiſtæ ex Suarez, has relationes non fundari ſuper vnitatem à parte rei communem; ſed in vnitate formali cuiuſcumque ſingularis. Vnde ratione illius vnitatis ſimilitudo potiùs dicit diſtinctionem eorum, quæ ſunt ſimilia, & illius entitatis, in qua aſſimilantur, quia idem non eſt ſibi ſimile: quare ſimilitudo, & æqualitas dicunt tantùm commenſurationem duorum inter ſe, quatenus in Petro eſt aliquid, cui ſimile aliquid, & commenſuratum eſt in Paulo: & tunc intellectus efformat vnum conceptum formalem repræſentantem illas duas naturas eo modo, quo dico in tali officina eſſe librum, quem & ego habeo, & habeo florem hunc, qui eſt in tali horto: vnde non datur tertium, in quo conueniant, ſed ſeipſis intrinſecè ſunt conformia illa extrema. Vide Complut. *diſput.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 27. quod & Pontius *diſputat.* 3. *Log. quæſt.* 2. *& concl.* 4. & *part.* 3. *ſui Curſus*, *diſp.* 18. *num.* 11. à ſeipſo diſcedens aſſeruit, vt notat Meldul. citatus, cùm in hoc ſecundo loco dicat gradus prædicamentales, & tranſcendentales eſſe realitates diſtinctas, ob idque & debebat admittere vnitatem naturæ non eſſe puram vnitatem ſimilitudinis inter indiuidua, ſed aliquid ampliùs.

202. CONTRA primò, quia Ariſtot. ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 31. *per totam*, pro fundamento ſimilitudinis aſſignat vnitatem: ergo ſi hæc vnitas eſt tantùm conuenientiæ, & ſimilitudinis, eſt idem ac dicere, Similia fundantur ſuper ſimilitudinem, æqualia ſuper æqualitatem; ſicque erit vitioſus circulus, nempe erit idem, ac dicere, duo extrema eſſe ſimilia, quia eadem prædicata eſſentialia participant; & habere eadem prædicata eſſentialia, quia ſunt ſimilia: vel eſſe ſimilia, quia habent ſimilitudinem prædicatorum; & habere hanc, quia ſunt ſimilia. Tum quia ſi ſimilitudo, & conuenientia duorum eſt fundamentum vnitatis formalis, quæ inter illa duo concipi poteſt: ergo vnitas fundabitur ſuper ſimilitudinem, & conuenientiam, quod eſt contra ſenſum Ariſt.

CONTRA ſecundò: Omnis comparatio ſupponit ſimilitudinem aliquam inter extrema; comparatio enim fit in ſpecie atoma, ex Ariſtot. 7. *Phyſic. text.* 29. ſed comparatio ſupponit aliquam vnitatem realem formæ, in qua extrema comparantur: ergo & ſimilitudo.

PROBATVR minor; nam ſi dicamus, *A eſt albus B*; certum eſt, quod ambo extrema participant albedinem, & in albedine conueniunt. Tunc quæro, in qua albedine conueniunt? Non in albedine ſingulari, quia tunc duo ſingularia participarent vnum, & idem accidens ſecundùm magis, & minus: ergo in albedine communi vtrique, habente vnitatem ſpecificam, & minorem vnitate numerali. Ad bonam enim comparationem (aiunt Grammatici) requiruntur tria, ſcilicet res comparata, & cui comparatur, & id in quo comparantur; & ob id hæc non eſt bona comparatio, *Nix eſt albior coruo*, quia extrema non participant eandem ſpecie formam: ergo conuenientia, & ſimilitudo, quæ ſupponitur ad comparationem, ſignificat vnitatem. Confirmatur, quia ſi A, & B, dicuntur ſimilia, vltra fundamentum remotum, quod ſunt ipſa, etiam proximum debet aſſignari, quod ſit ratio fundandi; nec poteſt aſſignari, niſi vnitas ſpecifica albedinis, in quo duo realiter conueniunt: alioquin ſimilitudo non fundaretur ſuper vnum, ſed ſuper

duo;

duo; & vnitas ſingularis A, quæ eſt ratio diſcriminandi à B, eſſet ratio aſſimilandi, & conuenientiæ inter vtrumque extremum, ex quo poteſt confici hoc argumentum ineluctabile: Impoſſibile eſt, quod duo extrema ſecundùm eandem omninò rationem realem realiter conueniant, & diſconueniant: ſed duo alba realiter diſconueniunt in ratione ſingularitatis: ergo per vnitatem ſingularem non poſſunt conuenire. Et confirmatur, quia ſi magis conueniunt Petrus, & Paulus, quàm Petrus, & equus, & hoc album cum hoc albo, quàm cum viridi: ergo debet aſſignari ratio fundamentalis diſtincta ab extremis, alioquin poſſet æquè concipi vnitas ſpecifica in Petro, & equo, ac in Petro, & Paulo. Et per hoc corruunt ea, quæ adducuntur ab aduerſariis de libro, & flore; nam neceſſariò in his debet aſſignari aliqua vnitas, in qua fundetur talis ſimilitudo.

Probatvr ſecundò, quia generans, & genitum realiter conueniunt, & non conueniunt in ſingularitate: ergo in communitate naturæ.

Instant aduerſarij: Ergo vel conueniunt vnitate conformitatis, ob conſimilitudinem naturarum; vel natura eſſet in pluribus per inexiſtentiam.

Respondetvr negando conſequentiam, nam nos non ponimus eandem naturam entitatiuè in pluribus, ſed tantùm per indifferentiam, in qua conueniunt; quælibet enim in ſe vt vna, & indiuiſa ita eſt in Petro, vt poſſit eſſe in Paulo, & in aliis diſiunctim, & hoc, vel illud indifferenter conſtituere in eodem eſſe ſpecifico: hinc illa indifferentia dicit vnitatem communem differentem ab vnitate numerali.

Probatvr tertiò: Datur vera contrarietas inter duo extrema: ſed extrema non ſunt primò contraria, ideſt hæc albedo huic nigredini; ſed ſunt contraria, quia ſupponunt aliquid, in quo conueniunt; & aliquid, in quo ſunt contraria, vt docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. ſed ſunt contraria ratione extremorum ſingularium: ergo datur tertium, in quo conueniunt: ergo & vnitas communis.

Nec poteſt dici cum Nominalibus, hæc extrema ſeipſis contrariari, non in communi, verbi gratiâ hæc albedo huic negredini; nam ideo hæc albedo contrariatur huic nigredini, quia albedo vt ſic contrariatur nigredini. Vide alias probationes, quas affert fusè, & ſubtiliſſimè Meldul. *in Met. diſp.* 9. *quæſt.* 6. *art.* 1. nam iſtæ ſufficiunt pro nunc ad probandam vnitatem communem realem.

203. Tertia pars, nempe talem vnitatem formaliter diſtingui ex natura rei à numerali, probatur ex poſitione Thomiſtica: nam ſi eſt minor numerali, ergo habet à parte rei eſſe formale diſtinctum. Tum quia à parte rei vnitas formalis fundat rationem conueniendi, numeralis rationem diſtinctionis: ergo habent eſſe formale diuerſum. Item illa facit vniuocationem, iſta nequaquam; illa admittit comparationem inter extrema, iſta non; illa ſtat cum multiplicitate numerali, iſta non; illa eſt indiuiſio in principiis formalibus, iſta in indiuidualibus.

Addimvs, quod etiam in ſtatu inexiſtentiæ natura retinet ſuam vnitatem communem, contra Thomiſtas plures aſſerentes per indiuidualitatem amittere ſuam indifferentiam, quâ in ſtatu præciſionis gaudebat. Probatur, quia vnitas formalis non opponitur numerali: ergo non deſtruitur ab hac. adue

aduenientе : ergo permanet. Patet conſequentia, quia tunc vnitas realis amouetur ab aliqua re ſolùm ob aliquam diuerſitatem oppoſitam in ipſa re introductam : ſed pluralitas indiuiduorum non opponitur vnitati ſpecificæ : ergo. Et confirmatur, quia quæ non ſunt diſtincta, neque diuiſa extra intellectum, neceſſariò ſunt indiſtincta, & indiuiſa : at indiuidua eiuſdem ſpeciei ſunt huiuſmodi, non enim ſpecie diſtinguuntur; & in quo diſtinguuntur, non diſtinguuntur ſecundùm omnem rationem incluſam in eis, ſed tantùm ſecundùm indiuidualitatem : ergo natura formalis dicit propriam vnitatem communem.

Respondent aduerſarij, quod ſi differentia capiatur pro diuiſione naturæ, falſum eſt duo indiuidua non differre in natura; ſi verò differentia capiatur pro diſconuenientia, & diſſimilitudine, ſic concedunt non differre in natura, quia non ſunt diſſimilia in natura; ſicque negant vnitatem naturæ, prout dicit indiuiſionem naturæ; admittunt conuenientiam excludentem diſſimilitudinem naturarum : ſed iam ſuprà in ſecunda concluſione expugnata eſt hæc reſponſio, dum probauimus naturam non dicere aliquod tertium exiſtens in pluribus, ſed tantùm vnitatem communem per indifferentiam, per quam natura, quæ conſtituit Petrum, eſt communis Paulo, quatenus poterat & Paulum conſtituere. Tum etiam, quia illa conformitas vel eſt quid reale, vel rationis : hoc ſecundum non poteſt dici : ergo primum; ſed non poteſt eſſe aliquod vnum ſimul pluribus communicabile, id enim competit naturæ diuinæ tantùm : ergo erit per indifferentiam. Tum etiam, quia in opinione aduerſariorum natura formaliter ſumpta eſt de ſe communicabilis, indiuidualitas incõmunicabilis : ergo & iſtæ vnitates ſunt quid diſtinctum à parte rei. Tum quia prædicata, quæ vnitati formali competunt in ſtatu obiectiuo, & præciſo, competunt & in ſtatu exiſtentiæ : ergo ſunt eſſentialia.

204. Obicies primò contra primam partem concluſionis ex Auerſa : Natura in ſtatu eſſentiæ habet tantùm prædicata primi, & ſecundi modi : ſed vnitas hæc non competit naturæ in ſtatu exiſtentiæ, & vt diuiſa eſt : ergo non eſt communis. Probatur minor, quia diuiſio per indiuidualitates eſt oppoſita vnitati communi : ergo non poteſt ei competere, prout deſcendit ad inferiora. Confirmatur in natura diuina, quæ eſt in ſe, & eſſentialiter vna; ideo competit ei vnitas in quocumque ſtatu : ergo natura creata de ſe non eſt vna, cùm admittat diuiſionem.

Respondetur negando vnitatem communem eſſe oppoſitam diuiſioni indiuiduali; dantur enim diuerſi gradus vnitatis realis, ſicuti dantur diuerſi gradus entis. Vnde ſolùm vnitas indiuidualis opponitur pluralitati indiuiduali, non verò vnitas formalis, quæ eſt minor, ob idque retinet eam natura etiam in ſtatu contractionis, cùm non deſtruatur per diuiſionem numeralem : nec valet paritas de natura diuina, cùm hæc de ſe ſit indiuidua : immò ex hoc infertur noſtra concluſio.

Instat Fonſeca contra ſecundam partem concluſionis : Repugnat aliquod prædicatum conuenire eſſentialiter naturæ in ſtatu eſſentiæ, & non communicari indiuiduis, quibus identificatur : ſed vnitas communis non communicatur indiuiduis, ſed tantùm numeralis : ergo vnitas communis non eſt prædicatum ſecundi modi : ergo deſtruitur per contractionem ad indiuidua.

RESPONDETVR negando minorem; communicatur enim vnitas indifferentiæ etiam indiuiduis, per quam reſpicit æqualiter omnia indiuidua.

CONTRA inſtat Hurtadus: Omnis natura de ſe eſt ſingularis, quia vniuerſale datur tantùm per intellectum: ergo non habet vnitatem communem diſtinctam à numerali.

RESPONDETVR aliquid poſſe dici ſingulare, & vnum numero, vel primò, & per ſe, vt differentia indiuidualis: vel ſecundò per ſe, ſed non primò, vt ipſum indiuiduum: tertiò per accidens, & denominatiuè, vt ipſa natura communis in indiuiduo exiſtens, quæ ſecundùm ſe non eſt hæc de ſe, ſed communis per indifferentiam, & hoc tertio modo naturæ competit ſingularitas. Sic Scot. *lib. 2. diſt. 3. quæſt. 6. litera E.* Vnde negatur antecedens, & conſequentia, & ad rationem adductam reſpondetur, vniuerſale formaliter eſſe per intellectum: ſed fundamentaliter eſſe quid à parte rei, & ob id etiam vnitas communis.

205. OBIICIES ſecundò contra tertiam partem concluſionis: Natura non habet eſſe reale, niſi in indiuiduis: ergo nec vnitatem: ergo illam non habet ex natura rei diſtinctam ab vnitate numerali. Probatur antecedens, & conſequentia à Ruuio, quia idem eſt eſſe hominem, & hunc hominem, aliàs Petrus eſſet duo; duæ enim vnitates faciunt dualitatem, & in eo eſſet humanitas oppoſita huic humanitati.

RESPONDETVR concedendo antecedens de eſſe exiſtentiali; ſed negatur non habere eſſe reale præciſum ab indiuidualitate, ſecundùm quod & habet ſuam vnitatem. Et ad probationem Ruuij concedendo antecedens de identitate reali, negando de formali; hic enim homo includit hominem vt ſic vt habentem propriam vnitatem indifferentiæ: ſic negatur ſequela; non enim illæ duæ formalitates faciunt dualitatem, hæc enim tantùm prouenit ex exiſtentiis pluribus: gradus autem prædicamentales non ponunt in numero.

INSTAT Ocham: Si natura diſtinguitur ab hæcceitate: ergo poſſet videri intuitiuè abſque differentia indiuiduali ab intellectu ſeparato: ſic etiam Scotus docet poſſe videri eſſentiam diuinam abſque perſonalitatibus.

RESPONDETVR negando ſequelam antecedentis; cognitio enim intuitiua terminatur ad per ſe exiſtens in propria exiſtentia, quam & habet eſſentia diuina, præciſis perſonalitatibus?

INSTANT aduerſarij: Natura diuiditur in indiuidua: ergo & eius vnitas: ergo non eſt communis.

RESPONDETVR, naturam diuidi entitatiuè, non ſecundùm totalitatem eſſentialem, ſecundùm quam retinet ſua prædicata quidditatiua.

OBIICIES Tertiò cum Ioan. à S. Thoma: Natura extra intellectum accipit ſtatum ſingularitatis: ſed poſitâ ſingularitate tollitur communitas poſitiua, & etiam negatiua: ergo non datur præciſa ab indiuidualitate. Probatur minor, quia natura poſt contractionem eſt abſolutè ſingularis: ergo tollitur eius indifferentia.

RESPONDETVR diſtinguendo maiorem, natura extra intellectum accipit ſtatum ſingularitatis conſiderata ſecundùm eſſe exiſtentiale, concedo; ſecundum eſſe præciſum, nego: ſic negatur minor, quia ſemper remanet cum ſua indifferentia. Et licèt poſt contractionem competat illi ſingularitas, tamen id ei non competit ex ſuis princi-

piis

Digitized by Google

piis formalibus, ſed ex indiuidualitate conſequente, quæ cùm non ſit oppoſita illi vnitati, hæc per eam non deſtruitur.

OBIICIES quartò ex Cannon. Omnis diuiſio tollit vnitatem ſibi oppoſitam: ſed vnitas, quam habet natura ſpecifica, eſt ſpecifica: ergo tollitur per diuiſionem ſpeciei: ſed diuiſio ſpeciei fit per indiuiduorum multitudinem: ergo non remanet vna ſpecie: ergo datâ diuiſione entitatiuè naturæ, dabitur pluralitas ſpecifica in indiuiduis; ſicuti datâ diuiſione per differentias ſpecificas, tollitur vnitas generica. Probatur conſequentia, quia per nos alia, & alia natura reperitur in indiuiduis, & ob id alia, & alia vnitas formalis ex principiis intrinſecis, & formalibus; & ſi differunt indiuidualiter, id eſt ex indiuidualitate ex conſequenti adueniente.

206. RESPONDETVR concedendo maiorem, & ad minorem reſpondetur, naturam habere duplicem indiuiſionem, ſeu vnitatem: alia eſt ex principiis formalibus, & intrinſecis; & hæc nunquam tollitur per quamcunque diuiſionem aduenientem: alia eſt ex principiis indiuiduantibus, & dicitur totalitas entitatiua, & hæc tollitur per indiuidualitates aduenientes, ad quas conſequitur diuiſio phyſica, & entitatiua naturæ: ſic negatur conſequentia; non enim eſt verum, quod ait Cannon. quod per differentias ſpecificas tollatur vnitas generica, & per indiuiduales vnitas ſpecifica; cùm ipſæ ſint quid poſterius, & ob id non opponuntur intrinſecè talibus vnitatibus ſecundùm totalitatem eſſentialem ſumptis, & ſecundùm indifferentiam, licèt ex parte tollantur, ſcilicet ſecundùm totalitatem entitatiuam, per quam excluditur communitas naturæ per inexiſtentiam, non autem per indifferentiam: & per hanc diſtinctionem reſpondetur omnibus ferè argumentis, quæ ab aduerſariis coaceruantur.

CONTRA inſtant Nominales: In quolibet indiuiduo reperitur alia, & alia natura cum ſua vnitate eſſentiali: ergo cum diſtinctione ſpecifica.

RESPONDETVR, reperiri quidem aliam, & aliam naturam entitatiuè ſumptam, non verò ſecundùm communitatem, & vnitatem per indifferentiam, ob quam omnia indiuidua ſunt eiuſdem ſpeciei; non enim vnitas formalis, quæ eſt in Petro, differt ab vnitate formali, quæ eſt in Paulo intrinſecè per principia formalia, & intrinſeca; ſed tantùm per extrinſeca, & indiuidualia: & hinc Petrus, & equus ſpecie diſtinguuntur, non Petrus, & Paulus.

INSTAT iterum Ocham: Cum multitudine numerali non ſtat vnitas minor ipsâ, vel quia deſtruitur, vel quia eſt identificata cum numerali: ergo.

RESPONDETVR negando antecedens: illa vnitas ratione indifferentiæ dicitur minor numerali, nec deſtruitur, licèt identificetur cum numerali ratione exiſtentiæ.

INSTAT iterum: Illæ vnitates formales ſunt antecedenter diſtinctæ ante aduentum hæcceitatum: ergo Petrus, & Paulus diſtingnuntur ad inuicem ante indiuidualitates.

RESPONDETVR concedendo illas vnitates præcedere differentias indiuiduales, ſed non vt diſtinctas intrinſecè ex principiis formalibus: ſic negatur conſequentia; illæ enim humanitates, & vnitates non diſtinguuntur ad inuicem, ſed ab extrinſeco tantùm, & ratione indiuidualitatum. Vnde malè confundunt aduerſarij vnitatem eſſentia-

H h 2 lem,

lem, & metaphyſicam cum vnitate phyſica, & entitatiua; illa enim præſcindit ab exiſtentia; iſta inuoluit exiſtentiam. Vnde indiuiduatio non ponit in natura, multitudinem eſſentialem, ſed tantùm numericam, & entitatiuam.

Ex his inferuntur ſequentia corrollaria.

207. Primvm, quod vniuerſale metaphyſicum, ſeu natura realis habet aliquas conditiones importantes perfectionem, & alias importantes imperfectionem. Quæ dicunt perfectionem, ſunt ſequentes: Prima, quod habet eſſe quidditatiuum: Secunda, quod ſit communicabilis multis. Tertia, quod ſit definibilis: Quarta, quod habeat eſſe ſcibile: Quinta eſſe demonſtrabile: Sexta eſſe intenſibile. Quæ conditiones non competunt ſingularibus, vt talia ſunt. Conditiones verò, quæ important imperfectionem, ſunt ſequentes: Prima eſt habere eſſe potentiale in ordine ad differentias: Secunda, eſſe partibile per differentias diuidentes: Tertia, eſſe componibile: Quarta, eſſe multiplicabile: quæ omnes ſparſim afferuntur à Seraph. Doct. in locis citatis in textu.

Secvndvm corollarium: Natura non ſolùm in priori ſigno, antequam contrahatur, habet ſuam indifferentiam ad quodcumque inferius, ſed etiam eandem retinet in ſtatu contractionis cum ſua communitate, & vnitate formali; ſunt enim compatibilia cum actuali contractione.

Tertivm corollarium: Natura ratione talis indifferentiæ poteſt quidem prædicatione actuali prædicari de inferiori, in quo eſt; ſed de aliis poteſt aptitudinaliter, & prædicatione remotâ prædicari; & ob id talis indifferentia facit, quod inferiores ſpecies conueniant in eodem genere, & indiuidua in eadem ſpecie: conueniunt enim in totalitate eſſentiali, quæ importat prædicata quidditatiua, licèt non conueniant in totalitate entitatiua, & phyſica, ſecundùm quam natura eſt diuiſa in inferioribus.

Qvartvm Corollarium: Hæc vnitas, & communitas indifferentiæ non importat ſolam, & nudam ſimilitudinem indiuiduorum; ſed in natura eſt fundamentum proximum ſimilitudinis ſubſtantialis inter ipſa.

Qvintvm Corollarium: Natura de ſe non eſt vniuerſalis actu, & completè, nec eſt ſingularis: ſed vtrumque ei per accidens aduenit, & veluti ab extrinſeco. Vniuerſalitas quidem actualis aduenit ei per opus intellectus, vt mox dicetur; ſingularitas verò per indiuidualitatem conſequentem ex principiis intrinſecis naturæ; & quia eſt quid conſequens, dicitur aduenire quaſi ab extrinſeco.

QVÆSTIO III.

Quid ſit Vniuerſale Logicum.

208. Hvcvsqve de natura reali, eiuſque communitate, & vnitate egimus: & cùm ipſa ſit fundamentum Vniuerſalis Logici, hinc iure merito duas præcedentes quæſtiones de vniuerſali metaphyſico præmiſimus. Nunc igitur ad Vniuerſale logicum deſcendendum eſt, de quo quæritur, in quonam conſiſtat eius ratio formalis, & qualiter differat ab vniuerſali reali. Pro explicatione tituli,

Præmittendvm eſt, quod vniuerſa

Digitized by Google

uerſale aliud eſt phyſicum, eſtque ipſa natura, vt in ſingularibus exiſtens, & vt indiuiduata, & eo modo ſumpta, quo producitur: ſic S. Doct. *lib. 2. diſt. 18. art. 1. quæſt. 3. ad 3.* Aliud eſt vniuerſale metaphyſicum, eſtque vnum ad multa, vel præter multa. Aliud eſt vniuerſale logicum, eſtque ipſa natura affecta ſecundâ intentione logicâ, & dicitur vnum poſt multa, & de hoc procedit quæſtio præſens. Cùm enim vniuerſale definitum fuerit ab Ariſt. *1. Periherm. cap. 5.* Id quod eſt vnum in multis, & eſt prædicabile de multis; occaſionem deſumpſerunt Philoſophi inquirendi, quænam ſit ratio formalis vniuerſalis logici, & præcipuè, an conſiſtat in illo eſſe abſtracto, abſoluto, & præciſo, quod habet natura vt abſtracta à ſingularitatibus; an verò aliquid aliud importet, nempe relationem rationis. Primum affirmant Suarez *diſp. 6. Met. ſect. 6.* Conimb. *quæſt. 5. art. 3.* Toler. *quæſt. 2. de Vniuerſ.* Secundum, ſcilicet aliud requiri, nempe relationem rationis, affirmat communis opinio cum Seraph. Doct.

Disqvirvnt etiam, an ratio formalis logici conſiſtat in ratione *in*, ſcilicet in eſſe vnum in multis, & eius proprietas ſit prædicabilitas de multis? an è contra prædicabilitas ſit ipſius ratio formalis; eſſe verò vnum in multis, ſit eius proprietas.

Hanc ſecundam opinionem tenent plures Scotiſtæ apud Meldul. *in Log. diſp. 4. num. 28.*

Primam aſſerit communis opinio D. Bonau. D. Thom. & aliorum. Pro ſolutione quæſtionis,

209. Primò notandum, quod cùm ex S. Bonau. *lib. 1. diſt. 27. art. 1. quæſt. 3. in corp.* & *lib. 2. diſt. 18. quæſt. 3. in corp.* duplex ſit abſtractio, alia in qua res, ſeu natura habet ſuum eſſe formale, & obiectiuum; alia, quæ habet eſſe per intellectum: ſic etiam vniuerſalis natura poteſt conſiderari in duplici ſtatu. In primo ſecundùm ſuum eſſe formale, in quo ſtatu non includit in ſuo conceptu formali rationem formalem indiuidualitatis, diciturque vnũ ad multa, vel præter multa. In ſecundo ſtatu habet natura eſſe præciſum per opus intellectus, prout intellectus agens procedens modo reſolutiuo aſcendendo denudat ipſam naturam à conditionibus indiuiduantibus, & ſenſibilibus; diciturque à S. Doctore vnum à multis, *lib. 4. diſt. 50. part. 2. quæſt. 1. ad vlt.* & *lib. 1. diſt. 8. part. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 1.* & *ibid. part. 1. dub. 3.* & *in Comp. Theol. lib. 2. cap. 46.* In primo ſtatu habet quidem indifferentiam poſitiuam, ſed à Scoto appellatur indeterminatio negatiua, prout eſt indifferens ad quamcunque indiuidualitatem, nec ipſam includit in ſuo conceptu formali. In ſecundo ſtatu dicitur habere præciſionem intentionalem, & indeterminationem poſitiuam cum ſua vnitate intentionali, quâ non ſolùm non includit indiuidualitates, ſed & eas excludit, ipſiſque poſitiuè opponitur; in quo ſtatu dicitur habere vnitatem ſolitudinis, excludentem conſortium differentiarum. Hinc fit, quod in primo ſtatu eſt in potentia remota tantùm ad fieri vniuerſale logicum; in ſecundo ſtatu eſt in potentia proxima ad tale vniuerſale logicum; quod & fusè in præcedenti quæſtione traditum eſt. Adueniente enim intellectu poſſibili, & deſcendendo comparare poteſt hanc naturam ſic præciſam ad ſua indiuidua, tanquam ſuperius ad ſua inferiora; tuncque reſultat relatio rationis, ſeu habitudo, & comparatio actiua ex parte intellectus, & paſſiua ex parte ipſius naturæ comparatæ, per quam denominatur extrinſecè comparata, &

Digitized by Google

cognita. Et deinde vlteriùs intellectus concipiens talem relationem per actum reflexum, vt quid inexiſtens, ſcilicet ipſam naturam, vt ſimul inexiſtentem in omnibus indiuiduis indiuiſibiliter, tunc reſultat vniuerſale logicum, quia recipit & vnitatem, & communitatem rationis; quæ duo faciunt vniuerſale logicum, diciturque à S. Bonau. vnum in multis, & poſt multa.

Ex quo patet, quantùm aberrauerint à veritate aliqui, præcipuè Paſqual. *tract.* 2. *Met. diſp.* 18. *ſect.* 3. vt rectè notat Meldul. *in Met. diſp.* 9. *num.* 205. dum confundunt in natura præciſa hæc duo, ſcilicet eſſe in proxima potentia ad recipiendam vniuerſalitatem logicam, & eſſe prædicabilem proximè de hoc, & hoc; ſunt enim diuerſa inter ſe: nam natura in illo ſtatu præciſionis factæ per intellectum eſt quidem in potentia proxima ad recipiendam vniuerſalitatem logicam, non verò ad prædicari proximè prædicatione dicente, *Hoc eſt hoc*, quia ad hanc requiritur vniuerſalitas, & communitas, & vnitas per inexiſtentiam effictam ab intellectu, per quæ fit proximè prædicabilis: quæ noua communitas, & vnitas aduenit ei ex actu intellectus denuò concipientis illam comparationem paſſiuam, ſeu relationem rationis, & ipſam naturam, vt inexiſtentem ſimul in multis. Quare natura in illo ſtatu priori præciſionis prædicatione exercitâ poſſet quidem dici vniuerſale logicum, impropriè tamen; nam ad hoc vt ſit propriè tale, requiritur, vt poſſit prædicari prædicatione ſignatâ; & ad hoc requiritur ſecunda intentio fabricata cum effictione.

Dices: In ſtatu illo præciſionis natura habet eſſe intentionale: ergo eſt ens rationis: ergo eſt vniuerſale logicum.

Respondetur diſtinguendo antecedens, & conſequens; eſt ens rationis materiale & nominaliter tantùm, concedo; eſt ens rationis formale, nego: nam in illo ſtatu eſt ens rationis, ſeu intentionale, derelictum ab intellectu abſtrahente, ſed per denominationem extrinſecam tantùm, quæ naturæ non repugnat: at id non ſufficit ad vniuerſale logicum; debet enim eſſe quid effictum, quod repugnet ipſi naturæ, ſcilicet ipſa exiſtentia naturæ efficta ſimul vna, & indiuiſibiliter in multis.

210. Secundò Notandum, quod ex doctrina tradita oritur differentia, quæ eſt inter vniuerſale metaphyſicum, & logicum: nam vniuerſale metaphyſicum, vt notat S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad vlt.* eſt veluti totum potentiale habens ſub ſe partes ſubiectiuas, in quas diuidi poteſt, vt animal in hominem, & leonem; homo in Petrum, & Paulum: per quarum diſtributionem, & diuiſionem veluti euacuatur illud totum, quia ei deficit communitas per inexiſtentiam, habetque ſolùm indifferentiam ad eſſe diuiſim in multis: ſic S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. At vniuerſale logicum cùm habeat actu eſſe vnum, & eſſe commune multis per inexiſtentiam effictam ab intellectu, ſemper tale permanet, quacumque diſtributione, & prædicatione factâ; quia ſecundùm illam vnitatem, & communitatem eſt totum in ſingulis, licèt non totaliter, & adæquatè; eſt enim quidem in hoc, & illo; ſed etiam eſt, & poteſt eſſe in aliis: & in hoc ſenſu dixit Porphirius, quod participatione ſpeciei omnes homines ſunt vnus homo, ideſt quatenus natura concipitur vna in multis per inexiſtentiam, ſolúmque extrinſecè diuiſa per differentias

tentias indiuiduales. Et hinc patet differentia inter naturam diuinam, & creatam; nam diuina abſque effictione eſt in multis; creata verò non poteſt eſſe ſimul vna in multis, niſi mediâ effictione inexiſtentiæ: quæ doctrina ſparſim traditur à Seraph. Doct. tum locis citatis, tum *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & ad* 2. & *lib.* 2. *diſtinct.* 25. *cit.* & *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *q.* 3. *in corp.* & eſt diligenter aduertenda, quia eſt fundamentum potiſſimum totius materiæ de Vniuerſalibus.

211. Tertiò Notandum, quod cùm in vniuerſali logico adſit natura, vt ſubſtat ſecundæ intentioni vniuerſalitatis, & ipſa ſecunda intentio, quæ ambo conſtituunt vniuerſale logicum, non vt aggregatum ex ſecunda intentione, & natura principaliter ſumptis, quia ſic non eſſet definibile; hinc debet ſumi, quatenus vel natura vt quid principale ſubſtat ſecundæ intentioni; & hæc, vt quid connotatum, & minùs principale; vel è conuerſo, quatenus ſecunda intentio eſt applicata naturæ: illa quidem vt quid principale, iſta verò vt quid minùs principale, & connotatum, ſeu vt additamentum: de quo modo definiendi agit S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. & fuſiùs agetur *in cap. de Genere.* His poſitis ſit

212. Prima Conclvsio: Vniuerſale Logicum formaliter conſtituitur per relationem rationis naturæ communis ad inferiora, vt ſubjicibilia. Eſt S. Bonauent. citati, Scoti, & ferè communis contra Suarez citatum, ſuſtinentem fieri vniuerſale logicum per ſolam abſtractionem præciſiuam abſque vlla comparatione ad inferiora; vultque hanc ſolùm addere notitiam conuenientiæ plurium in tali natura abſtracta. Vnde dicit vnitatem vniuerſalis conſiſtere in indiuiſione naturæ in plures naturas eiuſdem rationis ſimiles ſub eodem nomine, & ratione; cum aptitudine tamen, vt in eas per intellectum diuidatur: quâ diuiſione factâ, non amplius remanet vna, & id habet natura in illo ſtatu præciſionis. Nos verò dicimus, vnitatem vniuerſalis logici non conſiſtere in illa præciſione facta per intellectum, ſed in exiſtentia actuali efficta ipſius naturæ in multis; ex hac enim oritur proxima prædicabilitas, & ob id Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *quæſt.* 3. & *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *quæſt.* 2. & *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *ſerm.* 4. *Hexaëm.* appellat hoc vniuerſale vnum in multis, & poſt multa.

Probatvr igitur primò; nam negatâ tali exiſtentiâ efficâ, nulla amplius daretur prædicatio vniuerſalis de inferioribus. Probatur ſequela, quia dum prædicatur aliquid de alio, vel ſupponitur iam communicatum, vel communicatur per talem prædicationem: ergo per inexiſtentiam actualem: ergo debet manere talis vnitas intacta per inexiſtentiam cum ipſo actu eſſendi in multis, & prædicandi de multis. Tum etiam, quia aptitudo non datur ad actum cum ipſa repugnantèm; ſed eius actus ipſam perficit: ergo ſi natura dicit aptitudinem ad eſſendum in multis, dum actu applicabitur, non deſtruetur illa vnitas: ergo talis vniuerſalitas logica ſtabit cum actu eſſendi. Tum quia vniuerſale eſt vnum in multis, & ſimul prædicabile de multis: ergo dicit ordinem eſſentialem ad inferiora, provt in illis exiſtit adæquatè, alioquin non erit bona illa definitio. Tum quia natura in illo ſtatu præciſionis abſolutè non eſt totum actuale, ſed tantùm potentiale;

habens

Digitized by Google

habens partes ſubiectiuas, in quas diuidi poteſt per rationem; ſed hoc propriè non eſt vniuerſale logicum, vt notat S. Bonau. *lib. 2. diſt. 25. part. 1. art. 1. quæſt. 3. ad vlt.* nec enim vt ſic includitur in inferioribus, & ob id non eſt prædicabile de ipſis proximè prædicatione dicente, ***Hoc eſt hoc:*** ergo vniuerſale logicum non deſtruitur per diſtributionem prædicabilitatis, ſicut illud, & per conſequens non poteſt conſiſtere in illa natura ſic præciſa; & hinc ſequitur

213. SECVNDA CONCLVSIO: Vniuerſale logicum non fundatur proximè, & præciſè in illa vnitate, quam habet natura in eſſe reali; nec in alia, quam habet in ſtatu præciſionis abſolutæ; ſed in illa, quam recipit per inexiſtentiam effictam ipſius naturæ in multis.

PRIMA pars patet, quia illa prima vnitas per indifferentiam ratione differentiarum indiuidualium multiplicatur ad multiplicationem ipſarum: ergo non poteſt eſſe vt ſic talis, vt in ipſa vniantur inferiora; alioquin tot multiplicarentur genera, & ſpecies, quot indiuidua, cùm tot etiam multiplicentur tales vnitates.

PROBATVR ſecunda pars, quia vnitas vniuerſalis eſt per ordinem ad multa: ſed vnitas præciſionis eſt tantùm in ordine ad ipſam naturam. Tum quia hæc vnitas præciſionis ponit repugnantiam ad eſſe in multis, quia ponit eam in ſtatu ſolitudinis, vt dictum eſt, & probatum in primo notabili: at vnitas vniuerſalis ponit eam in multis: ergo illa non eſt ſufficiens ad vniuerſalitatem logicam. Tum quia dum per actum collatiuum natura confertur cum inferioribus, & concipitur in ipſis, amittit illam vnitatem, quam per actum abſtractiuum acquiſierat, & adhuc remanet vna: ergo ſunt diuerſæ vnitates.

RESPONDENT concedendo actum eſſendi in multis repugnare cum vnitate præciſionis; non verò aptitudinem, quam in tali ſtatu præciſionis habet; & ſecundùm nos talis vnitas eſt fundamentum proximum vniuerſalitatis logicæ: ergo debet permanere cum ipſa vnitate vniuerſalis, ſicque in hac conſiſtit vniuerſalitas logica.

CONTRA, quia vniuerſalis vnitas non ſolum ſtat cum aptitudine eſſendi in multis, ſed & cum ipſo actu intentionaliter ſumpto eſſendi in multis; actus enim non deſtruit, ſed perficit aptitudinem, & ponit eam in actu ſecundo. Tum quia vniuerſalis vnitas eſt ratio, quare proximè poteſt prædicari de ipſis: ergo ad hoc vt poſſit prædicari, debet concipi actu in ipſis: ſed illa vnitas præciſionis excludit actualem inexiſtentiam in ipſis: ergo non in ipſa conſiſtit vniuerſalitas.

214. PROBATVR tertia pars, quia per talem vnitatem, & communitatem effictam per inexiſtentiam recipit natura eſſe in multis, & poteſt abſque impedimento prædicari de ipſis; & hoc coniunctim, non diuiſim.

OBIICIES primò contra vtramque concluſionem ex Suarez: Vnitas vniuerſalis eſt negatio diuiſionis in plura eiuſdem nominis, & rationis, coniuncta cum aptitudine ad talem diuiſionem: ſed hæc eſt vnitas præciſionis, cùm per ipſam ſeparetur à ſingularibus: ergo. Confirmatur, quia vnitas de ſe dicit indiuiſionem, & tollitur per diuiſionem: at vniuerſale Logicum admittit diuiſionem: ergo per talem diuiſionem deſtruetur aliqua vnitas: ſed hæc non eſt vnitas formalis: ergo erit vnitas præciſionis.

RESPONDETVR concedendo antecedens

cedens de vnitate, & diuiſione ſibi oppoſita, & proportionata; illa enim tollitur per diuiſionem ſibi oppoſitam: ſed negando minorem, quod vnitas præciſionis ſit vnitas formalis vniuerſalis logici; eſt enim differens: nam vnitas præciſionis tollitur per diuiſionem, non verò vnitas per inexiſtentiam effictam; hæc enim ſtat cum multiplicatione indiuiduorum, quæ eſt veluti materialis, & ſibi accidentalis. Vnde negatur, hanc dicere indiuiſionem in plura eiuſdem nominis, & rationis. Et ratio eſt, quia vniuerſale diuiſum in ſuas partes ſubiectiuas retinet ſuam integritatem, & totalitatem eſſentialem, ſecundùm quam prædicatur de ſingulis, licèt non totaliter, & adæquatè. Ad confirmationem reſpondetur eodem modo concedendo maiorem de vnitate reali, & etiam præciſionis; negando de vnitate inexiſtentiæ effictæ, hæc enim non excludit ſtatum contractionis per intellectum, cum qua remanet & indifferentia poſitiua, & potentia proxima prædicabilitatis, per quam exercetur, & ponitur in actu ſecundo: ſic negatur minor, & conſequentia.

Contra inſtant aduerſarij: Vniuerſale eſt totum poteſtatiuum: ergo eius vnitas conſiſtit propriè in indiuiſione in plures partes ſubiectiuas; factâque tali diuiſione deſtruitur talis vnitas: ergo in tali vnitate præciſionis conſiſtit vniuerſale logicum: ergo & deſtruitur in ſtatu contractionis.

Nec valet dicere, quod factâ contractione, adhuc cogitatur manere natura vna in omnibus per vnitatem inexiſtentiæ, quatenus ſingula indiuidua retinent ſuam totalitatem eſſentialem; Non valet, inquam, quia vniuerſale conſideratum ſecundùm totalitatem eſſentialem, eſt totum actuale, ſubjicibile, non prædicabile, quia de ipſo prædicantur prædicata quidditatiua; at hîc loquimur de vniuerſali poteſtatiuo, & prædicabili, quod deſtruitur per diuiſionem, & contractionem: ergo in tali vnitate conſiſtit.

Respondetur idem vniuerſale eſſe totum actuale, & totum poteſtatiuum: habet quidem primum ſecundùm eſſe reale, & admittens prædicationem exercitam, ſecundùm quam poteſt quidditatiuè prædicari de ſuis inferioribus, retinetque hanc totalitatem etiam, dum concipitur vt totum potentiale per ordinem ad prædicationem ſignatam: & quia hæc totalitas potentialis concipitur vt inexiſtens actu in ſuis inferioribus ad ſimilitudinem totalitatis actualis, hinc non tollitur talis vniuerſalitas per contractionem, & prædicabilitatem ipſius de ſuis inferioribus. De quo vide ſuprà in notabili 1. & 2. Vide etiam infrà ad caput de Genere, in textu Seraph. *ad Literam D.* Hinc conceditur antecedens de toto potentiali metaphyſico; negatur de logico, & ſimul negatur conſequentia. Ratio eſt, quia illa diuiſio non redundat in vnitatem conceptam vniuerſalis; ſed ſiſtit intra latitudinem hæcceitatum, ob idque ſolùm extrinſecè multiplicatur, vel ſpecificè, vel numericè. Vnde natura, vt eſt totum actuale, non ſolùm eſt quid vnum in ſe, ſed & habet ſaltem remotè prædicari de inferioribus; & eadem natura, vt eſt ſolùm totum potentiale, eo ipſo, quod concipitur ad modum totius actualis, & vniuerſalis per inexiſtentiam, & vnitatem effictam, fit vniuerſale actu, nec tamen deſtruitur per applicationem, ſeu diſtributionem, cùm iam præſupponatur vt contracta per intellectum ab omnibus inferioribus ſimul, & ſemel. Ex quo patet, quid dicendum ſit ad

ad confirmationem, quæ concludit de natura vt contracta à parte rei, non verò de ipſa contracta per intellectum. Illa enim eſt cum diuiſione; iſta eſt cum vnitate, & communitate ſimul ad omnia inferiora.

Obiicies ſecundò: Natura fit ſingularis per ordinem ad ſingularia: ergo per eundem ordinem non poteſt fieri vniuerſalis, cùm vniuerſale, & ſingulare ſint oppoſita: ergo ſupereſt, vt fiat vniuerſalis per abſtractionem abſolutam.

215. Respondetvr concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens: Natura fit vniuerſalis per reſpectum eundem, ideſt per eandem contractionem, quâ fit verè ſingularis, nego; per alium reſpectum, ideſt per inexiſtentiam naturæ effictam in pluribus, concedo: ſic negatur conſequentia, non enim illa inexiſtentia efficta eſt propriè contractio ad vnum ſolum, ſed ad omnia inferiora æqualiter, & indeterminatè. Vnde eſt quidam ſtatus, qui tribuitur naturæ intentionaliter per opus intellectus, quo fit ſimul indiuiſibiliter pluribus communis.

Contra: Illa comparatio eſt ſingularis: ergo non poteſt tribuere vniuerſalitatem.

Respondetvr eſſe ſingularem in actu exercito, & vt quod, non vt quo, ſiue in actu ſignato, quatenus poteſt denominare naturam vniuerſalem: ſic etiam ſpecies impreſſa, & expreſſa eſt ſingularis vt quod, & vniuerſalis vt quo, ſcilicet quatenus repræſentare poteſt multa: ſic S. Bonau. *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 3. 4. *&* 5. Quare concludimus, quod natura de ſe habet ſuam vnitatem formalem per indifferentiam, quæ in indiuiduis multiplicatur, & retinetur vt diſtincta à numerica. Habet & aliam, quæ dicitur vnitas formalis ſolitudinis in ſtatu præciſionis factæ per intellectum, hæcque tollitur per diſtributionem in inferiora; & dum concipitur per comparationem ad inferiora, vt vna exiſtens indeterminata in pluribus, tunc recipit vniuerſalitatem logicam, quæ non tollitur per applicationem factam ab intellectu ad hoc, vel illud inferius, quia remanet ſemper indifferens ad omnia, & in tali ſtatu dicitur vniuerſale actu exiſtens in multis.

216. Tertia Conclvsio: Ratio *In*, quâ natura eſt vna in multis, eſt eſſentia vniuerſalis: Ratio *De*, quâ eſt prædicabilis de multis, eſt veluti proprietas ipſorum vniuerſalium. Eſt communis Thomiſtarum, & aliquorum Scotiſtarum cum Meldul. qui in Log. *diſp.* 4. *num.* 28. *&* *num.* 36. probat eſſe ſententiam Scoti, & eſt S. Bonauent. infrà citandi.

Probatvr prima pars ex definitione vniuerſalis tradita ab Ariſtotele, & ab omnibus recepta: Vniuerſale eſt vnum in multis, & prædicabile de multis: ergo eſſe vnum in multis eſt eius ratio formalis; id enim, quod primò concipitur in cognitione quidditatiua rei, eſt ipſius ratio formalis. Confirmatur ratione; ex eo enim, quod aliquid ineſt realiter in alio, id poteſt prædicari de ipſo, non è conuerſo: ergo ex eo quod aliquid eſt in alio intentionaliter, de eo ſecundùm rationem poteſt enuntiari; ens enim rationis eſt ab intellectu effictum ad ipſius entis realis ſimilitudinem.

Respondet Rabeſanus cum aliis diſtinguendo de duplici *In*, ſcilicet vel reali, vel rationis: concedunt antecedens de primo *in* reali; negant de intentionali: nam ex prædicatione facta per intellectum, eiuſque applicatione

naturæ

Digitized by Google

naturæ ipſis inferioribus, ſequitur identificatio, & inexiſtentia intentionalis ipſius in ipſis. Reſponſio leuiſſima, ait Meldul. & falſa continens: ſic *loco cit. num.* 38. Tum quia Ariſtot. definiuit vniuerſale logicum, & in tali definitione poſuit primo loco eſſe *in.* Tum quia falſum eſt, vniuerſale logicum dici eſſe in multis realiter. Tum quia Ariſtot. definiendo hoc vniuerſale, dicit *Eſt vnum in multis*, ideſt actu; & addit per aptitudinem eſſe prædicabile de multis. At falſum eſt, naturam actu eſſe in multis realiter: ergo eſt tantùm per opus intellectus. Tum quia falſum eſt, quod enuntiari de aliquo aliquid, faciat id eſſe in eo, immò oppoſitum eſt verum, ex eo enim quod aliquid eſt in aliquo, ideo poteſt de ipſo enuntiari: ſicut ex oppoſito, ex eo quod aliquid non eſt in alio, remouetur ab illo. Tum quia ſi daretur natura verè exiſtens in multis, vt ab aduerſariis exponitur, per ly *Eſt vnum in multis*, verè daretur vniuerſale reale actu abſque prædicatione; haberet enim & vnitatem, & communitatem actualem ad multa: quæ duo faciunt vniuerſale.

217. Probatvr tertiò ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2. Natura diuina eſt prædicabilis de multis; & tamen non eſt vniuerſalis: ergo aliud requiritur: ſed id non poteſt eſſe aliud, niſi inexiſtentia (non quidem realis, quia hæc eſt etiam in natura diuina;) ſed efficta in natura concepta vt vna in multis cum ſui diuiſione materiali, & numerali: ergo.

Probatvr quartò: Ideo aliquod vniuerſale eſt prædicabile de inferioribus, quia eſt reſpectu inferiorum quid ſuperius: at non dantur inferiora ad ſuperiora, niſi quatenus hæc in illis includuntur: ergo ſemper eſſe *in* præcedit eſſe *de*. Probatur Minor, quia prædicatio fit per ſecundam mentis operationem: ſed hæc ſupponit primam, per quam concipiatur natura in inferioribus: ergo.

Probatvr ſecunda pars, quia quando duo attributa inſunt alicui, ſi vnum eſt cauſa alterius, tunc poſterius non poteſt eſſe cauſa prioris, ſed è conuerſo: ſed eſſe in multis eſt cauſa prædicabilitatis: ergo prædicabilitas eſt quid conſequens: ergo eſt proprietas; hæc enim dicit exitum, & emanationem ab alio, ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 27. *part.* 1. *articul.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* Tum quia prædicabilitas ſupponit eſſentiam vniuerſalis iam conſtitutam per eſſe *in* rationis, quâ conſtitutâ neceſſariò oritur prædicabilitas in communi.

Addimvs, quod hæc prædicabilitas, cùm ſit communis quinque vniuerſalibus, abſtrahit à modis determinatis prædicandi in quid, vel quale eſſentiale, vel accidentale.

218. Obiicies primò: Vniuerſalia communiter, & maximè à Porphirio definiuntur, & conſiderantur ſub ratione prædicabilitatis: ergo hæc erit eorum eſſentia.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *articul.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2. prædicari non eſſe rationem vniuerſalis, ſed tantùm entis vt communicabilis, ob idque conuenit etiam naturæ diuinæ. Hinc reſpondetur ad antecedens, quod cognitio vniuerſalium traditur per rationem prædicabilitatis. Tum quia hæc ratio à poſteriori eſt notior. Tum quia iſte tractatus Porphirij eſt ordinatus ad ritè cognoſcendum, quo modo poſſint ſine errore termini ſimplices coniungi, vel ſeiungi ſecundùm debitam ſubiectionem, & prædi-

cationem : hinc de ipſis agit per ordinem ad ſingularia ſub ratione prædicabilitatis.

Obiicies ſecundò : Tunc cognoſcitur vniuerſale, cùm cognoſcitur multis conuenire : ſed hoc fit per prædicationem : ergo prædicatio dat ipſum cognoſcere : ergo eſt eius eſſentia.

Respondetur negando Maiorem abſolutè ; poteſt enim etiam cognoſci abſque comparatione per primam operationem intellectus , ſcilicet vt inexiſtens in multis. Tum quia aliud eſt cognoſcere ipſum , aliud ipſum eſſe.

Obiicies tertiò: Per prædicabilitatem differt vniuerſale logicum à metaphyſico : ergo conſiſtit in illa.

Respondetur negando antecedens ; differunt enim iſta duo vniuerſalia, quòd metaphyſicum non eſt actu in multis, ſicut logicum.

Obiicies quartò : Eſſe *in* , competit per ſe primis intentionibus , & per accidens ſecundis. E contrà eſſe *de*, compètit per ſe ſecundis , & per accidens primis intentionibus : ergo per eſſe *in* , per ſe conſtituitur vniuerſale reale ; & per eſſe *de* , logicum.

Respondetur , aliud eſt eſſe abſolutè , aliud eſt eſſe *in* : eſſe quidem competit primis intentionibus per ſe , & ſecundariò ſecundis , quatenus fundantur in aliis ſecundis intentionibus, vt vniuerſale in genere fundatum, dicendo, Vniuerſale eſt genus in multis: in quo caſu ſecunda intentio ſe habet ad modum primæ intentionis, eique competit ratio ſpeciei accidentaliter tantùm & denominatiuè : genus enim fit ſpeciei vniuerſalis , & vniuerſale induit rationem generis. De hoc vide in tractatu Formalit. *num.* 154. Hinc negatur antecedens abſolutè in ſenſu expoſito.

219. Quæres , an eſſe in multis dicat actum , an ſolam aptitudinem , & prædicari dicat aptitudinem tantùm.

Respondetur , quod eſſe in multis , provt reſpicit opus intellectus comparantis naturam abſtractam ad inferiora , importat actum ; nam actualis debet eſſe comparatio , & etiam inexiſtentia efficta ab intellectu : provt verò reſpicit inferiora , aliquando dicit actum , ideſt quatenus actu exiſtunt: aliquando aptitudinem tantùm , idque patet, ait S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* de Sole, & Luna, & Phœnice , quorum licèt adſit in mundo vnum tantùm ſingulare , & indiuiduum ; tamen quia habent aptitudinalem multiplicationem , hinc talis natura eſt capax vniuerſalitatis logicæ. Tum etiam , quia vniuerſale logicum eſt multis commune cum diuiſione materiali indiuiduorum , remanente tamen intacta eius vnitate : ſed hæc communitas dicit aptitudinem eſſendi in pluribus , & pluribus ſemper : ergo.

Quoad prædicari verò dicimus ſumi ſecundùm aptitudinem tantùm, quia vniuerſale , ſi actu prædicatur de vno, adhuc tamen remanet aptitudo ad prædicari de aliis. Ergo.

Obiicies primò : Factâ applicatione naturæ communis inferioribus deſtruitur eius communitas , & vnitas ; diuiſio enim tollit & vnitatem, & communitatem : ergo ſumitur inexiſtentia in multis , vt actu exiſtentibus tantùm.

220. Respondetur , illam diuiſionem in vniuerſali logico eſſe materialem , & accidentalem tantùm ; hinc negatur antecedens abſolutè : per id enim differt diuiſio entitatiua, veraque à logica , quòd illa deſtruit communitatem ,

tatem, & vnitatem, & vniuerſalis realis, & naturæ præciſæ, & abſtractæ per intellectum: iſta nequaquam; illa enim eſt vnitas formalis, vel ſolitudinis, & actualis, quæ tollitur per diuiſionem: iſta verò dicit vnitatem, & communitatem poteſtatiuam; & ob id vniuerſale primo modo conſideratum eſt potiùs ſubjicibile per ordinem ad ſua attributa, quæ actu continet; vniuerſale logicum verò dicit ordinem ad inferiora, vel actu, vel aptitudine tantùm exiſtentia.

Obiicies ſecundò: Per hoc differt vniuerſale metaphyſicum à logico, quòd illud præſcindit ab inferioribus, iſtud verò ſumitur per ordinem actualem ad inferiora: ergo dicit ſemper actu eſſe in ipſis.

Respondetvr concedendo requiri actualem comparationem naturæ ad inferiora; ſed per hanc non conſtitui formaliter vniuerſale logicum, licèt talis comparatio actualis prærequiratur; ſed conſtitui formaliter per incluſionem actualem ipſius naturæ in inferioribus: ad quod ſufficit, vt inferiora ſint tantùm aptitudinaliter. Vnde argumenta aduerſariorum, ſcilicet Blanchi, Suarez, & aliorum, laborant maximâ æquiuocatione.

Contra inſtant: Si requiritur actualis comparatio, & applicatio vniuerſalis ad inferiora: ergo deſtruitur illa communitas ſecundùm aptitudinem.

Respondetvr negando conſequentiam; licèt enim natura actu remaneat applicata ad hoc, vel illud indiuiduum, attamen ratione aptitudinalis communitatis remanet ad alia indifferens, cùm æquè illa natura ſic concepta reſpiciat omnia indiuidua.

Instant ſecundò: Natura non habet vniuerſalitatem, niſi in ſuppoſitione ſimplici; dicendo enim, *Homo eſt ſpecies, homo eſt vniuerſalis*; ly *homo*, ſupponit ſimpliciter humanam naturam, ſecundùm quam ſuppoſitionem non poteſt deſcendere ad inferiora, quia deſcenſus ad inferiora fit per perſonalem ſuppoſitionem: ergo in actuali prædicatione, per quam deſcenditur ad inferiora, tollitur vniuerſalitas: ergo non remanet ſecundùm aptitudinem.

221. Respondetvr ex traditis in ſummulis de ſuppoſitione, quod ſuppoſitio ſimplex eſt duplex, alia eſt abſoluta, & propriè communis; alia eſt ſimul perſonalis. In hac ſecunda non licet deſcendere ad inferiora ſecundùm illam rationem, vt dicendo, *Homo eſt ſpecies: ergo Petrus eſt ſpecies*; quia in deſcenſu variatur ſuppoſitio: ſic *Omnis homo currit*, quia currere eſt actus perſonæ, non hominis vt ſic, ob id ſupponit perſonaliter. At in ſuppoſitione abſoluta, vt *Homo eſt rationalis*, licet deſcendere ad inferiora, quia ille terminus *homo*, ſtat (ait S. Doct.) pro omni tempore, & abſolutè. Vnde dicendo *Homo eſt animal*, hîc ly *homo*, ſupponit vniuerſaliter, & poteſt fieri applicatio etiam inferioribus, dicendo, *Ergo Petrus eſt homo, Paulus eſt homo*; quia retinet ille terminus ſuam indifferentiam, & vniuerſalitatem, & aptitudinem ad prædicari de multis: cùm verò dicitur, non poſſe prædicari ſpeciem de Petro, licèt dicatur de homine, conceditur, quia vt ait S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 5. art. 1. quæſt. 1. ad 1. & ad 3.* fit tranſitus ab vna ſuppoſitione ad aliam, quia in antecedente fit prædicatio non abſoluta, ſed proprietatis extraneæ ipſi ſubiecto, quæ non poteſt ob id intrinſecè competere inferioribus, de quibus prædicatur per identitatem humanitas.

Obiicies vltimò: Prædicabilitas

competit naturæ reali ratione ſuæ indifferentiæ : ergo non eſt paſſio vniuerſalis logici.

Respondetvr, competere naturæ reali prædicabilitatem remotam, non proximam ; hæc verò competit tantùm vniuerſali logico.

Ex quibus omnibus patet, quid ſit vniuerſale logicum, quod dicitur à S. Doct. vnum poſt multa ; & vniuerſale metaphyſicum reale, quod dicitur vnum ante multa, vel etiam ad multa ; & vniuerſale dicens vnitatem præciſionis in ſtatu abſtracto per intellectum, quod dicitur vnum à multis.

Vniversale logicum enim eſt vnum in multis, & prædicabile de multis. Dicitur vnum in multis, ideſt cum diuiſione entitatiua fundamenti realis, quæ eſt veluti materialis ; per quod diſtinguitur à natura diuina, vt aliàs dictum eſt ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *quæſt.* 2. Dicitur etiam vnum in multis per inexiſtentiam effictam ab intellectu, per quod differt à natura reali, quia actu eſt tantùm in vno ; & à natura diuina, quæ verè, & realiter eſt in tribus perſonis : & per hanc particulam ſic explicatam excluduntur ſingularia, & æquiuoca.

Qværes primò, an vniuerſale logicum ſit in rebus, an in intellectu.

Respondetvr, quod vniuerſale logicum eſt propriè in rebus materialiter ſumptis, formaliter verò ſumptum eſt in intellectu obiectiuè tantùm. Et cùm vniuerſale poſſit etiam fundari ſuper aliud ens rationis, vt v. g. in genere, & genus in ſpecie, tunc poteſt dici, quod ens rationis ſit fundamentum materiale immediatum alterius, & ens reale ſit mediatum.

Qværes ſecundò, an vniuerſalia ſint corporea, an incorporea ?

Respondet Meldul. nec eſſe corporea, nec incorporea, ſed talia dici ſecundùm fundamentorum variam rationem, vel corporeorum, vel incorporeorum.

S. Bonavent. *lib.* 1. *diſtinct.* 37. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. docet vniuerſale eſſe quid ſpiritnale, quia eſt quid abſtractum à quacumque materialitate, & corporeitate : eſſe etiam aliqualiter vbique, ideſt in pluribus vel actu, vel potentiâ.

QVÆSTIO IV.

Per quam operationem intellectus fiat vniuerſale logicum ?

222. Primò ſupponendum, quod hæc quæſtio propriè ſpectat ad tractatum de anima ; attamen aliqua hîc ſubiicienda ſunt, vt habeatur perfectior vniuerſalium cognitio. Supponit autem titulus quæſtionis, quod eſt in confeſſo apud omnes, nempe vniuerſale logicum ſolùm poſſe fieri ab intellectu. Ratio eſt, quia ſecunda intentio (qualia ſunt vniuerſalia) eſt actus reflexus intellectûs, quo reflectitur ſuper primam, in ipſo aliquid effingendo de nouo : hinc ſolùm potentia, quæ habet vim reflexiuam (qualis eſt ſolus intellectus) poteſt tale vniuerſale effingere ; aliæ enim potentiæ inferiores non exeunt rationem ſingularitatis, ſenſibilitatis, & materialitatis, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 1. *artic.* 2. *quæſt.* 4. *ad* 2. & *lib.* 2. *diſtinct.* 10. *articul.* 3. *quæſt.* 1. *ad vltim.*

223. Secvndò ſupponendum, quod

quod in intellectu eſt duplex vis, ſeu potentia: alia dicitur intellectus agens, alia poſſibilis: ſic cum communi S. Doct. *lib. 2. diſtinct. 24. part. 1. q. vlt.* & *lib. 2. diſtinct. 3. part. 1. artic. 2. quæſt. 1. in corp.* & *in comp. Theolog. lib. 2. cap. 46.* Prima potentia recipit ſpecies à phantaſia, eaſque depurat ab omni conditione ſenſibili, & ſingulari; ſicque eas ſub ratione vniuerſali repræſentat, & imprimit ſpeciem ſic vniuerſalizatam in intellectu poſſibili, verbi gratiâ abſtrahit naturam Petri à ſingularitate huius, vel huius ſingularis; ſicque intellectus poſſibilis poteſt cognoſcere talem naturam in ſtatu ſuo reali abſtracto, & dicitur præciſio formalis. Secundò poteſt & eandem naturam abſtrahere ab indiuiduis, illique tribuere eſſe obiectiuum, & vnitatem præciſionis, ſeu ſolitudinis, provt conſideratur in tali ſtatu vt ſeiuncta ab ipſis indiuiduis, idque fit modo reſolutiuo per intellectum agentem; & dicitur præciſiua abſtractio, ſeu præciſio obiectiua: de quibus agit S. Doct. *lib. 4. diſt. 50. part. 2. art. 1. quæſt. 1. ad vlt.* & *lib. 1. diſt. 8. part. 1. dub. 3.* & *lib. 2. diſt. 3. part. 1. art. 2. quæſt. 3. ad 1. & 2.* & *lib. 2. diſt. 18. quæſt. 3.* & *lib. 1. diſt. 5. dub. 2.* Tertiò poteſt intellectus poſſibilis procedere deſcendendo, & eam naturam comparando cum Petro, Paulo, &c. Quartò poteſt eam concipere vt vnam, & ſimul inexiſtentem in omnibus indiuiduis. In primo ſtatu natura eſt in potentia remota ad fundandam vniuerſalitatem logicam: in ſecundo ſtatu eſt in potentia proxima ad fundandam vniuerſalitatem logicam: in tertio ſtatu per comparationem actiuam acquirit paſſiuè denominationẽ extrinſecam cogniti. Deinde in quarto ſtatu per inexiſtentiam effictam reſultat vniuerſale logicum, & deinde reſultat prædicabilitas proxima de ſingulis, ſicque habetur vniuerſale logicum. Quæ omnia traduntur ſparſim à Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 8. cit.* & *lib. 1. diſt. 25. dub. 3. & art. 2. quæſt. 1.* & *lib. 2. diſt. 24. part. 1. art. 2. quæſt. 4.* & *lib. 4. diſt. 50.* aliiſque locis citatis.

224. Tertiò ſupponendum ex traditis in tractatu de ente rationis, quod duplex comparatio reperitur, alia ſimplex, alia perfecta. Prima ſpectat ad primam operationem intellectus: ſecunda ad ſecundam, & tertiam. Et ſi hæc duplex comparatio fit in rebus in aliquo attributo reali, reſultat prima intentio; ſi fit in attributo rationis, reſultat ſecunda intentio: ſic S. Doct. *lib. 2. diſt. 25. dub. 3.* quæ ſecunda intentio ſpectat vel ad primam, vel ad alias operationes intellectus, provt interuenit, vel non interuenit iudicium. Hinc inſurgit Quæſtio, an vniuerſale fiat per intellectum agentem, an per poſſibilem; & an per comparationem explicitam neceſſariò, an verò etiam per ſimplicem, & implicitam.

Prima opinio fuit Auerroïs *1. de An. com.* 8. D. Thom. *part. 1. quæſt. 85. art. 1.* Caiet. *ibid.* & plurium aliorum etiam Scotiſtarum apud Meldul. *in Log. diſp. 4. num. 62.* ſuſtinentium vniuerſale logicum fieri ab intellectu agente.

Secvnda opinio eſt Suarez *diſp. 6. Met. ſect. 6.* Capreol. Conimbr. aliorumque, fieri per intellectum poſſibilem; ſed tamen per ſolam abſtractionem præciſiuam, & per actum abſolutum cognoſcentem ipſam naturam vt ſic abſtractam, ad quam poſteà, ſi conſequitur comparatio, & prædicatio, id euenit ad maiorem expreſſionem.

Tertia opinio eſt communis Scoti, & ſequacium, & etiam Thomiſtarum, Complut. aliorumque apud Meldul. *cit. num. 63.* qui omnes ſuſtinent fieri

fieri per actum collatiuum intellectus poſſibilis: ſed diuiſi ſunt inter ſe, an talis actus neceſſariò ſit collatiuus expreſsè, & ſpectans ad ſecundam, & teriam operationem intellectus; an implicitè tantùm, & ob id ſpectans ad primam operationem intellectus etiam, vt videre eſt apud citatum Meldul.

Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 24. part. 1. art. 2. quæſt. 4. §. Secundus modus, in corp. & ad vlt.* docet intellectum agentem abſtrahere ſpeciem vniuerſalem, nec abſque poſſibili cognoſcere, vel conferre; id enim ſpectat ad poſſibilem, quo procedit ab abſtracto ad concretum, vt docet *lib. 1. diſt. 8. part. 1. dub. 3.* & *lib. 4. diſt. 50. part. 2. quæſt. 1. ad vlt. & fund. vlt.* & *in corp.* ad. id enim exigitur potentia actiua, & paſſiua; per id tamen non habetur adhuc ratio vniuerſalis logici, quod ſit ens rationis: nam vt dictum eſt ſuprà *in 2. ſupp.* poſt abſtractionem factam ab agente intellectu, & poſt deſcenſum, & comparationem factam à poſſibili, reſultat in natura denominatio extrinſeca cogniti, & vt communis pluribus. Deinde intellectus ipſam naturam concipiendo vt vnam, & communem ſimul in ipſis inferioribus, tunc reſultat relatio rationis, ſeu vniuerſale logicum: id autem poteſt fieri per actum ſimplicem, & etiam per expreſsè collatiuum. Hinc ſit

225. Vnica Conclvsio: Vniuerſale logicum materialiter & præſuppoſitiuè fit ab intellectu poſſibili per actum comparatiuum directum; formaliter verò per actum reflexum, ſiue ſimplicem, ſiue expreſsè comparatiuum, quo concipitur illa natura vt ſimul inexiſtens in pluribus; ſicque eſt commune actui ſimplici, & collatiuo.

Probatvr prima pars, quia proprium eſt intellectus agentis depurare naturam ab omnibus conditionibus ſingularibus; at tali pacto eſt tantùm vniuerſale metaphyſicum: ſed ad efficiendum ipſum ens rationis requiritur comparatio actiua intellectus, ſed hæc non eſt ens rationis: ergo aliud requiritur, quod ſit effictum: ſed id nihil aliud eſt, niſi inexiſtentia efficta ſuprà dicta: ergo in hac conſiſtit eius ratio formalis. Addo, at hæc inexiſtentia efficta poteſt concipi ab intellectu, non ſolùm per comparationem expreſſam, ſed & per actum ſimplicem intellectus: ergo per primam operatationem poteſt fieri. Probatur hæc minor; nam totus alius diſcurſus patet ex traditis, quia ad ens rationis ſufficit comparatio implicita, quæ includitur in prima operatione, vt in tractatu de Ente rationis probatum eſt: ergo. Idque magis patebit ex ſolutione obiectionum.

Obiicies primò cum Fab. 4. *Met. quæſt. 9. cap. 4.* & Suarez: Vniuerſale eſt obiectum intellectus poſſibilis: ſed tale præparatur ab agente intellectu per denudationem à conditionibus ſingularibus: ergo ab intellectu agente fit.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 24. cit.* præparari quidem vniuerſale metaphyſicum abſtractum ab intellectu agente, & objici intellectui poſſibili: ſed negatur in hoc conſiſtere, vt dictum eſt; requiritur enim, vt per actum reflexum concipiatur vt in multis.

Obiicies ſecundò: Hæc natura vt concepta in multis, non eſt vna, ſed multiplex: ergo ſolùm vt ab illis abſtrahitur, non prout comparatur ad illa: at id ſpectat ad intellectum agentem: ergo.

Respondetvr concedendo maiorem

Digitized by Google

iorem de natura metaphyſicè ſumpta, negando de natura logicè conſiderata; ſic enim præexigit comparationem vel implicitam, vel explicitam; & hac ſolutione ferè omnia obiecta ſoluuntur.

Obiicies Tertiò: Vniuerſale logicum exigit comparationem ad inferiora explicitam: ergo per actum ſimplicem non poteſt fieri. Patet conſequentia, quia per talem comparationem tantùm fit prædicabile de multis, vt ſuperioris ſide inferioribus.

Probatvr antecedens, quia per talem actum debet attingi conuenientia inter ipſa: ſed non poteſt attingi, niſi per expreſſam collationem: ergo.

Respondetvr ad hæc omnia, ſufficere collationem implicitam, vt dictum eſt in tractatu de ente rationis.

Ex quibus colligitur, quod ad vniuerſale logicum requiruntur ſequentes conditiones.

226. Prima eſt ex parte ipſius vniuerſalis; debet enim eſſe aliquod vnum, incomplexum, vniuocum, habens communitatem poſitiuam ad plura inferiora: & vt hæc habeat, debet præſupponere vnitatem fundamentalem, ſcilicet inexiſtentiæ ad exiſtendum in hoc, vel illo indiuiduo; & ad eſſe vniuerſale completum, vel ſingulare. Per quas conditiones excluduntur propoſitiones, analoga, æquiuoca, & ea, quæ habent vnitatem negatiuè tantùm, vt non animal reſpectu ligni, & lapidis. Item ea, quæ habent tantùm communitatem penes modum agendi, vt eſt nautæ ad regendam nauim, & magiſtri ad diſcipulos: ſed debet eſſe communitas rei, & rationis, vt docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *articul.* 2. *quæſt.* 1. Item excluduntur ea, quæ habent tantum communitatem rationis, non verò rei, vt ſunt indiuidua Petrus, & Paulus ad rationem communem indiuidui.

Secvnda conditio eſt ex parte inferiorum; nempe vel debent eſſe actu plura, vel potentialitate ſaltem, per quod excluditur natura Diuina à ratione vniuerſalis.

Tertia conditio eſt ex parte intellectus effingentis vniuerſale, qui procedit hoc ordine: Primò apprehenſis ſingularibus, ac eorum conuenientiâ, intellectus aſcendit abſtrahendo id, in quo conueniunt, ſcilicet naturam vt ſic. Secundò comparat ipſam naturam deſcendendo ad ipſa inferiora in aliquo attributo reali, quatenus nouit illam eſſe æqualiter participabilem ab omnibus diſiunctim; & in hoc ſtatu adeſt aptitudo remota, non proxima ob impedimentum differentiæ indiuidualis. Tertiò vlteriùs procedit intellectus componendo, & comparando naturam inferioribus, eamque concipiendo vt vnam, & ſimul communicabilem coniunctim; in quo ſtatu recipit denominationem actualem cogniti, & ſimul aptitudinem proximam ad eſſendum in multis; eſtque hæc inexiſtentia tantùm rationis, & dum actu eam concipit inexiſtentem, tunc recipit vniuerſalitatem logicam, & in actu ſecundo. Ex qua tandem reſultat proxima prædicabilitas naturæ de inferioribus, dum actu applicatur ipſis.

QVÆSTIO V.

Quibus rebus competat ratio vniuerſalis.

227. QVÆSTIO hæc diſquirit, quænam poſſint fundare vniuerſalitatem logicam? Ratio dubitandi eſt, quia multa ſunt ſingularia, quæ non habent alia ſimilia numero differentia, quæ conſtant ex tota ſua materia, vt Sol, Luna, Phœnix, & apud Thomiſtas Angeli: quilibet enim Angelus in opinione ipſorum conſtituit propriam ſpeciem, eſtque numero immultiplicabilis ab intrinſeco. Idem etiam dicitur de natura Diuina; hinc quæritur, an omnes naturæ prædictæ poſſint fundare vniuerſalitatem logicam?

PRIMA opinio eſt aliquorum aſſerentium non ſufficere aptitudinalem multiplicationem, ſed requiri actualem: ſic Paueſius, Zimara, &c.

SECVNDA opinio eſt Caiet. *part.* 1. *quæſt.* 13. *art.* 9. & *de ente, & eſſentia cap.* 4. *quæſt.* 7 *in Log. cap. de ſpecie,* & communis Thomiſtarum, qui dicunt non requiri multiplicabilitatem, ſed ſufficere, quod natura obiiciatur intellectui non ſingularizata: tunc enim concipitur, vt non repugnans ad eſſendum in multis: quod & clariùs explicat Ioan. à S. Thom. *q.* 3. *de Vniu. articul.* 4. *ad* 3. & *quæſt.* 8. *de ſpecie, art.* 3.

TERTIA opinio eſt Scoti, & ſequacium aſſerentium requiri in fundamento multiplicabilitatem potentialem ipſius in inferiora, non autem neceſſariò actualem.

S. DOCTOR idem docet *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *diſtinct.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1. & 2. ſed tamen recognoſcit talem multiplicabilitatem oriri vt à radice à potentialitate, quam habet natura ad additionem, & ad compoſitionem, tum phyſicam, tum metaphyſicam. Pro ſolutione quæſtionis,

228. PRIMÒ Notandum, quod ad fundandam vniuerſalitatem logicam duplex fundamentum requiritur. Primum eſt remotum, & eſt natura realis, conſiderata præciſè ſecundùm ſe: Secundum eſt fundamentum proximum, eſtque eadem natura, vt eſt abſtracta per intellectum ab ipſis indiuiduis per intellectum agentem; tunc enim eſt in potentia proxima ad fieri vniuerſale logicum, & ad concipi vt inexiſtentem in multis, ſi addatur comparatio actiua intellectus, vt dictum eſt. Hinc

SECVNDÒ Notandum, quod factâ tali abſtractione, adhuc non eſt vniuerſale logicum; hæc enim poteſt fieri in quacunque natura, tam multiplicabili, quàm immultiplicabili; intellectus enim, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *artic.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *artic.* 2. *quæſt.* 1. & 2. & *lib.* 1. *diſtinct.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. habet de ſe hanc vim abſtrahendi etiam in Deo naturam Diuinam à Deo, & à Perſonis Diuinis; in quo caſu tota abſtractio, & diſtinctio ſtat penes modum concipiendi intellectus, & cùm in Deo non poſſit admitti vniuerſalitas logica, ſequitur, quod aliquid vlteriùs requiratur. Scotus ait, requiri multiplicabilitatem, ſeu indifferentiam ad multiplicari. S. Bonauent. ait, & ferè in idem recidit, requiri potentialitatem ad componibilitatem. Et ratio eſt, quia repugnantia in Deo ad multiplicari eſt pura eius ſimplicitas: ergo potẽtia ad multiplicari eſt receſſus à

Digitized by Google

à ſimplicitate, & capacitas ad recipiendam additionem differentiarum, tum ſpecificarum, tum indiuidualium: ſic *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *&* 2. & *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *quæſt.* 2. *&* 4. & *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. & *diſtinct.* 25. *artic.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *citat. & diſtinct.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 3. *&* 4. & *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *in corp. in improb.* 2. *opin.* creata enim, cùm non multiplicentur per origines, vt eſt in Diuinis, neceſſariò multiplicari habent per additionem. His poſitis ſit,

229. PRIMA CONCLVSIO: Multiplicatio actualis non eſt neceſſaria ad conſtituendum vniuerſale logicum. Eſt S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 4. *cit. & diſtinct.* 5. *artic.* 2. *quæſt.* 2. D. Thomæ, Scoti, & communis; patetque, ait Seraph. Doct. in Sole, Luna, Phœnice, in quibus poteſt concipi natura vt vniuerſalis, & communis pluribus inferioribus, quæ poſſunt eſſe in rerum natura, vel potentiâ phyſicâ, vel logicâ.

230. SECVNDA CONCLVSIO: Nulla natura, quæ eſt pura forma, & de ſe hæc, vel quæ habet repugnantiam ad multiplicari, eſt ſufficiens fundamentum vniuerſalitatis logicæ, ſed requiritur multiplicabilitas, ſaltem aptitudinalis, vel ſupernaturalis. Eſt S. Bonau. citati, & Scoti, &c. contra Thomiſtas.

PROBATVR primò: Non repugnantia, ſeu capacitas ad multiplicari, eſt fundamentum vniuerſalitatis logicæ; eſt enim vnum in multis tale vniuerſale: ſed natura immultiplicabilis caret hac non repugnantiâ: ergo nec poteſt fundare vniuerſale logicum. Probatur antecedens, quia ob id natura Diuina non poteſt fundare talem vniuerſalitatem, quia eſt de ſe hæc, & habet talem repugnantiam ad multiplicari: ergo.

PROBATVR ſecundò, quia illa natura immultiplicabilis, prout concipitur ſub ratione vniuerſalis, vel concipitur cum repugnantia ad eſſe in multis, vel ſine tali repugnantia, & cum indifferentia ad eſſe in multis: ſed vtrumque implicat: ergo. Probatur Minor, quia ſi concipitur cum repugnantia: ergo non poteſt ei ab intellectu tribui plurificabilitas, quia conciperetur ſub modo repugnanti ſuæ naturæ. Deinde ſi concipitur ſine repugnantia, tunc concipitur ſub modo ſibi oppoſito: cùm autem intellectus non poſſit tribuere illi, quod ipſi intrinſecè & radicaliter repugnat, ſequitur, quod talis natura, etiam adueniente operatione intellectus, non poteſt fundare vniuerſalitatem logicam; & ſi concipiatur, non ipſa concipietur natura, ſed aliquid aliud, eritque vniuerſale chimæricum, ſicut ſi conciperetur natura Diuina vt multiplicabilis.

THOMISTÆ varij variè reſpondent: communior reſponſio eſt Ioan. à S. Thom. *diſputat.* 8. *Log. artic.* 3. tale vniuerſale adhuc eſſe cum fundamento in re creata, non verò in natura Diuina; quia repugnantia ad multiplicari in Angelo eſt non ſecundùm omnia prædicata naturæ, ſed ex modo indiuiduationis Angeli, id eſt quatenus non indiuiduatur per deſignationem materiæ, vt euenit in corporalibus; ſed indiuiduatur per eandem omninò formam, & entitatem ſimplicem, in qua conſiderata præciſè vt ſic, & antecedenter formaliter concipitur cum carentia materiæ, in quo ſtatu adhuc non habet repugantiam illam, ſed hanc habet, quatenus conſideratur, vt iam indiuiduata; tunc enim habet repu-

gnantiam ad multiplicari. Natura verò Diuina ſecundùm omnia prædicata dicit hanc repugnantiam.

231. Contra primò: Si natura Angelica de ſe eſt ſecundùm ſua prædicata quidditatiua, non indiuiduata: ergo habet aptitudinem ad multiplicari. Probatur conſequentia, quia indiuidualitas conſequitur à poſteriori.

Contra ſecundò, quia eſt implicantia in terminis, dicere naturam de ſe non habere repugnantiam ad multiplicari, & de ſe, & intrinſecè indiuiduatam eſſe, vt dicunt Thomiſtæ. Tum quia, ſi illa multiplicabilitas tribuitur naturæ, quæ de ſe, & intrinſecè eſt immultiplicabilis: ergo erit vniuerſale ſine fundamento, vt in natura Diuina: ergo præſtat dicere cum Seraph. Doct. quod ad vniuerſale logicum requiritur differentia à parte rei inter naturam, & differentiam contrahentem; & quod differentia addit aliquid entitatis ad naturam creatam, ob id natura eſt multiplicabilis de ſe.

Ex quibus patet, quàm ſit vera altera pars concluſionis, nempe ſufficere multipcalibilitatem potentialem, vel naturalem, vel ſupernaturalem, vt in Sole, & in Phœnice, vt notat Seraph. Doct. *loco cit.* nam ſi talia entia ſunt in vnico indiuiduo, id euenit, non quia ab intrinſeco ſint immultiplicabilia, ſed ex defectu materiæ: conſtant enim ex tota ſua materia, & hoc ratione ſuppoſiti, non naturæ, quæ de ſe apta eſt pluribus communicari; & ſi actu non communicetur, id euenit per accidens, & ex conſequenti.

Obiicies primò: Vniuerſalitas logica eſt relatio rationis, quatenus eſt vna in multis coniunctim: ſed hæc non ineſt in re, ſed nec poteſt ineſſe: ergo plurificabilitas ſufficit, vt ſit tantùm per intellectum.

232. Respondetur concedendo antecedens, negando conſequentiam; requiritur enim indifferentia realis in natura, ne ſit ens rationis ſine fundamento, & vt ſic ad ſimilitudinem entis realis; aliàs erit chimæricum, vt eueniret in natura Diuina.

Instas: Vniuerſale poteſt concipi in entibus rationis; & tamen ipſa à parte rei ſunt immultiplicabilia.

Respondetur concedendo antecedens, ſed dicimus, quod illa entia rationis ſunt poſſibilia ſub modo, ſicque tale vniuerſale eſt de ipſis prædicabile.

Obiicies ſecundò: Ex perſonis Diuinis poteſt abſtrahi natura Diuina, quæ ineſt in ipſis per differentes proprietates: ergo erit vniuerſalis, & tamen eſt immultiplicabilis.

Respondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *quæſt.* 2. concedendo antecedens, & negando conſequentiam; licèt etiam Diuina eſſentia ſit communis pluribus; tamẽ hæc vniuerſalitas dicit tantùm communitatem incontrahibilem per differentias, & ob id immultiplicabilem, eſtque aliquod commune, quod de ſui ratione primò ineſt pluribus: non autem eſt vniuerſalitas logica; hæc enim importat communitatem in aliquo communi, & ſuperiori ad inferiora contrahibili per differentias formales, vel indiuiduales. Cùm autem perſonalitates addant tantùm modum ſe habendi, non autem aliquid entitatis facientis compoſitionem, ſicut in creatis omnibus, hinc negatur paritas de Diuina, & de creata natura: illa enim tantùm importat communicabilitatem pluribus; iſta etiam multiplicationem naturæ in inferioribus.

233. Tertia Conclvsio: Quodlibet ens creatum, ſiue per ſe comple

completum, ſiue incompletum, poteſt fundare rationem vniuerſalis logici. Eſt S. Bonauent. citati in tertio notabili: item & Scoti, & communis contra Toletum *quæſt. de ſpecie, ad 3.* Alberti *tract. 2. Prædicab. cap.* 8. Soncin. 7. *Met. quæſt.* 39. Caiet. *in Log. cap. de gen.* contendentium ſolas naturas directè reponibiles in prædicamento fieri vniuerſales.

PROBATVR, quia omnes naturæ ſunt vel compoſitæ, vel componibiles ex actu, & potentia, ex genere, & differentia; item ex quo, & quod: ergo habent id, quo poſſunt abſtrahi, idque eſt natura ipſorum, quæ de ſe eſt vna, & indifferens ad plura inferiora: ergo & poteſt concipi, vt inexiſtens in ipſis. Probatur antecedens, quia verbi gratiâ plures materiæ, plures formæ, differentiæ, &c. ad inuicem collatæ habent id, in quo conueniunt, & id, in quo diſconueniunt: ergo dicunt naturam vt vnam, & communem: ſed hoc eſt ſufficiens fundamentum ad vniuerſale logicum: ergo. Et confirmatur, quia vt aliqua natura ſit apta fundare vniuerſalitatem, non oritur ex eius complemento, nec ex eius limitatione, ſed præcisè ex eius multiplicabilitate in plura eiuſdem rationis: ſed id æquè conuenit omnibus naturis: ergo.

OBIICIES: Vniuerſale eſt id, quod conſtituit prædicamentum: ſed in prædicamento reponuntur tantùm entia completa; incompleta verò tantùm reductiuè: ergo.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 1. part. 2. art. 3. quæſt. 1. in corp.* & *lib. 2. diſt. 24. part. 1. art. 2. quæſt. 1. ad vlt.* quod conſtitutio prædicamentorum deſumitur ex eſſentiis rerum, quatenus ſumuntur fundamentaliter, ſicque tantùm entia completa directè reponuntur in ipſis: at vniuerſalitas deſumitur formaliter per ordinem ad inferiora, in quo conueniunt omnes naturæ creatæ, licet completiùs completæ, quàm incompletæ: in quo ſtatu habent eſſe completum ſufficiens.

QVÆRES, quare vniuerſalitas vniformiter non attribuitur omni naturæ communi; nam alicui tribuitur ratio generis, alteri ratio ſpeciei?

RESPONDETVR, quod intra limites naturæ datur maior, & minor latitudo conuenientiæ in rationibus formalibus contentis in indiuiduis repertæ; hinc ſecundùm maiorem, vel minorem conuenientiam intellectus tribuit vni naturæ rationem generis, & non ſpeciei; alteri è conuerſo gradatim procedendo. Vide S. Bonauent. *lib. 2. diſtinct. 18. artic. 1. quæſt. 3. in corp.*

QVÆSTIO VI.

An Vniuerſale rectè diuidatur in quinque capita: & an hæc diuiſio ſit immediata, & vniuoca generis in ſpecies; an verò mediata, ſcilicet an vniuerſale immediatè, & eſſentialiter deſcendat ad omnia quinque æqualiter, an ad aliqua eſſentialiter, & ad alia ſecundariò, & accidentaliter.

234. QVOAD primam partem aliqui vnum tantùm membrum recognoſcunt, ex eo, quod omnia conueniunt æquè in vnica ſimilitudine eſſentialium prædicatorum in rebus. Alij duo membra tantùm admittunt, ſcilicet genus, & ſpeciem. Sic Paſ-

qualig. Guarin. *diſp.* 4. *exp.*9. & communiter Græci.

Alii auxerunt numerum prædicabilium vltra numerum quinarium, addendo indiuiduum vagum, item & definitionem: ſic Caiet. item & prædicationem naturæ ſubſtantialis de perſona Verbi; cùm iſti modi non ſint ſuperioris de inferiori, nec eſſentiales, nec accidentales, abſolutè loquendo.

Commvnis opinio admittit hanc diuiſionem eſſe adæquatam, & exactam in quinque prædicabilia, quæ eſt etiam Seraph. Doct. vt patebit.

Probatvr enim primò ex parte vniuerſalitatis; nam, quidquid eſt in multis, vel eſt eſſentialiter, vel accidentaliter. Si eſſentialiter, vel eſt tota eſſentia rei, & hæc eſt ſpecies; vel pars, & hæc vel potentialis, ſicque genus; vel eſt actualis, ſic eſt differentia: ſi verò accidentaliter, id vel promanat ab eſſentia rei, ſic eſt proprium, vel ab extrinſeco prouenit, ſicque eſt accidens commune.

Secvndò ex parte prædicabilitatis; quidquid enim prædicatur de aliquo, prædicatur vel eſſentialiter, vel per modum inhærentiæ, & qualitatis, ideſt vel in quid, vel in quale. S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *quæſt.* 1. *ad* 7. *& quæſt.* 2. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſt.*3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 3. *diſtinct.* 2. *artic.* 2. *quæſt.* 3. & *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *artic.* 1. *quæſt.* 3. & *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. & *lib.* 3. *diſt.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. & *lib.* 2. *diſtinct.* 26. *part.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 3. *in fund.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 13. *art.* 1. *quæſt.*2. *ad* 2. Si in quid, vel vt tota eſſentia, ſic eſt ſpecies; vel vt pars, ſic eſt genus. Si in quale, vel eſſentiale, ſic eſt differentia; vel in quale accidentale emanans ab intrinſeco, ſic eſt proprium; vel ab extrinſeco, ſic eſt accidens commune.

Obiicies cum Averſa: Species non eſt tota eſſentia indiuidui, & verè ſe habet in indiuiduo ad modum partis materialis, cùm contrahatur per differentiam indiuidualem: ergo malè dicitur, quod ſpecies prædicatur per modum totius eſſentiæ.

235. Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 25. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 7. & *lib.*1. *diſt.*19. *part.*2. *quæſt. vlt.* quod propriè ſpecies dicitur ſolùm totum eſſe indiuidui; nam indiuidualitas, & ſuppoſitalitas dicit additionem ex conſequenti, & ſpectat tantùm ad integritatem totius entitatis; & indiuidualitas ſe habet potiùs vt quid materiale ſuperadditum, aliàs indiuidua differrent inter ſe eſſentialiter. Et quod id ſit verum, patet, ait Seraph. Doct. quòd ad interrogationem factam, *Quid eſt Petrus?* Reſpondetur per ſpeciem; per indiuidualitatem verò reſpondetur ad interrogationem, *Quis eſt?*

Obiicies ſecundò, quod non benè diſtinguitur ſpecies à genere, ex eo quod illa dicit totam eſſentiam, iſtud verò partem, quia genus dicit totam naturam communem, ſicut ſpecies; tam enim illud, quàm iſta contrahitur per differentias: ergo vtraque dicit partem, vel vtraque dicet totam naturam, ſi non obſtat contractio differentiæ. Tum etiam, quia differentia vt ſic eſt genus, vel ſpecies, ſi conſideratur per ordinem ad inferiores differentias: ergo dicit totum vniuerſale.

Respondetvr negando paritatem de genere, & ſpecie; nam genus dicit ſolùm partem potentialem contrahibilem per differentiam eſſentialem; ſpecies verò contrahitur per indiuidualem, tanquam per quid extraneum

neum ad quidditatem eſſentialem, ex ratione adducta in reſponſione ad primum. Et ad id de differentia, negatur etiam paritas, & aſſumptum: nam differentia eſt actus ſimplex, & perfectiuus, ſcilicet diuiſiuus generis, & conſtitutiuus ſpeciei, non perfectus, nec perfectibilis; ſed ſolùm realitas. Hinc non dicitur genus, vel ſpecies, niſi identicè cum genere, vel ſpecie; & ſic identicè prædicatur de ſpecie, & inferioribus eius.

Obiicies Tertiò: Vniuerſale eſt vniuocum, & ob id prædicabile eſſentialiter de ſuis inferioribus: ſed accidentia non prædicantur eſſentialiter de ſuis ſubiectis: ergo accidens non eſt vnum ex prædicabilibus.

236. Respondet Meldul. *n.* 97. quod aliud eſt eſſe prædicatum vniuocum, aliud prædicari vniuocè, & quidditatiuè: accidens in ordine ad ſubiecta eſt prædicatum vniuocum, licèt non prædicetur quidditatiuè, ſed tantùm accidentaliter; prædicatur enim vt vnum, & ſecundùm vnam rationem præciſam. Et cùm in accidente prædicabilitas per ordinem ad ſubiecta ſit diuerſa à genere, & ſpecie; hinc & vniuerſalitas variari debet.

Addimvs nec definitionem, nec indiuiduum vagum poſſe conſtituere peculiare prædicabile: non primum, quia cùm proportionetur in prædicari in quid, vel in quale, iuxta qualitatem definiti, hinc induit rationem ipſius: nec ſecundum, quia eſt prædicatio alicuius ſingularis tantùm.

Obiicies quartò: Decem ſunt prædicamenta ob diuerſos modos prædicandi: ergo & decem ſunt prædicabilia.

Respondetvr diſtinguendo antecedens, decem ſunt prædicamenta ob diuerſos modos prædicandi minùs principaliter, concedo; abſolutè, nego: nam deſumitur talis numerus penes res abſolutè ſecundùm ſe ſumptas, attendendo, an ſit ſubſtantia, vel accidens, & quale accidens. At prædicabilia abſolutè deſumuntur penes modum prædicandi vel eſſentialem, vel accidentalem.

Obiicies quintò: In Chriſto Domino prædicatio naturæ humanæ de Deo eſt ſubſtantialis; & tamen non eſt generis, nec ſpeciei, nec alterius prædicabilis: ergo debet addi ſextum membrum, non enim eſt eſſentialis habitudo, nec accidentalis inter ſubiectum, & prædicatum.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib. 3. diſt. 7. art. 1. quæſt. 1. ad 3. & 4.* quod propriè non eſt prædicatio vniuoca, nec æquiuoca, nec per ſe, nec per accidens; alio modo enim homo prædicatur de Petro, alio de Deo, nec eſt eſſentialis habitudo, nec accidentalis, quia humanitas non eſt eſſentia, nec accidens Dei: participat tamen magis de prædicatione accidentali, quia natura humana per accidens vnitur Verbo, ſcilicet quia eſt extra eius eſſentiam. Addit tamen, quod non eſt inconueniens dicere, quod talis prædicatio ſit extra illa quinque genera, cùm non habeat ſimilem vnionem in natura.

Addit tandem Meldul. citatus *num.* 104. hanc diuiſionem traditam non eſſe tam exactam, quin per rationes generales non poſſit reduci ad bimembrem diuiſionem generis, & ſpeciei, & per rationes ſpeciales non poſſit multiplicari in plura prædicabilia, quàm in quinque, v. g. in differentiam genericam, & ſpecificam, in genus ſupremum, & ſubalternum. Tamen his non obſtantibus, ex modo prædi

prædicandi rectiùs ad quinque membra reducuntur.

237. SECVNDA pars exigit ſolutionem alterius quæſiti, an hæc diuiſio ſit immediata generis in ſpecies; an verò ſit mediata? nempe an per ſubdiuiſionem reducatur ad quinque capita dicta, ſcilicet quod prima diuiſio ſit, quod vniuerſale prædicetur de aliquo eſſentialiter, & accidentaliter, & deinde deſcenſus fiat ad ſpecialia. Cui quæſito,

RESPONDETVR primò, eſſe diuiſionem vniuocam vniuerſalis, tanquam generis, ſcilicet in quinque ſpecies: Secundò, quod prima diuiſio ſit in prædicabile eſſentialiter, & accidentaliter, deinde in quinque ſpecies. Prima pars patet, quia verè vniuerſale prædicatur de ipſis quinque, & ſecundùm rem, & ſecundùm nomen; verè enim æqualiter dicitur de omnibus, & de ſingulis, quod eſt vniuerſale. Secunda pars etiam per ſe patet, quia vniuerſale priùs diuiditur in illud, quod dicitur eſſentialiter, & accidentaliter: quæ duo iterum ſubdiuiduntur modo ſuprà allato: ergo non eſt immediata diuiſio.

OBIICIES: Si Vniuerſale eſt genus: ergo datur genus generis, ſicque vniuerſale, vt eſt genus, prædicabitur de prima ſpecie eius, quæ eſt genus; & ſic idem de ſeipſo, vel dabitur proceſſus in infinitum.

RESPONDETVR negando conſequentiam, vel diſtinguo conſequens: ergo datur genus generis, vt quid, concedo; denominatiuè, nego. Id explicat Meldul. *num.* 109. tali pacto ex Scoto, quia vna ſecunda intentio poteſt fundari ſuper aliam, verbi gratiâ, ſi ſecunda intentio generis comparetur ad aliud ſuperius, tunc genus denominabit illud ſuperius genus ſumptum vt quid, & ſecundùm rationem quâ comparatur hoc ſuperius ad inferiora, vt eſt vniuerſale ad genus comparatum: in quo caſu genus ſumitur vt modus, ſeu ratio ſub qua vniuerſale conſideratur in ordine ad ſua inferiora, & tunc genus vt modus, ſeu denominatiuè ſumptum denominabitur ſpecies vniuerſalis, licèt ſumptum ſecundùm ſe, & vt quid, ſeu quidditatiuè, ſit genus. Hinc reſpondetur argumento, ergo generis datur genus, denominatiuè, concedo; vt quid, nego: ſolùm in hoc caſu datur vnum genus quidditatiuè ſumptum, & dicens ordinem ad plures ſpecies, inter quas genus adnumeratur, ſumptum vt modus, & denominatiuè. Eodemque modo reſpondetur alteri obiectioni de ſpecie, quod plures ſpecies vltra ſecundum prædicabile darentur; conceditur enim denominatiuè, non verò vt quid: ſic enim vna datur tantùm. Vide ſuprà *tractat. 2. de Formalitat. num.* 157.

ET hæc de Vniuerſalibus in communi.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS IV.

De Vniuerſalibus in particulari.

238. POST tractatum de vniuerſalibus in communi, ad ſpecialia conſequenter eſt deſcendendum, de ſingulis quæſtiones inſtituendo iuxta ordinem à Porphyrio ſeruatum, qui fuit author eiuſdem Tractatus, cuiuſque obiectum adæquatum eſt Vniuerſale in communi, quia ad ipſum tanquam ad ſcopum reducuntur omnia, quæ tractantur in ipſo, & de quo demonſtrantur paſſiones, maximè prædicabilitas: qui tractatus eſt valde vtilis ad dirigendas operationes intellectus, tum per definitionem, ſiue eſſentialem, ſiue accidentalem: tum per rectam diuiſionem, tum per demonſtrationem, &c. vt per ſe patet.

CAPVT PRIMVM.

De Genere.

PORPHYRIVS in hoc capite tria præſtat. Primum eſt, quod Genus tripliciter ſumitur: Primò pro aggregatione populorum, vt genus Romanorum, Iudæorum, &c. Secundò pro principio generationis, à quo alij deriuantur, vt genus dicitur Ariſtoteli ex genere Nicomachi: vel pro principio conſeruationis, vt Mutina dicitur genus Mutinenſium. Tertiò pro eo, cui ſupponitur ſpecies, vt animal dicitur genus per ordinem ad hominem, leonem, &c.

SECVNDÒ tradit definitionem Generis ſequentem: *Genus eſt id, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid eſt.*

TERTIÒ explicat hanc definitionem hoc pacto. Dicitur *Id*, id eſt vniuerſale, loco generis. Dicitur, *quod prædicatur*, vt explicetur ratio prædicabilis. Dicitur, *de pluribus*, ad differentiam indiuidui, quod de vno ſolo prædicatur. Dicitur, *differentibus ſpecie*, ad differentiam ſpeciei, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero. Dicitur, *in quid*, ad differen-

tiam Differentiæ, quæ prædicatur in quale quid; item & Proprij, & Accidentis, quæ prædicantur in quale accidentale. Hinc, cùm hæc definitio ſolùm Generi competat, & faciat ipſum differre à quocumque alio prædicabili, ſequitur, quod ſit bona definitio.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. GENVS, cùm dicat aliquam naturam pluribus communem, poteſt ſumi dupliciter. Primò largè, & hoc
239. vel provt ſignificat varietatem ſexus; ſic genus maſculinum, vel fœmininum ſignificat perſonam ſolam; item & neutrum, provt ſignificat non perſonam, ſed naturam. Vnde Chriſtus dicitur vbique totus, quia ly *totus*, ſignificat perſonam, non totum in neutro, quia habet non ſolùm naturam Diuinam, ſed & humanam, quæ non poteſt eſſe vbique; vel provt ſignificat aliqua plura conuenientia ſecundùm quandam relationem analogiæ: ſic dicitur per ordinem ad principium originis, vt genus Chriſtianorum, & Act. 17. *Genus ſumus Dei:* vel ſecundùm aliquam operationem conſimilem, verbi gratiâ ſpiritualitatis, vel corporalitatis.

SECVNDÒ poteſt ſumi ſtrictè pro aliqua forma communi, in qua plures ſpecies aſſimilantur, vt in tertio ſecundùm aſſimilationem non completam; & hoc eſt genus logicum. *Lib. 2. diſt. 17. art. 1. quæſt. 1. ad 3. & lib. 1. diſtinct. 24. art. 1. quæſt. 2. & lib. 3. diſtinct. 22. dub. 3. & lib. 1. diſtinct. 19. part. 2. quæſt. vltim. & lib. 2. diſtinct. 18. art. 1. quæſt. 3.*

B. HÆC autem conuenientia dicit communitatem plurium, in quâ ſi eſt prima, & ſuprema aſſimilatio incompleta, & maior potentialitas, facit genus generaliſſimum; ſi minor eſt aſſimilatio, facit genus, ſeu ſpeciem ſubalternam; & ſi eſt perfecta aſſimilatio ſimul cum eſſentiali actualitate totaliter complente, ſic eſt ſpecies infima. Vnde vnitas, ſeu identitas ſecundùm genus, & ſpeciem venit à ratione *quo*, ſeu naturæ, & formæ. *Lib. 2. diſtinct. 18. art. 1. quæſt. 3. & lib. 1. diſtinct. 19. part. 2. quæſt. vltim. & lib. 2. diſtinct. 3. part. 1. art. 2. quæſt. 3. in corp. & lib. 1. diſt. 8. part. 2. quæſt. vlt. & lib. 1. diſtinct. 25. art. 2. quæſt. 1.*

C. GENVS

C. GENVS autem poteſt conſiderari, ſicut & ſpecies in triplici ſtatu. Primò ſecundùm quod talis natura exiſtit à parte rei, ſicque identificatur cum indiuiduo: Secundò ſecundùm eſſe, quod habet eſſe in anima, ideſt in eſſe abſtracto; ſic eſt vniuerſale metaphyſicum: Tertiò, provt aliquid ei de nouo aduenit ex opere intellectus, vt ſubjicere, prædicari: ſic eſt ens rationis logicum. *Lib.* 1. *diſt.* 25. *dub.* 3. *& art.* 2. *quæſt.* 1. *& lib.* 3. *diſt.* 37. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4.

D. QVARE Vniuerſale vt genus dicit formam non partis, ſed totius, quæ de ſe nata eſt eſſe in multis, prædicarique de ipſis, in concreto tamen, non in abſtracto; non enim dicitur, Homo eſt animalitas, ſed animal; prædicatum enim ſignificat formam, & concernit ſubiectum habens animalitatem. *Lib.* 3. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 27. *quæst.* 1. *ad* 3. *& lib.* 1. *diſt.* 33. *dub.* 1. *& art.* 1. *quæst.* 3. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& lib.* 3. *diſtinct.* 7. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2.

E. IN quo ſenſu Vniuerſalia de ſe dicunt formam non concernentem materiam, niſi ratione indiuiduorum, pro quibus ſupponunt, quando definiuntur, vel ſubjiciuntur. *Lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 1.

F. SED quia genus, licèt ſit forma, & natura, tamen eſt contrahibile ad inferiora; hinc vt tale per comparationem ad inferiora, & ad differentias ſe habet veluti materia, & vt quid potentiale. *Lib.* 2. *dist.* 36. *dub.* 5. *& lib.* 2. *distinct.* 18. *art.* 1. *quæst.* 3.

G. GENVS igitur eſt aliquod ſuperius vniuocum contrahibile per differentias ad inferiores ſpecies determinatas, & conſequenter importat componibilitatem; in ordine verò ad ſpeciem, cùm ſit contrahibile ad ipſam, neceſſariò dicit limitationem: & hinc Deus cùm ſit ens ſimpliciſſimum, & illimitatum, non poteſt eſſe in genere, ſicut de facto eſt in genere quælibet creatura, idque vel per ſe, vel reductiuè. *Lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *quæſt.* 4. *& lib.* 2. *distinct.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad vltim.*

H. PER ſe autem eſt in genere, quod participat eſſentiam completam illius generis, vt ſpecies, & indiuiduum: reductiuè verò ſunt, quæ non dicunt completam eſſentiam, vt materia, forma, differentiæ, motus. *Lib.* 2. *diſtinct.* 24. *ſuprà cit. & lib.* 2. *diſtinct.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 5.

I. Hinc genus, ſi ſumitur ſecundùm ſe, includit potentialiter omnes ſpecies, ſed indeterminatè, & è conuerſo includitur in ſpeciebus actu, ſcilicet vt contractum eſt, & per conuenientiam in ipſarum natura: quando verò prædicatur, id non fit ea ratione, quâ eſt commune pluribus, ſed quâ eſt contractum ad talem ſpeciem. *Lib.1. diſtinct.19. part.1. art.1. quaſt. 4. fund.6. & lib.1. diſt. 24. art.3. quaſt.2. ad 2.*

K. Ex quibus elicitur definitio generis: *Genus eſt forma, in qua plura vniuocè conueniunt, & in quibus eſt prima, & ſuperior aſſimilatio dicens potentialem contrahibilitatem per differentiam ſuperadditam. Lib.2. diſt.18. art.1. quaſt.3. & lib.1. diſtinct.25. art. 2. quaſt.1. & lib.1. diſt.8. part.2. quaſt.vlt.*

Scholium ſuper Textum Seraphicum.

240. Primò Nota in Textu plura appoſita fuiſſe, quæ non ſolùm ſpectant ad genus, ſed etiam ad alia prædicabilia, immò & ad vniuerſale vt ſic, vt viam pararemus faciliorem ad ſequentia prædicabilia explicanda.

Secundò Nota, quod conuenientia, de qua agitur *ad litteram B, C, & K.* propriè ibi explicat naturam generis metaphyſici, nempe naturæ realis genericæ: quæ conuenientia tamen ſi ſumitur vt concepta, vt vna in omnibus ſpeciebus, tunc erit vniuerſale logicum, vt dictum eſt de vniuerſali logico.

Tertiò Nota *ad literam E, & F,* quod licèt genus videatur habere rationem partis, quatenus contrahitur per differentiam, tamen vt ſic dicit totam naturam completam, ſed ſub ratione totius poteſtatiuè; dum enim eſt contractum, tunc ſolùm habet rationem partis, non totius, vt docetur *ad literam J.*

Qvartò Nota *ad literam H,* quod, dum dicit eſſe in genere tantùm entia completa; ibi loquitur S. Doct. de genere prædicamentali, non prædicabili.

Qvintò Nota *ad literam K,* quod allata definitio à Seraph. Doct. eſt magis adæquata, & poteſt competere generi metaphyſico, & etiam logico, vt patebit in quæſtionibus, in quibus cætera ad mentem Seraph. Doct. explicabuntur.

QVÆSTIO VNICA.

An genus ſit rectè definitum, & quomodo debeat intelligi definitio ipſius.

241. Primò ſupponendum, quod genus poteſt ſumi dupliciter, ſcilicet largè, & ſtrictè. S.Bonauent.*lib.2. diſtinct.17. art.1. quaſt.1. ad 3.* Primò ſumitur vel prout ſignificatur grammaticaliter, maſculinum ſcilicet, fœmininum, & neutrum, *lib.1. diſt.24. art.1. quaſt.2. & lib.3. diſt.22.dub.3.* vel prout importat

tat conuenientiam plurium, non in natura, ſed in aliqua operatione; vel ſecundùm aliquam relationem analogiæ, in quo ſenſu dicitur genus Chriſtianorum, & Act. 17. *Genus igitur cùm ſimus Dei*; & intellectus Angeli, & hominis eſſe eiuſdem generis: de qua conuenientia loquitur S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1.

Secvndo modo ſtrictè dicit aliquam formam communem, in qua plures eſſentiæ, ſeu ſpecies conueniunt: ſic S. D. *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *q.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 25. *cit.* & aliis locis citatis *ad lit. B*, Et hoc eſt, de quo agimus in hac quæſtione. Idque ſumitur dupliciter, vel metaphyſicè, vel logicè, vt dictum eſt in ſuperiori tractatu. Vtrumque vel ſumitur vt totum quoddam potentiale reſpectu ſpecierum, vel vt pars, idque reſpectu differentiæ, cum qua totum metaphyſicum conſtituit: ſic S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 36. *dub.* 5. Quæſtio magis procedit de genere logico vtroque modo ſumpto: de quo quæritur primò, an definitio aſſignata à Porphyrio ſit bona: Secundò, quid definiatur in tali definitione, an ſcilicet natura, an ſecunda intentio, an aggregatum ex vtroque. Tertiò, an contineat actu, vel potentiâ inferiora. Quartò, quomodo prædicetur de inferioribus. Quæ omnia in hac quæſtione ſoluentur. Pro ſolutione harum dubitationum,

Primò Notandum, quod vt aliàs traditum eſt ex S. Bonau. concretum principaliter ſignificat formam, ad quam ſignificandam eſt inſtitutum, & minùs principaliter connotat, & concernit ſuppoſitum: ſic S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. *&* *diſt.* 5. *quæſt.* 1. *ad* 2. Vnde cùm genus ſit concretum, ſi ſumitur metaphyſicè, verbi gratiâ animal, ſignificabit formam animalitatis in recto, & concernit ſuppoſitum inferius, ſcilicet ſpeciem, vel indiuiduum, in quibus ineſt: ſi ſumitur logicè, principaliter ſignificabit formam genereitatis, & concernet naturam, in qua concipitur per inexiſtentiam.

Hic autem diſquirunt Philoſophi, an concretum accidentale de ſe ſit definibile? Ratio dubitandi eſt, quia cùm importet res diuerſi generis, nempe formam accidentalem, & ſubiectum ſubſtantiale, in quo eſt, videtur, quod non poſſit definiri.

Thomistæ, Complut. *quæſt.* 2. *diſp.* 5. Ruuius hîc *quæſt.* 3. Soncin. 7. *Met. quæſt.* 6. aliique ſuſtinent definiri per ſubiectum, tanquam per proprium genus, vt verbi gratiâ, *Album eſt res habens albedinem*, ſeu *eſt diſgregatiuum viſus.*

242. S. Bonav. *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. Tartar. *quæſt.* 1. *ante præd. dub.* 2. aliique ex oppoſito ſuſtinent concreta accidentalia definiri poſſe definitione formali, abſque eo quod ſubiectum ſe habeat vt genus, immò id eſt impoſſibile, cùm genus dicat quid intrinſecum rei definitæ; ſubiectum autem eſt quid extrinſecum: Et ſi ponitur in definitione ſubiectum, fit per additamentum, vt explicetur non ſolùm id, quod per ipſum concretum propriè ſignificatur; ſed etiam id, quod connotatur ex conſequenti. Vnde dicendo, *Album eſt res habens albedinem*, nihil aliud fit, niſi expreſſio ipſius nominis *album*, ſed non eſt expreſſio per ſe ſignificati, vt rectè notat ibidem Tartar. Hinc ſic debet definiri in concreto: *Album eſt aliquod coloratum diſgregatiuum viſus*, imitando (ait Meldul. *cit. quæſt.* 2.) modum, quo definitur forma in abſtracto, ſeruatâ tamen connotatione. Ex quibus patet, quod definitio tradita à Porphyrio poteſt duobus modis explicari. Primo modo ſic: Genus eſt id (ideſt

natura generica) quod prædicatur, &c. ideſt in qua ſecunda intentio fundatur, quodque prædicatur de pluribus, &c. Et hæc erit definitio materialis tradita per ſubiectum genereitatis, quæ non eſt propriè definitio, niſi lato modo, ſed potiùs explicatio nominis, vt dicit Tartaret. citatus. Secundo modo, quod ſit definitio formalis: ſic genus eſt id, ideſt ſecunda intentio, ſeu vniuerſale, ſeu prædicabile de pluribus.

243. Secundò Notandum, quod eſt quæſtio, quomodo genus contineat ſpecies, & differentias, an actu, vel potentiâ? In qua certum eſt, eas non continere formaliter, & explicitè; ſic enim dicendo animal, eſſet idem ac dicere, homo, vel animal rationale: igitur reducitur ad continentiam in potentiâ. Sciendum autem eſt, quod diuerſimodè ſe habet genus ad ſpecies, & ad differentias; cùm enim ſit veluti totum quoddam poteſtatiuum, ſequitur, quod reſpectu differentiarum ſit veluti totum integrale, & reſpectu ſpecierum veluti totum vniuerſale: Sic *lib.* 2. *diſt.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad vlt.* & *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in arg.* 3. *&* 4. *ad oppoſ. & in corp.* & *lib.* 4. *diſt.* 16. *part.* 1. *dub.* 1. Totum autem integrale eſt, quod componitur ex partibus: Totum potentiale, ſeu vniuerſale eſt compoſitum ex ſubiectiuis, quæ habent eſſe in potentia tantùm; & ob id vt tale non eſt totum propriè, ſed metaphoricè tantùm, cùm potiùs ipſas partes componat, quàm componatur. Vnde genus ad ſpecies ſe habet vt totum potentiale, & vt prædicabile de illis. Vnde potiùs illas componit, quàm componatur, vt dictum eſt. Non enim ſpecies ſunt partes intrinſecæ ipſius generis: at in ordine ad differentias, licèt eas contineat tantùm potentialiter, tamen prout dicit ordinem ad illas, veluti componitur ex ipſis, cùm in vna abſque altera non poſſit ineſſe ſua totalitas; & ideo eius continentia dicitur potentialis reſpectu differentiarum eo modo, quo materia potentialiter continet formas, quas poteſt ſuſcipere: ſic & genus eſt ſuſceptiuum cuiuſcumque differentiæ, cum qua vt pars componit totum metaphyſicum, ſicut materia, & forma componit phyſicum: ſic S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 36. *dub.* 5. Et per hoc intelligitur dictum Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *arg.* 7. *ad oppoſ. ex Boëtio:* quod genus continet ſpecies, ſcilicet in potentia, vt totum eſt; & quod continetur ab ipſis, ſcilicet actu, & vt pars.

244. Tertiò Notandum, quod cùm genus prædicetur in recto de ſpeciebus, & de indiuiduis, & cùm certum ſit partem vt talem non poſſe prædicari de toto in recto, ſed tantùm in obliquo; non enim dici poteſt, *Homo eſt corpus*, ſed *habens corpus*; & cùm animal ſit pars, dubitatur, quomodo poſſit prædicari in recto de homine: aliàs dicendo in recto, *Homo eſt animal*, eſſet ſenſus, quod ſit tantùm animal, cùm prædicatum debeat importare totum eſſe ſubiecti. Circa quod dubium reſpondent Thomiſtæ, Suarez *diſputat.* 15. *Met. ſect.* 11. *num.* 16. Ruuius, aliique admittendo talem prædicationem de parte metaphyſica, ex hoc quod confusè continet etiam differentias, quod tamen non poteſt ſuſtineri; nam vt aduertit S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. quando genus prædicatur de ſpecie, non prædicatur vt totum, ſed vt pars contracta: ergo non poteſt ſic continere confusè ſpecies, id enim eſt falſum; & ſi continet potentiâ, id ei ineſt vt totum eſt, non vt pars contracta. Tum quia vt totum non ſolùm continet, verbi gratiâ, rationali

tionalitatem, ſed & alias differentias: ergo poſſet fieri prædicatio indifferenter de quacumque, nullâ factâ mutatione prædicati in ſuo eſſe obiectiuo; quod eſt falſum, cùm animal prædicatum de homine non poſſit applicari leoni, cùm ſit pars intrinſeca hominis. S. Bonauent. verò optimè ſoluit hunc nodum dicens *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. *& diſt.* 4. *quæſt.* 1. & *lib.* 3. *diſtinct.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. quod prædicatum concretum ſupponit pro ſubiecto, de quo prædicatur, eo modo, quo prædicatur: concretum autem ſignificat formam concernentem ſuppoſitum; hinc genus cùm prædicetur de ſpecie in concreto, *lib.* 1. *diſtinct.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. & *diſtinct.* 33. *dub.* 1. *& quæſt.* 3. *in corp.* & *lib.* 3. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. *&* 2. in hac prædicatione, *Homo eſt animal*, ly *animal*, ſignificat formam animalitatis, & concernit totum ſubiectum habens talem formam. Hinc ſequitur, quod licèt animal prædicetur de homine, vt pars; tamen eſt vera prædicatio, cùm ſignificet illam non per modum partis, vt eueniret, ſi diceretur *Homo eſt animalitas*; ſed in concreto, & per modum totius, quatenus eſt idem cum ſubiecto in ratione habentis. Hanc eandem doctrinam Seraphicam tradunt Scotus *quæſt.* 16. *de vniu. ad* 1. *&* 2. & ex eo doctiſſimus Maſtrius *diſput.* 4. *Log. num.* 50. Idem & docuit Avicen. 5. *Metaph.* de manuato, & capitato, dicendo, *Homo eſt manuatus*, ſcilicet eſt habens manus; primariò enim ſignificat manus, ex conſequenti verò ſignificat, & connotat totum in ratione habentis: ſic ſignificatur per modum totius. His poſitis,

245. PRIMA CONCLVSIO: In definitione tradita à Porphyrio principale ſignificatum eſt ſecunda intentio genereitatis; connotatum eſt natura realis. Vnde non definitur præciſè ſecunda intentio, nec præciſè natura, nec totum aggregatum ex vtroque.

PROBATVR primò, quia hîc definitur aliquod vnum ſimul inexiſtens in pluribus differentibus ſpecie: ſed nec natura vt ſic, nec ſecunda intentio vt ſic, nec aggregatum ex vtroque eſt vnum quid ſimul in pluribus exiſtens: ergo. Probatur minor, quia natura realis eſt tantùm in vna ſpecie actu, in aliis tantùm aptitudine per indifferentiam: nec ſecunda intentio vt ſic quidditatiuè prædicatur de illis, nec aggregatum ex vtroque: ergo dicendum eſt, eſſe ipſam genereitatem, provt connotat naturam; ſic enim tribuitur prædicabilitas naturæ in actu ſignato, & natura in actu exercito quidditatiuè prædicatur de pluribus: ergo.

HINC hæc definitio ſic explicatur: Genus eſt id, &c. ideſt eſt ſecunda intentio applicabilis illi naturæ, quæ verè ſit prædicabilis de pluribus, &c. quatenus per ſecundam intentionem ſit actu inexiſtens in illis.

EX quibus ſequitur, quod hæc definitio eſt rectè tradita.

PROBATVR, & explicatur definitio generis: Genus eſt id, quod prædicari poteſt de pluribus differentibus ſpecie in quid. Dicitur *id*, ideſt vniuerſale, loco generis. Dicitur, *de pluribus differentibus ſpecie*, per quod differt à ſpecie, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero. Dicitur *in quid*, vt differat à Differentia, Proprio, & Accidente, quæ prædicantur in quale.

OBIICIES primò: Si Genus definitur: ergo per aliud genus: ergo dabitur genus generis cum proceſſu in infinitum.

246. Respondetvr concedendo primam conſequentiam, ſi ſumitur genus denominatiuè, & vt modus; negando, ſi ſumitur vt quid; nam dum genus definitur, tunc induit rationem inferioris, & id, per quod definitur, induit denominationem generis, & genus definitum ſe habet vt ſpecies denominatiuè ſumpta; hincque negatur poſteà proceſſus in infinitum: nam in illo genere denominatiuè ſumpto eſt ſtatus. Vide ſuprà *tract. 3. ad num.* 237. & *tract. 2. num.* 157.

Obiicies ſecundò: Hæc definitio competit etiam accidenti, verbi gratiâ colori, qui prædicatur de albedine, & & nigredine, &c.

Respondetvr concedendo antecedens, ſi accidens ſumitur in abſtracto; negando in concreto, quia ſic prædicatur album de hoc, vel illo albo.

Obiicies tertiò: Omnis definitio debet dari per priora: ſed hæc datur per poſteriora, quæ ſunt ſpecies: ergo malè datur.

Respondetvr concedendo maiorem de definito abſoluto; negando de relatiuo: datur enim per ſuum correlatiuum, ſcilicet per terminum: qui tamen cùm ſit quid abſolutum, ſi ſumitur fundamentaliter, nempe ipſa natura realis ſpecifica, ſic etiam eſt prior: ſic negatur conſequentia.

Obiicies quartò: Hæc definitio datur per prædicabilitatem: ſed ex ſuprà traditis, hæc eſt proprietas: ergo non eſt quidditatiua.

Respondetvr ex doctrina Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 1. part. 2. quæſt. vlt. ad* 1. *& ad vlt. in fine*, in ſimili, quod licèt detur per quid poſterius, tamen cùm illud poſterius explicet ipſam differentiam quidditatiuam, & principia intrinſeca generis; hinc eſt quidditatiua. Ratio eſt, ait S. Doct. quia intellectus rariſſimè peruenit ad cognitionem formæ ſubſtantialis, niſi à poſteriori; & quia ſicut cognoſcit, ſic nominat, ideo differentias per naturam priores vtplurimùm nominat à poſteriori.

Obiicies quintò: Genus pro ſecunda intentione ſumptum non prædicatur quidditatiuè de inferioribus: ergo malè dicitur definitum ſumi ſecundò intentionaliter. Probatur conſequentia, quia prædicari quidditatiuè conuenit naturæ, non ſecundæ intentioni.

247. Pro reſponſione recolendum eſt, quod aliàs traditum eſt ſuprà *n.* 154. de prædicatione exercita, quæ propriè fit in primis intentionibus; & de ſignata, quæ fit in ſecundis intentionibus: vnde, quod ſignatur in ſecundis, exercetur in primis: in quo ſenſu multa tribuuntur ſecundis intentionibus non exercitè, ſed ſignatè tantùm. Vnde dicitur verè, *Homo eſt animal*, & non *Homo eſt genus*, quia non eſt tale exercitè. Hinc reſpondetur, definitionem, ſeu prædicabilitatem in quid conuenire naturæ vt quod, & conuenire ſecundæ intentioni vt quo; ſed ſecundùm primam rationem genus identificatur cum inferioribus, non ſecundùm aliam, & ſecundam vt quo. Quare genus non prædicatur pro ſecunda intentione in quid de ſpeciebus ſignatè ſumptis, ſed benè exercitè: ſicque definitum non eſt ſecunda intentio exercitè, licèt ſit ſignatè, quia ſecunda intentio eſt ſignum denominans, & concernens naturam, cui verè competit exercitè prædicari quidditatiuè de pluribus ſpeciebus.

Obiicies ſextò: Prædicari de pluribus ſpeciebus conuenit naturæ, non ſecundæ intentioni: ergo non definitur ſecunda intentio.

Respon

Digitized by Google

Respondetvr, conuenire naturæ formalizatæ per ſecundam intentionem; eſt enim ratio, ob quam illa prædicabilitas proxima ei conuenit: vnde genus in concreto, & ſecundùm prædicationem ſignatam hîc definitur, & prædicatur in quid ratione naturæ quidditatiuè conuenientis inferioribus exercitè: quæ reſponſio benè notetur, inſeruit enim ad intelligenda ea, quæ ſuprà dicta ſunt.

248. Secvnda Conclvsio: Definitio allata à Seraph. Doct. quâ dicit, *Genus eſt forma*, ſcilicet totius, *in qua tanquam in tertio plures naturæ aſſimilantur aſſimiliatione prima, & incompleta*, eſt magis adæquata, & propria, tam in genere metaphyſico, quàm logico, ſed magis in metaphyſico. Probatur, quia per hanc explicatur ratio conſtitutiua, & diſtinctiua generis: ergo. Probatur antecedens: Ratio conſtitutiua, & diſtinctiua prædicabilium non eſt ipſa comparatio rationis ad plura inferiora, ſed eſt diuerſa communicatio paſſiua, per quam deſcendit vt ſuperius ad inferiora: ſed in hac aſſignatur talis communicatio in forma ſumpta vel metaphyſicè, vel logicè per rationem, & conuenientiam plurium naturarum incompletam, & potentialem, & per quam explicatur natura generis ſupremi, & ſubalterni, & per quam differt à quocumque alio prædicabili: ergo hæc eſt rectiùs aſſignata. Maior eſt certa ex traditis *in quæſt. vltim.* præcedentis tractatus: Minor patet, quia per communicationem potentialem generis pluribus naturis differt à ſpecie, in qua eſt communicatio completa; & à differentia, in qua eſt communicatio actualis differentiæ; & ab aliis, in qua eſt communicatio accidentalis: ergo. A qua doctrina non diſcrepat Guarinus *Logic. diſtinct.* 5. *exp.* 1. nam vt rectè aduertit, definitio Porphyrij eſt vel naturæ vt affectæ genereitate, vel è contra: at in hac definitione, quæ eſt Seraph. Doct. explicatur eius vniuerſalitas, ſeu ſimilitudo naturarum, per quam differt à cæteris prædicabilibus.

Obiicies cum Auerſa: Genus à ſpecie differt, quòd illud poteſt eſſe in pluribus eſſentiis; iſta in pluribus indiuiduis: ergo præcisè ſumitur differentia vtriuſque ex parte inferiorum, & non ex modo communicandi complетè, & incompletè.

Respondetvr negando antecedens; nam ex modo incompleto, & potentiali ſumitur diuerſitas etiam terminorum, & inferiorum, quibus communicatur, ſcilicet quatenus talis modus reſpicit, & terminat vel ad eſſentias diuerſas, vel ad indiuidua, &c.

249. Tertia Conclvsio: Genus continet ſpecies, & differentias, non actu, ſed potentiâ tantùm, licèt ſumptum primò intentionaliter, & præcisè tantùm, nullo modo continet ipſas. Eſt S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. & *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *lib.* 2. *diſtinct.* 36. *dub.* 5. & *lib.* 4. *diſt.* 16. *ſuprà citat. in ſecundo not.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 2. *fundam.* 5. Probatur prima pars ex S. Doct. Genus eſt in plus ſecundùm potentiam, quàm ſpecies: ergo in potentia continet ſpecies, & differentias. Probatur conſequentia, quia eſſe in plus, eſt eſſe vniuerſalius, & magis capax multiplicis contractionis per additionem differentiarum quidditatiuarum; ergo. Tum quia genus ſe habet vt materia: ſed hæc in potentia continet formas. Tum quia vt ſic præſcindit ab omnibus ſpeciebus, & differentiis; ergo eas vt ſic non includit actu,

Digitized by Google

aliàs contineret oppoſita actu. Tum quia eſt ſuſceptiuum differentiarum ſolùm diuiſim: ergo in potentia tantùm omnes continet. Tum quia vt ſic eſt formalitas diſtincta ab aliis: ergo eas non continet actu, ſicque remanet probata ſecunda pars concluſionis.

Obiicies primò: Vniuerſale eſt totum, ex Ariſt. 1. *Phyſ. cap.* 4. ſed totum componitur ex partibus, quas actu continet: ergo & genus.

Respondetvr eſſe totum potentiale, vt dictum eſt in fundamento ſecundo; ſic negatur minor, & conſequentia de hoc toto.

Obiicies ſecundò: Genus prædicatur de ſpeciebus: ergo debet eas continere; ad hoc enim, vt ſit vera prædicatio, prædicatum debet continere, quicquid continet ſubiectum.

Respondetvr ad veram prædicationem ſufficere realem identificationem prædicati cum ſubiecto, licèt etiam ſint diuerſa formaliter: ſic negatur conſequentia.

Obiicies Tertiò: Genus identificatur cum differentiis: ergo eas continet actu, aliàs ſi tantùm potentialiter contineret, non identificarentur ad inuicem.

Respondetvr identificari non ſecundùm ſe, ſed ratione tertij, id eſt ſpeciei, quam conſtituunt, & ob id non vniuntur inter ſe vnione aliqua, vt interuenit inter materiam, & formam; ſed vniuntur ſeipſis, & per identitatem in tertio: ſic negatur conſequentia.

250. Qvarta Conclvsio: Genus, licèt dicat partem tantùm eſſentiæ, etiam vt totum potentiale, tamen dum prædicatur de ſpecie, dicendo *Homo eſt animal*, verè prædicatur ad modum totius. Eſt S. Bonauent. & Scoti citati in tertio notabili, & probatur, quia genus prædicatur ad modum concreti: ſed concretum ſignificat formam, & concernit ſuppoſitum ipſam habens, ex Seraph. Doct. ibidem citato, & *lib.* 1. *diſtinct.* 33. *dub.* 1. & *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* & *diſtinct.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. ergo ex modo ſignificandi prædicatur genus ad modum totius: ergo verè prædicatur. Probatur conſequentia, quia prædicatio vera eſt, cùm indicat prædicatum eſſe idem cum ſubiecto: ſed in tali prædicatione indicatur ex modo prædicandi, genus eſſe idem cum ſubiecto ſumpto per modum habentis. Tum quia, vt rectè docet Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. dum animal prædicatur de homine, prædicatur vt quid contractum: ergo quatenus habetur identicè ab homine. Vnde animal primariò ſignificat partem; ſecundariò, & ex conſequenti totum ſubiectum, & ex modo ſignificandi concretiuè.

Obiicies primò: Si genus dicit totam rationem ſubiecti, ergo erit prædicatio identica, & nugatoria, vt cùm dicitur, *Petrus eſt Petrus*.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 33. *dub.* 1. negando conſequentiam; eſt enim prædicatio formalis, ſeu per modum inhærentiæ, in qua aliud ſignificatur, aliud ſupponitur; & ob id non eſt identica, in qua idem omninò ſignificatur ex parte ſubiecti, & prædicati. In hac autem importatur identitas tantùm ex parte connotati, non ex parte principalis ſignificati, cùm differant formaliter, & vnum ſe habeat vt ſuperius, & vt pars; aliud vt inferius, & vt totum. Vide S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 5. & *lib.* 1. *diſt.* 20. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad vltim. in fine.*

Obiicies

Digitized by Google

OBIICIES ſecundò: Genus eſt quid incompletum, ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *quæſt. vltim.* ergo prædicatur vt pars.

RESPONDETVR eſſe quid incompletum ſumptum in abſtracto, & ſecundùm rem, ſed ex modo ſignificandi, & ex conſequenti prædicatur vt totum, & vt identificatum ex parte connotati: ſic negatur conſequentia.

OBIICIES Tertiò: Partes phyſicæ prædicantur in concreto de toto, & vt pars, dicendo: *Homo eſt animatus, manuatus:* ergo multò magis, partes metaphyſicæ prædicabuntur vt partes, cùm magis illæ, quàm iſtæ diſtinguantur à toto.

RESPONDETVR, quod hæc differentia eſt inter partes phyſicas, & metaphyſicas, quòd iſtæ prædicantur nomine ſubſtantiuo, illæ adiectiuo; & vtræque, cùm prædicentur concretiuè, prædicantur non vt partes, ſed vt totum, modo ſuprà allato: ſic Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. *& per totam:* non enim dicitur, *Homo eſt animalitas.*

251. QVINTA CONCLVSIO: Genus prædicatur de indiuiduis incompletis immediatè; mediatè autem de completis. Eſt S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *artic.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. 3. *&* 4. Probatur, & explicatur concluſio; nam indiuidua ſi ſumuntur completè, & prout ſunt à parte rei, ſic certum eſt nullum dari indiuiduum, quod immediatè ſub ſpecie non contineatur, quia omne tale contrahitur per differentiam pullulantem à ſpecie, & à principiis intrinſecis rei: Si verò ſumuntur incompletè, prout concipiuntur ſub gradu naturæ ſuperioris, non conſiderato gradu ſpecifico, vt dicendo, *Hoc animal eſt animal, Hoc corpus eſt corpus,* tunc prædicantur immediatè abſque alio medio cognito; prædicatur enim animal in communi de hoc animali, in quo eſt ſingularizata illa natura generica: ergo immediatè. Patet etiam in vidente aliquid de longè ſe mouens, qui concipit illud vt aliquod animal, abſque eo quod cognoſcat eius naturam ſpecificam.

OBIICIES primò: Quando dicitur, *Hoc animal eſt animal*, idem eſt ac dicere, *Petrus eſt animal*; ly enim hoc, demonſtrat ſingulare exiſtens: ſed omne tale eſt determinatæ ſpeciei: ergo hoc animal ſignificat indiuiduum ſpecificum.

RESPONDETVR concedendo totum de indiuiduo, prout eſt à parte rei, negando tamen quoad concipi ab intellectu: cum enim ſint prædicata, & conceptus diſtincti, poſſunt concipi tali pacto inadæquatè, & prædicari per modum ſuperioris ſpeciei; quia eſt prædicatio immediata, & per modum totius, qui eſt modus prædicandi ſpeciei: dicit enim ly animal, totam eſſentiam illius indiuidui incompleti, quia non reperitur in illo niſi animalitas, & hæcceitas; licèt ſi comparetur ad indiuiduum completum, dicatur per modum generis.

INSTAT Suarez *diſput.* 6. *ſect.* 9. Totum indiuiduum vnicâ indiuiduatione indiuiduatur in ſpecie infima: ergo cùm gradus genericè non habeant propriam indiuidualitatem, nec poſſunt concipi vt ſic immediatè indiuiduata.

RESPONDETVR concedendo antecedens quoad indiuiduationem realem, negando quoad indiuiduationem diuiſam ab intellectu. Poteſt enim intellectus illam indiuidualitatem, quâ omnes gradus quidditatiui verè indiuiduantur.

Digitized by Google

in vltima ſpecie, concipere vt contrahentem tantùm ſuperiorem, & genericam conceptu inadæquato, & tūc immediatè fit prædicatio. Et ratio eſt, quia ſicut Petrns eſt hic homo diſtinctus à Paulo numericè, quia habet diſtinctam humanitatem; ſic eſt hoc animal, quia habet diſtinctam animalitatem. Ex quibus patet primò, correlatiuum generis in ratione ſubjicibilis reſpondere generi pro immediato, & formali ſpeciei: pro mediato verò, & materiali indiuidua. Ratio eſt, quia ſi prædicatnr de indiuiduis completis, tunc mediante ſpecie prædicatur: ſi de incompletis, tunc genus ſe habet vt ſpecies: ergo ſemper genus vt genus eſt, reſpicit immediatè ſpecies, mediatè indiuidua. Vel poteſt dici cum Meldul. *num.* 45. quod totale, & adæquatum correlatiuum generis in ratione ſubjicibilis erit aliquid commune, vniuocum & ſpeciebus, & indiuiduis, quatenus ambo conueniunt in ratione ſubjicibilis ad genus: & hinc dixit Porphyrius, genus eſſe id, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie: non dixit de pluribus ſpeciebus; nam & indiuidua etiam plura differunt ſpecie. Id totum docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 2. *quæſt.* 1. *arg.* 4. *&* 5. *ad oppoſ. & in fund.* 5. vbi docet, quod vbicumque eſt genus, ibi eſt neceſſariò ſpecies velut eius terminus. Patet etiam ſecundò, quod eiuſdem rationis habitudine genus refeiatur ad ſpecies, & indiuidua, quia de ambobus prædicatur vt pars materialis, & incompleta.

CAPVT II.

De Specie.

252. IN hoc capite Porphyrius conſequenter agit de illo prædicabili, quod prædicatur per modum totius, ſeu vt tota eſſentia prædicati; de qua triplicem definitionem tradit. Prima eſt ſpeciei conſideratæ per ordinem ad genus, tali pacto: *Species eſt, quæ ponitur ſub aſſignato genere.* Secunda eſt etiam per ordinem ad genus, ſic: *Species eſt, de qua genus prædicatur in quid.* Tertia eſt per ordinem ad inferiora, ſcilicet ad indiuidua, tali pacto: *Species eſt id, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid.* Deinde Porphyrius aſſignat ordinem prædicamentalem ſubſtantiæ, qui conſtat his quinque prædicatis, & ſunt Subſtantia, Corpus, Viuens, Animal, Homo, ex quibus ſubſtantia eſt genus generaliſſimum; homo eſt ſpecies atoma, & ſpecialiſſima: intermedia verò ſunt genera, & ſpecies ſubalternæ, ſcilicet reſpectu inferiorum ſunt genera, reſpectu ſuperiorum ſunt ſpecies. Et cùm termini, ſeu inferiora ſpeciei propriè ſint indiuidua, hinc definit indiuiduum, dicens eſſe id, quod de vno ſolo prædicatur, vel id, ex cuius collectione proprietatum, quæ in vno eſt, in alio non poteſt eſſe: vel id, quod immediatè ſubjicitur ſpeciei.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. SPECIES quidem eſt forma vniuſcuiuſque. ***Lib.*2 *diſt.*18. *art.*1.*quæſt.*3. *in corp.***

B. HÆC autem alia dicitur ſimilitudo, & imago; eſtque ratio cognoſcendi rem, ſicut Filius in Diuinis eſt ſpecies Patris; & ſpecies, quæ recipiuntur in potentia cognoſcente. Alia dicitur pulchritudo, quæ importat numeroſam æqualitatem, & proportionem. Vnde dicitur ſpecies Priami digna Imperio: & Pſalmo 44. ***Specie tua, & pulchritudine tua, &c.*** Alia dicitur natura,& eſſentia, quæ conſiderata ſecundùm ſe, dicitur eſſentia; per comparationem ad operationem, dicitur natura; in ordine verò ad cognitionem dicitur ſpecies. ***Lib.*1.*diſtinct.*31.*part.*2.*art.*1. *quæſt.*3.*& op. Itiner. ment. cap.*2. *& lib.*1. *diſt.* 31.*part.*2. *dub.* 4. *& lib.*1. *diſtinct.* 17.*part.*1. *art.*1. *quæſt.*4. *in corp.***

D. ET cùm ſpecies dicat formam communem, per hoc conuenit cum genere, & diſconuenit ratione aſſimilationis, & conuenientiæ perfectæ, eſtque proprium ſpeciei atomæ, & ſpecialiſſimæ: ſi verò aſſimilatio, & conuenientia non eſt prima, & imperfectior, ſeu minima, ſed completior, ipſa dicitur ſpecies intermedia. Ratio autem ſpeciei ſpecialiſſimæ deſumi habet ab eo, quod eſt in re nobiliſſimum, & perfectiſſimum, & dicitur forma totius completa. Vnde cùm adſint multa entia incompleta, hæc tantùm reductiuè ſpectant ad ſpeciem, & lineam prædicamentalem. ***Lib.*2. *diſtinct.*18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. & lib.*1. *diſt.*19.*part.*2. *quæſt.*4. *& lib.*3. *diſt.* 2. *art.*2. *quæſt.*3. *& lib.*2. *diſtinct.*9. *artic.*1. *quæſt.*1. *in corp. & lib.*2. *diſt.*3.*part.*2. *art.*3. *quæſt.*1.*& lib.*3.*diſt.*36. *art.*1. *quæſt.*6. *arg.*2.*&* 4. *&lib.*4.*diſtinct.*19.*art.* 3. *quæſt.*1. *fund.*4. *& lib.*2. *diſtinct.*25. *art.*2. *quæſt.*1. *ad vlt.***

E. ET quia ſpecies, ſeu forma totius poteſt conſiderari, vel ſecundùm conſtitutionem, vel ſecundùm prædicationem: Primo modo poteſt conſiderari ſecundùm conſtitutionem phyſicam, & exiſtentialem, vel ſecundùm compoſitionem metaphyſicam ex genere, & differentia: Secundo modo conſideratur ſecundùm vniuerſalitatem Logicam, quatenus addit ſecundam intentionem. Primo, & ſecundo modo habet communitatem indifferentiæ. Tertio modo communita-

Digitized by Google

tem rationis. *Lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *q.* 3. *& lib.*3. *diſt.* 10. *art.*1. *q.*3. *& lib.*1. *diſt.*25. *dub.*3. *& art.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2.

F. Et quia vbicumque eſt genus, ibi eſt aliqua ſpecies neceſſariò; hinc ſpecies poteſt conſiderari vel per ordinem ad genus ſuperius, ſicque eſt, quæ ſubjicitur generi; vel per ordinem ad inferiora, provt dicit prædicabilitatem; ſicque eſt id, in quo vt in tertio conueniunt aſſimilatione perfectâ, & completâ ipſa indiuidua, de quibus poteſt prædicari. Vnde patet correlatiuum generis eſſe ſpecies, ſpeciei verò eſſe indiuidua. *Lib.*1. *diſt.*24. *art.*2. *q.*1. *arg.*4. *&* 5. *ad oppoſ. fund.*5. *& lib.*2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. 3. *&* 4. *& in corp.*

G. Individvvm autem, (qui eſt terminus correlatiuus ſpecierum) dupliciter dicitur: Primò, quod eſt indiuiſum in ſe: Secundò, quod eſt ab aliis diuiſum, & ſubſiſtit in ſe, eſtque propriè ſuppoſitum: vnde propriè indiuiduum ſumitur primo modo, & duobus modis definiri poteſt. Primò id, quod de vno ſolo dicitur: Secundo id, quod habet proprietates, quarum collectionem impoſſibile eſt in alio reperiri. Vnde licèt indiuiduatio oriatur à principiis intrinſecis, tamen innoteſcit per accidentium collectionem. *Lib.*2. *diſt.*18. *q.*3. *ad* 2. *& ſeq. & lib.*3. *diſt.*10. *art.*1. *q.*3. *in fund. & in corp. & lib.*3. *diſt.*5. *art.*2. *q.* 2. *ad* 1. *& art.*1. *quæſt.* 2. *ad* 2. *& lib.*1. *diſt.*25. *art.*1. *q.*2. *ad* 3. *& lib.*3. *diſt.* 10. *art.*1. *q.*3. *ad arg. & lib.* 2. *diſt.* 3. *part.*1. *art.*2. *quæſt.* 1. *&* 2.

H. Individvvm autem vt ſic dicit communitatem rationis, & etiam rei; non tamen ſecundùm vniuocationem, ſed ſecundùm ſimilitudinem habitudinis, quæ facit analogiam. *Lib.*1. *diſt.*25. *art.*2. *q.*1. *&* 2.

I. Hinc patet ordo prædicamentalis, qualis ſit: nam primo loco ponitur genus generaliſſimum, vt ſubſtantia; deinde genera, & ſpecies ſubalternæ; ſcilicet corpus, viuens, animal: deinde ſpecies ſpecialiſſima, & vltimò indiuiduum. *Lib.*2. *diſt.*18. *art.*1. *quæſt.* 3.


Scholium ſuper Textum Seraphicum.

253. Primò Nota, quod multa, quæ hic ponuntur de ſpecie, ſuprà explicata ſunt in notationibus, & capite de Genere.

Secvndò Nota, quod ex doctrina tradita *ad literam F, & G*, reſoluitur quæſtio de terminis immediatis generis & ſpeciei, de quibus immediatè prædicantur; nam generis termini ſunt ſpecies; ſpeciei ſunt indiuidua: alia in ſequentibus explicabuntur quæſtionibus.

Tertiò Nota *ad literam I.*, & in figura hîc ſubiecta, vbi ponitur ad extenſum, & ordinatim ſeries prædicamentalis arboris Porphyrij, quod ſupremum prædicatum dicitur genus generaliſſimum, quia nullum aliud genus ſuperius ſe habet: cætera verò intermedia

media inter ipſum genus generaliſſimum, & vltimam ſpeciem, dicuntur genera, vel ſpecies ſubalternæ; ſunt enim ſpecies, ſi conſiderantur in ordine ad ſuperius genus, cui immediatè ſubjiciuntur: in ordine verò ad inferiora dicuntur genera. Species verò atoma, & vltima dicitur ſpecialiſſima, quæ ſub ſe non habet niſi indiuidua. Lateraliter autem apponuntur differentiæ immediatè diuidentes genus: ſic ſubſtantia diuiditur per corpoream, & incorpoream: corpus per viuens, & non viuens: viuens per ſenſitiuum, & non ſenſitiuum: animal per rationale, & irrationale; & deinde à ſpecie emanat indiuidualitas contrahens ſpeciem ad hoc, vel illud indiuiduum.



Digitized by Google

QVÆSTIO I.

An ſpecies rectè fuerit definita triplici definitione à Porphyrio; & qualis differentia inter ipſas.

254. SVPRA diximus, triplicer definiri ſpeciem: Primò ſic: *Species eſt, quæ ſub aſſignato genere ponitur.* Secundò ſic: *Species eſt, de qua genus prædicatur in eo quod quid eſt.* Tertiò ſic: Species eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quid. Circa quas quæritur primò, an differant inter ſe, & an omnes ſint quidditatiuæ: Secundò conſequenter, an ſpecies conſtituatur in eſſe ſpeciei per ſubjicibilitatem in ordine ad genus, an per prædicabilitatem in ordine ad indiuidua? Et quoad primum dubium.

TOLETVS, Ruu. Baudunus noſter, aliique volunt eſſe tres definitiones quidditatiuas: Alij communiter duas eſſe volunt. Quoad ſecundum dubium, Caietan. vult ſpeciem conſtitui in eſſe per ſubjicibilitatem. Communis docet oppoſitum, nempe conſtitui per ordinem ad inferiora, ſeu per prædicabilitatem, eſtque S. Bonau. Pro ſolutione quæſtionis, & explicatione ſenſus Seraph. Doct.

PRIMÒ Notandum ex Seraph. Doct. *lib. 3. diſtinct. 2. art. 2. quæſt. 3.* & *lib. 2. diſt. 18. art. 1. quæſt. 3.* ſpeciem poſſe conſiderari, vel ſecundùm conſtitutionem realem, vel ſecundùm prædicabilitatem. Primo modo eſt ſpecies, vel phyſica, prout dicit tertiam entitatem reſultantem ex vnione materiæ, & formæ; vel metaphyſica, dicens formam totius, & eſſe quidditatiuùm completum indiuidui, quæ alio nomine dicitur eſſentia, ſeu natura, ſiue ſpecies, vt aduertit S. Doct. *lib. 1. diſt. 31. part. 2. dub. 4.* In quo ſenſu dixit Ariſt. ex Seraph. Doct. *lib. 3. diſt. 2. artic. 2. quæſt. 3. ad 2.* & *lib. 3. diſt. 10. artic. 1. quæſt. 3. ad arg.* & *lib. 2. diſt. 18. quæſt. 3.* quod ſpecies eſt totum eſſe indiuidui, ſcilicet eſt totum eſſe quidditatiuum indiuidui, quod coaleſcit ex compoſitione generis, & differentiæ. Secundo modo importat pro fundamento eandem naturam realem, & pro formali ſecundam intentionem ab intellectu effictam, ſecundùm quam recipit vel ſubjici ſuperioribus, quibus ſubjicitur; vel prædicari de inferioribus, vt docet *lib. 1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 1.* & *lib. 1. diſt. 25. dub. 3.* Et hinc oritur in ſpecie duplex formalitas; alia dicitur ſubjicibilitas; alia prædicabilitas. Prima eſt attributum naturæ cognitæ in ordine ad ſuperius genus, ex quo ſimul cum differentia conſtituitur. Secunda eſt attributum rationis, quo concipitur ipſa natura vt inexiſtens in pluribus indiuiduis. Primo modo ſpecies eſt correlatiua generis, & definitur à Porphyrio per primas duas definitiones. Secundo modo eſt correlatiua indiuiduorum, de quibus eſt prædicabilis.

255. SECVNDÒ Notandum, quòd cùm vniuerſalia logica conſtituantur in eſſe per diuerſos modos ſe communicandi inferioribus, vt dictum eſt in quæſtione de genere ad ſecundam concluſionem; & quia natura communis communicatur inferioribus ſecundùm maiorem, vel minorem completionem, vt dicit S. Doct. *lib. 2. diſt. 18. artic. 1. quæſt. 3.* hinc oritur diuerſitas generum, & ſpecierum; nam genus generaliſſimum dicit conuenientiam incompletam, & potentialem, & ſic deſcendendo alia prædicata important perfectiorem, & perfectiorem communicationem, &

conne-

conuenientiam vſque ad vltimam, & ſpecialiſſimam, quæ accipitur penes illud, quod eſt nobiliſſimum, & perfectiſſimum in re, vt docet S.Doct. *lib. 3. diſt. 2. art. 2. quæſt. 3. ad vlt.* hinc oritur ſeries prædicamentalis generis ſupremi, & generum, ſpecierumque ſubalternarum vſque ad ſpeciem vltimam, atomam, & ſpecialiſſimam; illa enim adhuc ſunt contrahibilia per nouam differentiam ſpecificam; hæc vltima verò nequaquam, ſed tantùm eſt contrahibilis per differentiam indiuidualem ad eſſe indiuidui. Quibus poſitis,

256. Prima Conclusio: Duæ primæ definitiones allatæ à Porphyrio, licèt poſſint explicari tanquam duæ inter ſe differentes, tamen magis propriè vnicam definitionem conſtituunt. Probatur prima pars, quia per ipſas explicantur vel duæ formalitates, ſcilicet ſubjicibilitas, & prædicabilitas generis de ſpeciebus; vel vna formalitas exercens duo officià: ergo poſſunt dici aliqualiter duæ definitiones. Probatur ſecunda pars, quia per ipſas explicatur tantùm vna formalitas, nempe ſubjicibilitas ſpeciei: ergo eſt vna tantùm definitio. Probatur antecedens, quia dicendo, *Species eſt, quæ ponitur ſub aſſignato genere*, eſt idem ac dicere, ſpecies eſt ſubiecta generi; & ad maiorem ipſius explicationem additur, *de qua genus prædicatur in quid*, quia prædicabilitas in quid neceſſariò conſequitur ad ſubjici quidditatiuè generi: ergo eſt vna tantùm definitio; nam per primam explicatur formalitas eius, & per ſecundam proprietas conſequens, ſeu modus, quo ſubjicitur ſpecies generi.

Obiicies cum Ruuio in prima definitione: Dicendo, *Species eſt, quæ ponitur ſub aſſignato genere*, explicatur vna formalitas, ideſt prout ſpecies eſt ſubiectum, in quo eſt genus; & per aliam explicatur alia formalitas, ideſt prout ſpecies eſt ſubiectum, de quo genus prædicatur in quid: ergo ſunt duæ definitiones.

Respondetur ob id nos dixiſſe in Concluſione, hanc opinionem eſſe probabilem, ſuſtinentem eſſe duas diſtinctas definitiones: addimus tamen, probabilius eſſe duas primas conficere tantùm vnam definitionem. Hinc negatur, quod explicentur duæ formalitates ſpeciei, ſed vna tantùm; explicatur enim in prima ſubjicibilitas, & in ſecunda modus, quo ſubjicitur. Nam quatenus genus eſt in ſpecie, etiam poteſt prædicari de ſpecie in quid; ſubiectum enim vnico reſpectu reſpicit prædicatum, in quo, & de quo, vt patet in hac propoſitione, *Homo eſt animal*.

257. Obiicies Secundò: Indiuiduum immediatè continetur ſub genere: ergo illa definitio competit etiam indiuiduo. Probatur antecedens, quia Angeli omnes differunt ſpecie, & ſunt indiuidua ſubiecta immediatè generi ſpiritûs; & relationes Diuinæ ſunt immultiplicabiles, nam non poſſunt dari duo Patres, duo Filij æterni: ergo cùm in illis ratio indiuidualis formaliſſimè ſit eadem cum ſpecifica, ponetur immediatè ſub genere. Definitio competit etiam indiuiduo, & non per rationem prædicabilitatis de pluribus differentibus numero. Hoc argumentum vrget Thomiſtas, & eſt valde difficile, vt aduertit Arriaga *diſp. 7. ſect. 2.* ſuſtinent enim vnumquemque Angelum conſtituere ſpeciem, & eſſe ſimul indiuiduum ſecundùm eandem rationem formalem; ob idque & tale indiuiduum poni ſub genere immediatè. Sed in doctrina Scotica, & multò magis in Seraphica nullam difficultatem ingerit.

Respondetur enim negando antecedens; nam negamus dari iſtas ſpecies

Digitized by Google

ſpecies; ſed ſi contrahuntur per differentiam ſpecificam, ſunt etiam multiplicabiles in plura indiuidua; implicat enim, dari ſpecies, quæ vnum tantùm indiuiduum ſub ſe habere poſſint, atque ideo ſolùm ſint ſubjicibiles, non verò prædicabiles: neque per illam poſitionem immediatam ſub genere præcisè diſtinguimus ſpeciem ſubjicibilem ab indiuiduo; ſed per hoc, quod ſpecies ſubjicibilis ſemper eſt vniuerſalis in ſe, licèt non quatenus ſubjicibilis, ſed per ordinem ad inferiora, vt mox patebit. Negamus etiam relationes Diuinas differre ſpecie; licèt enim relationes vt ſic differant ſpecie, non tamen vt Diuinæ ſunt, ſed tantùm quaſi numeraliter differunt, vt docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *artic.* 3. *quæſt.* 1.

258. Secvnda Conclvsio: Definitio tertia ſpeciei, ſcilicet, *Quod prædicatur de pluribus, &c.* eſt rectè tradita, & propriè explicat naturam ſpeciei. Probatur, quia explicat propriam eius formalitatem conſtitutiuam, nempe reſpectum, quem dicit ſpecies ad inferiora, ſecundùm communicationem completam, & eius prædicabilitatem, eo modo, quo diximus de Genere: ergo.

Obiicies primò: Vna res vnicâ definitione poteſt definiri: ergo malè duplex, vel triplex definitio aſſignata eſt ſpeciei.

Respondetvr, ſpeciem non eſſe vnicam rem, ſed multiplicem, ideſt continentem plures formalitates, & reſpectus oppoſitos. Vnde licèt ens abſolutum admittat vnicam definitionem, non tamen relatiuum, & maximè ens rationis, quia variatur ad variationem terminorum: hinc cùm ſpecies ſit ens rationis relatiuum, dicens reſpectum ad plures terminos per diuerſas formalitates, indiget etiam multiplici definitione ipſas explicante, ſicque per ſubjicibilitatem expreſſam in prima definitione diſtinguitur ab indiuiduis, & per prædicabilitatem de pluribus differentibus numero in quid diſtinguitur à genere, tum generaliſſimo, tum ſubalterno. Iſta enim prædicantur de indiuiduis, ſed mediatè tantùm; item & ab aliis prædicabilibus.

Obiicies ſecundò cum Averſa, iſtas definitiones eſſe vitioſas; ſpecies enim definitur per genus, & genus per ſpecies, quod eſt contra axioma Ariſtotelicum.

259. Respondetvr relatiuum non definiri per ſuum correlatiuum, ſed per fundamenta correlatiui: ſic ſeruus dicitur, non ſeruus domini, ſed qui non eſt ſui iuris. Pater, qui genuit ſimilem in natura, &c. ſic & genus definitur per ordinem ad ſpeciem, non ſumptam formaliter, ſed ad fundamentum ſpeciei, ſeu per ſpeciem primò intentionaliter ſumptam: ſic & ſpecies per ordinem ad genus.

Obiicies tertiò: Hæc definitio, tam Porphyrij, quàm Seraph. Doct. conuenit etiam Diuinæ naturæ, quia eſt tertium, in quo Perſonæ Diuinæ aſſimilantur, & quod de ipſis eſt prædicabile: ergo non eſt adæquata.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *quæſt.* 2. & *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *artic.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. *&* *quæſt.* 2. negando antecedens; licèt enim Diuina natura admittat prædicabilitatem, non tamen vniuerſalitatem, vt aliàs ſæpè dictum eſt; quia hæc conuenit tantùm naturæ vel multiplicatæ, vel multiplicabili: nec perſonæ Diuinæ propriè diſtinguntur numero ob vnitatem naturæ, quia diuerſitas earum ſtat tantùm ex parte relationum.

Obii

Digitized by Google

Obiicies quartò: Perſona vt ſic abſtrahit à tribus perſonis Diuinis, & ſic poteſt prædicari in quid de ipſis, & eſt id, in quo conueniunt: ergo nulla reſponſio.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *artic.* 2. *quæſt.* 1. Perſona quidem vt ſic abſtrahit à perſonis particularibus, ſed tamen vt ſic non dicit quid tertium reale vniuocum, vt euenit in ſpecie. Ratio eſt, quia perſona de ſui ratione dicit priuationem communitatis, & diſtinctionem, & differentiam poſitiuam: hinc ſi adeſt in perſona vt ſic aliqua communitas, iſta eſt tantùm analogica, & rationis, ſeu ſecundùm conſimilem operationem, non ſecundùm aliquam naturam. Hinc negatur paritas.

260. Tertia Conclvsio: Species propriè conſtituitur per ordinem ad inferiora, ideſt per communicationem completam ad indiuidua, ſiue per prædicabilitatem. Eſt S. Bonauent. citati, & communis contra Caiet. aſſerentem conſtitui per ſubjicibilitatem: & patet ex ſuprà traditis. Vniuerſale enim logicum conſtituitur per talem reſpectum ad inferiora, vt dictum eſt: ergo per id conuenit cum cæteris prædicabilibus: ſed per communicabilitatem ad differentia numero in quid diſtinguitur ab omnibus aliis: ergo.

Obiicies primò: Species immediatè ſubjicitur generi, quatenus eſt vniuerſale: ergo vt ſubjicibilis conſtituitur in eſſe.

Respondetvr concedendo antecedens de ſpecie ſpecificatiuè ſumpta; negando de ſpecie formaliter ſumpta: ideſt, ſpecies vt vniuerſalis eſt, & vt dicens ordinem ad inferiora, continet etiam materialiter ſubjicibilitatem: ſic negatur conſequentia.

Contra: Species eſt ſpecies vniuerſalis: ergo provt eſt ſubiecta generi.

Respondetvr provt ſpeciem vniuerſalis eſſe vniuerſalem materialiter, & ſpecificatiuè, non formaliter; non enim ſpecies eſt vniuerſalis, quia continetur ſub vniuerſali, ſed quia includit rationem genericam vniuerſalis; ob idque, quia eſt vniuerſalis antecedenter, ſubjicitur vniuerſali: ſic homo eſt animal, non quia ſubjiciatur animali, ſed quia includit animal vt fundamentum; ideo ſubjicitur animali: vnde ſubjicibilitas ei aduenit per accidens, & conſequenter eſt vniuerſale logicum per reſpectum ad inferiora.

Obiicies ſecundò: Species, vt ſubjicibilis eſt, abſtrahit ab hac, & illa ſpecie: ergo vt ſic eſt vniuerſalis.

Respondetvr, tranſeat totum argumentum; ſed negatur, quod licèt ex tali ſubjicibilitate abſtracta reſultet quædam denominatio vniuerſalis accidentaliter, & denominatiuè; non tamen hæc eſt vniuerſalitas conſtituens ſpeciem in eſſe ſecundi prædicabilis, ob rationes ſuprà adductas.

ObiiciesTertiò: Genus ſubalternum conſtituitur in eſſe per ſubjicibilitatem, non per prædicabilitatem, quia & poteſt prædicari de pluribus differentibus ſpecie, & ſi eſt prædicabile de pluribus differentibus numero, id conuenit ei mediatè: ergo per ſubjicibilitatem conſtituitur. Et confirmatur, quia genus generaliſſimum non differt à genere ſubalterno, niſi quia non habet ſupra ſe genus aliud: ergo non per prædicabilitatem: ergo idem dicendum eſt de Specie.

Respondetvr differre valde, dicere genus, & genus ſubalternum: vt genus conſtituitur per prædicabilitatem,

ſeu relationem ad inferiora; vt ſubalternum per ſubjicibilitatem, & per ordiné ad ſuperius. Cùm autem nec genus ſupremum, nec ſubalternum, nec infimum in ratione generis eſſentialiter differant, ſed tantùm ſub alia ratione accidentali; hinc negatur conſequentia. Immò vt notat Meld. in argumento, committitur fallacia ſecundùm plures interrogationes, vt vna, quaſi ſint vnum, & idem eſſe genus, & eſſe ſubalternum, & ſupremum.

261. Ex quibus ſequitur, quod ſubjicibilitas, & prædicabilitas ſint duæ proprietates ſpeciei, ei prouenientes ex differentia ſpecifica determinatiua generis, & conſtitutiua ſpeciei cum communicabilitate ad inferiora: ratione contractionis tribuit ſubjicibilitatem ſpeciei; & ratione conſtitutionis tribuit communicabilitatem, & prædicabilitatem.

Patet etiam, quomodo magis adæquatè S. Bonau. *lib. 2. diſt. 18. quæſt. 3.* explicauerit naturam generis, vt dictum eſt ſuprà, & ſpeciei, ſic: *Species eſt forma vniuerſalis, in qua vt in tertio eſt perfecta aſſimilatio, & conuenientia plurium indiuiduorum, in quibus quidditatiuè ineſſe, & de quibus prædicari poteſt.* Sic etiam Toletus, & Guarinus notarunt ſpeciem priùs eſſe in ſe, abſtrahereque à ſubjicibilitate, & prædicabilitate, quæ ſunt ipſius proprietates conſequentes. Vnde ſi ly *forma vniuerſalis*, ſumitur primò intentionaliter, explicat naturam realem ſpeciei: ſi ſecundò intentionaliter, explicat naturam ſpeciei logicæ.

QVÆSTIO II.

An Species in vnico indiuiduo, & genus in vnica ſpecie conſeruari poſſit.

262. Ratio dubitandi eſt, quia cùm in definitione generis, & differentiæ importetur relatio ad plura inferiora, videtur, quod ad hæc neceſſariò coexigantur plura.

Prima opinio eſt Cœleſtini, & aliquorum aliorum contendentium genus poſſe conſeruari in vnica ſpecie, etſi aliæ eſſent impoſſibiles, ex hoc, quod ſufficit, vt genus veniat in compoſitionem ſpeciei, prout eſt quid potentiale.

Secvnda opinio aſſerit, requiri plures ſpecies actu; ſpecies autem exigit plura indiuidua, ſaltem poſſibilia. Ita Boëtius, aliique apud Meldul. *diſput. 4. Logic. num. 85.*

Tertia opinio eſt D. Thomæ, & ſequacium contendentium ad genus requiri plures ſpecies, ſaltem poſſibiles; ſpeciem verò poſſe ſaluari in vnico indiuiduo, etiamſi alia ſint impoſſibilia. Sic docent vnumquemque Angelum conſtituere ſpeciem, & eſſe intrinſecè immultiplicabilem in plura indiuidua ſolo numero diſtincta.

Qvarta opinio eſt communis D. Bonau. Scoti, & aliorum extra ſupradictas Scholas, aſſerentium non eſſe neceſſariam actualem multitudinem, ſiue ſpecierum in genere, ſiue indiuiduorum in ſpecie; requiri tamen neceſſariò poſſibilem multiplicationem. Pro ſolutione quæſtionis

Primò ſupponendum ex Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 18. art. 1. quæſt. 3. & diſt. 36.*

Digitized by Google

diſt. 36. *dub.* 5. & *lib.* 2. *diſt.* 35. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 6. quod genus, & ſpecies poſſunt conſiderari dupliciter. Primò vt tota quædam actualia. Secundò vt tota quædam potentialia. Primo modo provt dicunt ſua prædicata eſſentialia, & ſecundùm hanc conſiderationem potiùs ſunt totum ſubjicibile, quàm prædicabile; verbi gratiâ, homo eſt riſibilis, rationalis, &c. & in hac conſideratione certum eſt genus in vnica ſpecie, & ſpeciem in vnico indiuiduo conſeruari poſſe, quia ſecundùm totam ſuam eſſentiam communicatur cuilibet ſuò inferiori: ſic & Seraph. Doct. *loc. cit.* & *lib.* 3. *diſtinct.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 2. & *lib.* 3. *diſt.* 10. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad arg.* & *lib.* 4. *diſt.* 4. *dub.* 2. & hoc vniuerſale appellatur ab aliis phyſicum; eſt enim de conſideratione Philoſophi naturalis, ait S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 18. *cit.* Sed difficultas eſt de genere, & ſpecie, provt ſunt tota potentialia, tum metaphyſica, tum logica, reſpicientia inferiora, vt partes ſubiectiuas.

263. Secvndò ſupponendum ex aliàs ſæpè traditis ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 2. & *lib.* 3. *diſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *quæſt.* 2. & 4. & eſt communis, quod ideo non poteſt vniuerſalitas in natura Diuina fundari, quia non eſt multiplicabilis; cùm enim ſit vltimatè actuata de ſe, & ob id de ſe, & intrinſecè ſingularis; ideo non poteſt diuidi, vel multiplicari. Quælibet autem creata natura, cùm habeat per aliud ſuperadditum determinari, nec poſſit communicari niſi cum ſui diuiſione, ob ſuam limitationem, hinc vel eſt actu multiplicata, vel ſaltem multiplicabilis.

Tertiò ſupponendum ex traditis in tertia quæſtione de vniuerſalibus in communi, quod vniuerſale logicum exigit quidem actualem inexiſtentiam actu effictam ab intellectu; attamen inferiora non eſt neceſſe, quod ſint actu. His poſitis,

264. Prima Conclvsio: In vnica ſpecie genus logicum, & ſpecies logica in vnico indiuiduo actuali poſſunt conſeruari, dummodo alia ſint poſſibilia. Eſt S. Bouau. citati, & *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 9. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *lib.* 3. *diſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in corp.* Probatur prima pars, ſcilicet quod actu non neceſſariò debeant exiſtere inferiora. Vniuerſale eſt prædicatum eſſentiale prædicabile eſſentialiter de ſuis inferioribus: ſed prædicatio eſſentialis non exigit in ſubjecto, vel prædicato exiſtentiam actualem: ergo.

Respondent Aduerſarij concedendo Minorem de vniuerſali metaphyſico, & phyſico: negando de logico. Ratio eſt, quia prærequiritur abſtractio facta per intellectum ipſius naturæ ab inferioribus, quæ ſi non exiſtunt, nec etiam poteſt fieri talis abſtractio.

Contra primò, quia natura vt communis poteſt ab vno ſolo abſtrahi exiſtente, immò etiamſi non exiſteret, vt per ſe patet. Tum quia in vniuerſali logico ſufficit, vt inferiora exiſtant tantùm obiectiuè in intellectu: Probatur aſſumptum, quia relatio non maiorem exiſtentiam exigit in termino, quàm habeat de ſe: ſed vniuerſalitas eſt relatio rationis: ergo termini, qui ſunt inferiora, ſufficit, vt habeant eſſe intentionale, vt dictum eſt in quæſtione 3. de Vniuerſalibus in communi; ideſt, vt proximè concipiatur natura vt potens in illis eſſe inferioribus.

Probatvr ſecunda pars, ſcilicet quod iſta inferiora debent eſſe poſſibilia verè, quia vt dictum eſt in quæſtione 5. de Vniuerſalibus, aliàs etiam na-

tura Diuina poſſet fieri vniuerſalis logicè. Tum quia ſi ſunt poſſibilia tantùm per opus intellectus, vt volunt Thomiſtæ, ſequeretur non poſſe fieri prædicationem quidditatiuam naturæ de talibus indiuiduis, nec ſignatè, nec exercitè: eſſent enim tantùm ens rationis.

Respondent Complut. *diſp. 6. quæſt. 4.* concedendo totum de vniuerſali ſecundùm rem, & rationem ſimul: negando de vniuerſali, quod eſt tale ſecundùm rationem tantùm; nam in hoc ſingularia ſunt actu ab intellectu confi cta; ſic enim intellectus comparat naturam ad proprium indiuiduum, ac ſi haberet plura alia ſub ſe; ideſt talis natura, vt ſic concepta, ſe habet ad plura, ac ſi eſſent poſſibilia.

Contra, quia argumentum ſtat in ſuo robore; nam in tali caſu vniuerſale non poteſt prædicari quidditatiuè de pluribus inferioribus. Tum quia ſunt impoſſibilia. Tum quia ſunt tantùm entia rationis. Tum quia vniuerſale eſſentialiter dicit ordinem ad plura, &c.

265. Obiicies primò. Eſſentiale eſt generi contrahi per differentias oppoſitas: at ſi haberet tantùm vnam ſpeciem actu, non contraheretur completè: ergo eas requirit actu.

Respondetur concedendo antecedens, negando conſequentiam, dummodo aliæ ſpecies ſint poſſibiles.

Instant: Natura Gabrielis poteſt præſcindi à differentia indiuiduali: ſed in tali ſtatu non eſt ſingularis: ergo vniuerſalis, & apta ad eſſendum in pluribus.

Respondetur concedendo antecedens in noſtra ſententia; negando antecedens in ſententia Thomiſtarum; non enim in natura Angelica adeſt ſingularitas vlla vllo modo diſtincta à natura; nec etiam poteſt præſcindi natura: & dato hoc, negatur tunc eſſe vniuerſalem, cùm de ſe ſit determinata ſecundùm ipſos. Tum etiam, quia in tali ſtatu eſt indifferens ad vniuerſalitatem, & ſingularitatem.

Obiicies ſecundò: Conceptus naturæ ſic præciſe conſideratæ, quando prædicatur de indiuiduo, eſt prædicatio ſuperioris de inferiori, quia eſt prædicatio indeterminati de determinato: ergo.

Respondetur concedendo antecedens de conceptu de ſe indeterminato in natura habente eſſe de ſe præciſum; negando ſi indeterminatio eſt ſolùm per intellectum facta cum repugnantia ex parte obiecti; tunc enim implicaret contradictoria, cùm à parte rei eſſent natura, & indiuidualitas æqualis latitudinis.

QVÆSTIO III.

De Indiuiduis.

266. Individvvm eſt propriè correlatiuum ſpeciei; ideo Porphyrius poſt ſpeciem tractat de ipſo, noſque ex doctrina Seraphica idem proſequemur, ſupponentes triplicem definitionem datam à Porphyrio diuerſimodè competere ipſi. Hinc

Primò quæritur, an indiuiduum hîc definiatur, prout primò intentionaliter, an ſecundò intentionaliter ſumitur. Primo modo ſumitur ipſa natura, prout contracta eſt ab indiuidualitate; vnde ſumitur pro ipſo denominato. Secundo modo ſumitur pro ipſa natura indiuiduali abſtracta in communi ſumpta, & vt cognita comparatiuè in ordine ad obiectum commune, & pro-

vt

vt ſibi repugnat diuidi in plura inferiora, & hoc modo fundat duplicem relationem rationis, alteram ſubjicibilitatis ad ſpeciem, alteram prædicabilitatis, per quam poteſt prædicari de vno. Hinc

RESPONDETVR primò, illam definitionem aſſignatam, ſcilicet, *Id cuius collectio proprietatum realium in vno ſolo poteſt inueniri*, competere indiuiduo realiter ſumpto: & patet, quia explicatur ratio realis, & communis omnibus indiuiduis: ergo. Proprietates autem iſtæ continentur in his duobus verſibus à Boëtio, & Alberto Magno.

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus,
Vnum perpetuâ reddere lege ſolent.

OBIICIES primò: Hæc definitio traditur per accidentia: ergo non eſt bona.

RESPONDETVR eſſe deſcriptiuam, non quidditatiuam, & datam à poſteriori, & per accidentia nobis notiora: ſic negatur conſequentia.

RESPONDETVR ſecundò hanc definitionem, ſcilicet prædicari de vno ſolo, datam de indiuiduo, ipſi competere, provt ſumitur ſecundò intentionaliter: & patet, quia prædicari ſpectat ad ſecundas intentiones, & per hanc diſtinguitur à ſpecie.

OBIICIES ſecundò: Petrus eſt indiuiduum: ſed non eſt prædicabile de aliquo; à prima ſubſtantia enim nulla eſt prædicatio, ait Ariſt. *cap. de Subſtantia*: ergo non eſt bona.

RESPONDETVR eſſe veram minorem de prædicatione formali pura, in qua prædicatum eſt quid diſtinctum à ſubiecto; falſam de identica, ſicut eſt hæc, licet non ſit purè talis, quia in prædicato adeſt modus differens à modo, quo ſignificatur ſubiectum, ex regula aliàs tradita ex Seraph. Doct.

OBIICIES Tertiò: Indiuiduum entis, & alterius prædicati generici, vt hoc ens, hoc animal, prædicatur de pluribus, de Petro, de Paulo, &c. ergo non eſt bona illa definitio.

RESPONDETVR negando Antecedens; hoc ens enim, & hoc animal, quod prædicatur de Petro, nón eſt illud, quod prædicatur de Paulo.

OBIICIES Quartò: Eſſentia Diuina eſt indiuidua, & prædicatur de tribus perſonis: ergo indiuiduum non eſt rectè definitum.

RESPONDETVR ex S. Bonauent. *lib. 1. diſtinct. 24. quæſt. 1. ad argum.* quod eſſentia Diuina eſt indiuiduum illimitatum, quod ob ſui infinitatem abſque diuiſione reperitur in tribus perſonis. Vnde definitio data de indiuiduo competit tantùm creato, & limitato indiuiduo.

TERTIÒ dicimus, aliam definitionem, ſcilicet id, quod continetur ſub ſpecie, competere indiuiduo in ratione ſubjicibilis reſpectu ſpeciei, explicareque ipſam ſubjicibilitatem vltimam in gradu prædicamentali, nempe rationem inferioritatis ad vniuerſale.

DICES, competere etiam indiuiduo generico.

RESPONDETVR, competere quidem; ſed tamen provt genus ſumitur per modum ſpeciei, vt dictum eſt de genere.

267. QVÆRITVR ſecundò, an detur in definitione allata, ſcilicet, *Quod prædicatur de vno ſolo*, vna ratio vniuoca communis omnibus indiuiduis, & quæ ſit vniuocè prædicabilis de omnibus: an verò definiatur indiuiduum tantùm confusè ſumptum, ita quod omnia indeterminatè, & ſimul immediatè exprimantur. Ratio dubitandi eſt, quia cùm indiuidua inter ſe ſint primò diuerſa

CAPVT III.

De Differentia.

270. IN hoc capite Porphyrius primò diuidit differentiam in communem, propriam, & propriiſſimam. Primæ duæ faciunt differre accidentaliter, ſiue faciunt aliud alteratum. Tertia facit differre eſſentialiter, ideſt aliud; & inter has aliæ ſunt ſeparabiles, aliæ inſeparabiles à ſubiecto: Item propriiſſimè diuidunt genus, & conſtituunt ſpeciem: Secundò multiplici definitione explicat rationes, & varias formalitates, ſeu officia differentiarum. Primò ſic, *Differentia eſt, quâ ſpecies abundat à genere, ideſt plura actu continet, quàm genus.* Secundò ſic, *Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid.* Tertiò ſic, *Differentia eſt vniuerſale aptum natum diuidere ea, quæ ſub eodem genere ſunt.* Quartò ſic, *Differentia eſt, quâ differunt à ſe ſingula.* Quintò ſic, *Differentia eſt, quæ conducit ad eſſentiam ſpeciei, & eſt pars eſſentiæ, & definitionis eius.*

TEXTVS SERAPHICVS.

A. 271. DIFFERENTIA ſecundùm nomen ſignificat id, quo res vna ab alia diſcernitur. *Lib.* 1. *diſt.* 7. *artic.* 1. *quæſt.* 2. *fund.* 3. *& lib.* 1. *diſtinct.* 10. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſtinct.* 24. *dub.* 1. *& lib.* 2. *diſtinct.* 26. *artic.* 1. *quæſt.* 3.

B. DIFFERENTIA verò alia eſt eſſentialis, alia purè accidentalis; & inter has datur media, quæ non eſt eſſentialis purè, nec purè accidentalis, eſtque per proprietates, quæ dici poteſt eſſentialis ex conſequenti: accidentalis, & propria faciunt alium, & alterum: eſſentialis facit aliud. Proprietas autem etiam facit differre, quia quod immediatè conſequitur, & addit, ſe habet per modum differentiæ, & complementi, & à tali res denominatur: vnde notant vel alietatem ſuppoſiti à ſuppoſito, aliquando naturæ à natura, aliquando ſtatûs à ſtatu, vt puer à ſeipſo ſene. *Lib.* 1. *diſt.* 4. *dub.* 9. *& lib.* 1. *diſt.* 13. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 5. *& lib.* 1. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 2. *fund.* 2. *& lib.* 1. *diſtinct.* 31. *part.* 1. *dub.* 2.

C. DIFFERENTIA accidentalis alia eſt per accidens inſeparabile, alia per accidens ſeparabile, & commune. Accidens autem inſeparabile

parabile eſt tale vel per naturam, vt albedo in cygno, nigredo in coruo; vel eſt tale per acquiſitionem, vt obſtinatio in dæmonibus: quæ inſeparabilitas tamen, ſi eſt propriè in accidentibus, non eſt talis ab intrinſeco, quin ſaltem per intellectum non poſſint ſeparari abſque læſione rei, cui inhærent, quia proueniunt ab extrinſeco; & ob id dicuntur inſeparabilia per accidens talia accidentia: quando verò prouenit ab intrinſecis principiis, vt riſibilitas in homine, & proprietates rerum, tunc etiam eſt de intrinſeca ratione ſubiecti, licèt ſecundariò, & dicitur inſeparabilis per ſe. *Lib. 2. diſt. 41. artic. 1. quæſt. 2. in corp. & ad 2. & lib. 2. diſt. 7. part. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 3. & lib. 1. diſt. 4. dub. 9. & lib. 1. diſt. 24. dub. 1. & lib. 1. diſtinct. 3. part. 2. art. 1. quæſt. 3. ad 1. & lib. 4. diſtinct. 12. part. 1. art. 1. per totum, & lib. 1. diſtinct. 26. dub 5.*

D. DIFFERENTIA eſſentialis, quæ eſt propriiſſima (& de qua in hoc capite ſolùm agitur,) habet ſequentia munera. Primum eſt contrahere, ſeu diuidere genus: ſic primæ differentiæ primò diuidentes gènus ſubſtantiæ ſunt corporeum, & incorporeum; & per hoc addunt aliquam entitatem veram generi: Secundum munus eſt conſtituere ſpeciem; differentia enim dat eſſe completum rei, ob idque ſemper debet eſſe prior eo, cuius eſt differentia; oriturque ab iiſdem principiis ſpeciei conſtitutæ. Tertium munus eſt diſtinguere ſpeciem ab aliis; eadem enim differentia & diuidit genus, & conſtituit ſpeciem, & eam diſtinguit. Quartum munus eſt ſpeciem denominare, quia denominatio fit à nobiliori, vt à ſuò complemento. *Lib. 2. diſtinct. 41. articul. 1. quæſt. 2. in fund. & lib. 2. diſtinct. 1. part. 2. artic. 1. quæſt. 2. ad 2. & diſtinct. 3. part. 1. artic. 2. quæſt. 2. fund. 4. & lib. 1. diſtinct. 25. articul. 1. quæſt. 2. ad 1. & lib. 2. diſtinct. 1. part. 2. art. 3. quæſt. 2. ad 1. & lib. 3. diſt. 6. art. 1. quæſt. 1. ad 4. & quæſt. 3. & lib. 4. diſt. 3. art. 1. quæſt. 4. in argum. & lib. 2. diſtinct. 19. dub. 2.*

E. DIFFERENTIÆ eſſentiales ſunt plures in quolibet compoſito, in quo adeſt varietas naturarum, quæ in eo ſunt ſecundùm gradualem perfectionem prædicamentalem. *Lib. 2. diſt. 1. part. 2. artic. 3. quæſt. 2. in corpore, & lib. 1. diſt. 8. part. 2. dub. 2. & lib. 1. diſt. 9. artic. 1. quæſt. 2. ad vltimum.*

F. SED aduertendum eſt, quod inter iſtas differentias, aliæ ſunt perfectiuæ ſimpliciter, vt verbi gratiâ rationale, à quibus genus contrahitur,

trahitur, & conſtituitur ſpecies vltima, quia eſt optimum in re, quæ conſtituitur. Aliæ ſunt perfectiuæ, ſed cum diminutione, quia adhuc conſtituta ſunt capacia nouæ perfectionis, vt corpus, viuens, &c. Primæ dicuntur vltimæ differentiæ vltimò conſtitutiuæ: Secundæ dicuntur ſubalternæ, ſeu genericæ. *Lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3.

G. ADVERTENDVM etiam, quod differentiæ diuidentes genus, aliquæ denominantur nomine priuatiuo, vt irrationale, inſenſitiuum, non viuens, incorporeum. Aliæ nomine poſitiuo exprimuntur: hinc hæ ſecundæ ſunt omninò & quoad rem, & quoad nomen poſitiuæ, & perfectiuæ. Primæ verò quoad nomen important priuationem, & perfectionem admixtam cum aliqua imperfectione, licèt quoad rem ſint perfectiuæ, & poſitiuæ, ſicut ſuæ oppoſitæ: ſed id euenit, vt explicetur ipſarum oppoſitio aliqua, ſecundùm quam tamen non ſe excludunt mutuò ab eodem genere: ſed poſitâ vnâ, neceſſariò altera debet poni, licèt à ſpecie conſtituta vna alteram excludat. Et hinc diuerſorum ſecundùm ſpeciem diuerſæ ſunt perfectiones eſſentiales. *Lib.* 4. *diſt.* 48. *art.* 2. *quæſt.* 4. *ad vlt. & lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *fund.* 4. *& art.* 3. *quæſt.* 2. *in arg. ad oppoſ. & lib.* 3. *diſt.* 36. *art.* 1. *quæſt.* 6. *ad* 2.

H. DIFFERENTIA, cùm addat aliquid generi, & conſtituto, ſemper differt re ab eo, cuius eſt differenria; nec alternantur circa indiuiduum eiuſdem ſpeciei: quare compoſitio ex genere, & differentia eſt vera, & realis, facienſque vnum per ſe. Vnde hæc propriè non eſt in accidentibus, quæ ſunt formæ ſimplices. *Lib.* 1. *diſtinct.* 25. *artic.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 1. *diſtinct.* 33. *dub.* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in fund. & lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 4.

I. ET quia intellectus noſter rariſſimè peruenit ad cognitionem differentiæ ſubſtantialis, niſi à poſteriori, & quia ſicut cognoſcit, ita nominat; ideo differentias per naturam priores vtplurimùm nominamus à poſteriori. *Lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *quæſt. vlt. in fine.*

Scholium.

272. PRIMÒ Nota, quod cùm adſint differentiæ per accidentia inſeparabilia, horum aliqua ſunt eſſentialia ſubiecto, vt ſunt proprietates, iſtæque proueniunt ab intrinſecis principiis, quia non trahunt rem in aliud genus, vt

vt aduertit Seraph. Doct. *lib.1. diſt.3. part.2. art.1. quæſt.3. ad* 1. alia ſunt inſeparabilia ab extrinſeco, ideſt quatenus proueniunt à tali complexione, & temperamento, nec ob id dicuntur prouenire à principiis intrinſecis rei, quia trahunt rem in aliud genus, ideſt accidentale.

Secundò Nota, quod in hoc capite propriè ſolùm agitur de differentia propriiſſima: & de propria agitur in ſequenti capite de Proprio: & de Communi in vltimo prædicabili Accidentis.

Tertiò Nota *ad literam E, & H,* quod Seraph. Doct. admittit in rebus compoſitis & compoſitionem veram,& realem ex genere, & differentia; & varietatem formalitatum, vt aliàs probatum eſt, quod infrà explicabitur; eſt enim vnum ex ſuis præcipuis fundamentis, ob quæ recognoſcit compoſitionem ex materia, & forma in Angelis.

Qvartò Nota, quod hîc alio modo ſumitur differentia in præſenti, & differentia, quâ vnum differt ab alio: in hoc capite enim differentia ſumitur pro qualitate faciente differre; & in tractatu de Formalit. differentia, ſeu diſtinctio ſumitur pro relatione reſultante ex poſitione extremorum.

QVÆSTIO I.

De Diuiſione allata à Porphyrio, & de definitionibus differentiæ, an ſint rectè traditæ, & quomodo?

273. Circa propoſitum titulum quæritur primò, an diuiſio differentiæ in communem, propriam, & propriiſſimam ſit adæquata? Ratio dubitandi potiſſima eſt ob differentiam indiuidualem, quæ nec eſt communis, nec propria; non enim conuenit accidentaliter naturæ: nec eſt propriiſſima, quia non facit indiuiduum differre eſſentialiter, idque etiam dicitur de ſuppoſitalitate. Secundò, quia ſunt aliqua genera, quæ faciunt differre; & tamen non ſunt differentiæ, vt animal facit differre hominem à ligno. Tertiò, quia formæ phyſicæ, vt anima, etiam faciunt differre; & tamen non ſunt differentiæ diuidentes genus. Pro ſolutione huius dubij

Primò aduertendum, quod hoc diſcrimen eſt inter diuerſitatis nomen, & differentiæ; diuerſitas enim intercedit inter ea, quæ ſeipſis totis ſecernuntur, vt lapis,& Angelus; Deus, & creatura; ſic decem prædicamenta: differentia verò eſt eorum, quæ in aliquo communi immediato conueniunt, & per aliquid differunt. Prima diuerſitas facit aliquid totaliter diuerſum: ſecunda facit alterum, vel alteratum, vel aliud: nam ſi id, per quod duo differunt, eſt quid accidentale ſeparabile, vel etiam proprium, facit alterum, & accidentaliter diuerſum; & ad hoc caput reducuntur indiuidualitates, & perſonalitates, vt ait S. Doct. Si verò eſt quid eſſentiale ſpectans ad conſtitutionem quidditatiuam ſpeciei, facit aliud ſecundùm naturam: ſic S. Doct. *lib. 1. diſt. 31. part.1. dub.2.* & *lib. 1. diſt.4. dub. 9.* & *lib. 1. diſt. 9. dub. 1.* & *lib.1. diſt. 24. dub. 1.* quæ cùm ſint vera, attamen multoties indiſcriminatim ſumuntur nomina diverſitatis,& differentiæ ad ſignificandam propriam differentiam; quod eſt in praxi apud Doctores ſæpiſſimè, & maximè apud Seraph. Doct.

274. Secvndò aduertendum, quod differentia

differenia poteſt ſumi primò intentionaliter, & ſecundò intentionaliter. Primo modo eſt differentia metaphyſica, & pars actualis contractiua generis, & conſtitutiua ſpeciei primò intentionaliter acceptæ: ſecundo modo ſumitur, prout dicit relationem rationis ad genus, quod diuidit, & ad ſpeciem, quam conſtituit, & ſecundùm quod eſt quid commune pluribus differentibus in quale quid, vel ſpecie, vel numero: hinc

PRIMÒ reſpondetur, differentiam diſtributam in communem, propriam, & propriiſſimam, eſſe adæquatam & analogam: Ratio eſt, quia omnes differentiæ ad hæc tria capita reducuntur, & cùm faciant differre inæquali modo, hinc eſt analoga. Addimus, quod, cùm faciant differre realiter, competunt differentiæ primò intentionaliter ſumptæ.

OBIICIES de indiuidualitate, de genere, & de forma phyſica, quæ faciunt differre, & non ſpectant ad vnum dictorum membrorum: ergo non eſt adæquata.

RESPONDETVR ex Seraph. Doct. quod differentia indiuidualis ſpectat ad proprium; ſe habet enim vt proprietas conſequens ad naturam, ſicuti etiam ad hoc caput reducuntur proprietates. Ad id de genere reſpondetur, propriè non facere differre, cùm non ſuperueniat rei pluribus conuenienti. Ad id de formis reſpondetur, & ipſas eſſentialiliter facere differre; tamen cùm non diuidant genus, non ſunt in rigore differentiæ, niſi reductiuè ſpectantes ad membrum differentiæ propriiſſimæ.

275. QVÆRITVR ſecundò, an definitiones allatæ à Porphyrio ſint bonæ?

RESPONDETVR primò definitionem primam, in qua dicitur ipſam *abundare à genere*, rectè explicare differentiam realem conſtitutiuam ſpeciei. Probatur: Tum quia per hanc definitionem explicatur ratio differentiæ conſtitutiuæ, & quâ differt à genere, vt per ſe patet; abundare enim à genere eſt aliquam realitatem eſſentialem habere, quam non habet genus.

RESPONDETVR ſecundò, ſecundam definitionem, *Differentia eſt id, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale quid*, competere differentiæ ſubalternæ ſecundò intentionaliter ſumptæ: & ſi auferatur cum Scoto illa particula *ſpecie*, competit omni differentiæ, ſiue ſubalternæ, ſiue vltimæ; applicatur enim ſecunda intentio vniuerſalitatis logicæ effictæ differentiæ reali, & ideo quatenus explicat modum ſe communicandi in quale quid, differt ab aliis vniuerſalibus.

DICES: Prædicari in quale dicit qualitatem; ergo & accidens.

RESPONDETVR ex S. Doct. *lib. 2. diſt. 3. part. 1. art. 2. quaſt. 2. ad 2. & 3.* concedendo antecedens de qualitate ſubſtantiali; negando de accidentali: ſic negatur conſequentia.

RESPONDETVR tertiò, tertiam definitionem, ſcilicet, *Id quod ſuapte naturâ ea, quæ ſunt ſub eodem genere, ſeparat*, poſſe competere naturæ genericæ, vel in ſtatu realis exiſtentiæ, vel in eſſe objectiuo, vt eſt quoddam totum potentiale; ſed differenti modo. Nam primo modo competit generi, non ipſum ſcindẽdo, ſed tantùm determinando, & limitando; ſic enim verè multiplicantur ſpecies, per quod alia eſt natura equi, alia hominis, retinens tamen ſuam indifferentiam, vt dictum eſt in tractatu de Vniuerſalibus: ſecundo modo verò propriè ab intellectu concipitur diuidi ad modum totius potentialis in ſuas ſubjectiuas partes, &

inferiora, quatenus ſcilicet natura eſt concepta priùs vt abſtracta ab inferioribus, & deinde concipitur vt inexiſtens ſimul in pluribus, vt aliàs dictum eſt.

Obiicies Primò contra primam partem: Tota natura verè eſt integra in ſpeciebus: ergo non eſt verè diuiſa.

Respondetvr concedendo non fieri veram diuiſionem, veluti totius actualis in varias partes: ſed dicitur diuidi, quatenus contrahitur per varias differentias ad hanc, vel illam ſpeciem, retinendo ſuam indifferentiam.

Obiicies ſecundò: Si remanet vna per inexiſtentiam confictam, ergo non intelligitur diuidi.

Respondetvr negando conſequentiam; illa enim vnitas ſtat cum diuiſione materiali inferiorum, idque non vt eſt totum eſſentiale, ſed vt potentiale diuidi concipitur. Vide Meldul. *diſp.* 5. *num.* 120. *& ſeq.*

276. Qværitvr Tertiò, an genus in ſuo conceptu includat formaliter differentias, & an differentia ſuperior includat inferiores, & è contra? In hac quæſtione aliqui affirmant, alij negant, vt videre eſt apud Meldul. *diſp.* 5. *num.* 141. Sed

Respondetvr ex principiis aliàs allatis ex Seraphico Doctore dè diſtinctione formali, nec genus in ſuo conceptu formali includere inferiora, nec inferiora includere genus.

Prima pars patet, quia vt infrà videbimus, compoſitio ex genere, & differentia eſt realis ex realitate, & realitate. Tum quia genus eſt quid potentiale tantùm ad differentias: ergo actu eas non continet. Secunda pars etiam patet ex ſæpè traditis; formalitas enim non includit in ſuo conceptu aliam formalitatem. Tum quia ſi differentia inferior contineret formaliter genus, & differentiam ſuperiorem, ſpecies non differret à differentia. Tum quia genus dicit conuenientiam, differentia diſconuenientiam. Tum quia dicendo, *Homo eſt animal rationale*, bis repeteretur genus, & differentia generica ſuperior. Hinc optimè dixit Seraph. Doct. quod ſemper differentia addit qualitatem, & formalitatem ad genus diſtinctam, per quam fit vera compoſitio; quod & infrà in ſequenti quæſtione meliùs patebit.

Obiicies primò ex Ariſt. 7. *Met. text.* 43. vbi tria docet: Primum, quod in definitione parum refert, ſi vltima tantùm differentia ponatur, vel etiam omnes ſuperiores, quia vltima includit omnes. Secundum, quod vltima differentia eſt tota rei ſubſtantia, & ideo hanc ſufficere ad completam definitionem. Tertium, quod ad inueniendam vltimam differentiam alicuius ſpeciei, debemus diuidere ſuperiorem per duas inferiores oppoſitas: ſed diuiſum includitur formaliter in ſingulis membris: ergo & genus in differentiis. Vnde etiam poteſt de ipſis fieri prædicatio inabſtracto, & ob id quidditatiua.

Respondet Scotus citatus à Maſtrio *diſp.* 5. *num.* 147. ſenſum eſſe Philoſophi, quod definitio data per genus proximum non exigat differentias ſuperiores expreſsè, quia includuntur identicè in genere proximo. Hinc & addit differentiã vltimam eſſe totam rei ſubſtantiam, ſcilicet completiuè, & vltimò actuantem: & tertium dictum, quod diuiſum formaliter includitur in membris, &c. intelligendum eſt identicè, & materialiter, ſcilicet non differentia ſuperior diuiditur, ſed eſt genus, quod per differentias diuiditur; & ſic fit etiam prædicatio identica, non formalis. Vnde in abſtracto eſt prædicatio impropria.

Obiicies

277. Obiicies Secundò : Non poteſt concipi rugibile formaliter, quin formaliter concipiatur ſenſibile, & viuens : ergo hæ differentiæ ſuperiores includuntur formaliter in illa inferiori. Antecedens patet, quia rugitus leonis eſt formaliter quædam ſenſatio, & actus vitalis : quod argumentum exiſtimat Arriaga inſolubile in noſtra ſententia admittente conceptus obiectiuos.

Respondetvr negando antecedens, & ad probationem reſpondetur negando antecedens ; nam differentia inferior, & præcipuè quæ non eleuat genus ad altiorem ſtatum naturæ non eſt ſimpliciter, & adæquatè principium operationum, quæ ſunt propriè talis ſpeciei ; ſed eſt tota natura, & eſſentia completa. Vnde differentia inferior non addit actionem, ſed ſolùm formalitatem nouam, per quam illa operatio determinatur ad talem formalitatem : ſic rugitus non facit ſenſationem, ſed determinat ſenſationem ad rugitum. Vnde actio ſenſitiua alicuius animalis, verbi gratiâ leonis, ſecundùm ſe totam conſiderata, ſic eſt formaliter ſenſatio ; conſiderata verò inadæquatè formaliter non eſt ſenſatio, niſi præſuppoſitiuè ; ſed eſt rugibilitas, quæ formaliter dicit aliam formalitatem. Quæ omnia fusè & doctè tradit Meldul.

Contra inſtat Auerſa : Corpus eſt ſubſtantia ; corporeitas eſt ſubſtantia : ſic animalitas, ſenſibilitas, quia ſubſtantia eſt ſuperius incluſum in inferioribus.

Respondetvr ex traditis de genere, non poſſe dici differentias inferiores eſſe ſubſtantiam, niſi in concreto ; formaliter verò tantùm ſunt aliquid ſubſtantiæ, &c. Vnde illæ prædicationes ſunt per accidens prædicabiles, cùm genus ſit extra rationem differentiæ ; licèt per ſe prædicamentaliter, quatenus ſpectant ad idem prædicamentum. Vide ibidem Meldul. citatum.

QVÆSTIO II.

An compoſitio ex genere, & differentia ſit realis, an rationis tantùm.

278. QVæstio procedit de genere, & differentia metaphyſica, non logica. Certum enim eſt, ex entibus rationis non poſſe aliquid verè componi. Et quia ex radice, & origine generis, & differentiæ pendet hæc quæſtio, hinc examinabimus etiam in hac quæſtione, an genus deſumatur à materia, & differentia à forma ; ſunt enim neceſſariò connexæ.

Prima Opinio eſt Nominalium, Ocham *lib. 1. diſtinct. 2. quæſt. 6.* & ibidem Gabr. Hurtad. Ovied. Averſæ, aliorumque ſequacium, negantium fieri veram compoſitionem, ſed dicere tantùm compoſitionem quoad modum intelligendi, vel maioris explicationis.

Secvnda Opinio eſt D. Thom. Caiet. & ſequacium apud Complut. *diſp. 5. quæſt. 5.* Ruu. Suarez *diſp. 15. Met. ſect. 11.* aſſerentium, genus, & differentiam, cùm diſtinguantur tantùm ratione cum fundamento in re, non facere compoſitionem veram, ſed tantùm eſſe vnius conceptus obiectiui per modum determinabilis, & alterius per modum determinatiui : ob idque & hanc recognoſcunt etiam in Angelis. Adduntque apud Ruu. *quæſt. 3. de Differentia*, vtrumque conceptum deſumi à tota entitate, ſi eſt corporea, prove

provt conſtat ex materia, & forma; ſi eſt ſpiritualis, ab eadem entitate pura, & ſimplici diuerſis modis concepta: ſic Ioan. à S. Thom. *quæſt.7. de genere, art. 3.*

Tertia Opinio eſt Scoti, & ſequacium aſſerentium eſſe veram compoſitionem, tanquam ex realitate, & realitate, quæ in entibus corporeis deſumi debent ex materia, & forma; in ſpiritualibus ex actu, & potentia.

Qvarta opinio eſt Seraph. Doct. tenentis primam partem cum Scotiſtis eſſe veram compoſitionem: & deinde contra Scotum & D. Thom. ſuſtinet ex oppoſito omne genus deſumi à tota entitate, provt componitur ex materia; & differentiam deſumi ab eadem, provt componitur ex forma: hanc enim compoſitionem phyſicam ſuſtinet debere præſupponi tanquam radicem omnis compoſitionis metaphyſicæ in omnibus entibus creatis: quæ opinio vera, vt magis pateat,

279. Primò Notandum, & ſupponendum cum communi, quod ad compoſitionem veram requiritur primò, quod partes à parte rei ſint diſtinctæ, ſiue realiter, ſiue formaliter: Secundò, quod vniantur tanquam potentia, & actus, ita vt altera dicat intrinſecè inclinationem paſſiuam ad actum, & actus inclinationem actiuam ad potentiam per modum determinabilis, & determinatiui: ſic S. Doct. *lib. 3. diſt. 6. art. 1. quæſt. 2. in corp.*

Secvndò Notandum, quod licèt gradus metaphyſici ſint minimæ entitates, quales ſunt genus, & differentia, quarum primum eſt potentia, ſecundum eſt actus; habent tamen radicem in propria cauſa phyſica: entia enim metaphyſica emanant à phyſica cauſa. Et cùm potentialitas paſſiua, & actualitas ſint proprietates entis creati (ſolus enim Deus eſt purus actus) ideo debent reduci ad aliquod adæquatū principium, quod ſit primum ſubiectum, & adæquatum: vnde genus, ſiue potentia reducitur ad primum potentiale paſſiuum, receptiuum; & differentia, ſiue actus ad aliquod primum actiuum, & perfectiuum. Hinc oritur diſcrimen inter Philoſophos, quænam ſint iſta prima principia? Conueniunt, in rebus corporeis eſſe materiam, & formam; at in incorporeis, vt in Angelis, & anima rationali, in quibus eſt potentialitas phyſica, & metaphyſica (verè enim recipiunt accidentia, & habent eſſe limitatum, & contractum,) dicunt deſumi vel ab actu & potentia, vel ab eadem forma ſub diuerſa ratione conſiderata; quod rationabiliter non poteſt ſuſtineri, ait S. Doct. *lib. 2. diſt. 3. part. 1. art. 1. quæſt. 1. in fund.* præcipuè *in 4. fund. & in corp.* Aliàs deberet aſſignari in prædicamento ſubſtantiæ duplex primum principium, & ſubiectum potentialitatis; alterum in ordine ad ſpiritus, alterum in ordine ad corpora; ſicque ſubſtantia non eſſet vnum per ſe, & primum in prædicamento. Hinc S. D. reducit in quocumque ente creato compoſitionem ex genere, & differentia ad materiam & formam, tanquam ad propriam iſtarum formalitatum radicem phyſicam: & hinc optimè infert *in fund. 4. quæſt. cit.* compoſitionem ex materia, & forma in Angelis, ex eo quod conſtant ex genere, & differentia, & reponuntur in prædicamento ſubſtantiæ.

280. Tertiò Notandum, quod potiſſima difficultas in hac opinione Seraphica eſt circa accidentia, quæ cùm non componantur ex materia & forma, & tamen certum eſt continere genus & differentiam, videtur aſſertum abſque fundamento, quod omnis compoſitio ex genere

genere & differentia recognoſcat pro ſua radice materiam, & formam. Attamen reſpondet S. D. *loco cit. fund.* 4. hanc inſtantiam nullam eſſe: quod & per quæſtionem lateralem infrà ſubjiciendam explicatur, & patebit, quàm ſublimis fuerit doctrina metaphyſicalis S. Doct.

Qvartò Notandum, quod hæc differentia eſt inter partes phyſicas, & metaphyſicas, quòd illæ non poſſunt prædicari in recto de toto: iſtæ verò prædicantur de toto in recto; ſed tamen in concreto, & per modum totius, quatenus ſignificant formalitatem, & concernunt ſuppoſitum ipſam habens, ſeu ipſâ informatum: quod & ſuprà tradidimus ex Seraph. Doct. in quæſtione de genere, ad 4. concluſionem. Vnde in abſtracto non rectè prædicantur, cùm dicant in recto puram formam, & partem. His poſitis ſit

281. Prima Conclvsio: Genus, & differentia non deſumuntur immediatè ab eadem entitate, & forma ſimplici, nec à pluribus formis exiſtentibus in eo, ſed à toto compoſito, prout conſtat ex pluribus naturis, ſcilicet ex materia, & forma. Eſt contra Thomiſtas, maximè in entibus ſpiritualibus, & accidentibus; & contra Auerroiſtas aſſerentes deſumi ex variis formis exiſtentibus in compoſito.

Prima pars probatur, quia ſi ab eadem entitate ſimplici deſumerentur genus, & differentia, ſequeretur, quod idem ſecundùm idem faceret conuenire, & diſconuenire: conuenire, vt genus: & diſconuenire, vt differentia. Conſequens eſt impoſſibile: ergo & antecedens, quod & in ſequenti concluſione magis patebit. Probatur ſecunda pars, ſcilicet quod deſumatur à toto compoſito; quia genus, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 36. *dub.* 5. & *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. eſt forma habens incompletionem, & potentialitatem ad differentiam ſupperadditam: ergo immediatè non poteſt eſſe à materia. Probatur conſequentia, quia ſi genus immediatè oriretur à materia, diceret puram potentiam; quod eſt falſum, vt patet in ſubſtantia, corpore, viuente, &c. Tum quia ſi deſumerentur realitates immediatè à diuerſis partibus, ſeu formis exiſtentibus in compoſito, vt dicunt Auerroiſtæ, ſequeretur, quod tot formæ deberent eſſe in compoſito, quot variæ realitates; quod eſt impoſſibile, cùm plures, & plures ſint formalitates; & cùm compoſitum non ſit capax tot formarum, eſſet enim multiplex, & varium quoad eſſe ſpecificum. Tum quia deberent produci diuerſis productionibus, quod patenter eſt falſum. Tum quia genus eſſet ſeparabile à differentia; & animalitas, quæ eſt in homine, ratione ſuæ indifferentiæ realis poſſet fieri animalitas in boue, ſicut materia eſt tranſmutabilis ad formas ob diſtinctionem realem: ſed hæc omnia ſunt maxima abſurda: ergo. De quo videatur id, quod dictum eſt ſuprà in quæſtione prima de Vniuerſalibus in communi, ad Concluſionem ſecundam.

Qvod poſtea radix generis, & differentiæ mediata ſint materia, & forma, patebit in tertia concluſione.

Obiicies primò: Quia Ariſt. 2. *Met. text.* 2. oſtendit non dari proceſſum in infinitum in cauſis formalibus, & naturis, ex eo quod non datur in realitatibus quidditatiuis: ergo ad multiplicationem horum prædicatorum quidditatiuorum multiplicantur formæ: ergo non immediatè deſumuntur genus, & differentia ab ipſo compoſito.

Reſpondet Meldul. *Met. text.* 2. *diſp.*

*diſp.*8.*n.*194.*& ſeq.* & in Logica *diſp.*5. *num.* 135. intentum Ariſtot. eſſe probandi, quod ſi darentur formæ infinitæ, darentur etiam realitates infinitæ ex illis prodeuntes; hinc ad excluſionem infinitatis realitatum infert finitatem formarum, eſtque per argumentum à maiori ad minus, ideſt non datur infinitas in numero realitatum: ergo multò minùs in naturis. Tum quia loquitur de emanatione mediata, nempe ſi totum formalizatur à diuerſis formis, etiam ab ipſo debent emanare diuerſæ formalitates.

Instant ex Ariſtot. Genus deſumitur à materia, & differentia à forma: ergo non immediatè à compoſito.

Respondet Meldul. talem textum debere ſumi in ſenſu accommodatitio, ideſt non de omnibus realitatibus, ſed de iis, quæ inſunt in compoſito corporeo tantùm. Attamen verè ſecundùm Seraph. Doct. concludit de omnibus generibus, & differentiis; ſed tamen quoad eſſe mediatum, non immediatum, vt infrà dicetur.

Obiicies ſecundò. Idem ſecundùm idem non poteſt fundare ſimilitudinem, & diſſimilitudinem, quod eueniret, ſi genus, & differentia deſumerentur ab eodem compoſito.

282. Respondet Meldul. primò, quod ſi hoc argumentum valeret, probaret etiam in Angelis, & accidentibus adeſſe materiam. Vnde reſpondet ſecundò, quod eadem entitas ſecundùm diuerſas rationes fundat & conuenientiam, ſcilicet ratione potentiæ, & diſconuenientiam ratione actus; potentia enim, & actus inuenitur etiam in Angelis, licèt non materia. At nec iſte Doctor, nec alij effugiunt difficultates inextricabiles per has reſponſiones limitatas, vt patebit in tertia concluſione, quas euitare facillimum eſt in doctrina Seraphici Doct. recognoſcentis compoſitionem ex materia, & forma in omni ſubſtantia completa: nam à ſubſtantia eadem, provt continet materiam, oritur genus; & ab eadem, provt habet formam, oritur differentia.

Obiicies Tertiò: Si animal in homine non deſumitur à diuerſa forma, ac rationalitas ab anima rationali, ſequitur non dari vniuocationem in animali reſpectu hominis, & bruti, quod eſt falſum; nam in homine deſumitur à potentia, in bruto ab anima.

Respondetvr, quod duplex eſt vniuocatio, alia phyſica, & de hac conceditur debere dari vnam formam phyſicam realiter à pluribus participatam, non realiter diuiſibilem in plura diuerſæ rationis, qualis eſt natura ſpecifica, vt humanitas, quæ æqualiter ab omnibus indiuiduis ſecundùm idem nomen, & ſecundùm eandem rationem participatur. Alia eſt metaphyſica, vel etiam logica: illa, ſcilicet metaphyſica, conuenit conceptui abſtracto à rebus, quibus ratio conuenit quidem eſſentialiter, ſed cum aliquali inæqualitate, vt ſunt generica prædicata, in quibus, ait Ariſtot. 7. *Phyſ. text.* 13. latent æquiuocationes, & conuenit omnibus gradibus, tam tranſcendentibus, quàm prædicamentalibus: iſta verò, ſcilicet logica, conuenit intentioni primæ ſub aliqua ſecunda intentione logica conceptæ, &c. & de metaphyſica vniuocatione negatur ſequela maioris, hancque vniuocationem aliis terminis explicat Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 31. *quæſt.* 1. *ad vlt.* & *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.*2. *quæſt.* 2.

Obiicies Quartò: Vt abſtractio horum graduum fiat ab intellectu ſine fictione, non requirit pro fundamento diſtin

diſtinctionem in compoſito veram, & realem partium, ſed ſufficit eminentia ſubiecti ſimplicis, in qua poteſt fundari diuerſa conceptibilitas inadæquata: ergo genus, & differentia ab eadem entitate ſimplici poteſt deſumi.

283. RESPONDETVR negando antecedens, quod & patebit in ſequenti, & in tertia concluſione.

SECVNDA CONCLVSIO: Genus, & differentia faciunt veram compoſitionem realem, non quidem ex re, & re, vt probatum eſt in antecedenti concluſione; ſed ex realitate potentiali, & actuali, quatenus ſunt realitates formaliter ex natura rei diſtinctæ. Eſt S.Bonau. *lib.2. diſt.3. part 1. art.1. q.1. per totam*, præcipuè *fund.* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.2. quæſt.2. & 4.* & *lib.* 1. *diſt.8.part.2.q.1. & 2.* & *lib.1. diſt.25. art.1. q.2. ad 3. & art.2. q.* 1. aliiſque locis citatis in quæſtione de diſtinctione formali. Eſt & Scoti, & ſequacium, & plurium aliorum citatorum a Meldul. *diſp.* 5. *Log. num.* 125.

PROBATVR primò ex Seraph. Doct. *loc. cit.* & *lib.* 1. *diſtinct.* 19. & 8. Hæc compoſitio repugnat ſimplicitati Diuinæ: ergo eſt realis. Antecedens ab omnibus Philoſophis, & Theologis admittitur. Probatur conſequentia. Compoſitio facta per opus intellectus cum fundamento in re non lædit Diuinam ſimplicitatem: ergo ſi hæc ex genere, & differentia lædit ipſam, erit realis, & non tantùm facta per opus intellectus. Patet apud Thomiſtas & D. Bonauent. antecedens, quia admittunt diſtinctionem virtualem in Dei abſolutis, quæ quia eſt facta ab intellectu cum fundamento in re, non lædit eius ſimplicitatem, cùm tota compoſitio ſit apud intellectum: ergo hæc erit realis.

RESPONDENT communiter Thomiſtæ, Ruu. Moriſanus, aliique negando, quod hæc compoſitio non lædat ſimplicitatem Dei, ex eo, quod eſt facta per intellectum, & hoc ratione fundamenti, quod importat vnam entitatem reſolubilem in duos conceptus, quorum alterum eſt determinabile, alterum eſt determinatiuum; quod repugnat Deo ob ſuam infinitatem, & ob defectum vniuocationis, quæ requiritur in genere, & ſpecie.

CONTRA primò: Tum quia & ipſi admittunt cum D. Thoma diſtinctionem virtualem inter eſſentiam Diuinam, & eius attributa, & perſonalitates, quæ ſe habent ad modum determinatiui; & tamen talis conceptio non lædit ſimplicitatem Diuinam ex eo, quod compoſitio ſtat ex parte intellectus noſtri: ergo ſimiliter in propoſito.

CONTRA ſecundò: Si in creatis datur fundamentum reale, non in Diuinis: ergo illud ens, in quo fundatur genus, non eſt idem à parte rei, in quo fundatur differentia. Probatur conſequentia, quia idem omninò formaliter non poteſt fundare ſimilitudinem, & diſſimilitudinem. Tum quia vna formalitas verè negatur de altera, vt animalitas non eſt rationalitas: at quando vnum realiter eſt aliud, non ſolùm non poteſt vnum negari de alio, ſed verè poſſunt mutuò affirmari, ſicuti verè dicitur in concreto, & ratione tertij, in quo identificatur, *Homo eſt ſubſtantia, ens, &c.* & è contra falsò dicitur, *Homo non eſt ſubſtantia, ens, &c.*

CONTRA Tertiò, quia ſi repugnat hæc compoſitio infinitati Dei: ergo datur limitatio realis in creatura: at non poteſt dari, vt ait S. D. *loc. cit.* niſi per differentiam ſuperadditam à parte rei: & ſi non datur à parte rei, ſed tantùm per opus intellectus, nec poterit lædere infinitatem Dei.

Digitized by Google

Probatur ſecundò: Gradus ſuperior, & inferior eſſentialiter ſubordinantur adinuicem in ratione determinabilis, & determinatiui; & inter illos datur prioritas, & poſterioritas ſecundùm ordinem, & ſubſiſtendi conſequentiam; non enim poteſt intellectus pro libito inuertere talem ordinem: ergo datur etiam inter ipſos vera diſtinctio: ergo & compoſitio.

Respondent non poſſe inuerti talem ordinem ob fundamentum exiſtens in objecto.

Contra: Ergo ſi non poteſt inuerti talis ordo, ſcilicet generis in differentiam, & è conuerſo, ob fundamentum in re: ergo datur duplex fundamentum in re, in genere, & differentia, idque eſt, quod & nos aſſerimus.

Probatur Tertiò: Compoſitio realis differt à compoſitione rationis, quia illa habet partes actu diſtinctas, quæ inter ſe non ſunt idem formaliter, ſed tantùm ratione tertij, habentque ſe vna per modum potentiæ, alia per modum actus: ſed iſtæ duæ conditiones inſunt in genere, & differentia: ergo eſt realis.

Probatur minor, quia cùm non poſſit dici, *Rationalitas eſt animalitas*; ſed benè, *Rationale eſt animal in concreto*; ſequitur, quod eorum identificatio eſt imperfecta, & tantùm ratione tertij, in quo vniuntur: ergo inter ſe formaliter non ſunt idem. Tum quia verè ſpecies reſultat ex hoc, quod vna eſt potentia, alia eſt actus, ex Ariſt. 7. *Met. text.* 42. & 43.

Probatur quartò, quia verè diuerſis conceptibus adæquatis, & definitionibus explicantur iſtæ duæ realitates: ergo eis reſpondent diſtinctæ entitates à parte rei. Videantur aliæ rationes allatæ in quæſtione de diſtinctione formali.

284. Obiicies primò: Si genus eſt verè à parte rei potentiale ad differentias: ergo habet indifferentiam antecedentem, ſicut materia prima: ergo poterit tranſmutari de vna in aliam differentiam ſpecificam, ſicut materia de vna in aliam formam: ſed hoc eſt impoſſibile, vt etiam cum communi aduertit S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in fund.* ergo non adeſt illa potentialitas diſtincta à parte rei.

Respondetur diſtinguendo primum conſequens: Habet potentialitatem, & indifferentiam objectiuam, concedo; habet ſubjectiuam, vt materia, nego: ſic negatur ſecunda conſequentia; ratione enim identitatis realis, quam continet illa indifferentia objectiua inter genus, & differentiam, non datur illa tranſmutabilitas, vt dictum eſt in quæſtione ſecunda de vniuerſalibus in communi.

Obiicies ſecundò: Genus eſt idem realiter cum differentia: ergo non poſſunt facere compoſitionem veram. Probatur conſequentia, quia idem non poteſt eſſe in potentia ad ſeipſum, vel à ſeipſo perfici. Hoc argumentum eſt Ocham: nec valet reſpondere, quod ſufficiat diſtinctio formalis; nam etiam in Diuinis ſecundùm Scotum Diuina attributa diſtinguuntur formaliter, & ſecundùm S. Bonau. relationes Diuinæ diſtinguuntur formaliter ab eſſentia Diuina; & tamen non faciunt compoſitionem veram: ergo diſtinctio formalis non ſufficit.

Respondent Scotiſtæ negando conſequentiam, & ad probationem reſpondent negando paritatem de attributis Diuinis, quæ identificantur inter ſe ratione propriæ infinitatis: at genus, & differentia identificantur ratione tertij tantùm, à quo mendicatam habent identificationem, non ſecundùm ſe,

Digitized by Google

ſe, & ob id ſi abſtrahantur à tertio, tunc non ſunt idem formaliter, ſed retinent ſuam propriam rationem formaliter potentialitatis, & actualitatis: quam doctrinam innuit S. Doct. *lib. 3. diſt. 5. art. 1. quæſt. 2. ad* 1. qui tamen magis adæquatè reſpondet concedendo, quod ſi admitteretur diſtinctio vera inter eſſentiam, & Diuina attributa, daretur vera compoſitio, quæ tamen non ſequitur ex relationũ diſtinctione, cùm ſit tantùm penes origines, & per reſpectum ad aliud: & cùm genus, & differentia ſint entitates abſolutæ diſtinctæ, quarum vna eſt potentia, alia actus, hinc negatur, per diſtinctionem formalem non ſequatur compoſitio Metaphyſica. Sic S. Bonau. *lib. 1. diſt. 33. dub. 1.* & *lib. 1. diſtinct. 19. part. 1. artic. 1. quæſt. 4. & part. 2. quæſt. 2. & 4.*

INSTAS ex Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 19. part. 1. art. 1. quæſt. 4. arg. 2.* Quando duo ſimplicia eiuſdem generis ſimul ſunt, ita quod vnum eſt in altero, non diſtinguuntur ab inuicem, ſicut punctus in puncto: ſed genus, & differentia ſe habent huiuſmodi: ergo.

RESPONDET egregiè S. Doct. *ibid. ad 2. & 3.* concedendo maiorem, quando illa ſimplicia diſtinguuntur penes id, in quo ſunt, vt euenit in punctis, qui diſtinguuntur penes diuerſitatem quantitatis, quæ cùm non adſit, hinc nec diſtinguuntur. Falſa eſt autem major, quando illa ſimplicia ſeipſis diſtinguuntur, ſicut genus, & differentia: ſic neceſſariò vnum eſt veluti materiale alteri: ſic negatur minor, & conſequentia.

INSTAS ex Ocham, ſi ſunt antecedenter diſtincta ante identificationem in tertio: ergo poſſunt ſeparari antecedenter. Probatur conſequentia, quia per vnionem in tertio non amittunt ſuam diſtinctionem, nec poſſunt acquirere identitatem, quæ importet inſeparabilitatem, cùm ſit quid conſequens ad ipſorum eſſe, vt patet etiam de vnione materiæ, & formæ in tertia entitate.

285. RESPONDETVR ex S. Doct. *lib. 2. diſt. 18. artic. 1. quæſt. 3. ad 1. & 2.* quod aliud eſt ſumere genus, & differentiam ſecundùm eſſe exiſtentiale, ſecundùm quod producuntur in eſſe; & aliud ſecundùm eſſe objectiuum, quod habent: & quia ſeparatio importat exiſtentialitatem phyſicam, hinc negatur ſequela vtraque, & paritas de materia, & forma, quæ antecedenter habent eſſe exiſtentiale, & ob id nec identificantur in tertio, nec amittunt ſeparabilitatem: at genus, & differentia cùm præcisè habeant ſolum eſſe objectiuum, ſecundùm quod ſunt tantùm non idem, hinc in tertio cùm accipiant eſſe exiſtentiale, etiam acquirunt identificationem, & inſeparabilitatem. Vnde vnitas materiæ, & formæ eſt tantùm vnionis; generis verò, & differentiæ vnitas eſt identitatis in tertio: Ratio verò differentiæ inter vtramque eſt, quam innuit S. Doct. *lib. 3. diſt. 1. art. 1. quæſt. 1. ad 2. 3. & 5.* nempe quia vnio phyſica materiæ, & formæ fundatur in partibus componentibus, quatenus materia recipiendo formam, & forma actuando materiam faciunt vnionem; hinc non tollitur earum diſtinctio realis: Vnio verò metaphyſica fundatur in toto exiſtentiali; ob idque in ipſo arguit vnum indiuiſum, & indiſtinctum: quæ identitas redundat etiam in partibus, quatenus quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt & idem inter ſe.

OBIICIES Tertiò: Animalitas præcipuè ſumpta in homine differt ab

animalitate, quæ eſt in equo: ergo non præſcindit à differentia, ſed eam includit.

Respondetvr, quod genus præſcindit à quacumque differentia, & ob id ab exiſtentia, à loco, à tempore, ab indiuidualitate, à ſpeciebus, &c. Hinc ſi ſumitur præcisè, negatur diſtingui; ſi ſumitur vt contracta, diſtinguitur quidem, ſed ratione differentiæ.

Contra inſtat Auerſa: Genus differt à differentia: ergo in ſe includit differentiam, per quam differt.

Respondetvr, quod genus propriè non diſtinguitur per differentiam à differentia, cùm non conueniant formaliter in aliquo quidditatiuè, niſi quatenus ſunt ens nominaliter; ob id ſunt ſe totis diſſimilia, & non per aliquid ſui; ob id diuerſa dicuntur propriè: ſic & Ariſt. 3. *Met. text.* 10.

Obiicies quartò: Hæc propoſitio eſt vera formaliter, *Rationale eſt ſenſibile:* ergo ſunt idem formaliter: ergo non diſtinguuntur formaliter.

Respondetvr, quod duplex eſt identitas formalis; alia, in qua plura conueniunt in eodem conceptu formali, vt Deus, deitas; alia, in qua aliud includitur in conceptu formali alterius: ſic ſuperius formaliter includitur in inferiori, animal in homine: ſic eſt verum antecedens in ſecundo ſenſu; falſum in primo: & hinc falſum conſequens, & mala conſequentia. Ratio eſt, quia ratio conſtitutiua hominis non eſt animalitas; vnde ſolùm poteſt prædicari in concreto, non in abſtracto: ob idque verificatur in ſenſu materiali, quatenus ſcilicet identificantur in tertio, & ly *rationale*, ſtat pro ſpecie, non verò in ſenſu formali.

286. Tertia Conclvsio: Licèt genus immediatè deſumatur à toto compoſito, tamen mediatè deſumitur à materia, & differentia à forma, tanquam à radice. Eſt S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 4. qui ob id infert compoſitionem ex materia, & forma in omnibus ſubſtantiis creatis, etiam in Angelis, & anima rationali.

Probatvr autem contra Thomiſtas, & Scotiſtas admittentes hanc concluſionem tantùm in corporibus, negantes in ſpiritibus, Angelis, & anima rationali: primò ex Ariſt. qui *lib.* 8. *Met. text.* 9. docet genus ſumi à materia, differentiam à forma: ergo per Philoſophum non datur genus ſine materia.

Respondent communiter aduerſarij, Ariſt. loqui de ſubſtantiis tantùm corporeis, non verò de ſpiritualibus, cùm apertè negauerit materiam in intelligentiis ſeparatis, ſed voluit eſſe puros actus; & in his genus deſumi debet à tota entitate ſimplici ſecundùm conceptibilitatem potentialem (aiunt Thomiſtæ,) vel à realitate potentiæ, quæ ineſt in ipſis (aiunt Scotiſtæ.)

Contra primò, quia Ariſt. intelligentias excluſit à prædicamento ſubſtantiæ, eo quia eas putauit vel eſſe Deos, vel aliquid aliud ſupra entia phyſica, vel actus puros: ſed quidquid collocauit in prædicamento ſubſtantiæ, putauit compoſitum eſſe ex materia, & forma. At ſecundùm Catholicos Angeli reponuntur in prædicamento; ſunt enim entia completa, finita, potentialia, cauſata: ergo compoſiti ex materia, & forma. Probatur Minor, & conſequentia ex Ariſtot. quia vt docet 12. *Met. num.* 19. *ad* 29. omnium prædicamentorum ſunt eadem principia, ſcilicet in ſubſtantia ſunt materia,

forma,

forma, & priuatio; & in omni genere eſt vnum principium maximum, & vnum minimum primum, quod eſt menſura illius generis; ſoluſque Deus non poteſt menſurari, ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *quæſt. vltim.* ſed menſurans creata maximum eſt formâ, minimum eſt materiâ, ſcilicet actus, & potentia, ſeu receptibilitas: ergo de mente Ariſtot. quicquid reponitur in prædicamento ſubſtantiæ, eſt compoſitum ex materia & forma.

Respondet Meldul. *in Met. diſp.* 10. *num.* 80. *in fine*, negando, quod materia ſit primum menſurans omnem receptibilitatem, ſeu ſubjicibilitatem primam; datur enim aliud in ſubſtantia, quæ habet hanc rationem receptibilitatis, & ſubjicibilitatis, ſcilicet per ſe ſubſiſtentia; hæc enim in Angelis eſt ratio, quare ſunt incorruptibiles, & ireceptiui.

Contra, quia deberet aſſignari duplex primum ſubiectum in ſubſtantia, alterum pro corporibus, alterum pro ſpiritibus: ſed hoc eſt impoſſibile. Probatur minor: Genus generaliſſimum ſubſtantiæ eſt quid per ſe vnum, vniuocum, & commune ad corpus, & ad ſpiritum, & non vnum æquiuocum: ergo genus, & differentia in vtriſque deſumuntur à materia, & forma. Antecedens eſt axioma, & primum principium in Philoſophia Peripatetica, alioquin erit ſubſtantia quid æquiuocum, & continens duo contradictoria, ſcilicet immaterialitatem per ordinem ad ſpiritum, & materialitatem per ordinem ad corpus; ſicque erit duplex ſpecies, & non genus generaliſſimum; idque eſt maximum abſurdum. Conſequentia probatur. In corporibus realitas generis, ſeu potentialitatis deſumitur in ſubſtantia pro generaliſſimo à materia, quæ per differentiam corporeitatis ad corpus contrahitur: ergo & in ſpiritibus erit eadem materia contracta per ſuam differentiam ad ſpeciem ſpiritus.

Confirmatur, quia ſequeretur, quod eadem quidditas eſſet fundata in re in corporibus, & fundata in opere rationis in ſpiritibus, ſicque nec eſſet vnum per ſe: at corpus, & ſpiritus verè conueniunt quidditatiuè in ſubſtantia genere generaliſſimo: ergo vtriuſque potentialitas deſumitur, & menſuratur à materia.

Respondet D.Thom. quod cùm differentia conſtituat ſpeciem, vnumquodque conſtituitur in ſpecie, ſecundùm quod determinatur ad aliquem ſpecialem gradum in entibus, quia ſpecies ſunt ſicut numeri: in rebus autem materialibus aliud eſt, quod determinat ad ſpecialem gradum, eſtque forma; & aliud, quod determinatur, eſtque materia. Vnde ab alio deſumitur genus, & ab alio differentia: ſed in rebus immaterialibus non eſt aliud determinans, & aliud determinabile, ſed vnaquæque ſecundùm ſeipſam tenet determinatum gradum in entibus; ſicque genus, & differentia non accipitur ſecundùm aliud, & aliud, ſed ſecundùm vnum, & idem: differentia tamen ſecundùm noſtram conſiderationem, quatenus ſcilicet conſideratur indeterminatè, & determinatè.

287. Contra primò, quia reſponſio allata, ſicut & aliæ ſuprà traditæ videntur petere principium: reſpondent enim per id, quod eſt in quæſtione.

Contra ſecundò: Quod diſtinguitur à parte rei, & quod diſtinguitur præciſè à parte intellectus, non habent rationem per ſe vnam: per ſe autem genus ſubſtantiæ in materialibus re diſtinguitur à differentia determinante, in

immato

immaterialibus diſtinguitur ratione tantùm: ergo ratio ſubſtantiæ non eſt per ſe vna. Tum quia ſi potentialitas in Angelo non ſumitur à materia: ergo cùm materia, quæ eſt in corpore, ſit prior, quàm forma corporalis conſtituens corpus, ſequitur, quod ante primam diuiſionem ſubſtantiæ detur alia prior ſubſtantia, quæ diuidatur per materiale, & immateriale: ſic duæ primæ differentiæ ſubſtantiæ non erunt corporeum, & incorporeum, v. g. ſi enim ab Angelo, & corpore velis abſtrahere ſubſtantiam, ſeu genus generaliſſimum, neceſſe eſt, vt dicas corpoream ſubſtantiam, & incorpoream ſubſtantiam eſſe, atque relictis corporeo, & incorporeo retineas vnam rem communem incluſam in Angelo, & corpore. Cùm autem genus ſit realitas potentialis, differentia ſit actualis, planum eſt in corpore materiam eſſe ſubſtantiam potentialem, formam corporeitatis eſſe ſubſtantiam actualem: ac proinde in corpore abſtrahitur realitas ſubſtantiæ potentialis, quæ eſt genus; & realitas corporei, quæ eſt differentia actualis à forma: ergo ſi in Angelo eſt materia, & forma, clarum eſt, quod ſubſtantia potentialis eſt à materia, & actualis eſt à forma; ſicque ſubſtantia erit genus commune corpori, & Angelo. Quod ſi negas materiam in Angelis, iam ſubſtantia non erit vnum in Angelo, & corpore; ſicque genus ſubſtantiæ non erit per ſe vnum, & ſupremum; ſicque corpus per duas differentias conſtituetur, ſcilicet per materialitatem, & corporeitatem; & ſpiritus per immaterialitatem, & incorporeitatem: quæ omnia ſunt abſurda in doctrina Peripatetica. Secundò ſequitur, quod vna ſpecies primò poſita ſub genere diſtinguatur ſubſtantialiter ab alia ſpecie diſparata per duas differentias, quarum aliâ ſublatâ, adhuc differret ſubſtantialiter, verbi gratiâ corpus differret per corporeitatem, & materialitatem, & ſublatâ corporeitate, adhuc differret ab Angelo. Sed hæc omnia ſunt maxima abſurda, & fruſtra multiplicantur iſtæ differentiæ, & diuiſiones: ergo ſequitur, quod ſi ſubſtantia eſt genus generaliſſimum, & per ſe vnum, & concretum, quod neceſſariò includat aliquid commune potentiale ad vtramque ſpeciem: ſed corpus deſumit ſuam potentialitatem à materia, & differentiam à forma: ergo & ſpiritus.

Probatvr ſecundò principaliter ex Ariſt. 2. *Poſt. text.* 106. *&* 81. & clariùs explicatur allata ratio à Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 50. *part.* 2. *quæſt.* 1. *ad vlt.* & *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* ex Ariſt. qui explicat progreſſum intellectus in abſtrahendo; ait enim, quod cognitis Callia, & Sorte, quatenus ſunt homines, abſtrahit primum vniuerſale, ſcilicet humanitatem, & eadem ratione abſtrahitur genus à ſpeciebus; ſicque habetur vnum commune ſpeciebus immediatis; & hoc pacto proceditur vſque ad generaliſſimum, in quod terminatur reſolutio ſpectans ad cathegoriam determinatam, & quod commune verè debet eſſe in rebus, à quibus fit abſtractio, aliàs nulla eſſet abſtractio, vt ſi à lapide, & leone abſtraheretur animal: at genus eſt realitas potentialis; differentia realitas actualis, & in corpore ſubſtantia potentialis eſt materia, actualis eſt forma corporeitatis, ac proinde in corpore abſtrahitur realitas ſubſtantiæ potentialis, quæ eſt genus, à materia, & realitas differentiæ à forma (quod & aſſeritur ab Angelico Doct. *part.* 1. *quæſt.* 50. *art.* 2. *ad* 1.) ergo ſi in Angelo non erit materia concretè, neque

que erit materialitas abſtractè, nec erit vna ratio ſubſtantiæ per ſe vna in ſpiritu, & corpore, ſicut ſi abſtraheretur animal à leone, & lapide: ergo genus ſubſtantiæ erit nomen æquiuocum, ſcilicet dicens vnum in re, & aliud in mente. Quæ doctrina docetur ab Ariſtot. 5. *Met. text.* 33. *& text.* 14.

Confirmatvr: Impoſſibile eſt, vt principiatum in genere effectus formalis habeat majorem vnitatem, quàm principium: ſed per aduerſarios genus ſubſtantiæ accipitur in corporibus à materia, quæ eſt formaliter in potentia; in ſpiritibus ab immateriali, & actuali ſecundùm ſe determinato, & non à potentiali formaliter: ergo materialitas, & immaterialitas in nullo conueniunt, nullamque vnitatem quidditatiuam habent: ergo impoſſibile eſt, vt ab eis accipiatur vna per ſe ratio formaliter potentialis, quæ ſit generaliſſimum ſubſtantiæ; aliàs major vnitas eſſet in principiatis, quàm in principiis: ergo totius prædicamenti ſubſtantiæ non erit principium per ſe vnum: ergo nec vnum genus: ergo nec conuenientiam habebunt in eo corpus, & ſpiritus. Tum quia ſequeretur Angelos non poni in prædicamento reali metaphyſico, ſed tantùm ſecundùm rationem, & eodem modo ac Deus: at verè definiuntur: ergo veritas vtriuſque realitatis in ipſis reperitur; actus enim, & potentia ſunt principia omnium prædicamentorum, & definitionis, ex Ariſtot. 11. *Metaphyſ. ſum. vltim. cap.* 1. *&* 12. *Met. text.* 27.

288. Ex quibus patet, quàm rationabilis, & philoſophica ſit compoſitio ex materia, & forma in Angelis, & anima rationali, tam conſtanter aſſerta à Seraph. Doct.

Obiicies primò: In ſubſtantia ſufficit compoſitio ex natura, & ſuppoſito, ex eſſentia & eſſe, ex genere & differentia; nec eſt neceſſaria compoſitio ex materia & forma, ad hoc vt aliquid reponatur in prædicamento ſubſtantiæ: ergo falſa noſtra concluſio generaliter ſumpta. Antecedens patet, quia per talem compoſitionem remouetur res ab actu puro, & id etiam docet S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quaeſt.* 2. ergo ſuperflua eſt dicta compoſitio. Hoc argumentū eſt Suarez *diſp.* 13. *M. t. ſect.* 14. qui nimiâ licentiâ auſus eſt dicere noſtram aſſertionem eſſe contra principia Fidei, licèt nullum articulum Fidei afferat petens principium, nec aduertens fuiſſe aſſertam, & defenſam ſub auſpiciis D. Auguſt. Boëtij, D. Bonauent. Alenſis, Scoti, aliorumque plurium DD. de Theologia, & Philoſophia optimè meritorum.

Respondetvr igitur ex eodem Seraph. negando antecedens, & ad probationem reſpondetur ex Seraph. Doct. ibidem, quod alia eſt compoſitio ex his, alia cum his. Ex prima oritur compoſitio ex genere, & differentia, quatenus ortum habent iſtæ duæ realitates ex materia, & formà, quæ ſunt principia intrinſeca compoſiti Phyſici: ex ſecunda oriuntur compoſitiones adductæ in argumento Suarez.

Obiicies ſecundò: Deus eſt ſubſtantia, & purus actus, vt ſubſtantia eſt: ergo non implicat dari ſubſtantiam, quæ ſit pura forma.

Respondetvr concedendo antecedens, & negando conſequentiam; nam omnis creata ſubſtantia eſt in prædicamento, & ob id compoſita.

Dices ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 36. *dub.* 5. genus eſt forma, licèt per comparationem ad differentias ſit potentia: ergo poteſt dari forma, quæ ſit ſimul

mul in potentia, & in actu ſecundùm ſe.

RESPONDETVR genus eſſe formam, ſcilicet quidditatem ſubſtantialem, quæ cum ſuo actu dicit potentialitatem ad differentias, ex hoc quod conſtat ex materia, & differentiæ ab ea emanent ex hoc, quod eſt compoſita ex forma. Vnde provt dicit informitatem, eſt contrahibilis, &c.

DICES: Si Angeli conſtant ex materia, & forma: ergo ſunt corruptibiles. Hæc obiectio petit altiorem doctrinam, nec facit ad præſens inſtitutum, ſed ſoluetur tum in Phyſica, tum in tractatu de anima, & in Theologia.

PRO nunc reſpondetur negando conſequentiam; corruptibilitas enim non oritur præciſè ex materia, niſi remotiſſimè, ſed quatenus ſubſtat formæ corruptibili, & habenti qualitates contrarias.

OBIICIES Tertiò: Accidentia ponuntur in prædicamentis, & conſtant ex genere, & differentia; & tamen non conſtant ex materia, & forma, aliàs eſſent ſubſtantia: ergo falſa illatio Seraph. Doct.

HÆC obiectio mouet difficultatem maximam in hac materia, ob idque & petit altiorem conſiderationem, quæ in ſeqnenti quæſtione laterali tradetur, &c.

QVÆSTIO LATERALIS.

An Accidentia habeant compoſitionem ex genere, & differentia.

289. HÆc eſt potiſſima difficultas in hac materia, quam præ manibus habemus; nam cùm certum ſit, componi ex genere, & differentia, nec conſtare ex materia, & forma, non apparet, quo fundamento Seraph. Doct. inferat compoſitionem ex materia, & forma ex eo, quod conſtant ex genere, & differentia. Et augetur difficultas in doctrina Seraphica, cùm dentur accidentia aliqua, quæ non recognoſcunt pro ſuo principio ſubiectum, in quo inhærent, vt ſunt gratia Diuina, ſpecies intentionales, lux corporea, quæ habent eſſe ab alio principio. Vnde nec videtur poſſe recognoſci pro principio generis, & differentiæ ipſorum ſubiectum ſubſtantiale, provt eſt compoſitum ex materia, & forma, &c. Attamen Seraph. Doct. cùm ſibi obiiciat has difficultates *lib. 2. diſt. 3. part. 1. artic. 1. quæſt. 1. fund. 4.* addit hanc inſtantiam nullam eſſe, &c. & vt id pateat,

PRIMÒ Notandum ex S. Doct. *lib. 1. diſtinct. 8. part. 2. art. 1. quæſt. 2.* quod duplex eſt compoſitio, alia dicitur ex his, alia dicitur cum his. Prima eſt entium, quæ ſunt compoſita ex ſuis principiis, ſiue phyſicis, ſiue metaphyſicis: Secunda eſt entium ſimplicium creatorum, quæ cùm ſint ſimplicia, nec ob id de ſe compoſita ex his, ſunt tamen componibilia cum aliis. Sic materia non eſt compoſita, ſed componibilis cum forma: ſic genus per ſe, ſic forma, ſic differentiæ, ſic & accidentia, quæ ſunt formæ ſimplices; vnde componibile in plus ſe habet, quàm compoſitum. Differunt autem ad inuicem compoſitum, & componibile, quòd compoſitum, ſiue phyſicum, ſiue metaphyſicum, eſt poſterius ipſis partibus componentibus; componibile verò eſt prius ipſa compoſitione. Compoſitum item propriè importat duas partes, quarum vna ſe habet ad modum potentiæ, altera per modum actus;

Digitized by Google

actus; componibile verò competit tam enti actuali, quàm potentiali, quia vtrumque dicit ordinem ad aliud, quod ei poteſt addi ad hoc, vt fiat compoſitio, & vniatur cum ſua comparte. Sic S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vlt.* & *ad* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.*

290. Secvndò Notandum, quod cùm ens metaphyſicum habeat eſſe per emanationem ab ente phyſico, neceſſariò debet præſupponi in eſſe ipſum ens phyſicum; ob idque vbi non eſt ens phyſicum, nec poteſt eſſe emanatio metaphyſica: vbi enim non eſt cauſa, nec ibi poteſt eſſe effectus ab ipſa intrinſecè dependens. Cùm autem duplex ſit componibile, ſcilicet phyſicum, & metaphyſicum; hinc neceſſariò ſequitur, quod nunquam componibile metaphyſicum vnietur cum ſua comparte, nec faciet vnum, niſi præſuppoſitâ compoſitione componibilis phyſici, ex quo emanare debet. Et cùm accidentia ſint formæ ſimplices, non habentes partem, & partem ex his, ob idque nec facientes de ſe vnum per ſe, ſed tantùm importantes componibilitatem cum alio; hinc infertur, quod in ipſis non poſſit reſultare compoſitio metaphyſica ex genere, & differentia, niſi præſuppoſitâ compoſitione phyſicâ ipſorum ad ſuum ſubiectum, ad quod duplicem habitudinem dicunt, ſcilicet ſuſtentati ad ſuſtentans, & informantis ad informatum. Quare dicendum eſt accidentia de ſe, & præcisè conſiderata, quatenus ſunt entitates ſimplices, non poſſe conſtituere proprias ſpecies, nec componi ex genere, & differentia, niſi ex conſequenti, ſcilicet niſi præſuppoſitâ vnione cum ſubiecto: ex qua vnione phyſica cum ſubiecto reſultant realitates generis, & differentiæ in ipſo accidente. Et cùm ſubiectum debeat habere capacitatem intrinſecam ad hoc, vt poſſit recipere tale accidens, eique vniri; hinc conſequenter debet in ipſo ſubiecto neceſſariò præſupponi compoſitio ex materia, & forma. Idque voluit innuere Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *fund.* 4. & expreſsè *lib.* 4. *diſtinct.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *in corp.* vbi docet, quod accidens poteſt ſumi dupliciter. Primò vt accidens in communi: ſecundò vt hoc accidens, verbi gratiâ color, albedo. Primo modo dicit ordinem ad ſubſtantiam, & ſubiectum intrinſecè: Secundo modo dicit ordinem ad proprias differentias, & ſpecies. Primo modo explicatur in concreto: Secundo modo in abſtracto; & ſi conſideratur in concreto, tunc totum eſſe vnum vel genus, vel ſpeciem recipit à ſubiecto. Ex quibus ſequitur (ſubdit S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *dub.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 26. *dub.* 5.) quod inhærentia accidentis ad ſubiectum præſupponat compoſitionem in ſubiecto; hinc in ſummè ſimplici non poteſt eſſe accidens.

291. Tertiò Notandum, totam hanc doctrinam fundatam eſſe in Philoſophia Ariſtot. & traditam ſæpe à S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 34. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 5. & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 8. & *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *quæſt.* 2. nempe quia accidentis eſſe eſt ineſſe, od idque & in ſuo eſſe includit dependentiam intrinſecam ad ſubiectum, à quo exit, tum actiuè ratione formæ; tum paſſiuè ratione materiæ, & ſubiecti. Vnde cùm exeant in eſſe cum tali intrinſeca dependentia, per conſequens & recipiunt variationem, & multiplicitatem, & compoſitionem generis, & differentiæ ab ipſa ſubſtantia tanquam principio extrinſeco, quatenus habet formam actiuam, & potentialitatem receptiuam, ob idque quatenus eſt ex materia, & forma.

Dices: Materia, & efficiens non coincidunt, ex Ariſt. 2. *Phyſ. text.* 70. ergo ab eodem ſubjecto non poſſunt prouenire actiuè, & ſubjectiuè accidentia.

Respondetvr concedendo antecedens de materia ex qua, negando de materia in qua, qualis eſt ſubjectum, quod ratione formæ eſt actiuum, ratione materiæ eſt receptiuum. Vnde veritas huius doctrinæ patet ex exemplo ſequenti in qualitate, quæ eſt diſpoſitio, ſeu modus modificans ſubſtantiam; prout verò eſt à corpore naturali, fit paſſibilis qualitas; prout eſt à corpore elementari, eſt tangibilis; prout eſt à corpore leni, eſt calor. Quare concludendum eſt, quod omnis compoſitio metaphyſica in accidentibus præſupponere debet compoſitionem phyſicam ipſorum accidentium cum ſubjecto; & in hoc præſupponi debet compoſitio ex materia, & forma. Quibus poſitis ſit,

292. Vnica Concluſio: Omnis compoſitio, ſiue phyſica, ſiue metaphyſica in accidentibus dependet intrinſecè à ſubjecto compoſito ex materia, & forma. Eſt S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *articul.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 4.

Probatvr primò: Accidentia ſunt formæ ſimplices: ergo de ſe nullam compoſitionem habent ex his vt partibus; ſed habent componibilitatem cum ſubjecto, à quo intrinſecè dependent, & ad quod dicunt ordinem eſſentialem, tum ſuſtentati ad ſuſtentans, tum informantis ad informatum: ergo cum tali dependentia recipiunt compoſitionem: ſed compoſitio metaphyſica neceſſariò præſupponit phyſicam: ergo eorum compoſitio ex genere, & differentia præſupponit ipſa vnita cum ſubjecto, ad quod dicunt eſſentialem ordinationem: ſed nullum ſubjectum eſt capax recipiendi accidens, niſi ſit compoſitum ex materia, & forma, vt ſuprà probatum eſt: ergo à materia, & forma, tanquam à propria radice debent recognoſcere ſuam compoſitionem. Confirmatur, quia à ſubjecto recipiunt omne eſſe, tum actiuè, tum paſſiuè, ſcilicet in genere cauſæ efficientis, & materialis: ergo & omnem compoſitionem, tum phyſicam, tum metaphyſicam.

293. Obiicies primò: Verè dantur gradus metaphyſici in accidentibus, præciſà quacunque ſubſtantià, & præciſo quocumque ordine ad ſubſtantiam: ergo ab hac non recipiunt compoſitionem metaphyſicam.

Respondetvr ex S. Doct. dantur gradus metaphyſici modo dicto in antecedente in abſtracto, concedo; in concreto, nego: ſic negatur conſequentia; nam compoſitio metaphyſica facit vnum per ſe, & in accidentibus vnum per ſe eſt in concreto, ſcilicet concernendo ſubjectum; in abſtracto enim nullam compoſitionem inuoluunt, ſed tantùm habent rationem partis.

Obiicies ſecundò: Verè dantur ſpecies: ſed iſtæ ſunt compactæ ex genere, & differentia, præciſà quacunque ſubſtantià, vt verbi gratià qualitas, color, albedo, &c. ergo.

Respondetvr, quod ſi ſumuntur in abſtracto, dicuntur ſpecies tantùm nomine, non re; in concreto verò dicunt ordinem ad ſubjectum, à quo habent omnem compoſitionem, vt à cauſa extrinſeca.

Obiicies Tertiò: Poſſunt à Deo produci accidentia ſeparata à ſubſtantia: ergo nulla reſponſio.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 3. *cit. ad vlt.* quod ſemper habent ordinem intrinſecum ad ſubſtantiam,

Digitized by Google

tiam, & ex tali ordine recipiunt compoſitionem. Additque S. Doct. quod hîc quærimus, quid naturis competat, non quid Deus poſſit facere per miracula, quæ ſunt vel contra naturam, vel ſupra naturam. Vult dicere, quod ſi Deus crearet accidens ſeparatum, tunc illud accidens eſſet ſupra naturam, vel contra naturam ſui, ſcilicet cum nouo modo perſeitatis, vel alterius modi, &c. ſic negatur conſequentia.

Obicies quattò: Seraph. Doct. admittit quædam accidentia, quæ aliud pro ſubjecto, aliud pro cauſa requirunt, vt gratia Diuina, lux in aëre, & ſpecies intentionales; nam gratia ortum habet ab influentia Diuina, lux à corpore luminoſo, & ſpecies ab objecto, & ab his dependent principaliter: ſed iſta habent compoſitionem ex genere, & differentia, & non à ſubjecto deferente: ergo falſa eſt dicta aſſertio ſumpta vniuerſaliter.

Respondet S. Bonauent. quod iſta accidentia non habent rationem accidentium, & formarum naturalium, ſed potiùs habitûs, & formarum ſpiritualium, ſiue etiam intentionalium; quod patet de gratia. Alia duo ſunt potiùs ſimilitudo formarum naturalium, quàm ſint formæ; & ideo non currit paritas de iſtis, ac de accidentibus naturalibus: & in iſtis omnis diuerſitas prouenit à ſuo principio, habentque eſſe potiùs abſtractè, &c. Vide *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *q.* 2. *& art.* 3. *quaſt.* 2. *per totam quaſt.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 26. *artic.* 1. *quaſt.* 3. *& quaſt.* 4. *in fund.* Quare ſtat firma concluſio Seraphica, quod vbicunque datur vera compoſitio ex genere, & differentia, ibi neceſſariò debet recognoſci materia, & forma, vt origo, & radix talis compoſitionis.

Respondetur ſecundò, quod etiam iſta accidentia dicunt eundem ordinem intrinſecum ad ſubjectum compoſitum, ſcilicet ſuſtentati ad ſuſtentans, & informantis ad informatum: Sed negatur conſequentia.

294. Quæres, an differentiæ ſpecificæ recipere poſſint magis, & minus?

Respondetur hanc quæſtionem ſoluendam eſſe in tractatu de generatione, vbi quæritur, an ſubſtantia ſuſcipiat magis, & minus? Pro nunc dicimus, quod ſubſtantia, ſi ſumatur ſecundùm eſſe præciſum, & de ſe, non ſuſcipit magis, & minus; prout verò eſt in tali, vel tali ſubjecto magis, vel minùs diſpoſito, poteſt ſuſcipere magis, & minus; ſed tamen id ei eſt per accidens. Idem dicendum de differentiis: ſic ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 17. *quaſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *quaſt.* 2. *ad* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 44. *quaſt.* 1. *in corp.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 33. *artic.* 2. *quaſt.* 1. *in corp.*

Quæres ſecundò, vnde differentiæ ſpecificæ dignoſcantur?

Respondetur ex Seraph. Doct. primò, quod illæ dignoſcuntur eadem ſpecie, quâ producuntur vniuocâ generatione, licèt aliquando alio modo habeant eſſe, vt ſunt, quæ generantur, vel per generationem propriam, vel ex putri: ſic *lib.* 3. *diſt.* 34. *part.* 2. *art.* 2. *quaſt.* 1. *ad* 4.

Respondetur ſecundò ex eodem S. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 2. *quaſt. vlt. in fine*, quod intellectus rariſſimè peruenit ad cognitionem differentiarum ſpecificarum, niſi à poſteriori: & quia ſicut cognoſcit, ita nominat; ideo vtplurimùm differentias per naturam priores nominamus à poſteriori, ideſt per aptitudinem, quæ rei ineſt ſecundùm principia intrin-

Digitized by Google

ſeca, quæ priora ſunt per naturam. Addimus, quod ſæpe ſæpiùs has aptitudines cognoſcimus ab effectibus, à rebus producentibus, &c.

CAPVT IV.

De Proprio.

295. IN hoc capite Porphyrius tradit quatuor acceptiones Proprij, & deinde aſſignat, quodnam ex his ſit quartum Prædicabile. Dicit igitur, quod Proprium primò ſumitur pro eo, quod accidit alicui ſoli ſpeciei, ſed non omni indiuiduo illius ſpeciei, vt eſſe Grammaticum, Philoſophum, quod ſoli homini conuenit: Secundò, quod conuenit omni indiuiduo alicuius ſpeciei, non tamen ſoli, ſed etiam aliis, vt eſſe bipedem: Tertiò, quod conuenit alicui ſpeciei, & omnibus indiuiduis eius, ſed non ſemper, vt caneſcere: Quartò, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper, vt in homine riſibilitas, & hoc ſolum eſt, quod conſtituit quartum prædicabile, quia prædicatur de pluribus differentibus in quale proprium, ideſt conuertibiliter prædicatur de illo, cuius eſt proprium, & non eſt de eius eſſentia.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. PROPRIVM poteſt ſumi dupliciter, ſcilicet vel ſimpliciter, vel proprium alicui. Primum eſt, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper: Secundum eſt, quod ita conuenit alicui propriè, quod etiam conuenit aliis, vt eſſe bipedem. Poteſt & ſumi primò proprium, provt contradiſtinguitur ab accidente communi, vt eſſe riſibile: Secundò contra id, quod impropriè dicitur per metaphoram, vt rationalitas homini propriè conuenit, & Petro eſſe hominem; ſtatuæ autem conuenit impropriè. Tertiò pro appropriato, quia conuenit etiam aliis, vt in Diuinis appropriatè conuenit Patri potentia. *Lib. 1. diſtinct. 26. articul. 1. quæſt. 3. & lib. 1. diſtinct. 12. dub. 3.*

B. Proprietas autem poteſt comparari ad ſuum ſubiectum dupliciter. Primò ad ipſum, vt ſuum ſubiectum, & eſt quid reale competens ei inſeparabiliter à ſui primordio. Secundò, quatenus cauſatur à principiis intrinſecis ſubiecti, & per quam afficit operationem naturalem. Primo modó proprietas dicitur etiam accidens commune, vt eſt albedo in cygno, nigredo in coruo. Secundo modo

contradi-

contradiſtinguitur ab accidente communi, quia oritur ab intrinſecis ipſius ſubiecti principiis, vt eſſe riſibile in homine. *Lib.* 3. *diſtinct.* 4. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in corp. & lib.* 3. *diſt.* 16. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 26. *dub.* 5.

C. PROPRIETATES autem, quæ cauſantur à principiis intrinſecis ſubiecti, non oriuntur per veram efficientiam, ſed per emanationem naturalem: quare proprietas dicit duo, ſcilicet emanationem, & habitudinem. Vnde dicitur eſſentialis conſequutiuè ſubiecto, non trahens ipſum in aliud genus. *Lib.* 1. *diſtinct.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp. & lib.* 2. *diſtinct.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *argum.* 6. *ad oppoſ. aliiſque loc. ſuprà cit. & lib.* 1. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1.

D. PROPRIETAS habet hæc tria. Primum eſt conuenire ſoli: Secundum eſt ratio innoteſcendi ſubiectum: Tertium eſt differre ab ipſo ſubiecto; quæ differentia tamen non eſt eadem in creatis, & in Diuinis: nam in creatis eſt vera differentia fundata ſuper aliquod abſolutum, facienſque compoſitionem, ob idque non dicit perfectam identificationem cum ſubiecto: at in Diuinis tranſit in eſſentiam Diuinam ratione *in*, & remanet ratione *ad*: in creatis verò addit aliquid, & ob id ſe habet ad modum differentiæ, nominatque à poſteriori eaſdem differentias eſſentiales. *Lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad arg. & quæſt.* 2. *ad* 8. *& lib.* 1. *diſtinct.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp. & quæſt.* 3. *ad penult. & lib.* 1. *diſtinct.* 33. *dub.* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. *& lib.* 1. *diſtinct.* 33. *dub.* 7. *& quæſt.* 1. *in fine corp. & diſt.* 28. *part.* 1. *dub.* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 21. *art.* 2. *quæſt.* 1. *fund.* 3. *& lib.* 1. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 40. *art.* 2. *quæſt.* 2. *fund.* 2. *& lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 2. *quæſt. vltim. & ibid. part.* 1. *quæſt. vltim. in fine corp.*

E. HINC proprium poteſt dici forma, ſeu qualitas ſubſtantialis, manans ex principiis intrinſecis ſubiecti, habens modum accidentium, in qua plura conueniunt inſeparabiliter. *Lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *articul.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. *&* 2. *& articul.* 1. *quæſt.* 2. *fund.* 3. *& lib.* 2. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& lib.* 1. *diſtinct.* 26. *articul.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 4.

G. QVARE munera proprietatis ſunt primò afficere ſuum ſubiectum: ſecundò ipſum diſtinguere ab aliis: tertiò eſſe rationem innoteſcendi ipſum: quartò eſſe cum ipſo conuertibile, hæcque ſe habent conſequenter, vt ſecundum oritur à primo, & ſic de aliis.

Lib. 1.

Digitized by Google

Lib.1. diſt.8. part.1. quæſt.1. ad 4. & diſtinct.26. quæſt.1. fund.3. & 4. & lib.1. diſt.28. dub. 1.

Scholium ad Textum de Proprio.

296. Primò Nota, quod ea, quæ in textu à Seraph. Doct. traduntur, propriè verificantur de Proprio metaphyſico, cui tamen poteſt applicari definitio allata *ad literam E*, eo modo, quo applicata fuit cæteris prædicabilibus.

Secundò Nota, Seraph. Doct. recognoſcere diſtinctionem formalem ex natura rei inter ſubiectum, & proprietates, vt patet *ad literam C, & D:* cùm autem Proprium metaphyſicè ſumptum ſit fundamentum Proprij logici; hinc primò de Proprio metaphyſico aliqua diſſeremus: Secundò de logico agemus; ſicque explicabuntur ea, quæ tradit Seraph. Doct. in textu, & aliis locis.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Proprium? Vbi etiam de Proprio metaphyſico.

297. Primò Aduertendum, quod nomine Proprij venit primò id, quod contradiſtinguitur contra improprium, ſeu metaphoricum: Secundò pro eo, quod dicitur appropriatum alicui, vt in Diuinis potentia appropriatur Patri, ſapientia Filio, & bonitas Spiritui Sancto, licèt ſint attributa communia. Tertiò propriè dicitur aliquod Proprium, quod ita conuenit vni rei, vt aliis non competere poſſit, & dicitur contra communitatem, ſicut definitio dicitur propria definitio, & differentia propria ſpeciei, & & propria paſſio propria naturæ. Sic S. Bonauent. *libro 1. diſtinctione 12. dub. 3.*

Hinc ortum eſt, quod multoties Seraphicus Doct. vtitur hoc nomine proprietatis indiſcriminatim; attamen hic eſt ſermo de propria paſſione, & proprietate intrinſeca naturæ. Alia enim habent ſua propria vocabula, ſcilicet definitio, & differentia eſſentialis.

Secundò ſupponendum, quod proprium poteſt ſumi dupliciter, vel pro prima intentione, ſcilicet pro proprio metaphyſico, & reali, quatenus dicit realitatem emanantem à natura: vel pro ſecunda intentione, ideſt prout proprium reale affectum eſt ſecundâ intentione logicali, & concipitur vt inexiſtens ſimul in pluribus. In hac quæſtione ſermo eſt de Proprio reali, quatenus eſt fundamentum Proprij logicalis; & in ſequenti agemus de hoc ſecundo. De Proprio igitur metaphyſico multa diſquiruntur, ſcilicet primò, an dicat conceptum obiectiuum realem: ſecundò, quid ſit: tertiò, an competat proprio omnibus quatuor modis à Porphyrio allatis, an tantùm vltimo, de quo dicitur, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper. Quartò, an ſumatur ſecundùm aptitudinem tantùm, an verò ſecundùm actum. Quintò, an diſtinguatur realiter à ſubiecto?

Digitized by Google

ſubjecto ? Pro ſolutione harum difficultatum,

298. PRIMÒ Notandum ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *per totum*, & *lib.* 2. *diſtinct.* 16. *articul.* 1. *quæſt.* 3. quod Proprium aliud eſt abſolutum, & ſimpliciter; aliud eſt reſpectiuum, & non ſimpliciter, ideſt quod ſecundùm ſe eſt commune: tamen ſi ſubjectum, cui ineſt, aliis comparetur, illi eſt proprium. Et quia comparatio hæc poteſt fieri tribus modis, ſic hoc proprium reſpectiuum eſt triplex. Primò vel enim tale prædicatum accidentale ſoli alicui ſpeciei ineſt, non tamen omnibus indiuiduis illius ſpeciei, vt eſſe Medicum, & Philoſophum conuenit ſoli ſpeciei hominis, diciturque proprium ſoli, ſed non omni. Secundò vel omni indiuiduo alicuius ſpeciei, non tamen ei ſoli, ſed etiam alteri, vt eſſe bipedem, quod conuenit omni homini, & etiam aliquibus animantibus; diciturque proprium omni, ſed non ſoli. Tertiò vel omni, & ſoli, ſed non omni tēpore, vt caneſcere; caneſcere enim cōuenit ſoli homini in determinato tempore ob debilitatem caloris naturalis non valentis conſumere humores frigidos: cætera animalia dicuntur tantùm griſeſcere, non tamen caneſcere. Sic Tartaretus hîc: & dicitur proprium ſoli, & omni, ſed non ſemper. Hæc tria propria dicuntur reſpectiua: Proprium verò abſolutum eſt, quod conuenit ſoli, omni, & ſemper, vt homini eſſe riſibilem. Hocque Proprium abſolutum eſt duplex, ſcilicet poſitiuum, & priuatiuum: ſic S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 8. Primum eſt, quod emanat ex principiis intrinſecis poſitiuis ſubjecti: ſecundum eſt, quod conuenit ex principiis priuatiuis; creaturra enim (ait S. Doct.) provt eſt compacta ex ſuis principiis, habet & proportionatas proprietates; & provt eſt ex nihilo à Deo, dicit defectibilitatem, vanitatem, vertibilitatem, & inſtabilitatem. Hîc eſt ſermo de Proprio poſitiuo tantùm.

299. SECVNDÒ Notandum, quod Proprium abſolutum poteſt ſumi vel quoad aptitudinem, vel quoad actum. Primo modo dicit tantùm entitatem, ſeu formalitatem inexiſtentem in ſubjecto ex ſuis principiis intrinſecis: ſecundo modo provt in actum exit, vt riſibilitas dicit capacitatem ad ridendum, riſus dicit actum. Hîc autem ſumitur ſecundùm aptitudinem tantùm; actus enim eſt accidentalis ſubjecto: ſic Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 1. *&* *ad* 4. & *lib.* 4. *diſt.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 1. Hocque Proprium ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* *&* *ad* 1. poteſt dicere proprietatem vel quoad rem, & quoad modum ſimul; ſecundò quoad modum tantùm, non verò, quoad rem. Primo modo eſt proprietas ſpecifica, nempe accidens fluens à principiis intrinſecis ſubjecti, licèt vt dicit Boëtius, emanet de genere accidentium; eſt enim in genere qualitatis ſubſtantialis, vt riſibilitas, capacitas diſciplinæ: alia propria reſpectiua ſuprà allata dicuntur propria quoad modum tantùm. Hîc tamen aduerte, ne decipiaris, quod quando à S. Doct. hoc proprium dicitur abſolutum, per id non excludit ab eo relationem tranſcendentalem in ipſo incluſam ad ſuum ſubjectum; ſed appellatur abſolutum, quatenus abſolutè ipſi, omni, ſoli, & ſemper conuenit, non ſic cætera propria.

300. TERTIÒ Notandum ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 2. *&* *artic.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *&* *dub.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 3. *&* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 33.

diſtinguentes ſubiectum ab omni alio.

302. Tertia Conclvsio: Proprietates diſtinguuntur formaliter ex natura rei à ſuo ſubiecto, ob idque habent connexionem ita neceſſariam, tum phyſicam, tum metaphyſicam, quia identificantur realiter; tum & logicam, quia non poteſt intelligi ſubiectum ſine paſſione, & ob id nec per Dei omnipotentiam poſſunt ſeparari à ſubiecto. Eſt S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *quaſt.* 1. *ad arg. & part.* 2. *q.* 2. *in corp.* & *lib.* 1. *diſt.* 27. *art.* 1. *quaſt.* 1. *in corp. & diſtinct.* 33. *dub.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quaſt.* 3. *in corp. & ad* 1. vbi appellat proprium eſſentiale ibi quarto modo ſumptum, ſine quo res non poteſt intelligi habere eſſe perfectum, niſi intelligantur ſimul proprietates. Eſt & Scoti *quaſt.* 33. *de Vnin.* & *lib.* 1. *diſt.* 3. *quaſt.* 5. Fabr. 4. *Met. diſp.* 6. Meldul. *diſp.* 5. *num.* 175. & communis Scotiſtarum, contra Thomiſtas; qui tamen ſunt diuiſi inter ſe: nam licèt omnes admittant diſtinctionem realem inter ipſas, tamen aliqui negant poſſe à Deo ſeparari ſubiectum à proprietatibus: ſic Capreol. *lib.* 1. *diſtinct.* 3. *quaſt.* 3. Caietan. *part.* 1. *quaſt.* 54. *artic.* 3. Soncin. 8. *Metaph. quaſt.* 1. *ad* 4. aliique. Alij affirmant, vt Ferrar. 4. *contra gentes*, *cap.* 65. Soro *quaſt.* 2. *de Proprio*, Bañez *part.* 1. *quaſt.* 73. *articul.* 6. Alij admittunt hanc ſeparabilitatem in proprietatibus realiter diſtinctis, vt quantitas in materia, calor vt octo in igne, frigiditas ſumma in aqua: negant in proprietatibus, quæ non diſtinguuntur realiter à ſubiecto, vt ſunt appetitus materiæ, & paſſiones entis.

Probatvr prima pars, ſcilicet quod diſtinguantur formaliter: Quotieſcumque aliquid à parte rei competit alicui, quod non alteri, tunc ſignum eſt, quod illa diſtinguuntur à parte rei, ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 1. ſed ita ſe habent ſubiectum, & eius proprietates: ergo. Maior eſt certa, minor probatur, quia ſubiectum eſt *quod*, proprietas eſt *quo*: illud materiale, iſta forma afficiens ſubiectum: illud ſe habet vt cauſa, iſta vt effectus: ſic S. Bonauent. *lib.* 3. *diſtinct.* 4. *artic.* 2. *quaſt.* 3. *in corp.* vbi aduertit proprietatem comparari poſſe ad ſubiectum vt ſubiectum, & & ad ipſum vt cauſam. Primo modo naturaliter dicitur ineſſe à primordio ſui, & inſeparabiliter: ſecundo modo dicitur oriri ex principiis ſubiecti intrinſecis, & per quam ipſum ſubiectum efficit operationem.

Probatvr ſecundò, quia habent diuerſam definitionem; ergo & diuerſum conceptum obiectiuum.

Probatvr Secunda pars, nempe non diſtingui realiter, ob idque non poſſe ſeparari ad inuicem, quia quæ identificantur realiter, non poſſunt ſeparari: ſed proprietas, & ſubiectum identificantur realiter: ergo.

Probatvr minor; quia proprietates non ſunt terminus per ſe phyſicæ cauſalitatis; producuntur enim per emanationem ad productionem ſubiecti.

Probatvr ſecundò à Meldul. Concluſio demonſtrationis, in qua paſſio demonſtratur ineſſe ſuo ſubiecto, eſt ita neceſſaria, & vera, vt per nullam potentiam poſſit reddi falſa: ſed ſi poſſet proprietas ſeparari à ſubiecto, poſſet eſſe falſa: ergo eſt inſeparabilis, vt verbi gratiâ, *Homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis*; vel, *Homo eſt rationalis: ergo eſt riſibilis.*

Respondent eſſe veram illam concluſionem radicaliter, ideſt,

Digitized by Google

quatenus in ſubjecto radicaliter ineſt proprietas; non verò ſumptam formaliter. Tum etiam, quia licèt ſecundùm connexionem naturalem ſit ſemper vera, tamen ſecundùm exiſtentiam poteſt eſſe falſa per ordinem ad potentiam Diuinam abſolutam. Sic Didacus à Ieſu, Arriag. & alij.

303. CONTRA primò: Si eſt ſemper vera illa concluſio ſumendo, verbi gratiâ riſibilitatem radicaliter, erit vera prædicatione primi modi, ſcilicet ratione rationalitatis de homine; falſa, & contingens ſumendo proprietatem in ſecundo modo dicendi per ſe, quod implicat: implicat, inquam, quod præmiſſa ſit neceſſaria, & concluſio contingens, & falſa.

CONTRA ſecundò: Connexio per ſe prædicati cum ſubjecto oritur ex neceſſaria inhærentia prædicati cum ſubjecto: ergo ſi riſibilitas neceſſariò non ineſt homini, non erit vera propoſitio ſecundùm connexionem per ſe in ſecundo modo.

CONTRA tertiò, quia veritas propoſitionum neceſſariarum, licèt non pendeat ex actuali exiſtentia extremorum, poſtulat tamen, vt amplietur ad omne tempus; ob idque etſi extrema exiſtunt, etiam prædicatum verè in ſubjecto exiſtere debet, ſicut patet in Summulis, & ex Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſtinct.* 12. *part.* 1. *artic.* 1. *quaſt.* 1. *in corp.*

CONTRA quartò: Veritas neceſſaria concluſionis non ſolùm eſt phyſica, ſed etiam logica, aliàs accidentia naturaliter inſeparabilia poſſent etiam demonſtrari de ſuis ſubjectis, cùm phyſicâ connexione illis inhæreant: ergo prædicata ſecundi modi neceſſariò debent competere ſubjectis abſolutè, & in ordine ad potentiam abſolutam Dei.

PROBATVR Tertiò, quia ſi poſſet ſeparari proprietas à ſubjecto, nullum eſſet diſcrimen inter accidens proprium, & commune inſeparabile; quod eſt falſum. Nec valet, ſi dicas cum Didaco, negando ſequelam, quia ſeparatâ riſibilitate, adhuc homo eſſet radicaliter riſibilis, non ſic coruus ſeparatâ nigredine. Non valet, inquam, & ob id inſurgo

CONTRA: Separatâ riſibilitate, adhuc homo poteſt dici radicaliter riſibilis, quia manet principium radicale riſibilitatis: ſed in coruo manet principium radicale nigredinis, ſcilicet talis complexio, vel temperamentum, & ob id idem debitum habendi nigredinem: ergo nulla eſt differentia.

RESPONDET Didacus, diſcrimen aliud eſſe, quia maneret rationalitas, ex qua naturaliter adhuc dimanaret; non ſic de accidente inſeparabili.

CONTRA, quia multa ſunt accidentia, quæ ſi ſeparentur à ſubjecto, & illud relinquatur in ſua naturali facultate, adhuc eadem ſibi naturaliter comparat, vt patet de aqua calida ſe ad priſtinam frigiditatem reducente: ergo cùm nulla ſit diſparitas, ſequitur quod prius.

PROBATVR quartò ex S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 28. *dub.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *articul.* 1. *quaſt.* 3. & *lib.* 4. *diſtinct.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quaſt.* 1. *in corp.* quia licèt poſſimus intelligere hominem non intellectâ riſibilitate, tamen non poſſumus intelligere hominem abſque riſibilitate, vel cum ſuo oppoſito, abſque deſtructione ipſius eſſentiæ: ſicut enim ex poſitione riſibilitatis rectè infertur à poſteriori humanitas, ſeu rationalitas: ſic ex negatione riſibilitatis infertur negatio rationalitatis. Ex quo patet, quod neceſſitas

ceſſitas connexionis inter ſubjectum, & proprietates eſt etiam logica. Vide S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. vbi tractat hanc eandem quæſtionem ſub nomine potentiarum, & animæ rationalis, quas ipſius proprietates appellat: & *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2. *argum.* 2. *ad oppoſ.* notat, quod quodlibet accidens commune eſt ſeparabile, ſi non ſecundùm rem, ſaltem ſecundùm intellectum, ideſt potentiâ logicâ.

304. Obiicies primò: Cauſa, & cauſatum reale diſtinguuntur realiter: ſed ſubjectum eſt cauſa realis proprietatum: ergo diſtinguuntur realiter. Probatur antecedens, quia ſubjectum vel eſt principium efficiens, vel materiale: ſed vtrumque poteſt ſeparari à Deo ab effectu: ergo; Deus enim poteſt impedire effectus cauſarum ſecundarum, & cauſalitas materiæ eſt contingens. Tum etiam, quia materia, & efficiens non poſſunt coincidere, ex Ariſt.

Respondetur concedendo majorem de cauſa phyſica cauſante effectum per realem influxum; negando de cauſante per cauſalitatem metaphyſicam; hæc enim neceſſariò emanat ad poſitionem cauſæ phyſicæ. Nec Deus poteſt impedire productionem paſſionis, neceſſitate non quidem abſolutâ, & ſimpliciter, ſed ſuppoſitionis, cùm non requiratur alius concurſus, ſed ob neceſſariam connexionem intra ſubjectum, & proprietatem: de quo vide S.Bonau. *lib.* 3. *diſt.* 4. *artic.* 2. *quæſt.* 3. *in corp.* quia vt notat S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. ad* 1. proprietas eſt quid eſſentiale ſubjecto, à quo intrinſecè, & immediatè emanat. Et ad id de materia, & efficiente, quod non coincidunt Reſpondet S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. & cum eo Scotus, eſſe verum de materia ex qua, ſiue partis; non in qua, ſicut eſt ſubjectum reſpectu ſuæ paſſionis.

Obiicies ſecundò: Actus, & potentia ſunt in eodem prædicamento, ex Ariſt. 9. *Met. text.* 13. ſed actus proprietatum ſunt accidentia: ergo & ipſæ: ergo differunt realiter à ſubjecto.

305. Respondet S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 3. *cit.* concedendo maiorem de actu, & potentia diuiſiua entis, ſcilicet de potentia objectiua, & actu entitatiuo; negando de potentia, quæ eſt principium operationum; hæc enim eſt ſubſtantialis, & in eodem prædicamento reductiuè: nam vt qualitas eſt, & vt habet modum accidentis, eſt in prædicamento qualitatis; prout verò eſt quid innatum ſubſtantiæ, ſpectat ad prædicamentum ſubſtantiæ: ſic S.Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. loquendo de proprietatibus ſubſtantiæ.

Obiicies ſecundò: Subjectum eſt prius proprietate: ergo vt tale poteſt eſſe ſine illa.

Respondetur eſſe prius naturâ, non ſecundùm exiſtentiam, & tempore. Ad conſequens reſpondetur, quod prius, vt prius eſt, poteſt eſſe ſine poſteriori; ſed tamē repugnat poſteà ob identificationem, & coëxigentiam: ſic S.Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *ad* 3. Prius enim non poteſt eſſe ſine ſuo poſteriori, quando ad hoc habet neceſſariam ordinationem; ſic enim ſubjectum ſe habet ad proprietates quoad complери, quoad coëxiſtentiam, & quoad operari: ſic ad rem idem S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. 4. & 5.

Obiicies Tertiò: Proprietas ſubſtantiæ vel eſt ſubſtantia, vel accidens. Non ſubſtantia: ergo accidens: ergo eſt ſeparabilis.

Reſpondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 22. *art.* 1. *quaſt.* 4. *ad* 1. neutrum eſſe præciſè, ſed per identitatem vtrumque: in ſubſtantiis quidem eſt ſubſtantia, in accidentibus eſt accidens. Sic S. Doct. citatus.

Obicies quartò cum Nominalibus: Præciſâ riſibilitate à rationali, tunc rationale eſt adhuc capax ridendi: ergo implicatoria eſt hæc præciſio: ergo nulla diſtinctio.

Reſpondetur negando antecedens; eſt quidem fundamentaliter, non verò formaliter capax, & poſitiuè; cùm talis aptitudo competat ſubiecto in ſecundo modo, & in poſteriori ſigno. Quod argumentum tamen euidenter vrget Thomiſtas aſſerentes diſtingui realiter; nam præciſâ, & ſeiunctâ riſibilitate, debet aſſignari capacitas ad prædicata, & attributa connaturalia. Vnde ait Cannon. hoc argumentum adhuc inſolutum manere. Vide Meldul. *cit. num.* 183.

Quæres, an proprietates ſuſcipiant magis, & minus?

Reſpondent varij varia: S. Bonauent. reſpondet, quod ſi conſiderantur ſecundùm ſe, & præciſè, & provt dicunt præciſam aptitudinem, non recipiunt; ſed ſi conſiderantur vt in hoc, ideſt ratione diſpoſitionis organicæ, vel compoſitionis indiuidualis, recipiunt magis, & minus: ſic S. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 33. *art.* 2. *quaſt.* 1. *in corp.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 13. *articul.* 2. *quaſt.* 2. *ad* 3.

QVÆSTIO II.

De Proprio ſecundò intentionaliter ſumpto.

306. Cvm omnia vniuerſalia logica fundentur in vniuerſali metaphyſico, & reali, explicatâ naturâ proprij realis, quæritur hic, in quonam conſiſtat ratio ipſius vniuerſalitatis logicæ, ſcilicet an per ordinem ad ſuum ſubiectum, an per ordinem ad inferiora deſumi debeat? Pro ſolutione quæſtionis.

Primò aduertendum, quod aliud eſt loqui de Proprio in ratione Proprij; aliud in ratione prædicabilis: nam in ratione Proprij diſtinguitur ab accidente communi per conuertibiliter prædicari de ſuo ſubiecto; ſic enim reſpicit ſolam naturam, cui adæquatur, & à qua emanat immediatè: quam rationem non habet in ordine ad ſua inferiora, quia cum eis non conuertitur in ſubſiſtendi conſequentia: in ratione verò prædicabilis reſpicit neceſſariò inferiora. Hinc dicimus, quod per definitionem datam à Porphyrio, nempe *Proprium eſt, quod accidit omni, ſoli, & ſemper*, conſtituitur quartum prædicabile, & coincidit cum iſta: *Proprium eſt prædicabile de pluribus in quale accidentale neceſſariò, & intranſmutabiliter.*

Probatur, & explicatur. Dicitur *id*, ideſt vniuerſale, loco generis. Dicitur, *quod accidit*, per quod explicatur modus, quo communicatur inferioribus, ſcilicet accidentaliter. Dicitur *omni, & ſoli*, vt explicentur ſubjicibilia Proprij. Dicitur *ſemper*, vt explicetur illa neceſſitas, & connexio,

xio, vt diſtinguatur ab accidente communi.

Advertendum etiam, hanc definitionem poſſe competere Proprio ſubalterno, ob idque & poſſe alia tria propria enumerata à Porphyrio ad hoc caput reduci; nam omnia dicunt habilitatem ſuperadditam naturæ, aduenientem ex principiis intrinſecis ipſius, poſſuntque affici vniuerſalitate intentionali: ſic nutribilitas conuenit omni corpori animato.

307. Obicies primò: Proprium, & vniuerſale opponuntur; vniuerſale enim dicitur reſpectu multorum. Proprium verò reſpectu vnius tantùm, conuenitque vni ſoli: ergo malè collocatur inter vniuerſalia. Et confirmatur, quia vniuerſale prædicatur immediatè de inferioribus: at proprium, verbi gratiâ riſibile, prædicatur de Petro, & Paulo, mediante homine: ergo.

Respondetvr negando antecedens; nam proprium dicitur quidem tale per ordinem ad ſpeciem, ſed ſimul etiam importat communitatem ad inferiora talis ſpeciei: ille ordo autem ſe habet vt materiale, iſte vt formale. Ad confirmationem reſpondetur, proprium prædicari immediatè immediatione modi prædicandi, ſecundùm quem prædicatur; non enim aliquid mediat inter ipſum, & inferiora ſubjicibilia; licèt mediet immediatione cauſæ, & ſubiecti, quod tamen non impedit.

Obicies ſecundò: Modus prædicandi eſt idem in proprio, & accidente: ergo non conſtituitur per proprium diſtinctum prædicabile. Probatur antecedens, quia dantur etiam accidentia inſeparabilia, & tamen ſpectant ad accidens commune. Tum etiam, quia connexio proprietatis cum ſubiecto eſt extra eſſentiam ipſius, ſe habetque per accidens ad prædicationem, per quam non explicatur talis connexio, cùm exprimatur tantùm modus prædicandi accidentalis in quale, & non per modum ſubſtantiui in quid.

Respondetvr negando antecedens: ad probationem reſpondetur negando, quod modus prædicandi accidentium inſeparabilium ſit idem cum proprio; poteſt enim ſubiectum ſaltem potentiâ logicâ eſſe abſque tali accidente, non verò abſque proprietate, quia eſt quid eſſentiale ſubiecto, vt dictum eſt; & hinc ratione neceſſariæ, vel contingentis connexionis variantur etiam prædicabilia.

Obicies Tertiò: Proprium in ratione vniuerſalis dicit aliquid commune multis, eo modo quo genus, vel ſpecies reſpiciunt ſua inferiora; nam riſibilitas prædicatur eſſentialiter de hac, vel illa: motus corporum prædicatur eſſentialiter de hoc, vel illo motu ad quantitatem, qualitatem, locum, &c. ergo non differt à cæteris prædicabilibus generis, & ſpeciei.

Respondetvr concedendo antecedens, ſi ſumitur ſecundùm rationem realem, materialem, & in abſtracto; negando ſecundùm rationem formalem, & in concreto. Ratio enim diſtinctiua ipſius à cæteris conſiſtit in modo, quo deſcendit ad inferiora, ſcilicet quatenus ſumitur in concreto, & vt eſt in ſubiectis, & vt prædicatur in quale neceſſarium, &c. nam ſic conſideratur vt accidens proprium ſubiecti: ſic riſibile de hoc, vel illo homine prædicatur accidentaliter, & intranſmutabiliter.

Ex quibus omnibus patet differen-

tia

tia inter proprium, & accidens; nam proprium emanat ab intrinſecis principiis ſubiecti; & ob id eius immediatum ſubiectum eſt ipſa rerum eſſentia, & ipſà mediante ineſt poſteà ſingularibus; ideo enim Petrus eſt riſibilis, quia eſt homo: vnde vt prædicabile eſt; dicit eſſentialiter ordinem ad ſpeciem, cuius eſt ſubjicibile; & ad indiuidua, de quibus eſt prædicabile. At accidentium immediatum ſubiectum ſunt indiuidua, mediatum verò eſt ipſa ſpecies; ſic enim homo currit, quia Petrus currit.

CAPVT V.

De Accidente.

308. PORPHYRIVS primò definit tripliciter accidens, & primò ſic: *Accidens eſt, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem.* Secundò, *Accidens eſt, quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe.* Tertiò, *Accidens eſt, quod neque eſt genus, nec ſpecies, neque differentia, neque proprium.* Secundò diuidit Accidens in ſeparabile, & inſeparabile.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. ACCIDENS multipliciter poteſt ſumi. Primò per oppoſitionem ad per ſe: Secundò per oppoſitionem ad neceſſarium; & vtroque modo poteſt etiam competere ſubſtantiæ: Tertiò per oppoſitionem ad ſubſtantiam; ſic dicitur proprietas alij inhærens, quæ non eſt de rei eſſentia; & hoc etiam poteſt competere proprio, & differentiæ indiuiduali. Tandem ſumitur propriè pro aliquo aduenienté enti iam completo, ſed vt extrinſecùs adhærens ſubiecto, ideſt non per ſe, ſed per accidens exiſtens in ſubiecto: & per hanc particulam differt à proprio, quod ineſt per ſe ſubiecto, vt proprium eſt, quia eſt ex principiis intrinſecis. Accidens verò per accidens ineſt ſubiecto. *Lib. 2. diſt. 26. art. 1. quæſt. 3. in fund. & argum. 6. ad oppoſ. & lib. 3. diſt. 6. art. 1. quæſt. 3. ad 3. & lib. 2. diſtinct. 13. art. 1. quæſt. 2. ad 2. & art. 3. quæſt. 2. ad argum. & lib. 1. diſt. 30. art. 1. quæſt. 2. & 3. & lib. 2. diſt. 37. art. 2. quæſt. 2. ad 2. & lib. 4. diſtinct. 12. part. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 2.*

B. ACCIDENS igitur commune eſt id, quod poteſt adeſſe, & abeſſe à ſubiecto præter ſubiecti corruptionem, quodque poteſt intelligi de quocumque accidente communi: licèt enim aliquod ſecundùm

cundùm rem ſit inſeparabile , omne tamen eſt ſeparabile ſecundùm intellectum (ideſt ſecundùm potentiam logicam.) Omne accidens autem ſecundùm rem , aut potuit adeſſe rei priùs exiſtenti , aut abeſſe ab ipſa iam exiſtente , aut intendi , aut remitti , aut variari : & hoc vel reſpectu ſubiecti primi, ideſt materiæ, aut reſpectu ſubiecti immediati. *Lib.* 2. *diſt.* 26. *art.*1. *quæſt.*3. *in fund.* & *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2. *argum.* 2. *ad oppoſ.* & *lib.* 1. *diſt.* 26. *dub.*5. & *lib.*2. *diſt.* 3. *part.*1. *art.* 1. *quæſt.*1. *fund.*4.

C. Hinc ſequitur, quod accidens diuiditur rectè in ſeparabile, & inſeparabile, ſcilicet ſecundùm rem ; nam vt dictum eſt, omne accidens eſt ſeparabile potentiâ ſaltem logicâ. *Lib.* 1. *diſtinct.* 26. *dub.* 5. & *lib.* 2. *diſtinct.*7. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2. *per totam.*

D. Et cùm accidentis eſſe ſit ineſſe, ſiue inhærere, conſequenter dicit habitudinem ad ſubiectum : quæ ſi ſumatur ſecundùm aptitudinem, eſt eſſentialis ; ſi ſecundùm actum, eſt ei accidentalis. Talis autem aptitudo eſt proprietas conſequens ad eſſentiam accidentis neceſſariò , & inſeparabiliter : licèt enim accidens aliquod ſit abſolutum , tamen hæc proprietas , ſcilicet inhærentia aptitudinalis, eſt quid relatiuum, identificata cum eo realiter. *Lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.*1. *per totam* , & *lib.*2. *diſt.*34. *art.* 2. *quæſt.*3. *ad* 3. & *lib.*1. *diſt.*26. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* & *ad* 1.

E. Prædicatio verò accidentis de ſubiecto eſt denominatiua, & per modum inhærentis, vt *Iſte eſt albus* ; & hoc modo conſtituit quintum prædicabile, quia prædicatur de ſubiectis in quale accidentale tranſmutabiliter. *Lib.* 3. *diſtinct.*6. *art.*1. *quæſt.* 3. *ad* 4.

F. Advertendvm tamen, quod accidens per ordinem ad ſubiectum eſt duplex. Aliud enim reſpicit ipſum, & vt cauſam , & vt ſubiectum : vt cauſam, quia ab ipſo ortum trahit, tum in genere cauſæ efficientis , tum materialis ; ratione enim formæ ſubiectum efficienter concurrit ad productionem accidentis, & ratione materiæ in genere materialis, ſcilicet ſubiecti receptiui , & informabilis : & hinc accidentium compoſitio ex genere , & differentia originem trahit à ſubiecto extrinſeco , quatenus eſt compoſitum ex materia, & forma ; forma enim non poteſt eſſe ſubiectum accidentium. Dantur alia accidentia autem, quæ aliud pro ſubiecto, aliud pro cauſa habent, ſuntque gratia diuina, lux , & ſpecies intentionales. Illa enim ortum

habet ab influentia Diuina, lux ab influentia corporis lucidi, & ſpecies ab obiecto. Vnde iſta accidentia inſunt, & recedunt in ſubiecto vt deferente tantùm. Vnde non inſunt in anima per modum naturæ, ſed per modum habitus, ſiue modo ſpirituali, cùm non ſint formæ naturales, ſed potiùs ſimilitudines formæ naturalis. *Lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in corp. & ad* 1. *& art.* 3. *quæſt.* 2. *per totam, & lib.* 2. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& q.* 4. *in fund. & lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 8. *& lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2.

Scholium ad Textum Seraphicum de Accidente.

309. Primò Nota ex Textu *ad liter. A, & lib.* 2. *diſt.* 26. *articul.* 1. *quæſt.* 3. *arg.* 6. *ad oppoſ.* quod S.Doct. ponit diſcrimen inter naturalem proprietatem, & accidens commune, quòd illa ineſt ſubiecto per ſe, quatenus ortum habet à principiis ſubiecti; iſtud verò ineſt per accidens: quod intelligendum tamen (ſubdit ibidem in reſponſione) quod accidens non ineſt ſubiecto per aliud accidens, vel per ſe in genere cauſæ, ſed in genere ſubiecti ineſt immediatè, vt forma.

Secvndò Nota, quod accidens commune cùm aliud ſit phyſicè ſeparabile, & naturaliter; aliud inſeparabile à ſubiecto, hæc inſeparabilitas tamen non eſt metaphyſica, nec logica, idque vult dicere S. Bonauent. *ad lit. B*, dum dicit, quod omne accidens eſt ſeparabile à ſubiecto ſecundùm intellectum, ideſt & obiectiuè, & ſecundùm potentiam logicam. Alia, quæ ſuperſunt, explicabuntur in ſequentibus quæſtionibus.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Accidens primò intentionaliter ſumptum, & quotuplex.

310. Primò ſupponendum ex aliàs traditis, quod Accidens poteſt ſumi dupliciter, ſcilicet vel primò intentionaliter, & metaphyſicè; vel ſecundò intentionaliter, & logicè. Primo modo eſt quid reale adueniens enti completo vltimatè, eſtque fundamentum entis rationis: Secundo modo eſt ipſum accidens abſtractum à ſubjectis, & confictum vt inexiſtens in pluribus ſubjectis, de quibus eſt accidentaliter prædicabile. Et quia accidens reale eſt fundamentum accidentis intentionaliter ſumpti, hinc primò de reali agemus: ſecundò de intentionali: Quæritur igitur hîc, quid ſit propriè Accidens, & an inhærentia, quam habet ad ſubiectum, & quæ ponitur in eius definitione, ſit de eſſentia accidentis, an quid extrinſecum? Et quoad primam partem conueniunt omnes in hoc, quod accidens eſt entitas realis realiter

Digitized by Google

realiter diſtincta à ſubſtantia, habetque propriam exiſtentiam, licèt circa exiſtentiam ſit aliquale diſcrimen inter Philoſophos, de quo in Phyſica agetur. Et ratio eſt, quia producitur diſtinctâ actione, à qua producitur ſubſtantia. Tum quia remanet ſubſtantia exiſtens, & deſtruitur accidens.

Addimus tamen, quod accidens participat rationem entis per dependentiam à ſubſtantia, & per attributionem ad illam, vt pluribus locis docet Ariſt. Hinc poteſt dici ens ſecundùm quid, vel ens entis: quâ particulâ non affertur ratio entis ab accidente, ſed ponitur cum diminutione perfectionis gradus entis, quatenus habet eſſe dependenter à ſubſtantia: ſic ex Seraph. Doct. locis citatis in Textu, præcipuè *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in fund.* & *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. pluribuſque aliis locis: & licèt *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *q.* 2. *in fund.* 5. dicat, quod nullum accidens ſit per ſe exiſtens, vnde videtur ei denegare propriam exiſtentiam; attamen ſecundùm regulam Seraphicam alibi dandam ſenſus eius eſt, quod aliud eſt exiſtere purè, aliud per ſe exiſtere: per ſe exiſtere eſt independenter ab alio exiſtentiâ completâ exiſtere, ſicque accidens per ſe non exiſtit, cùm habeat talem exiſtentiam cum dependentia ad ſubiectum: ſed tamen verè exiſtit exiſtentiâ propriâ.

311. Maior difficultas eſt de inhærentia, quæ eſt vnio, quâ copulatur accidens ſubiecto, à quo dependet in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari, vt cum communi docet S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *dub.* 8. hæcque eſt duplex, ſcilicet actualis, & aptitudinalis. Prima eſt, quâ actu inhæret in ſubiecto, eſtque relatio fundata in accidente, verbi gratiâ in albedine terminante ad parietem, cui actu vnitur, & inhæret. Secunda eſt, quâ aptum eſt inhærere, ſeu quatenus exigitiuum eſt inhæſionis; eſtque relatio aptitudinalis, ſeu inclinatio naturalis accidentis ad ſubiectum, vt euenit accidentibus Euchariſtiæ, ex S. Doct. *lib.* 4. *diſtinct.* 12. *part.* 1. *art.* 1 *quæſt.* 1. Differunt autem inter ſe, quòd prima conſequitur accidentis exiſtentiam: ſecunda abſtrahit ab exiſtentia: ob id prima excluditur à demonſtratione; ſecunda demonſtratur de ſubiecto mediante definitione ſubiecti. Circa vtramque eſt difficultas, quid dicant, nempe an aliquid accidenti ſuperaddant? Et dato, quod aliquid entitatis ſuperaddant, quid ſit, ſcilicet an eſſentia ſit accidentis, an de eſſentia, an aliquid aliud.

Nominales ſuſtinent, nihil extremis ſuperaddere quamlibet vnionem, ſed ſeipſis intimè fieri præſentia, ſicque accidentia ſeipſis immediatè inhærere.

Thomistæ cum Alenſi dicunt cum communi, inhærentiam actualem eſſe aliud ſuperadditum eſſentiæ accidentium: aptitudinalem verò eſſe eamdemmet eſſentiam, ſeu differentiam conſtitutiuam accidentis: ſic Alenſ. 7. *Met. quæſt. vnica, articul.* 3. *text.* 5. Auerſa *quæſt.* 21. *Philoſ. ſect.* 2. *concl.* 3. Pontius *diſp.* 13. *quæſt.* 1. *num.* 13. aliique apud Medul. *tract.* 2. *Met. diſput.* 12. *num.* 30. Alij ſuſtinent inhærentiam actualem eſſe de eſſentia accidentis: ſic Iandun.

Scotus cum ſuis docet inhærentiam eſſe proprietatem eſſentialem accidentis abſoluti; actualem verò accidentis reſpectiui:

S. Doct. ſuſtinet in vniuerſum, nullam inhærentaim eſſe eſſentiam ac-

cidentis, ſed tantùm proprietatem eſſentialem, & conſequentem: ſic *lib.* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. vbi loquitur de accidente abſoluto: & *lib.* 1. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *quæſt.* 3. *ad* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. admittit relationem fundatam ſuper rem habentem tantùm eſſe potentiale.

312. Primò Notandum, quod hæc difficultas non mouetur de accidente ſumpto pro per ſe ſignificato, ſiue pro ipſa accidentalitate, ſeu accidentia, quæ eſt formale ſignificatum accidentis; hæc enim formaliſſimè eſt ipſa inhærentia: ſed de accidente ſumpto pro denominato, ſeu pro forma, quæ denominatur accidens, ſiue inhærens; hancque appellat vtplurimùm Seraph. Doct. formam accidentalem.

Secundò Notandum, quod accidens aliud eſt abſolutum, aliud reſpectiuum. Primum eſt, cuius eſſe eſt ad ſe, nec refertur ad aliud vt ad terminum, vt quantitas, qualitas: ſecundum eſt, cuius eſſe eſt ad aliud, vt ad ſuum terminum, vt relatio, paternitas, &c. Quæſtio mouetur de vtroque, ſed principaliter de abſoluto.

Tertiò Notandum, quod valde differunt eſſe de eſſentia alicuius, & eſſe eſſentiam, ſeu idem eſſentialiter alicui. Primum enim dicitur id, quod eſt definitio, vel pars definitionis alicuius, vel eſt pars conſtitutiua rei, vt materia, & forma. Secundum dicitur, quod habet identitatem realem cum alio, ita vt per nullam potentiam poſſint ſeparari: ſic ſe habent ſubiectum, & paſſio, quæ à S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. dicitur etiam eſſentialis ſubiecto, quatenus non poteſt intelligi ſubiectum habere eſſe perfectum ſine ipſa, licèt diſtinguatur à ſubiecto formaliter; taliſque eſt inhærentia accidentis. His præmiſſis ſit

313. Prima Conclvsio: Inhærentia actualis eſt quid realiter diſtinctum ab accidente, tam abſoluto, quàm reſpectiuo. Eſt S. Bonau. *lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *quæſt.* 1. & Cannon. 1. *Phyſ. quæſt.* 4. *art.* 5. aliorumque contra plures: item & Meldul. *Phyſ. diſp.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 1. qui conſentit nobiſcum in accidentibus abſolutis, & diſcrepat in reſpectiuis. Probatur prima pars de accidentibus abſolutis, primò ex accidentibus Euchariſtiæ Sacratiſſimæ; eſt enim de fide ibi accidentia eſſe ſine ſubiecto. Tum quia depẽdentia, quam habet accidens ad ſubiectum, eſt ad quid extraneum, & diſtinctum realiter: ergo poteſt à Deo ſuppleri. Tum quia, quicquid Deus poteſt efficere cum cauſa ſecunda, poteſt & ſe ſolo ob ſui omnipotentiam independentem: ob quam rationem ab Ariſt. ignoratam aſſeruit, accidentia non poſſe ſtare ſine actuali inhærentia cum ſubiecto.

Probatvr ſecundò de accidente relatiuo, ex doctrina Seraphica *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. Accidens relatiuum habet duo, ſcilicet *in*, & *ad*: ratione *in* dicit inhærentiam in ſubiecto communem cum abſolutis; ratione *ad* differt ab ipſis: ſed abſoluta poſſunt explicari primâ ratione actuali: ergo & relatiua. Tum quia dependentia accidentis ad ſubiectum, licèt ſit intrinſeca, eſt tamen quoad terminari in accidente extrinſeca.

314. Obiicies primò, Ariſtot. docuit inhærentiam actualem eſſe de eſſentia accidentis.

Respondetvr ipſum non cognouiſſe hanc veritatem per lumen naturale; non enim à priori poteſt cognoſci Deum eſſe omnipotentem, & ſe ſolo

ſolo poſſe producere, quod poteſt cum cauſa ſecunda.

Obiicies ſecundò: Sicut ſe habet ſubſtantia ad per ſe eſſe, ſic & accidens ad eſſe in alio; per hæc enim diſtinguuntur: ſed non poteſt dari ſubſtantia, quin ſit actu per ſe: ergo nec accidens.

Respondetvr illos modos verificari ſecundùm aptitudinem; ſicut enim ſubſtantia poteſt eſſe ſine actuali ſubſiſtentia, vt patet in humanitate Chriſti: ſic & accidens ſine actuali inhærentia.

Obiicies Tertiò: Relatio eſt eſſentialiter inter duo extrema: ſed ablato termino auſertur relatio: ergo & ablato fundamento, cuius eſt relatio.

Respondetvr negando paritatem: ablato termino auſertur relatio, ſed non ablato ſubiecto, & fundamento, ratione cuius dicit *in*, & tunc diceret relationem aptitudinalem in ordine ad ſubiectum: ſic S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 26. *quæſt.* 1.

315. Secvnda Conclvsio: Inhærentia aptitudinalis eſt idem realiter cum accidente, & diſtincta formaliter, tanquam eius proprietas. Eſt S. Bonauent. citati *lib.* 4. Scoti, & plurium aliorum.

Probatvr ex traditis in præcedenti quæſtione de Proprio reali, quia aptitudo eſt proprietas rei, quæ diſtinguitur non realiter, ſed formaliter à ſuo ſubiecto: ſed inhærentia aptitudinalis eſt huiuſmodi: ergo. Sic & docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. de potentiis animæ, de capacitate materiæ, &c. quæ rationes currunt de hac inhærentia. Tum quia emanat cauſalitate metaphyſica ab accidente: ergo non diſtinguitur realiter.

Obiicies primò cum Pontio: Si ab accidente emanat illa aptitudo, ergo præſupponi debet in accidente alia aptitudo, per quam poſſit producere talem aptitudinem, ſicque dabitur proceſſus in infinitum: ergo debet dici, quod accidens immediatè abſque alio ſuperaddito eſt aptum natum eſſe in ſubiecto: ergo erit illa aptitudo eſſentia ipſa accidentis.

Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad vltim.* quod talis aptitudo ineſt non per aliam aptitudinem, ſed per ſe ineſt accidenti in ratione cauſæ. Vnde accidens vt cauſa talis aptitudinis non dicit vim diſtinctam, & ſuperadditam à ſeipſo, &c. vide S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1 *q.* 3. *ad* 5. nam vis, ſeu potentia ad operandum tunc eſt diſtincta à ſubiecto, quando operatio eſt per influentiam diſtinctam, non verò quando eſt per emanationem metaphyſicam.

Dices: Subſtantia de ſe, & non per aliud ſuperadditum eſt apta nata in ſe eſſe: ergo & natura accidentis ſeipſâ eſt nata eſſe in alio: ergo non per aliquid ſuperadditum, aliàs dabitur proceſſus in infinitum. Sic arguit Alenſ. citatus.

Respondetvr negando paritatem; nam in ſubſtantia per ſe eſſe negat aptitudinem ad inhærendum in alio; in accidente verò dicit aptitudinem per modum cuiuſdam reſpectus, quo refertur ad aliud vt ad terminum: ſic negatur conſequentia. Et ad illud de proceſſu in infinitum negatur ſequela; nam cùm talis aptitudo identificetur cum eſſentia accidentis, in hoc ſenſu poteſt dici ſeipſo eſſe aptum ad inhærendum.

Obiicies ſecundò: Accidentis eſſe eſt inhærere: ergo eſt eius eſſentia.

Respondetvr concedendo antecedens, quatenus inhærentia identificatur realiter cum accidente, & per quam tanquam à poſteriori explicatur eius eſſentia.

316. Qværes, an in tali caſu ſeparationis accidentia recipiant aliquem nouum modum perſeitatis?

Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib.* 4. *cit. ad* 4. & ex Scoto nihil ſuperaddi, ſed tantùm aufertur concurſus Dei, quo priùs conſeruabatur in ſubiecto. Vnde per actionem Dei extrinſecam poteſt conſeruari idem omninò accidens, aliàs mutaretur potiùs ex ſtatu naturali ad violentum, &c. Et ob id actiones, quæ ab ipſis fiunt, in tali ſenſu non ſunt miraculoſæ.

Qværes, in quo ſenſu dixerit Ariſtot. 7. *Metaphyſ. text.* 4. ſubſtantiam eſſe priorem accidentibus, ratione, definitione, cognitione, & tempore?

Respondetvr breuiter primò ſubſtantiam dici priorem definitione accidente, quia ipſa definitur non per accidens; accidens verò ſolùm definitur per ſubſtantiam. Secundò ſubſtantiam dici priorem accidente cognitione, non quidem ſenſitiuâ, nam per hanc deuenit intellectus in cognitionem ſubſtantiæ; ſed primitate perfectionis, habet enim perfectius eſſe. Tertiò tempore, ideſt, vt exponit Scotus 7. *Met. quæſt.* 2. non ſecundùm tempus, quod eſt menſura motûs; ſubſtantia enim abſtrahit à quocumque motu: ſed dicitur ſubſtantia eſſe priùs tempore, quatenus quantùm eſt de ſe ſeparata poteſt exiſtere ab omni accidente ratione ſuæ independentiæ, nec eſt cauſa neceſſaria illius (loquendo de accidente ſeparabili.) Vnde intelligendum eſt de prioritate temporis quoad aptitudinem tantùm, quæ non eſt prioritas propria durationis, ſed naturæ in eſſendo: nam ſecundùm actum eſſendi ordinarium ſubſtantia, & accidens ſunt ſimul tempore.

QVÆSTIO II.

De Accidente prout eſt quintum Prædicabile.

317. Non eſt quæſtio hîc de accidente ſumpto in abſtracto reſpectu ſuorum inferiorum, vt verbi gratiâ de colore reſpectu albedinis, & nigredinis; nam hoc modo certum eſt ſpectare ad genus, ſpeciem; ſed de accidente reſpectu ſubiectorum, quæ verè afficiuntur ab ipſo, & quorum propriè dicitur accidens, verbi gratiâ albedinis in ordine ad lac, & niuem. Et in hoc ſenſu quæritur, an accidens conſtituat diſtinctum prædicabile ab aliis quatuor? Prima opinio eſt Suarez *diſp.* 6. *Met. ſect.* 4. *n.* 4. quem plures recentiores ſequuntur, qui negat eſſe Vniuerſale diſtinctum à Proprio. Guarinus negat diſtingui à genere, & ſpecie, vt vniuerſale eſt, ſed tantùm vt eſt prædicabile; duo enim tantùm membra vniuerſalium admittit. Communis opinio ferè omnium eſt, accidens eſſe quintum prædicabile ab aliis diſtinctum eſſentialiter, & eſt Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. Pro ſolutione quæſtionis,

Svpponendvm id, quod in tractatu de Vniuerſali logico traditum eſt, quod diuerſitas prædicabilium non ſumi debet penes fundamentum, & materiale, quod eſt ens reale, & verè commune ad plura; ſed ex diuerſitate modorum, quibus in concreto applicatur inferioribus, in quibus concipitur illa

natura

natura vt inexiſtens in pluribus inferioribus. Hinc

Prima Conclvsio: Accidens ſecundò intentionaliter ſumptum conſtituit quintum prædicabile diſtinctum à cæteris eſſentialiter.

Probatvr, quia vniuerſale eſt vnum in multis ſubiectis cum ſui multiplicatione, præſcindendo ab exiſtentia vel eſſentiali, vel accidentali: ſed per hanc exiſtentiam eſſentialem, vel accidentalem diuiditur applicatio, & prædicabilitas; & cùm accidentalis applicatio fiat duobus modis in concreto, ſcilicet conuertibiliter, idque ſpectat ad proprium; vel non conuertibiliter, ſpectatque ad accidens commune, vt dictum eſt in quæſtione de Proprio, & docet S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 41. articul. 1. quaſt. 2. ad 2.* & *lib. 1. diſt. 26. dub. 5.* ergo accidens, cùm dicat modum prædicandi diuerſum eſſentialiter ab aliis, ſequitur, quod conſtituat diſtinctum prædicabile. Confirmatur, quia accidens hoc modo ſumptum eſt vnum concretum abſtractum ab hoc, vel illo concreto, vel ſubiecto: eſt & quid vnum effictum in pluribus ſubiectis cum ſui multiplicatione: ergo eſt prædicabile.

318. Obiicies primò: Superius vniuerſale debet prædicari de ſuis inferioribus eſſentialiter, quidditatiuè, & vniuocè: ergo debet habere identitatem cum inferiori: ſed accidens non poteſt tali p[illegible]o prædicari de ſuis ſubiectis, cùm vniuocè non competat ſubiectis: ergo non conſtituit quintum prædicabile.

Respondetvr concedendo maiorem de vniuerſali, provt eſt genus, & ſpecies; & ſic conceditur totum argumentum: at per hoc non fit diſtinctio vniuerſalium logicorum, ſed per ordinem ad diuerſos modos prædicandi de ſuis inferio ribus, inter quæ ponuntur ſubiecta, in quibus accidentaliter ineſt accidens. Reſpondetur ſecundò ex S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 41. articul. 1. quaſt. 2. in corp.* tranſeat maior; & ad minorem, quod accidens non prædicatur eſſentialiter de ſubiectis, reſpondetur, quod ſi ſumuntur ſubiecta vt ſic, vera eſt minor; ſi ſumuntur reduplicatiuè, verbi gratiâ vt ſunt alba, ſic negatur minor, & conſequentia; nam concluditur quædam identitas accidentalis, ſeu concretio naturæ ad plura ſubiecta. Vnde accidens quintum prædicabile eſt vniuocum prædicatum, vt album, quod diuiditur ſecundùm idem nomen, & eandem rationem, licèt non vniuocè prædicetur de ſubiectis inferioribus, quia non prædicatur eſſentialiter, ſed accidentaliter.

Obiicies ſecundò: Si Deus poneret accidens vnum in pluribus ſubiectis, vt poſſet facere, tunc daretur vniuerſale actu à parte rei, ſicque non eſſet vniuerſale logicum: ergo non poteſt ſumi eius differentia per ordinem ad plura ſubiecta; debet enim eius vniuerſalitas eſſe quid confictum ab intellectu, & impoſſibile.

Respondetvr negando ſequelam; cum enim accidens multiplicetur naturaliter ad multiplicationem concretorum, & ſuppoſitorum, ex S. Doct. *lib. 2. diſt. 26. art. 1. quaſt. 5. ad 3.* & *lib. 4. diſt. 6. art. 1. quaſt. 3. ad 3.* & *lib. 2. diſt. 25. part. 1. art. 1. q. 3. ad 6.* & cùm in iſto caſu non eſſet multiplicatio illius formæ, tunc album non eſſet vniuerſale, ſicut eſt neceſſarium, ſed eſſet vna forma particularis concernens plura ſubiecta, ſicque multiplicaretur ſubiectum tantùm vt connotatum, non vt principale ſignificatum

ficatum, ſicque album eſſet tantùm multiplex materialiter, non formaliter, cùm eſſet vna numero albedo.

319. Obiicies Tertiò: Vniuerſale poteſt prædicari de multis, antequam à parte rei exiſtat: at accidens exigit actualem inhærentiam; talis enim eſt natura concretorum: ergo accidens non poteſt eſſe vniuerſale reſpectu ſubiectorum.

Respondetvr ex Seraph. Doct. ex aliàs traditis, quod vniuerſale eſt in multis, non neceſſariò actu, ſed ſufficit aptitudine, quatenus ſcilicet illud vnum eſt aptum eſſe in multis, ſiue eſſentialiter, ſiue denominatiuè: ſic negatur minor.

Vrgebis, ſubiecta in ſtatu poſſibilitatis reſpiciuntur ab accidente per modum poſſibilium, in quibus poſſibiliter poteſt ineſſe: ſed exiſtentia poſſibilis non prædicatur accidentaliter, ſed eſſentialiter, & neceſſariò, vt verbi gratiâ, *Adam poſſibiliter eſt albus:* ergo vniuerſalitas quinti prædicabilis non benè conſtituitur in ordine ad ſubiecta poſſibilia, ſed debent eſſe exiſtentia.

Respondetvr à Meldul. *cit. num.* 196. in prædicationibus aptitudinalibus quinti prædicabilis, non poſſibilitatem, aut exiſtentiam poſſibilem prædicari de ſubiectis non exiſtentibus, ſic enim concluderet argumentum; ſed prædicari ipſam formam accidentalem, prout poteſt eſſe in illis cõtigenter; neceſſariò enim forma illa habet poſſibilitatem eſſendi in ſubiectis, ſed contingenter, non neceſſariò. Vnde licèt exercitium prædicationis (quod ſubiectum, verbi gratiâ, ſit album, vel non) exigat actualem ipſorum exiſtentiam, non tamen prædicatio in eſſe ſignato.

Instas: Vniuerſale abſtrahitur ab inferioribus: ſed album non abſtrahitur à Petro, & Paulo, vt ſic, nec vt ſunt albi, quia ſunt inferiora albedinis in concreto ſumpta, ſicque prædicatur album de ipſis eſſentialiter, vt alba ſunt; ſed id ſpectat vel ad genus, vel ad ſpeciem: ergo non datur quintum prædicabile.

Respondetvr, album abſtrahi ab hoc, vel illo albo, non vt alba ſunt, ſed vt denominantur talia, vel vt denominabilia accidentaliter: ſic corruit totum argumentum.

320. Secvnda Conclvsio: Definitio tradita à Porphirio, *Quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem*, rectè explicat naturam quinti prædicabilis.

Probatvr, quia per ly *adeſt*, ponitur genus, ideſt eſt prædicabile de pluribus: per ly *abeſt*, ponitur differentia ipſum diſtinguens à cæteris, quia accidens prædicatur accidentaliter, & denominatiuè de pluribus: quæ definitio poteſt etiam adaptari accidenti reali.

Obiicies, quia ſunt aliqua accidentia, quæ afferunt deſtructionem ſubiecti, vt mors, calor ſummus, combuſtio: ergo non benè definitur, &c.

Plvres, & varias reſponſiones afferunt philoſophi: ſed Seraphicus Doct. *lib.* 1. *diſt.* 26. *dub.* 5. egregiè reſpondet, primò ſufficere, quod accidens potuerit aduenire, & non aduenire ipſi ſubiecto: ſecundò, quod accidens poteſt conſiderari in ordine ad ſubiectum primum, ſcilicet ad materiam; & in ordine ad ſubiectum proximum, quod eſt compoſitum complepletum; & ſufficit, vt verificetur de ſubiecto vel proximo, vel remoto. Vnde nec mors, nec alia accidentia corrumpunt hoc ſubiectum primum.

321. Ter

521. Tertia Conclvsio: Hic modus prædicandi competit etiam ſubſtantiis, quæ accidentaliter, & contingenter competunt ſubiecto, licèt ſint ſubſtantiæ, vel ſubſtantialis entitas: ſic S. Bonauent. *lib. 3. diſtinct. 6. art. 1. quæſt. 3. ad* 4. notat, quod prædicatio denominatiua, ſiue accidentalis, fit quatuor modis. Primùm per modum inhærentiæ, vt *Paries eſt albus.* Secundò per modum tranſmutationis, vt *Petrus eſt dealbatus.* Tertiò per modum poſſeſſionis, vt *Aſinus Socratis.* Quartò per modum vnionis, vt *Aurum ignitum eſſe deauratum:* nam licèt aurum, & ignis ſint ſubſtantiæ, tamen prædicatio eſt denominatiua, & poteſt ab intellectu effingi vt forma inhærens in ſubiectis multis.

Obiicies: Ly *adeſſe*, dicit inhærentiam, quæ non poteſt competere ſubſtantiæ: ergo falſa eſt Concluſio

Respondetvr, ſi ſumitur primò intentionaliter, concedo antecedens; ſi ſumitur ſecundò intentionaliter pro prædicari, affirmare, vel negare, nego antecedens, & conſequentiam.

Ex quibus omnibus patet, quod ſi ly *adeſt, & abeſt*, poſita in definitione ſumuntur realiter pro inhærentia, illa definitio competit ſolùm accidenti, ſiue ſumpto primò intentionaliter, ſiue ſecundò intentionaliter, provt dicit denominationem, & affirmationem, vel negationem: ſi verò ly *adeſſe, & abeſſe*, ſumitur pro contingenter conuenire, & citra vllam rei eſſentiæ exigentiam, ſic poteſt competere etiam accidentibus inſeparabilibus, & ſubſtantiis, vt dictum eſt in vltima ſuprà poſita concluſione. Sequitur ſecundò, quod accidens poteſt ſumi tripliciter. Primò vel phyſicè pro accidente de nouem Prædicamentis, & ſecundùm ſe: Secundò metaphyſicè, quatenus dicit ordinem ad inferiora, in quibus quidditatiuè includitur: ſic ſpectat ad genus, vel ſpeciem, vel differentiam; vel logicè pro quinto Prædicabili in ordine ad ſubiecta, quibus merè contingenter ſe habet; hæcque vel poſſunt eſſe plura, vel ſpecie, vel genere, vel numero.

Et hæc de quinque Prædicabilibus Porphyrij. Ad laudem Dei, Immaculatæ Virginis, & Seraphici Doctoris Sancti Bonauenturæ.

TRACTATVS V.

De Prædicamentis.

322. EXPEDITO libro Prædicabilium Porphyrij, Ariſtotelis liber Prædicamentorum occurrit explicandus, à quo ipſe incœpit ſuam Logicam. Hæc Prædicamenta continent omnes res creatas; ſed tamen non conſiderantur præcisè ſecundùm ſe, id enim pertinet ad Metaphyſicum, ſed per ordinem ad ſecundas intentiones terminorum ſimplicium, propoſitionum, & ſyllogiſmorum, quatenus ſunt ordinabiles ſecundùm prædicabilitatem, & ſubjiciblitatem. Prædicamentum enim eſt ſeries, vel ordo ab intellectu formatus, conſtructus ex cathegoriis, ſeu prædicatis rerum ſecundùm ſuperius, & inferius, in quo ponitur vltimo loco, & infimo indiuiduum, deinde aſcenditur ad ſpeciem ſpecialiſſimam, deinde ad ſubalternas, & ſupremo loco ponitur genus generaliſſimum. Vnde res ſub tali formalitate ſunt ſubiectum huius libri. De his igitur generibus, ſeu prædicamentis, in quibus omnes res creatæ diſtribuuntur, & continentur, acturus Ariſt. totum librum in tres præcipuas partes diuiſit. Prima vocatur Anteprædicamenta: Secunda Prædicamenta: Tertia Poſtprædicamenta. In prima, quæ eſt veluti caput libri, agit Ariſtoteles de quibuſdam neceſſariis requiſitis ad rationem Prædicamenti, & coordinationis prædicatorum. In ſecunda tractat de Prædicamentis, quæ eſt quaſi ipſum corpus libri, & ad ipſa reducit omnia entia creata ſimplici conceptu cognoſcibilia, & diſtinguibilia; ſuntque

ſuntque Subſtantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Paſſio, Vbi, Situs, Quando, & Habere. In tertia parte, quaſi in clauſula totius libri, agit de quibuſdam modis, qui vel ad omnia, vel ad plura genera conſequuntur, ſuntque veluti quædam paſſiones generales, & ſunt quinque. Primus eſt oppoſitio, ſuper quam fundatur diſtinctio: Secundus Prius, & Poſterius: tertius eſt Simul; vel enim ſunt ordinata ſecundùm prius, & poſterius, vel ſunt ſimul. Quartus eſt Motus: Quintus eſt Habere, de quibus ſuo loco.

PARS PRIMA.

De Antepraedicamentis.

323. ARISTOTELES ad Prædicamentorum tractationem præmiſit, vt dictum eſt, quædam præambula ſcitu neceſſaria, quæ reduxit ad quinque capita, iuxta conditiones ad ipſum prædicamentum in communi requiſitas: Prædicamenta enim poſſunt conſiderari, Primò per reſpectum ad ſuum commune tranſcendens, ſcilicet ad ens, ſub quo omnia continentur vel analogicè, vel æquiuocè; & hinc tractat de æquiuocis, & analogis. Secundò per reſpectum ad inferiora, de quibus ſingula reſpectiuè prædicantur, & hinc tractat de Vniuocis. Tertiò per reſpectum ad inuicem, & mutuum inter ſe; ſic tractat de denominatiuis, quatenus denominantur ad inuicem; primum enim Prædicamentum denominatur ab aliis, & ipſa inter ſe, verbi gratiâ Subſtantia quanta, qualis, &c. Quartò conſiderat ipſa prædicata ſecundùm ordinem ſubjicibilitatis, & prædicabilitatis in recta linea. Quintò tradit regulas prædicationis rectæ ipſorum

prædicatorum; ſicque patet modus prædicandi, ſubſtantia, ſeu eſſentia, & ordo prædicamentorum.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. QVIA intellectus noſter non poteſt cognoſcere res,
324. niſi cognoſcat, quid ſunt; habent autem cognoſci per definitionem, quæ habetur per ſuperiora, vſquequò perueniatur ad ſuprema, & generaliſſima, quorum ſupremum eſt ens, quod habet multiplicem diuiſionem, cùm in ipſo ente res diuerſimodè, & inæqualiter communicent, nempe Deus, ſubſtantia, & accidentia. *Opuſc. Itiner. ment. cap.3. & lib.1. diſtinct.8. part.2. quæſt.4. & lib.1. diſt.8. part.1. dub.4. & lib.1. diſt.22. art.1. q. 4. arg. 1. ad oppoſitum.*

B. HINC prima diuiſio vnius communis fit tripliciter. Primò ſecundùm nomen tantum; ſic eſt æquiuoci. Secundò eſt diuiſio ſecundùm nomen, & rem; ſic eſt vniuoci. Tertiò eſt medio modo; ſic eſt analogi. *Lib. 1. diſt. 1. dub.5. & lib.1. diſt.14. art. 1. q. 2. in corp. & lib. 1. diſtinct. 29. articul. 2. quæſt. 1. in corp. & lib. 2. diſtinct. 16. dub.4. & lib. 1. diſtinct.25. artic. 2. quæſt.1. ad 4. & quæſt.2.*

C. QVARE æquiuocatio fit, quando eſt geminatio circa dici, & nomen, & non circa eſſe, vt homo pictus, & verus, dupliciter dicitur homo, ſed non duo homines: ſic canis dicitur tripliciter, ſed non circa idem eſſe. Vniuocatio verò facit geminationem circa eſſe, ſed non circa dicere. Vnde homo in Petro, & Paulo numeratur, quia ſunt duo homines; ſed non dicitur multipliciter, importat enim idem nomen, & communem rem, & rationem. Analogatio verò numerat rem in eſſendo, & dicendo. *Locis cit. ad lit. B. & lib. 1. diſtinct. 25. art.2. quæſt. 1. & 2. & lib. 1. diſt.1. art.3. quæſt. 1. ad 1. & lib. 1. diſt. 35. art. 1. quæſt.1. corp. & ad 2.*

D. VERVM quidem eſt, quod in vniuocatione datur magis, & minus: maior enim vniuocatio eſt in ſpecie, quàm in genere; & ob id vniuocatio in genere importat aliquam analogiam, cùm aliquod inferius priùs, & principaliter participet de re communi, quàm aliud.

Sic

Sic homo de animali, quàm leo. *Lib.2. diſtinct. 31. artic. 1. quæſt. 1. ad 6. & lib.1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 2. in corp. & lib.1. diſtinct. 7. art. 1. quæſt. 4. & lib. 2. diſt. 18. art. 1. quæſt. 3. & lib. 3. diſt. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 2. & lib. 4. diſtinct. 24. part. 1. art. 2. quæſt. 4. ad 2. & lib. 2. diſt. 25. part. 2. dub. 3.*

E. Hinc analogia eſt duplex, alia eſt per reductionem ad vnitatem naturæ ſecundùm prius, & poſterius, ſeu magis, & minùs principaliter: alia eſt per reductionem ad vnitatem ſimilitudinis proportionis, non naturæ. Prima cùm importet æqualitatem eſſentialem, & participationem plurium in vna natura, admittit diſtributionem pro omnibus analogatis, quia ſupponit eandem formam in omnibus analogatis. Secunda dicitur analogia inæqualitatis, ideſt cum inæqualitate naturæ, & cum communitate rationis, non rei. *Lib.1. diſt. 7. art. 1. quæſt. 4. in corp. & lib.1. diſt. 25. art. 2. q. 1. & 2. & lib. 1. diſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 1.*

F. Hæc autem analogia, quæ eſt propria, eſt triplex. Prima dicitur proportionis per ſimilitudinem, vt comparando duo ad duo, verbi gratiâ, ſicut ſe habet homo ad animal, ita albedo ad colorem; vel ſicut ſe habet nauta ad nauem dirigendam, ita magiſter ad diſcipulos. Secunda analogia proportionis eſt per diſſimilitudinem, vt comparando duo ad vnum, vt eſt comparatio animalis, & cibi, & vrinæ ad ſanitatem; nam in animali ſtat ſanitas ſubiectiuè, in cibo cauſaliter, & in vrina vt in ſigno. Tertia eſt analogia proportionis per imitationem, quæ fit per comparationem duorum ad inuicem, quatenus vnum eſt imitatio alterius; non conueniendo in tertio, ſed ſeipſo eſt imitatio alterius: ſic anima ſeipsâ eſt imitatio, & ſimilitudo expreſſa Dei, per quod importatur inclinatio, & indigentia in anima, & quietatio, & ſufficientia in alio. *Lib.1. diſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 1. & lib. 1. diſt. 46. art. 1. quæſt. 5. in corp. & lib. 1. diſt. 3. part. 1. art. 1. quæſt. 2. ad 3. & lib. 1. diſt. 7. art. 1. quæſt. 4. & lib. 1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 1. & 2. & lib. 3. diſt. 34. part. 2. dub. 1. & lib. 3. diſt. 29. art. 1. q. 1. ad 2. & lib. 4. diſt. 1. dub. 3. & ſerm. 16. Hexaëm.*

G. An verò analogia ſit quid medians propriè inter vniuocum, & æquiuocum, dubium eſt? Dicendum tamen, quod cùm analogia ſit duplex in vniuerſum, ſcilicet per vnius naturæ participationem inæqualem, & per aliquam proportionem tantùm, tribus modis ſuprà poſitis; hinc licèt analogia formaliter ſumpta ſit quid medium, ta-

men materiale, & prædicatum neceſſariò vel eſt vniuocum, vel æquiuocum. *Lib. 1. diſt. 7. art. 1. quæſt. 4. & lib. 1. diſt. 14. art. 1. quæſt. 2. & lib. 1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 2. & lib. 1. diſt. 1. dub. 5. & lib. 3. diſtinct. 34. dub. 1. & lib. 4. diſtinct. 24. part. 1. articul. 2. quæſtione 2. ad 2.*

H. Ratio huius aſſertionis eſt, quia cùm additur aliquid termino, ſi additio ſit ipſi ſubiecto, vt Sol lucens in ſe, & illuſtrans alia, tunc non numeratur ſubiectum, & ſignificatur eadem ratio vniuoca: ſi verò additur terminus ſignificationi termini, vt ſanitas hominis, & vrinæ, & cibi; tunc aliter, & aliter dicitur, & facit analogiam. Si verò omninò terminus additus diſtrahit, tunc facit æquiuocationem, vt homo verus, & homo pictus: quare analogia propriè ſtat ex parte modi ſignificandi, & minùs proprie ex parte rei ſignificatæ, & ob id propriè ex parte rei non eſt quid medium. *Lib. 1. diſt. 14. articul. 1. quæſt. 2. ad vlt. & in corp. & lib. 2. diſtinct. 16. dub. 4. & locis ſuprà cit.*

I. Ex quibus patere poteſt, quomodo ſe habeant prædicata tranſcendentia ad Deum, & creaturas, verbi gratiâ ratio entis. Si enim conſideratur ens ſecundùm ſe, cùm non poſſit recipere magis, & minus quoad eſſe, ſic dicit vnicum conceptum quidditatiuum: ſi verò conſideratur per comparationem ad diuerſas naturas, ad quas deſcendit, ſcilicet ad Deum, & creaturas, vel ad creaturas diuerſas ſecundùm ſe, ſic importatur exceſſus, & gradus, ſcilicet inter Deum, & creaturas importatur exceſſus improportionabilis; ſi inter creaturas ſolas, eſt proportionabilis: quare inter Deum, & creaturas non datur in ente vnius eſſentiæ participatio, ſed tantùm communitas rationis. *Lib. 1. diſt. 8. part. 1. dub. 4. & diſt. 8. part. 2. quæſt. 4. & lib. 1. diſtinct. 1. dub. 5. & lib. 1. diſt. 7. quæſt. vlt. & lib. 1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 2. & lib. 2. diſt. 16. dub. 4. & lib. 3. diſt. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 2. & lib. 3. diſtinct. 6. art. 1. quæſt. 3. arg. 4.*

K. Denominatiua dicuntur, quæcumque ab aliquo differentia ſolo caſu ſecundùm nomen habent appellationem, ob id ſunt concreta ſumentia denominationem ab abſtractis; ſic ſapere à ſapientia. Denominatiua autem prædicatio fit quatuor modis. Primò per modum inhærentiæ, vt homo albus. Secundò per modum tranſmutationis, vt homo dealbatus. Tertiò per modum poſſeſſionis, vt aſinus Socratis. Quartò per modum vnionis, vt ferrum ignitum. Prima denominatio

natio tamen eſt per modum magis proprium, quia denominatiua propriè ſumunt ſuam appellationem à forma adiacente, & debent differre ſolo caſu, quia in principali ſignificato idem ſignificant quoad principale ſignificatum. *Lib.* 1. *diſt.* 8. *dub.* 3. *& lib.* 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *fund.* 1. *& quæſt.* 1. *ad* 3. *& lib.* 3. *diſt.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. *& lib.* 2. *diſt.* 19. *art.* 3. *quæſt.* 2. *corp. & lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 1. *diſtinct.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 1.

L. Ad dignoſcendum autem, quænam reponenda ſunt in eodem prædicamento, valet hæc regula: Quando alterum de altero prædicatur, de quocumque prædicatur ſubiectum, & prædicatum, vtraque enim propoſitio intelligi debet de prædicato, & effectu, qui ita conuenit vni, quod non eſt extraneum alteri: nam ſi eſt extraneum, ſpectat ad aliud prædicamentum. *Lib.* 2. *diſt.* 34. *art.* 1. *q.* 4. *ad* 4. *& lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3.

Scholium ad Textum Seraphicum.

325. Primò Nota, Seraphicum Doct. *ad literam A*, ſupponere, quod eſt certum apud omnes, nempe ens immediatè diuidi in ſubſtantiam, & accidens; & in ſubſtantia per deſcenſum, & aſcenſum conſtitui ſeriem prædicamentalem; in accidentibus item ſecundùm diuerſitatem ipſorum accidentium.

Secvndò Nota *ad literam B*, & ſequentes, ibi propriè non tradere definitionem vniuocorum, æquiuocorum, & analogorum; ſed ibi exponere res, quæ ſubſunt nominibus ſignificatiuis, tum primæ, tum ſecundæ intentionis; quod magis deſeruit ad intelligendam definitionem ipſorum.

Tertiò Nota, quod ſæpè S. Doct. promiſcuè ad ſignificandam vniuocationem, in qua eſt participatio vnius naturæ cum aliqua inæqualitate, vtitur hoc nomine Analogiæ, quia S. Doct. (ſicuti etiam Scotus) recognoſcit vniuocationem ſtare etiam cum analogia, & hanc etiam cum æquiuocatione, quando ſcilicet non eſt vnius naturæ participatio, ſed tantùm adeſt proportio plurium in vnum.

Qvartò Nota, quod per hoc differt analogia vniuoca ab æquiuoca, quòd illa explicatur per hoc nomen ſimilitudinis, & conuenientiæ; iſta per hoc nomen proportionis, quæ eſt cum diſſimilitudine & diſtantia extremorum: ſic *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 1. & ſuprà *ad literam F.*

Qvintò Nota, nos nihil poſuiſſe ex Textu Seraphico de iis, quæ traduntur ab Ariſt. circa prædicata, quæ ſunt, vel non ſunt in ſubiecto, & quæ dicuntur, vel non dicuntur de ſubiecto; quia vt patet in ſcriptis Seraph. Doct. ea omnia ſupponit, & in praxi talibus regulis vtitur. Cætera explicabuntur in ſequentibus quæſtionibus, quæ, quia ſpectant ad Metaphyſicam, ideo breuiter eas percurremus.

Sextò Nota, illa tria genera analogiæ poſita *ad literam F*, communi vocabulo appellari primam proportionis,

nis, ſecundam attributionis, tertiam imitationis. Prima tamen eſt magis propria. De prima agit *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. & 2. De ſecunda *lib.* 3. *diſt.* 34. *part.* 2. *dub.* 1. De tertia verò ſuprà *loc. cit.*

QVÆSTIO I.

De Vniuocis, & Æquiuocis, & Denominatiuis, quid ſint.

326. PRIMÒ ſupponendum tanquam certum apud omnes, quod res de ſe nec ſunt vnivocæ, nec æquiuocæ, nec denominatiuæ, vel denominatæ; ſed dicuntur tales, provt à nobis diuerſis nominibus, & modis denominantur, & ſignificantur. Vnde vniuocatio, æquiuocatio, & denominatio rebus, & vocibus conueniunt ex inſtitutione hominum, & per opus intellectus; primariò tamen vocibus, & ſecundariò rebus per ordinem ad voces. Et hinc communiter diſtinguuntur in æquiuoca æquiuocātia, & vniuoca vniuocantia, & in æquiuoca æquiuocata, & vniuoca vniuocata. Prima ſunt nomina: ſecunda ſunt res, provt ſubſunt ſecundis intentionibus nominum. Quare æquiuocatio propriè eſt tantùm in conceptu non vltimato, cùm principaliter ſit in nomine, ſiue in rebus, provt ſubſunt nomini. Vniuocatio tamen eſt in conceptu vltimato, cùm ſit quid vnum, in quo plura perfectè conueniunt, vt poſtea dicetur. His ſuppoſitis.

327. QVÆRITVR primò, quid ſit æquiuocum, & an ſit vnum nomen, an multiplex?

QVOAD primam partem reſpondetur ex Ariſt. hìc, æquiuoca eſſe, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ importata per nomen eſt diuerſa. Hic autem aduertendum, quod æquiuocum nomen dicitur quaſi plura vocans ſub vna, & eadem voce. Item ratio ſubſtantiæ, definitio, & conceptus quidditatiuus, ſeu formalis hic pro eodem ſumuntur. Hinc ſequitur, quod per hanc definitionem rectè definiuntur æquiuoca æquiuocata, non æquiuocantia, quia æquiuocata pro prima intentione ſunt res importatæ per eandem vocem; & pro ſecunda intentione ſunt diuerſi reſpectus cauſati ab intellectu comparante vocem ad ipſas res per ipſam vocem ſignificatas; ſed vt tales habent nomen cōmune, non verò habent aliquid commune ipſa æquiuoca æquiuocantia: ergo æquiuocata definiuntur. Sed definiuntur per genus, & differentiam: ergo rectè. Probatur Minor ſubſumpta; genus enim eſt reſpectus rationis, & differentia eſt habere eandem vocem communem, & conceptus diuerſos: per primum conuenit cum vniuocis, & denominatiuis, & per ſecundum differt.

328. QVOAD ſecundam partem, An nomen æquiuocum ſit vnum, vel multiplex? Reſpondet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 14. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* quod licèt videatur vnum ſecundùm vocem, & ſonum; tamen eſt verè multiplex: vnum quidem quoad ſonum, quia eſt vnum ſubiectum: multiplex verò quoad ſignificationem, quia, vt ait idem S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 29. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* nomen multiplicatur ad multiplicationem inſtitutionum, & obiectorum, ad quæ ſignificanda inſtitutum eſt: ſic canis habet aliam, & aliam inſtitutionem, & ob id aliam, & aliam entitatem. Et hinc

hinc rectè infert S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 14. *cit.* quod in modo dicendi æquiuoco eſt geminatio circa dici, & non circa eſſe, ideſt multiplicatio circa nomen, & inſtitutionem, & non circa eſſentiam; quia ſignificata ſunt diuerſi generis, ſicque homo pictus, & verus non dicuntur duo homines, nec duplex homo, ſed dupliciter dicitur homo. Cùm verò eſt modus dicendi vniuocus, eſt geminatio circa eſſe, & non circa dicere. Vnde homo verus in Sorte, & Platone numeratur, quia ſunt duo homines; ſed non dicitur multipliciter. Cùm verò eſt modus dicendi analogus, ibi eſt numeratio in eſſendo, & dicendo.

Obiicies contra primam partem: Omne definibile eſt vniuocum, & quid vnum: ergo æquiuoca non poſſunt definiri.

Respondetvr concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens: æquiuoca, vt æquiuoca, ſi ſumuntur, prout fundant ſecundam intentionem eiuſdem rationis in vna ratione communi denominante omnia æquiuoca, nego conſequentiam; ſi ſumuntur ſecundùm ſe, & materialiter tantùm, ſic conceditur conſequentia, ſed nihil contra concluſionem infertur.

329. Qværitvr ſecundò, quid ſint vniuoca, & quænam vnitas requiratur in vniuocatione, & qualiter competat vniuocatis.

Respondetvr ad primam partem ex Ariſtot. quod vniuoca ſunt illa, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ importata per nomen eſt eadem. In qua definitione definiuntur vniuoca vniuocata realia, prout tamen ſunt affecta ſecundâ intentione, ſcilicet reſpectu cauſato per opus collatiuum intellectus comparantis terminum communem ad inferiora contenta ſub eodem nomine, & ſub eadem definitione. Vnde ait S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 14. *art.* 1. *quæſt.* 2. quod per id differunt vniuoca ab æquiuocis, quòd vniuoca multiplicantur circa eſſe, & non circa dici: ſic homo numeratur in Petro, & Paulo; non verò multiplicatur nomen hominis, quia in hoc, & in re omnia conueniunt.

Obiicies, quod hæc definitio vniuocorum competit etiam æquiuocis; nam etiam æquiuoca habent idem nomen, & eandem rationem nominis, ſeu ſecundùm illud nomen: ergo non eſt adæquata.

Respondetvr, quod æquiuocis competit talis definitio, vt modus, nempe in eſſe ſignato, & accidentaliter tantùm, ſeu vt ſumpta ſunt ſecundò intentionaliter; at definitio vniuocis competit vt quod, & eſſentialiter, & in eſſe exercito.

330. Qvoad ſecundam partem quæſtionis, quæritur, an vnitas conceptus vniuocorum ſufficiat, quod ſit formalis, an debeat eſſe obiectiuus etiam, & realis, & omninò abſtrahens ab inferioribus; an verò ſufficiat, vt abſtrahat imperfectè, ita vt inferiora inuoluantur implicitè in eo; & an poſſit admittere inæqualitatem in participatione vniuocatorum.

Respondetvr igitur primò ex Seraph. Doct. infrà citando contra Nominales, non ſufficere conceptum formalem confuſum, ſed requiri neceſſariò obiectiuum, ſaltem fundamentaliter; debet enim eſſe vna ratio, & eſſentia imbibita in omnibus vniuocatis eſſentialiter, vt probatum eſt in tractatu de natura communi.

Respondetvr ſecundò ex S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 31. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 6. & aliis locis infrà citandis, quod cùm detur latitudo gradualis in vniuocatio

uocatione, eſt enim maxima, & perfectiſſima in ſpecie, minor in genere, & ſemper minor, quo magis aſcenditur ad ſuperius; hinc in prædicamentali vniuocatione neceſſariò natura debet eſſe quid commune perfectè, & adæquatè abſtrahens ab inferioribus, à quibus diſtinguatur formaliter, vt probatum eſt in Tract. de natura communi. Si verò eſt vniuocatio imperfecta, & maximè in tranſcendentibus, vel in analogis perfectis, de quibus dicetur infrà, tunc ſufficit vnitas conceptus abſtracti per intellectum cum fundamento in re. Sic, ait S. Bonau. perſona vt ſic abſtrahit à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, *lib.* 1. *diſt.* 25. *artic.* 2. *quæſt.* 1. Item & perſona, provt dicit quid commune perſonis creatis, & increatis, licèt imperfectiſſimà abſtractione: ſic *ibid. quæſt.* 2. Vnde ad vniuocationem requiritur, vt rationes inferiorum non inuoluantur in illo conceptu communi, nec implicitè, nec explicitè. Et hinc ſequitur tertiò, quod ad vniuocationem perfectam requiritur, vt ſit vnitas conceptus, & quod importet eundem modum eſſendi, & quod deſcendat ad vniuocata eodem ordine, & æqualitate perfectionis; idque tamen ineſt in ſpecie atoma: ad imperfectam verò vniuocationem ſufficit, vt ſit ſimilitudo in forma, quatenus ſecundùm eandem rationem imbibitur in inferioribus, licèt diuersâ perfectione, & inæqualiter, & ſecundùm prius, & poſterius: ſic ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2. & *lib.* 1. *diſtinct.* 7. *quæſt. vltim.* & *lib.* 2. *diſt.* 25. *part.* 1. *dub.* 3. & *lib.* 3. *diſt.* 34. *part.* 2. *dub.* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *q.* 3. vbi aduertit, quod ad vniuocationem requiritur, vt illud commune eſſentialiter prædicetur de ſuis inferioribus. Aduertit tamen Scotus, quod differunt prædicatum vniuocum, & prædicari vniuocè; illud enim eſt vnus conceptus communis præſcindendo, quod prædicetur eſſentialiter, vel accidentaliter, vt album de niue, & cygno: prædicari verò vniuocè addit incluſionem eſſentialem ipſius conceptus vniuoci in inferioribus. Prædicatum vniuocum, ait S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 1. *dub.* 5. diuiditur ſecundùm nomen, & rem. Prædicari vniuocè eſt includi eſſentialiter in vniuocatis: ſic *lib.* 2. *diſt.* 18. *cit.*

331. QVÆRITVR tertiò, quid ſint denominatiua, & an differant ab æquiuocis, & vniuocis.

RESPONDETVR primò ex Ariſtot. quod denominatiua ſunt, quæcumque ab aliquo ſolo differentia caſu ſecundùm nomen habent appellationem, ideſt ſola cadentia nominis differentia ſunt, vt Grammaticus à Grammatica.

ADVERTENDVM tamen ex Meldul. *diſputat.* 2. *num.* 87. Arriaga, & aliis, quod in qualibet denominatione tria neceſſariò concurrunt. Primum eſt denominatum, nempe ſubiectum: ſecundum eſt denominatiuum, quod eſt concretum: tertium eſt denominans, quod eſt abſtractum. Primum eſt vt *leo*: ſecundum eſt vt *fortis*: tertium eſt vt *fortitudo*. Quare ſequitur, quod terminus denominatiuus eſt ille, qui formam ſignificat per modum alteri adiacentis, informantis, & denominantis, ſeu qualificantis; & conſequenter ſolùm talia ſunt concreta accidentalia, non verò ſubſtantialia, niſi quæ ſignificantur nomine adiectiuo, vt Aureum, Ligneum; ob idque prædicatio denominatiua propria importat prædicationem accidentalem, vel per modum accidentalem. Vnde ly *ab aliquo*, poſitum in definitione, ſtat pro

forma

forma differente à ſubiecto denominato. Sic homo non eſt denominatiuus ab humanitate, nec animal ab animalitate, ſed benè humanum, & animal.

Advertendvm ſecundò, & ſequitur ex dictis, quod illa cadentia nominis non debet intelligi purè Grammaticaliter, aliàs mulier muſica non eſſet denominata à muſica; ſed debet intelligi logicè, nempe per modum concreti, & abſtracti, ita quod cadentia ſit in concreto in ordine ad ſuppoſitum alterius naturæ, quodque ſpectat ad omnia concreta, ſiue purè accidentalia, vt homo albus ab albedine; ſiue habeant modum accidentalem tantùm, licèt ſint ſubſtantiæ, vt corona aurea. Sic S. Bonauent. *lib.* 3. *diſtinct.* 6. *art.* 1. *quaſt.* 3. *ad* 4.

332. Hinc diſtinguunt DD. tria genera denominatiuorum, ſcilicet vel voce tantùm, ſuntque illa, quæ conueniunt in principio vocum, & differunt in fine; ſed non conueniunt in ſignificatione, vt ſtudioſus à ſtudio; nam ſtudium importat exercitium, ſtudioſus verò hominem ſtudio deditum. Secundò vel ſignificatione tantùm, non voce, vt ſtudioſus à virtute. Tertiò vel ſignificatione, & voce, vt album, & albedo. Ex quibus patet, quod iſti termini coincidunt: *Denominatiuum, Concretum, Accidentale, & Adiectiuum,* licèt diuerſimodè; nam, verbi gratiâ, album dicitur denominatiuum, quatenus importat formam, ſecundùm quam ſubiectum denominatur album: dicitur concretum, in quantum ſignificat formam concernendo ſubiectum: dicitur adiectiuum, quia ſignificat albedinem per modum adiacentis ſubiecto. Itidem denominans abſtractum, & ſubſtantiuum accidentale ſunt idem, ſed diuerſimodè; nam albedo eſt denominans, quatenus eſt ratio denominandi album: dicitur abſtractum, quatenus abſtrahitur ab albo: dicitur ſubſtantiuum accidentale, quatenus ſignificat formam ad modum per ſe ſtantis, & nulli inhærentem.

Et ſi quæras, an denominatiua principaliùs ſignificent formam, an ſubiectum?

Nos iam aliàs ſoluimus hoc dubium ex Seraph. Doct. nempe principaliùs ſignificare formam, & minùs principaliter ſubiectum: eſt enim nomen impoſitum à forma, non formæ, ſed ſuppoſito, vt rectè docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 4. *quaſt.* 1. & per hoc differt à connotatiuis, quia iſta ex modo ſignificandi principalis ſignificati dant aliud intelligere.

An verò denominatiua differant ab vniuocis, & æquiuocis, quod eſt aliud dubium poſitum in titulo quæſtionis?

Respondetvr, quod denominatiua, licèt ſint vniuoca prædicata, quæ prædicantur ſecundùm vnitatem nominis, & rationis de ſubiectis, vt album de niue, & cygno; tamen quia ratio prædicati non eſt de ratione ſubiecti, hinc non poſſunt prædicari vniuocè, & eſſentialiter, ſed accidentaliter tantùm. Vnde cùm prædicentur accidentaliter de ſubiectis, per conſequens ſunt media inter vniuocum, & æquiuocum, nec cum ipſis coincidunt; ex modo enim prædicandi accidentali debet deſumi eorum ratio.

QVÆSTIO II.

De Analogia, quid ſit, & quotuplex.

333. PRIMÒ ſupponendum eſt, quod analogia eſt vox Græca, quæ Latinè idem ſonat, ac proportio, vel proportionalitas; eſtque idem, ac res, quæ ad aliam proportione quadam conſtituta, & comparata eſt. Vnde nec omnimodam æqualitatem, vel ſimilitudinem, ſed aliqualem conuenientiam ſimul cum differentia, aut inæqualitate importat. Sic cum communi Complut. in Logica, *diſp.* 10. *quæſt.* 1. Hinc definiuntur Analoga, *Quorum nomen commune eſt, & ratio per illud nomen ſignificata, partim eſt eadem, partim diuerſa.*

Ex qua definitione patet, quod in nomine faciente analogiam debet eſſe aliqua ratio obiectiua, quæ ſubſtet iſti nomini cum vnitate, & diuerſitate aliqua, ſcilicet cum vnitate minori, quàm vniuocationis, & maiori æquiuocationis: & cum diuerſitate maiori vniuocationis, & minori æquiuocationis; & ob id eius vera ratio conſiſtit in proportione plurium rerum, quam habent ad inuicem ſecundùm diuerſas rationes: ob id ſanum eſt analogum ob proportionem, quam habent ad inuicem animal, medicina, & vrina, ob diuerſas rationes, ſcilicet animal ſubiectum, medicina vt cauſa, vrina vt ſignum. Sic S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 46. *quæſt.* 5. *in corp.* & hac ratione Petrus, & Paulus non dicuntur proportionari in humanitate, quia non comparantur ad inuicem ſecundùm diuerſas rationes, ſed ſecundùm eandem rationem, quæ facit vnitatem abſolutam, non proportionem. Vnde analogia dicit conceptum obiectiuum, partim diuerſum ob diuerſas rationes, & partim eundem ob proportionem relatiuam rerum, quam habent ad inuicem. Et hæc quoad definitionem analogorum. Maius dubium eſt de multiplicitate analogiæ.

PRIMA Opinio eſt Caietani *in op. de nom. Analogia, cap.* 1. qui vnam tantùm ſpeciem propriam analogiæ recognoſcit, ſcilicet proportionis; reliquas verò appellat abuſiuè: quod & Complut. *diſp.* 10. *Log. quæſt.* 2. in fine confirmant: ſic & Soto, Paſqualig. & plures Thomiſtæ. Alij ad duo capita eam reducunt, ſcilicet proportionis, & attributionis. Alij addunt inæqualitatem. Alij addunt quartam, nempe tranſcendentiam.

S. BONAVENT. videtur valde varius in hac materia; nam aliquando confundit analogiam cum vniuocatione, aliquando cum æquiuocatione, aliquando analogiam proportionis cum analogia attributionis, aliquando proportionem cum proportionalitate, vt videri poteſt *lib.* 1. *diſt.* 14. *art.* 1. *q.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 1. *dub.* 5. & *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *q.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *lib.* 4. *diſt.* 1. *dub.* 3. & *ſermone* 16. *Hexaëm.* & *lib.* 3. *diſtinct.* 29. *articul.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. & *lib.* 3. *diſtinct.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. & *lib.* 3. *diſt.* 34. *part.* 2. *dub.* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 5. *in corp.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 25. *part.* 1. *dub.* 3. aliiſque locis infrà citandis. Vt autem pateat eius ſenſus, & veritas,

334. PRIMÒ Notandum, quod cùm analogia ſignificet proportionem, multi confundunt proportionem cum proportionalitate, alij proportionem cum attributione, quæ tamen in rigore ſumptæ ſunt rationes valde diuerſæ: nam

nam proportio, & proportinalitas propriè inter quantitates reperiuntur, ex Euclide *lib. 5. Elem.* & docet S. Bonauent. *ſerm. 16. Hexaëm.* & *ſerm. 4. ibidem.* Proportio enim eſt habitudo duarum quantitatum eiuſdem generis proximi vnius ad alteram; hæcque vel eſt æqualitatis, vt inter duo, & duo; vel inæqualitatis, vt inter duo, & quatuor. Proportionalitas verò eſt comparatio duarum proportionum, vt ſicut ſe habet ter ad ſex, ita quatuor ad octo. Differunt autem inter ſe, quia proportio exigit duo extrema, & proportionalitas exigit quatuor extrema. Hinc factum eſt, vt Philoſophi per ſimilitudinem quandam nomen proportionis, & proportionalitatis tranſtulerint etiam ad ipſas res comparandas, vt meliùs dignoſcerentur conuenientiæ, & diſconuenientiæ rerum, & prædicamentorum. Ideo, vt ait S. Doct. *lib. 3. diſt. 1. art. 1. quæſt. 1. ad* 4. proportio, & proportionalitas alia eſt in rebus ordinis conuenientia, eſtque Philoſophia; alia eſt commenſuratio quantitatis, eſtque propriè mathematica. Additque S. Doct. *lib. 3. diſtinct. 39. art. 1. quæſt. 1. ad* 2. quod proportio poteſt ſumi ſtrictè, & largè. Primo modo dicit commenſurationem rerum eiuſdem generis: ſecundo modo dicit quamcunque habitudinem. Ex quibus ſequitur, quod cùm habitudo poſſit fieri inter res eiuſdem generis, & inter res diuerſi generis, & inter ea, in quibus ineſt eadem forma, cum aliqua tamen ordinatione ad vnum principale, & inter ea, in quibus non adeſt eadem forma, ſed tantùm aliqua habitudo ad vnum principale, quod hoc nomen proportionis aliquando ſtat pro attributione rigoroſè ſumpta, aliquando ſtat pro pura proportione, & proportionalitate. Sic etiam S. Doct. vſurpat cum tali variatione hoc nomen proportionis, vt per ſe patet ex locis citatis.

335. SECVNDÒ Notandum, quod cùm fundamentum analogiæ conſurgat ex conuenientia plurium in aliqua ratione, quæ per nomen analogum explicatur, ſequitur, quod etiã tot ſint genera analogiæ, quot modis plura cõueniunt. Vel igitur conueniunt in ratione, quæ primò, & per ſe de vno dicatur, de aliis ſecũdariò, & per denominationem acceptam à primò; & dicitur ab Ariſt. *1. Ethic. c. 6. & 4. Met.* 27. ab vno, & ad vnum, communiterque appellatur analogia attributionis; à S. Doct. analogia proportionis ſtrictæ, vt v. g. ſanum dictum de animali, medicina, & vrina: vel conueniunt in aliqua ratione propter quandam proportionem, quam inter ſe ſeruare videntur; & dicitur analogia proportionis, & à S. Doct. analogia proportionis largè ſumptæ: per quod patet diſcrimen, quod eſt inter vtramque; nam analogia attributionis reſpicit modum, quo forma participatur ab analogatis; nam ratio participata ab ipſis non eſt æquè primò ipſis conueniens, ſed eſt cum inæqualitate, & ordine, dependentiaque vnius ab alio. At analogia proportionis reſpicit prædicata eſſentialia exiſtentia in omnibus analogatis, non ſecundùm ordinem, vel dependentiam vnius ab alio, ſed ſecundùm mutuam habitudinem, & ſimilitudinem, quam videntur omnia inter ſe ſeruare, ſed cum inæqualitate. Habemus exemplum de vtraque analogia in ente comparato ad Deum, & creaturas; nam prout ens primariò dicitur de Deo, & ſecundariò de creaturis cum ordine, & dependentia ad Deum, & ad primum ens, à quo cætera entia dependent, & ad quod important eſſentialem ordinem; ſic fun-

dat analogiam attributionis: provt verò conſideratur ratio entis exiſtens in Deo, & etiam in creaturis abſque conſideratione dicti ordinis, & dependentiæ, ſed tantùm comparationis inter analogata; ex qua comparatione exprimitur inæqualitas ſubiectorum, ſicque fundatur analogia proportionis; ex qua comparatione poteſt dici, ſicut ſe habet Deus ad ſuum eſſe, ita creatura ad ſuum. Non enim hîc intelligitur paritas eſſendi, ſed tantùm proportio, quâ non comparantur creaturæ ad Deum, ſed ens finitum ad creaturas, & infinitum ad Deum, nullâ habitâ ratione ad dependentiam, vel independentiam; ſed exprimendo inæqualitatem per inæqualia ſubiecta, à quibus oritur inæqualitas in ratione prædicta entis.

Ex quo ſequitur, quod analogia porportionis oritur ex prima obiecti propoſitione, & directa eius cognitione, quia fundamentum habet in entitate rerum, provt habent ſimilitudinem, & habitudinem ad inuicem à parte rei. Analogia verò attributionis reflexam cognitionem poſtulat, quia inuenit in analogatis diuerſum ordinem, & relationem diuerſam vnius ad aliud, verbi gratiâ in analogia ſanitatis ad animal, ad medicinam, & ad vrinam, adeſt denominatio eadem; attamen, ne contingat error, requiritur noua cognitio, quâ concipiatur ſanitas in animali intrinſecè, in aliis extrinſecè. Quare maior vnitas ineſt in analogia proportionis, quàm in analogia attributionis: ob idque Seraph. Doct. vtpluzimùm analogiam veram appellat nomine proportionis. Aliis modis ab aliis explicatur; ſed aſſignatus eſt clarior, & verior.

336. Tertiò Notandum, & ſequitur ex dictis, & notat S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 7. *quæſt.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 34. *dub.* 4. & *quæſt.* 1. licèt aliis terminis, quod analogia vtraque eſt duplex, alia dicitur intrinſeca, alia extrinſeca. Intrinſeca eſt, per quam eadem forma intrinſecè inuenitur in omnibus analogatis, vt ratio entis in Deo, & creatura conſiderata ſecundùm duplicem modum attributionis, & proportionis ſuprà aſſignatum. Extrinſeca eſt, quando ratio ſignificata intrinſecè eſt in vno tantùm, in aliis verò extrinſecè, & ſecundariò, vt eſt ſanitas in animali, in medicina, & in vrina. Hancque ſecundam, ſcilicet extrinſecam, tantùm recognoſcunt Thomiſtæ pro vera analogia, vt patet apud Complut. *diſput.* 10. *quæſt.* 4. primam, & intrinſecam rejiciunt: in vtraque tamen analogia adſunt gradus varij; analogia enim poteſt eſſe, vt ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *lib.* 1. *diſtinct.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 5. *in corp.* ſcilicet vel per comparationem duorum ad duo, ſcilicet per ſimilitudinem, vt verbi gratiâ ſicut ſe habet homo ad animal, ſic albedo ad colorem: vel duorum ad vnum, ſcilicet per diſſimilitudinem, vt verbi gratiâ animalis, & cibi ad ſanitatem; vel per comparationem duorum ad inuicem, quando ſcilicet vnum eſt imitatio alterius, verbi gratiâ picturæ, ſeu imaginis ad imaginatum: vel (*lib.* 1. *diſt.* 7. *cit.*) per reductionem ad vnitatem naturæ ſecundùm prius, & poſterius, in qua fieri poteſt diſtributio: & *lib.* 3. *diſt.* 34. *part.* 2. *dub.* 1. & 3. & *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *part.* 1. *dub.* 3. & *artic.* 2. *quæſt.* 2. vel per conſimilem operationem, & habitudinem fundatam in aliqua forma, vt nautæ ad regendam nauim, & magiſtri ad ſcholam regendam. De quibus agit Seraph. Doct. non ſolùm locis citatis, ſed & *lib.* 2. *diſt.* 35. *dub.* 3.

dub. 3. & *lib.* 1. *diſtinct.* 35. *quæſt.* 1. & *lib.* 2. *diſtinct.* 16. *quæſt.* 1. *in corp.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 4. His poſitis ſit

337. VNICA CONCLVSIO: Definitio analogiæ ſuprà tradita competit analogiæ attributionis, & proportionis, tam intrinſecæ, quàm extrinſecæ: quæ duo membra, ſcilicet analogiæ attributionis, & proportionis ſufficienter, & adæquate diuidunt analogiam vt ſic, & vtraque rectè diuiditur in extrinſecam, & intrinſecam. Hæc concluſio patere poteſt ex dictis, attamen vlteriùs probatur. Analoga ſunt ea, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ partim eſt eadem, & partim diuerſa: ſed vtrique tantùm analogiæ, ſcilicet attributionis, & proportionis, competit hæc definitio, licèt per varios gradus: ergo.

PROBATVR minor primò de analogia attributionis extrinſecæ, & intrinſecæ. Tot ſunt ſpecies analogiæ attributionis, quot ſunt modi, quibus plura ordinari poſſunt ad vnum: ſed plura ordinari poſſunt non ſolùm extrinſecè, ſed etiam intrinſecè ad vnum primum: ergo ſunt duæ ſpecies analogiæ attributionis. Maior patet ex traditis in ſecundo Notabili, quia analogia attributionis conſiſtit in illa ratione, per quam plura ad vnum habitudinem habent. Minor probatur. Plura dependent ab vno vel intrinſecè, vel extrinſecè: ergo ordinantur ad vnum vel extrinſecè, vel intrinſecè. Patet conſequentia; ordinatio enim plurium inferiorum ad vnum principale fundatur in dependentia illorum; ideo analogia attributionis dicitur ab vno, vel ad vnum, vt explicetur ſubordinatio per dependentiam.

PROBATVR autem antecedens: Ea dependent intrinſecè, quæ non ſolùm per denominationem, ſed per entitatem exiſtentem in denominatiuis explicatam in denominatione pendent ab aliquo primo: ea verò extrinſecè, quorum denominatio pendet ab aliquo primo, in quo adeſt fundamentum intrinſecum denominationis, in aliis verò eſt carentia formæ denominantis: ſed plura ſunt analogata, quæ non ſolùm per denominationem, ſed per entitatem explicatam in denominatione pendent ab aliquo primo; & plura, quæ carent tali entitate, & formâ; & tamen denominantur ratione ordinis ad vnum: ergo duplex eſt analogia attributionis. Maior patet, quia per iſtas duas rationes, ſcilicet denominationis ſolùm, & entitatis cum denominatione, differunt denominatio intrinſeca, & extrinſeca. Illa enim fundatur in entitate denominata, iſta in forma extrinſeca denominante. Minor patet in creaturis, in quibus ratio dependentiæ fundatur intrinſecè in entitate creata, & habitudo accidentis ad ſubſtantiam fundatur in entitate accidentis, & in ſanitate denominante animal, & extrinſecè medicinam, & vrinam.

ALTERA pars de analogia proportionis remanet probata ex dictis; proportio enim, quæ eſt inter aliqua cum inæqualitate aliqua, vel eſt per rationem intrinſecè exiſtentem in omnibus, vt ens in Deo, & creaturis; vel eſt intrinſecè tantùm in vno, in aliis metaphoricè tantùm, vt hilaritas per riſum ſignificata in homine, & prato.

Ex quibus patet, in quo ſenſu confunduntur ſimul analogia proportionis, & attributionis à pluribus Scholaſticis, maximè à Seraphico Doctore, quia vt rectè aduertit Meldul. *diſput.* 2. *num.* 50. in omni analogia inueni

inuenitur ſemper inuoluta attributio, ſcilicet ordo ad vnum principale analogatum, licèt poſteà conſideratæ ſecundùm rationes ſuprà datas differant.

338. Obiicies cum Thomiſtis: Analogia importat nomen commune, & ratio in analogatis eſt partim eadem, & partim diuerſa: ſed in analogia attributionis ratio eſt eadem, & conuenientia in termino diuerſa ſecundùm habitudinem inferiorum ad ſuperius; & terminus eſt ſolùm extrinſecus: ergo conuenientia erit ſolùm extrinſeca. Quod verò terminus ſit extrinſecus, patet verbi gratiâ, in ratione entis, quod eſt intrinſecè in Deo, in aliis extrinſecè comparatis ad Deum, prout ſunt aliquid eius; hæc enim comparatio eſt ratione entis, quod eſt in Deo. Hincque loquendo de analogia attributionis ſolùm extrinſecam recognoſcunt; intrinſecam verò etiam aliquo modo in analogia proportionalitatis. Sic Complut. citati.

Respondetvr analoga conuenire in termino, ſi terminus ſumitur pro fine rationis, & conuenientiæ, concedo; ſi terminus ſumatur pro ratione formali, & conuentia ipſa, nego: ſic negatur conſequentia; nam verbi gratiâ creaturæ referuntur quidem ad Deum, non ratione entis, quod eſt in Deo, quodque eſt terminus ſubordinationis, & principium dependentiæ; ſed ratione entitatis, quam participant, & in ſe contrahunt. Sic negatur, quod terminus ſumptus hoc modo ſit quid extrinſecum analogatis.

Obiicies ſecundò: Analoga ſunt plura formaliter, & in ratione ſignificata per nomen: ergo non conueniunt in vnum formaliter, vel realiter.

Respondetvr negando antecedens; nam licèt ratio ſit partim eadem, & partim diuerſa, tamen non ſunt duæ rationes, ſed eſt ratio inadæquatè eadem, & inadæquatè diuerſa: creaturæ enim ſunt idem inadæquatè cum Deo in ratione entis, & inadæquatè diuerſum quid.

Contra inſtant: Analoga attributionis denominantur à principali analogato: ſed principale analogatum eſt extrinſecum: ergo & denominatio.

Respondetvr, vt dictum eſt ad primam obiectionem, analoga attributionis denominantur à principali analogato, diſtinguo, adæquate nego; inadæquatè, concedo: & eodem modo diſtinguo minorem, ſic nego conſequentiam. Nam licèt vltimatè, & terminatiuè denominatio ſit à principali analogato, quia ipſum ſignificat vel vt principium, vel vt finem analogatorum; tamen formaliter eſt etiam ab entitate intrinſeca analogatorum, quatenus dicunt ordinem ad primum: cum qua diſtinctione reſpondetur cæteris obiectionibus. &c.

QVÆSTIO III.

An detur vnus conceptus communis omnibus analogatis.

339. Qvæstio hæc inuoluit illam celeberrimam quæſtionem metaphyſicam, an ens ſit vniuocum Deo, & creaturis; ſubſtantiæ, & accidenti: quæ tamen cùm habeat propriam ſedem in Metaphyſica, ad eandem remittemus fuſiorem ipſius explicationem, & conſiderationem: hic verò ſolùm intendimus ſoluere quæſtionem

ſtionem propoſitam, ex cuius ſolutione tamen ſufficienter habebitur fundamentum pro ſolutione dictæ quæſtionis de vniuocatione entis per reſpectum ad Deum, & creaturas: vnde aliqua breuiter ſubjiciemus pto aliquali ipſius notitia.

PRIMA Opinio eſt communis Thomiſtarum vniuerſaliter negantium, dari conceptum formalem in analogatis, ſed tantùm admittunt conceptum confuſum, prout ille conceptus communis inuoluit ratione habitudinis ipſa analogata confusè. Sic Complut. Ioan. à S. Thoma, Vaſq. Ruuius, aliique.

SECVNDA aſſerit, dari conceptum communem omnibus analogatis intrinſecis, & ab ipſis diſtinctum. Meldul. hic, *quaſt.* 5. *num.* 68. *& ſeq.* negat conceptum communem in analogatis extrinſecis, & etiam in analogatis intrinſecis, in quibus ineſt ratio intrinſeca, ſed in ſingulis omnibus diuerſa, ob quam participant idem nomen, & aliquam proportionem, vt dicitur principium de Patre reſpectu Filij, de fonte reſpectu riuuli, de corde reſpectu vitæ, de fundamento reſpectu domus, de puncto reſpectu lineæ, de præmiſſis reſpectu demonſtrationis: ſic & nomen gubernatoris in rectore nauis, ſcholæ, domus, Reipublicæ, &c. Admittit poſtea cum Scotiſtis conceptum communem diſtinctum in aliis analogatis intrinſecis, quæ participant eandem vnicam rationem, ſed cum inæqualitate, vel attributione ad vnum principale, vt ratio animalis in homine, in formica, in catulo, &c. In qua aſſertione videtur ſibi parum conſtare ex iis, quæ poſteà tradit in Metaphyſica *diſput.* 2. *quaſt.* 2. *&* 3. vbi admittit in ſupradictis vnicum conceptum, &c. ſicut mox dicemus.

TERTIA Opinio eſt Seraph Doct. qui quidem non admittit conceptum communem in analogatis extrinſecis, quia illa collocat inter æquiuoca, vt ſuprà diximus; ſed in vtriſque analogatis intrinſecis talem communitatem conceptus concedit. Pro ſolutione quæſtionis

340. PRIMÒ Notandum, quod præciſio conceptus ab inferioribus eſt duplex, ex Seraph. Doct. & communi, *lib.* 1. *diſt.* 27. *art.* 1. *quaſt.* 3. *corp.* & *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quaſt.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quaſt.* 2. Alia eſt realitatis habentis eſſe à parte rei formaliter diſtinctum; alia eſt realitatis habentis eſſe tantùm per intellectum diſtinctum: & hæc ſecunda adhuc poteſt eſſe duplici modo. Primò per imperfectam præciſionem, quatenus conceptus non dicit aliquem gradum, vel ex natura rei, vel per rationem cum fundamento in re diſtinctum ab inferioribus, à quibus præſcindere dicitur; ſed eſt conceptus inferiora includens implicitè, & confusè ſecundùm proprias eorum rationes, ſolúmque præſcindens ab explicatione, & expreſſione eorumdem: ſic Deitas à Deo, humanitas ab homine: dequo S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quaſt.* 5. *ad vlt.* & *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quaſt.* 1. *&* 2. ſic enim rector nauis, & ſcholæ dicunt vnitatem aliquam analogicam: ſecundo modo poteſt eſſe præciſio conceptus, non quidem diſtincti formaliter ex natura rei, ſed tantùm virtualiter, ita quod in tali ſtatu importat gradum ſuperiorem ita abſtractum, quod in ipſa non relucent rationes inferiorum, ob idque & importat vnitatem perfectam virtualiter diſtinctam ab inferioribus: ſic eſſentia Diuina in opinione Seraphica præſcindit ab attri-

Digitized by Google

butis, de qua abſtractione vide *loc. cit.* & *lib.* 1. *diſtinct.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. *&* *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. *&* 4. *&* *quæſt.* 2. Sic ens (ait S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *dub.* 2.) licèt non dicat conceptum formalem formaliter ex natura rei diſtinctum ab inferioribus, tamen importat vnitatem conceptus formalis, & obiectiui virtualiter diſtincti; de ſe enim non dicit magis, & minus, ſi ſumitur ſubſtantiuè, vt loquitur *lib.* 1. *diſtinct.* 23. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *ad vltim.* & *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *dub.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *dub.* 1. Si verò ſumitur adiectiuè, & vt in hoc, vel illo, quia ſic dicit varios modos eſſendi, ſic recipit magis, & minus. Hinc

341. PRIMA CONCLVSIO: Non ſolùm analogata intrinſeca habentia participationem vnius naturæ, ſed & alia intrinſeca non participantia tertiam naturam, habent vnum conceptum communem præciſum ab inferioribus. Prima pars eſt Scoti, & Scotiſtarum: ſecunda verò ab ipſis negatur; ſed tamen vtraque aſſeritur à S. Doct. nam Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 34. *part.* 2. *dub.* 3. aſſignat vnum obiectum commune timori multipliciter ſumpto, vt communis eſt ſcilicet naturali, gratuito, & glorioſo, nempe arduitatem operis, licèt habeant analogiam ſecundùm prius, & poſterius: & *lib.* 2. *diſt.* 25 *part.* 1. *dub.* 3. aſſignat idem obiectum libero arbitrio ſumpto ſecundùm generales conditiones, prout eſt commune Deo, & creaturæ, licèt ſecundùm ſpeciales poſtea dicat diſconuenientiam: nam in Deo eſt ipſa eſſentia Diuina, & in creatura eſt habitus ſuperadditus. Et *lib.* 2. *diſt.* 16. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. *&* *vltim.* & *in corp.* docet in homine eſſe imaginem Dei, ob idque ſimilitudinem & conuenientiam, non in aliquo tertio, ſed per conuenientiam in ordine, & per proportionem, quæ importat ſimilitudinem in duabus comparationibus, ſcilicet in rationalitate: & *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2. docet, quod communitas rationis eſt intentio aliqua accepta ab anima ſecundùm conſimilem modum accipiendi, ſeu ſecundùm conſimilem operationem, vt modus regendi nauem, & ſcholam in nauta, & magiſtro; ambæ enim dicunt conuenientiam veram.

PROBATVR autem prima pars, quia analogata intrinſeca per formam communem dicunt vnam naturam communem in omnibus exiſtentem, licèt cum inæqualitate participationis ſecundùm magis, & minùs, vel ſecundùm prius, & poſterius, vt animalitas reſpectu hominis, & leonis: & per id patet, hanc analogiam ſtare etiam cum vniuocatione; hincque patet, quare S. Doct. talem vniuocationem, maximè generum, vtplurimùm appellet analogiam vniuocationis.

342. SECVNDA pars probatur, quia ſi non poteſt abſtrahi conceptus communis ab iſtis analogatis non communicantibus in tertia natura, maximè quia habent diuerſas naturas: ſed id non obſtat: ergo. Maior eſt Scotiſtarum, & Thomiſtarum. Probatur minor: Iſta analogata important vltra ordinem vnius ad aliud proportionem, & ſimilitudinem in ratione aliqua, quæ eſt principium operationis, vel alicuius effectus conſimilis: ergo & conuenientiam ſecundùm talem rationem: ergo & conceptum communem. Probatur antecedens, quia ratio, verbi gratiâ principii, vel rectoris in regenda naui, & ſchola, &c. importat cõparationem duarum habitudinum

dinum conſimilium in operatione: ergo. Confirmatur, quia illa analoga ſunt talia per denominationem intrinſecam factam cum tali ſimilitudine, & conuenientia: ergo.

Respondet Meldul. cum Scotiſtis, concedendo illa analogata dicere aliquam proportionem, non abſolutè ratione formæ intrinſecæ, ſed ratione modi eam habendi, ſeu exercendi, vt verbi gratiâ in ratione talis, & talis principii in Patre, in corde, in fonte, &c. At analogia ſtat in ratione propria, & peculiari ipſorum analogatorum, non in modo eam habendi.

Contra: Illæ formæ peculiares important communitatem in modo exercendi ſua munia, & ſimul ſubordinationem, ſeu ordinem: ergo important conceptum communem abſtrahibilem ab intellectu, &c.

Probatur conſequentia: Vbicumque adſunt aliquæ rationes, per quas plura conueniunt; & aliquæ ſpeciales, per quas illa differunt, tunc datur vna ratio communis, ſaltem præciſa per intellectum cum fundamento in re: ſed huiuſmodi ſunt analogata penes rationes ſpeciales diuerſas, & modum eas habendi, & exercendi conſimilem: ergo. Tum quia in illo actu communi omnia inferiora in vnum confunduntur, & nullo pacto diſtinguuntur: ergo. Tum quia iiſdem rationibus vtuntur plures Scotiſtæ ad probandam vniuocationem entis in Deo, & creaturis; & currit omnimoda paritas, quia ens ſecundùm ipſos dicit conceptum communem diſtinctum à rationibus peculiaribus inadæquatè conceptis.

343. Obiicies primò: Implicat, quod aliquid ſit conceptus communis, & vnus, & quod ſit analogi conceptus. Probatur aſſumptum: Analogia dicit plures rationes, & ob id diſconuenientiam eſſentialiter: ergo ei implicat conceptus conuenientiæ.

Respondetur negando antecedens, & ad probationem reſpondetur, quod eſſentialiter analogum dicit diſconuenientiam, ſed etiam ſimul conuenientiam; & ſecundùm hanc poteſt abſtrahi vnus conceptus communis, qui ideò non eſt perfectè vnus, & vniuocus, &c. Addimus ex Meldul. *citat. num.* 71. quod hæc conuenientia, ſeu conceptus non competit analogatis ex vi ſimplicis analogiæ; nam vt ſic dicunt tantùm ordinem ad vnum primum: ſed eis competit ratione conuenientiæ, & vnitatis, ſeu vniuocationis incluſæ in analogia, quatenus cum diſconuenientia importat etiam conuenientiam rationis non repræſentantis diſtinctè rationes peculiares analogatorum.

Obiicies ſecundò: Vnitas, & conuenientia analogatorum intrinſecorum, quæ non communicant in tertio, conſiſtit in ordine tantùm, & habitudine vnius ad aliud: ſed talis habitudo dicit plures conceptus eſſentialiter: ergo.

Respondetur negando maiorem; vltra ordinem enim dicit & aliquam ſimilitudinem, & conuenientiam abſtrahibilem ab inferioribus, licèt inadæquatè, vt dictum eſt ex S. Doct.

Obiicies Tertiò: Proportio eſt eſſentialiter ad aliud: ergo neceſſariò exigit plurium conceptus.

Respondetur, tranſeat antecedens, & diſtinguo conſequens: neceſſariò exigit plurium conceptus diſtinctè conceptorum, nego; confuſè, concedo: idque ſufficit, vt dictum eſt in notabili primo.

344. Secunda Conclusio: Analogia extrinſeca nullum conce-

ptum communem habet. Patet ex dictis, & eſt communis. Ratio eſt, quia conuenit cum æquiuocis. Tum quia denominatio analogatorum eſt extrinſeca: ergo non poteſt importare vnam formam communem.

Tertia Conclvsio: Ens vt commune Deo, & creaturis importat cum analogia conceptum communem Deo, & creaturis. Hæc concluſio videtur primâ facie contra Seraph. Doct. ſenſum, cùm ſemper neget vniuocationem in ente reſpectu Dei, & creaturarum. Attamen eſt conformior ſuis principiis, nam excludit ens à ratione perfectæ vniuocationis, non verò à ratione communi, modo ſuprà explicato: & poteſt probari rationibus ſuprà allatis.

Probatvr etiam vlteriùs, quia experientiâ habemus, quod prolato hoc nomine *Ens*, non ſolùm intellectus non diſtrahitur in plura, ſed vnitur in vnum conceptum. Tum quia intellectus poteſt eſſe certus, quod aliquid ſit ens, & incertus, an ſit Deus, vel creatura, vt patet in idololatris: incertus item, an ſit ſubſtantia, an accidens: ſed idem conceptus indiuiſibilis non poteſt habere certitudinem ſimul, & incertitudinem: ergo ens vt ſic abſtrahit ab inferioribus.

Obiicies Primò: ergo datur aliquid prius, & ſuperius Deo.

Respondetvr, prioritate reali, nego; prioritate logicâ, & per intellectum, concedo, nec vllum abſurdum ſequitur ex hoc.

Obiicies ſecundò: Inferiora entis non habent, in quo conueniant, & diſconueniant per reſpectum ad ens; quicquid enim in eis eſt, eſt ens: ergo non poteſt dari conceptus abſtractus vniuocus entis.

Respondetvr negando antecedens; habent enim rationem entis in communi, & talitatem entis peculiaris, &c. vt dictum eſt ex Seraph. Doct. in fine notabilis primi: Sed de hac materia agemus, Deo dante, in Metaphyſica fuſiori ſermone. Nunc ſat ſit digitum intendiſſe ad fundamenta huius opinionis Seraphicæ.

345. Qværes, quomodo ens deſcendat ad inferiora?

Respondetvr, aliquos cum Suarez aſſerere, ens determinari ad inferiora per modum explicationis maioris eiuſdem realitatis, ita quod conceptus entis, & ſubſtantiæ eſt idem, & ſimplex: attamen in ſubſtantia eſt magis determinatus, quàm in ente. Alij verò aſſerunt, fieri per modum compoſitionis veræ. Alij negant compoſitionem veram, licèt verè contrahatur per modos intrinſecos, loquendo de ente communiſſimè ſumpto: at loquendo de ente finito, Scotiſtæ aſſerunt contrahi vt genus per veras differentias ad ſubſtantiam, & accidens.

Nos verò inſiſtentes noſtris Seraphicis principiis dicimus, Ens vt ſic, prout dicit conceptum vniuerſaliſſimum, & præciſum, contrahitur per modos intrinſecos à poſteriori cum fundamento in re; non enim à parte rei importat veram realitatem communem Deo, & creaturis, quia vt notat S. Bonauent. *lib. 1. diſtinct. 8. part. 2. quæſt. vltim.* ens nihil eſt diſtinctum ab ipſis: quod tamen, vt ait S. Bonau. fit per modum compoſitionis exiſtentis in intellectu, ſcilicet ratione *quo*, & *quod*: quæ compoſitio eſt quidem metaphyſica aliquo modo, non vera, & realis, ſed conceptuum inadæquatorum. Et pro hac concluſione facit doctrina, quam tradit S. Doct *lib. 1. diſt. 27.*

diſt.27.p.1. art.1. q.3. ad 1. & *lib.3. diſt.24. art.1. quaſt.3. ad 3.*

Dices : Ens à parte rei verè contrahitur per finitum, & infinitum : ergo eſt contractio realis.

Respondetvr, vt ſuprà dictum eſt, hanc non eſſe veram contractionem realitatis potentialis, quia modus includitur in ente vt quædam entitas minima, quæ non eſt ens in recto, ſed aliquid entis ; & provt concipitur, vel ſumitur determinari per modum finitum, vel infinitum, tunc induit per identitatem rationem entis. Vnde modi ſunt quidem ens, ſed non ex ſuis rationibus formalibus, ſecundùm quas tantùm habent, quod ſint limitatiui entis ; ſed ſunt entia ratione illius, quod coarctant. Et hinc nos non confundimus in modis rationem entis, & rationem limitatiuam entis, ſicut faciunt Aduerſarij, quod eſt impoſſibile, ſcilicet idem prorſus eſſe determinabile, & determinatiuum. Modi autem, cùm ſint veluti gradus interni quidditatis, ideo dicuntur, & concipiuntur ipſum limitare, determinare, & perficere : hinc non variant rem, cui inſunt, ſicut differentiæ, &c. Ex quibus concluditur, quod ens vt ſic eſt vniuocum prædicatum per ordinem ad Deum, & creaturam, ad ſubſtantiam, & accidens, ad modos, differentias, paſſiones ; non tamen de omnibus vniuocè dictum, & in quid. Et per hoc ſoluitur argumentum potiſſimum Aureoli, & Thomiſtarum ſic diſcurrentium : Conceptus entis coincidit omninò cum omni ratione particulari, nullo penitus ſibi addito : ergo non habet aliquam rationem communem ; ratio enim communis in inferiora deſcendit per aliquod ſibi additum : at ens non poteſt deſcendere ad inferiora, niſi per ens : ergo non per aliud.

Respondetvr ex Scoto *quaſtione 21. de An. ad 1.* primò concedendo antecedens de identitate reali, & negando conſequentiam ; ens enim eſt indeterminatum deſcendens ad inferiora, non per aliquid ſibi additum, vt facit genus. Vnde dicit tantùm vt ſic conceptum communem inadæquatum adæquatè continens inferiora : ſic negatur conſequentia. Reſpondetur ſecundò negando antecedens ; ens enim deſcendit ad inferiora per modos additos, quæ non ſunt ens formaliter, ſed tantùm identicè, vt dictum eſt.

QVÆSTIO IV.

An analogia ſit quid medium inter vniuocum, & æquiuocum.

346. Prima Opinio eſt Thomiſtarum aſſerentium neceſſariò analogiam mediare inter æquiuocum, & analogum, ita vt impoſſibile ſit oppoſitum, & ad hanc ſententiam trahitur S. Bonauent. à doctiſſimo Ferchio *tom. 2. de Angelis, quaſt.* 8. *&* 9. *& ſeq.* & ita mordicus ipſum contra Scotum adducit, vt videatur excedere limites omnes rationis ; quod tamen pace tanti viri aliàs tam benemeriti de Seraphica doctrina, valde alienum eſt à ſententia Seraph. Doct. vt mox clariſſimè probabo : vnde

Secvnda ſententia eſt S. Bonau. infrà citandi, & Scoti, & ſequacium admittentium quidem analogiam formaliter ſumptam eſſe quid medians inter alia duo extrema ; non autem materialiter, ſcilicet ſumendo ipſa analogata, ſeu prædicata, quæ denominantur analoga. Hinc ſit,

313. Prima Conclvsio : *Si*

analogum formaliter ſumitur, ita mediat inter vniuocum, & æquiuocum, vt nunquam cum alterutro coincidat: ſic Scotus *lib. 1. diſt. 8. quæſt. 3. ad 3. E*, apud Meldul. *diſputat. 2. num. 78.* Sic & Seraph. Doct. *lib. 1. diſtinct. 14. art. 1. quæſt. 2. in corp.* & *lib. 4. diſt. 24. part. 1. artic. 2. quæſt. 4. ad 2.* & *lib. 3. diſt. 34. p. 2. dub. 4.* & *lib. 2. diſt. 25. dub. 3. part. 1.* In quibus locis admittit analogiam ſecundùm vnam rationem, ſcilicet formalem; & negat ſecundùm aliam, ſcilicet materialem.

Probatur: Analogia eſſentialiter dicit conuenientiam, & ſimul diſconuenientiam in nomine, & ratione: ergo eius vnitas eſt maior, quàm vnitas æquiuocationis, quæ eſt nominis tantùm, & minor vniuocatione propriâ, quæ dicit omnimodam conuenientiam rei abſolutam. Probatur conſequentia, quia vnitas analogiæ eſt per attributionem, & habitudinem ad aliud: ergo eſt minor. Vnde analogum vt analogum nunquam coincidit cum alterutro extremo, & id probant tantùm argumenta allata à Ferchio.

347. Secunda Conclusio: Analogum, ſi ſumitur materialiter, neceſſariò vel eſt æquiuocum, vel vniuocum. Eſt S. Bonauenturæ *lib. 1. diſtinct. 7. quæſt. vltim.* & aliis locis infrà citandis, vbi apertè admittit vniuocationem cum analogia in prædicatis, quæ participant eandem formam, & æquiuocationem cum analogia extrinſeca: ſed duobus modis poteſt eſſe participatio eiuſdem formæ, ſcilicet vel realis communis, vt eſt in numeris, in genere, in libero arbitrio reſpectu Dei, & creaturæ, in timore, ex traditis ex Seraph. Doct. ſuprà *in quæſt. 2. & 3.* vel eiuſdem conceptus communis præciſi, vt dictum eſt de ente, de analogia attributionis intrinſecæ ſecundo modo ſumpta, *quæſt. 3. in fund.* Sed his duobus modis prædicatum vtrumque eſt vniuocum: ergo; & ſi eſt analogia attributionis extrinſecæ, tunc eſt æquiuocum. Probatur vtrumque; nam ſi analogia eſt attributionis extrinſecæ; tunc eſt vnitas tantùm nominis; in re enim eſt metaphorica tantùm: ergo æquiuoca. Si eſt intrinſeca, tunc in omnibus adeſt analogatis, vel eſt quid commune ipſis ſecundùm eandem rationem, licèt cum inæqualitate, & attributione ad vnum principale: at talis inæqualitas non tollit in analogatis vniuocationem, vt patet in genere, quod eſt vniuocum; & tamen inæqualiter principatur à ſpeciebus, & ab vna participaliter, à cæteris minùs principaliter per ordinem ad primam, quæ eſt metrum, & menſura aliarum.

Obiicies primò: Analogis præter vnitatem nominis competit ſolùm habitudo, non per modum vnitatis, ſed attributionis, vel proportionis: ſed vnitas vniuocationis eſt naturæ etiam abſoluta: ergo non poſſunt coincidere. Et confirmatur, quia analogia de ſui ratione plura immediatè ſignificat ſecundùm rationes diuerſas, non abſolutè ſumptas, ſed vt proportionabiliter ſe habentes: ergo. Tum etiam, quia vniuocum vt ſic dicit conuenientiam plurium ſub eadem ratione, præſcindendo à diuerſitate: æquiuocum dicit diſconuenientiam plurium præſcindendo à conuenientia: ergo analogum, cùm vtrumque dicat, non poteſt coincidere cum alterutro.

Respondetur hæc argumenta probare tantùm, analogiam formaliter ſumptam non coincidere cum alterutro: at negatur, ſi materialiter ſumatur. Ratio eſt, quia licèt vniuocatio à diuerſita

uerſitate præſcindat, non tamen prædicatum vniuocum, niſi ſit purum; ipſi enim poteſt competere & conuenientia, & diſconuenientia ſecundùm diuerſas rationes, cùm diuerſitas non inſit ex ratione communi, in qua analogata conueniunt, ſed ex diuerſa ratione contrahentium.

QVÆSTIO V.

De aliis Antepradicamentis.

348. QVIA in quolibet prædicamento tria reperiuntur: Primum eſt modus prædicandi: ſecundum eſt ſubſtantia ipſius prædicamenti: tertium eſt ordo ipſius prædicamenti; ad primum dignoſcendum valet definitio, ad ſecundum diuiſio, ad tertium regula. Ad primum vt dignoſceretur modus prædicandi vel vniuocè, vel æquiuocè, vel analogicè, vel denominatiuè, tradita fuerunt, quæ ad hæc tria ſpectant. Ad ſecundum dignoſcendum Ariſt. differit de incomplexis, & complexis, de ſubſtantia, accidente, generibus, ſpeciebus, & indiuiduis, & hoc in ſecundo Antepræclicamento. Ad tertium tradit diſpoſitionem prædicatorum, & eorum, quæ ponuntur in prædicamento eodem, vel in diuerſis, ſcilicet in recta linea genera, ſpecies, & indiuidua, & à latere differentiæ. Hinc

Prima Conclvsio: Primum Antepræ dicamentum ſufficienter demonſtrat modum prædicandi cuiuſlibet prædicamenti, tum reſpectu inferiorum, tum reſpectu aliorum nouem prædicamentorum de ſubſtantia, ad quam ordinantur: & patet, quia modus prædicandi eſt vel in quid de ſuis inferioribus, ſicque ſunt vniuoca; vel in quale, & denominatiuè, ſicque nouem prædicamenta accidentalia prædicantur de ſubſtantia, tanquam de ſubiecto vltimato, & hoc vel æquiuocè, vel analogicè: ergo ſufficienter traditus eſt modus prædicandi.

Secvnda Conclvsio: Secundum Antepredicamentum eſt ſufficiens ratio dignoſcendi ſubſtantiam cuiuſlibet prædicamenti; & probatur, quia omnia prædicata ſunt vel complexa, vel incomplexa. Illa vel ſunt diſtantia, vt ſunt propoſitiones; vel indiſtantia, vt ſunt ea, inter quæ nullum intercedit medium, vt homo albus, in quo ly *albus*, determinat hominem. Iſta, ſcilicet incomplexa ſunt, quæ vel dicuntur de ſubiecto, ſcilicet prædicationis; in ſubiecto verò, ſcilicet inhæſionis, nulla ſunt, vt homo, leo, & omnes ſubſtantiæ communes, vt homo, animal: vel nec ſunt in ſubiecto, nec dicuntur de ſubiecto, vt ſunt ſubſtantiæ particulares, vt Petrus: vel ſunt in ſubiecto, & de ſubiecto dicuntur, vt ſunt accidentia generica, & ſpecifica, vt albedo, color: vel ſunt in ſubiecto, non tamen dicuntur de ſubiecto inferiori, vt ſunt accidentia indiuidua, vt hoc album; quæ licèt prædicentur de ſubiecto ſubſtantiali, non tamen habent inferiora ſub ſe, ſed per hæc dignoſcuntur accidentia, & ſubſtantiæ reponibiles in prædicamento: ergo.

Tertia Conclvsio: Tertium Antepredicamentum ſufficienter notificat ordinem cuiuſlibet prædicamenti, & declaratur ſic ordo prædicamenti cuiuſlibet. Primò conſiſtit in diſpoſitione prædicatorum eſſentialium ſecundùm ſubiectionem, & prædicationem. Secundò, quod res vnius prædicamenti ita afficiant tale prædicamentum, vt nullo pacto enuntiari valeat per ſe primo, vel ſecundo

ſecundo modo, ideſt vniuocè de rebus alterius prædicamenti : ſed hæc præſtantur per duas regulas, primum per primam, ſecundum per ſecundum : ergo. Probatur minor : Prima regula eſt, quando alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto, quæcunque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia etiam de ſubiecto dicuntur ; verbi gratiâ, homo dicitur de Petro, vt ſuperius de ſuo inferiori quidditatiuè ; & animal de homine ; & ob id etiam de Petro: & hinc ſequitur ordo prædicatorum eſſentialium vniuocorum in ſerie prædicamentali ſecundùm ſub, & ſuprà. Sic S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 34. *art.* 1. *quæſtione* 4. *ad* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3.

Secvnda regula eſt, quod diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ : ſubalternorum verò generum nihil prohibet eſſe eaſdem ſpecies, & differentias ; ſuperiora enim de iis, quæ ſub ipſis generibus ſunt, prædicantur : ſed ex hac regula dignoſcuntur ea, quæ reponi habent in vno prædicamento, & ab alio excludi : ergo. Sic deducitur etiam ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *corp.* Explicatur tali pacto : Genera poſſunt dici diuerſa tripliciter. Primò, quia ſunt diuerſorum prædicamentorum, vt animal, & ſcientia ; illud enim eſt in prædicamento ſubſtantiæ, iſta in qualitate ; quod tamen ampliùs explicabitur in vltima quæſtione. Secundò, quia ſunt eiuſdem prædicamenti, & vnum ponitur ſub altero in recta linea prædicamentali, vt animal, corpus, viuens. Tertiò, quia ſunt eiuſdem prædicamenti, non tamen vnum ponitur ſub alio, ſed ambo ſub vno tertio, vt animal, & planta ſub corpore animato. Hinc ſequitur, quod, quæ diuerſa ſunt primo modo, ſub eodem prædicamento non ponuntur ; diuerſa verò ſecundo, & tertio modo, poſſunt eſſe in eodem prædicamento. Quibus poſitis ab Ariſt. deſcendit poſteà ad aſſignandum numerum prædicamentorum. Hinc

---

QVÆSTIO VI.

De numero denario Prædicamentorum, an ſit rectè aſſignatus.

349. Circa numerum Prædicamentorum multiplex eſt ſententia. Alij enim vnum tantùm conſtituunt, ſcilicet ens finitum : alij duo, ſcilicet ſubſtantiam, & accidens : alij tria, alij quatuor, alij octo, alij viginti, aliique plura etiam.

Commvnis opinio Peripateticorum eſt, eſſe decem, nec plura, nec pauciora. Eſt Ariſt. S. Bonauent. infrà citandi, & communis. Pro ſolutione quæſtionis,

Primo notandum, quod prædicamenta realia dupliciter poſſunt diſtingui, ſcilicet à priori, & à poſteriori. Primo modo diſtinguuntur per ſuos modos intrinſecos, ſiue differentias, quæ tamen nobis ſunt innominatæ, ſupplenturque per hos duos modos, per ſe, & in alio : Secundo modo diſtinguuntur per diuerſos modos prædicandi de prima ſubſtantia ; modus namque prædicandi ſubſtantiæ eſt in quid ; quantitatis in quantum, vel quotum ; qualitatis in quale ; relationis in ad aliud, & ſic de ſingulis, vt dicetur.

Secvndò ſupponendum, Prædicamentum poſſe ſumi in toto rigore, & materialiter tantùm, vel formaliter.

Primo

Primo modo ſunt ipſæ res, quæ ordinantur in prædicamento: ſecundo modo pro ipſa coordinatione rerum ſecundùm ſub,& ſuprà ſub ratione ſecundæ intentionis generum, ſpecierum, & indiniduorum; & hac ratione prædicamentum definitur, *Ordo prædicatorum deductus ab aliquo ſupremo genere*, ſcilicet ab illo, quod vniuerſaliſſimum eſt in vnoquoque membro diuidente rationem entis vſque ad indiuiduum vltimum.

Tertiò ſupponendum ſolum ens finitum eſſe membrum diuiſum in prædicamenta, vt aliàs probatum eſt in capite de genere,& de differentia,& infrà magis patebit ex S. Doct. *lib. 1. diſt. 8. part. 2. quæſt. vlt.*

Qvartò ſupponendum ex ſummulis, bonam diuiſionem debere tradi per proxima membra, & ob id dicunt. Philoſophi debere eſſe bimembrem, excepto quando aliquod genus diſtribuitur per ſpecies plures ex æquo, & immediatè ſubiectas, & id maximè quando aliquod membrum diuidens eſſet vel æquiuocum, vel analogum, quale eſt accidens ad ſuas ſpecies varias, quatenus dicit rationem eſſendi in alio; id enim multipliciter ineſt in accidentè. Hinc Ariſt. non diuidit ens in ſubſtantiam, & accidens, ſed in ſubſtantiam, quantitatem,& alia,&c. His poſitis ſit,

Prima Conclvsio: Philoſophi, qui ponunt vel plura, vel pauciora Prædicamenta, minùs rationabiliter procedunt.

Probatvr primò, quia Plato poſuit vnum prædicamentum ſcilicet ens, genus generaliſſimum: at ens vt ſic realiter ſumptum eſt analogum, vel æquiuocum ad ens finitum, & infinitum: ergo cùm genus debeat eſſe vniuocum, irrationabiliter proceſſit.

Secvndò alij poſuerunt duo tantùm, ſcilicet ſubſtantiam, & accidens: ſed accidens vt ſic ad abſoluta & reſpectiua eſt vel æquiuocum, vel analogum: ergo propriè non ſunt loquuti.

Tertiò, qui omittunt quantitatem, & paſſionem, vt Valla, & alij, non conſiderauerunt ſubſtantiam ſubjici maioritati,& minoritati ſecundùm quantitatem, & ſubiici doloribus, & paſſionibus: ſic defecerunt.

Qvartò, qui viginti poſuerunt, ſcilicet decem concreta, & decem abſtracta,non conſiderauerunt,concretum & abſtractum non diſtingui niſi ratione idemque ſignificare, licèt diuerſo modo: ſic exceſſerunt, ſicut & alij, qui auxerunt hunc numerum.

Secvnda Conclvsio: Rationabilior omnibus eſt numerus denarius prædicamentorum; & probatur, tum quia hunc numerum ferè omnes Peripathetici, Theologi, & Philoſophi receperunt vt talem. Tum ex Seraph. Doct. qui *in ſerm. 1. ſuper decem præcepta Decalogi* dicit, quod ſicut decem ſunt prædicamenta, ſuper quæ fundantur omnia per intellectum ſpeculabilia, ſic decem ſunt præcepta, ſuper quæ fundantur omnia per voluntatem operabilia. Et *ſermone 3. in Hexaëm.* dicit,quod tunc eſt vera adæquatio rei cum intellectu, quando eſt res ſecundùm hanc ſubſtantiam tanta, talis, ordinata, agens, patiens, ſituata, &c. ſecundùm differentias prædicamentorum. Et in Breuil. *part. 1. cap. 4.* notat, quod omnia creata dicuntur de Deo, quæ continentur in decem prædicamentis ſecundùm id, quod eſt perfectionis: prima propriè quinque, ſcilicet Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio; & Paſſio: alia quinque verò, quia ſpe-

Digitized by Google

ſtant ad corporalia, ſeu mutabilia, dicuntur tranſumptiuè tantum, & modo figuratino, ſuntque Vbi, Situs Paſſio, Quando, & Habere. Idem innuit *lib. 1. diſt. 8. part. 2. quæſt. vltim. ad 3.*

PROBATVR ſecundò, quia ens finitum imbibitur in omnibus rebus creatis, vt docet cum communi Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 8. quæſt. vlt. in corp.* ſed deſcendit priùs in ſubſtantiam, ſicque habetur primum prædicamentum: & quia accidens in quod poſterius deſcendit cum ordine ad ſubſtantiam, vel eſt abſolutum, vel reſpectiuum; ſi primum, ſic habentur duo prædicamenta, ſcilicet quantitas, & qualitas; ſi eſt reſpectiuum, aut intrinſecè ſecundùm ſe totum, ſic eſt relatio; aut eſt tale, quatenus cum abſoluto importat aliquem reſpectum tranſcendentalem, ſicque habentur alia octo; vel enim importat reſpectum cauſalitatis actiuæ, vel paſſiuæ, ſicque habetur actio, & paſſio; aut menſuræ permanentis, ſic habetur *Vbi*; aut ſucceſſiuæ, ſicque habetur *Quando*; aut reſpectum ordinis partium totius locati ad partes loci, ſicque habetur *Situs*; aut ordinem totius ad totum, ſicque habetur *Habitus.*

PROBATVR tertiò ex eodem S. Doct. *ſerm. 3. Hexaem.* & *lib. 1. diſt. 22. art. 1. quæſt. 4. in argum. ad oppoſ.* quia numerus iſte colligitur à priori ex numero modorum eſſendi, per quos ens finitum deſcendit in prædicamenta; eadem enim ſunt principia eſſendi, & diſtinguendi: ſed ſunt decem modi tantùm; nam cùm iſti modi ſint nobis innominati, ſupplentur per hos duos, per ſe, & in alio, & per priorem conſtituitur ſubſtantia, ſcilicet modus prædicandi ſubſtantiam in quid; per ſecundum conſtituuntur alia, nempe eſſe in alio, ſcilicet in ſubſtantia prædicantur, alia ſcilicet in quantum, ſic quantitas; in quale, vel qualiter, ſic qualitas; ad aliquid, vel in ad aliud ſe habere, ſic relatio; vel ad terminum actionis, ſcilicet à quo, ſic actio, & quod patitur, ſic paſſio; vel in quo loco, ſic *Vbi*, vel quando, ſic ſitus; vel qualiter eſt habituata ſubſtantia, ſic eſt habitus. Aliam viam tenent alij in hac enumeratione, vt quiſque poterit videre apud Meldul. Ovied. Ruu. Ioan. S. Thoma, alioſque.

OBIICIES primò ex Meldul. *in Metaph. diſputat. 2. quæſt. 6. artic. 2.* Ens finitum contrahitur ad ſubſtantiam, & ad accidens per ſuas differentias, ſcilicet per ſe, & eſſe in alio: ergo ad duo capita reducenda erunt prædicamenta.

RESPONDETVR, quod ly *in alio* continet intrinſecè nouem modos; hinc rectiùs diuiſit immediatè accidens in nouem prædicamenta.

OBIICIES ſecundò. Prædicamentum eſt coordinatio plurium prædicatorum: ſed non ſolùm coordinantur prædicata quidditatina, ſed & differentiæ: ergo malè ad decem reducuntur, ſed ad triginta.

RESPONDETVR ad minorem, quod à lateribus ordinantur differentiæ oppoſitæ diuidentes genus; ſed quia in recta linea ponuntur res, & differentiæ laterales, cum eis identificantur in ſpecie; hinc nec exigunt diuerſitatem prædicamentorum.

QVÆS

QVÆSTIO VII.

Vtrum Prædicamenta inter ſe realiter diſtinguantur?

350. PRIMA opinio eſt Scoti, aliorumque plurium, prædicamenta neceſſariò inter ſe realiter diſtingui.

SECVNDA opinio eſt D. Thomæ, & ſequacium, non neceſſariò realiter inter ſe diſtingui, ſed aliqua realiter, alia virtualiter tantum.

TERTIA opinio eſt Seraph. Doct. & plurium Scotiſtarum: item & Amici *tract.* 18. *quæſt.* 4. *dub.* 1. Fonſecæ 5. *Met. cap.* 5. *quæſt.* 3. *ſect.* 3. aliqua diſtingui inter ſe realiter, aliqua formaliter tantùm ex natura rei. Pro ſolutione quæſtionis,

PRIMÒ Notandum ex S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. & 3. quod Prædicamenta diſtingui dicuntur inter ſe vel quantùm ad eſſentiam, vel quantùm ad modum eſſendi: quantùm ad eſſentiam illa ſunt diſtincta, quæ ſeipſis ſunt primò diuerſa, ita vt non conueniant vniuocè in aliquo gradu ſuperioris naturæ, nec diſtinguantur per alios gradus inferiores eſſentialis perfectionis, ſed quatenus habent quantitatem omninò diuerſam, & ſeparabilem, vt eſt inter ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem, &c. ſecundo modo diſtinguuntur ea, quæ licèt habeant eſſe in genere aliquo quoad entitatem, tamen habent modum eſſendi alterius prædicamenti: ſic ſunt differentiæ, proprietates ſubſtantiæ, quæ non differunt realiter à ſubſtantia, & tamen ſpectant ad prædicamentum qualitatis, quatenus talem modum eſſendi habent. His poſitis ſit,

CONCLVSIO: Prædicamenta aliqua diſtinguuntur realiter, alia formaliter tantùm ex natura rei.

PROBATVR ex Seraph. Doct. de diſtinctione formali; nam de reali eſt certum, & patens in aliquibus, vt in ſubſtantia, & qualitate.

Eo modo diſtinguuntur prædicamenta, quo conſtituuntur: ſed conſtituuntur plura ex ipſis penes modos varios eſſendi, qui non inducunt diſtinctionem realem, ſed formalem tantùm: ergo. Maior eſt certa ex traditis; & patet, quia plura accidentia differunt penes varios modos inhærendi in ſubſtantia; non enim differunt in ratione inhærendi, ſed in tali, & tali ratione inhærendi, vt patet de Vbi, & Situ: ergo. Tum quia proprietates ſubſtantiales ſunt qualitates reddentes quale ſubiectum: ergo ſpectant ad prædicamentum qualitatis directè.

PROBATVR conſequentia, quia proprietas eſt qualitas ſubſtantialis, habetque modum accidentis: ergo ſpectat ad qualitatem.

OBIICIES primò: Prædicamenta ſunt impermixta ex Ariſtot. ergo vnum poteſt ingredi aliud.

RESPONDETVR eſſe impermixta vel quoad entitatem, vel quoad modum eſſendi, ſufficitque, vt verificetur vno ex dictis modis.

OBIICIES ſecundò: Prædicamenta ſunt primò diuerſa; Ergo in entitate non conueniunt vniuocè, at ſi non diſtinguerentur realiter, conuenirent in aliqua entitate pluribus communi: ergo ſicut repugnat talis conuenientia, ſic & talis identitas realis.

RESPONDETVR Prædicamenta

 ſunt

ſunt primò diuerſa ſecundum rationes formales, ſic conceditur antecedens: nam ſecundum modos diuerſos eſſendi ſic ſunt diſtincta, vt non conueniant vniuocè in aliquo communi modo: ſunt primò diuerſa ſecundum entitates reales, nego, nam in eadem entitate reali conueniunt plura, vt dictum eſt.

Contra: Prædicamenta ſunt res, & diuiduntur in decem res: Ergo in decem entitates reales; Ergo realiter ſunt diſtinctæ.

Respondetvr; Prædicamenta ſunt res, ideſt extrà intellectum, concedo; nam tam diuiſum, quam membra diuidentia non ſunt entia rationis; ſunt res realiter diſtinctæ: nego &c.

QVÆSTIO VIII.

Quænam res ponantur in Prædicamento, & quomodo ſcilicet an in concreto, an in abſtracto.

351. Primò ſupponendum ex Ariſtot. *hic*, & Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 24. *part.* 1. *articul.* 2. *quæſt.* 1. *ad vlt.* Alia poni in prædicamento per ſe; Alia reductiuè tantum; prima ſunt, quæ participant eſſentiam completam illius generis vt ſpecies, & indiuidua; vel quæ habent ratione formæ totius, vt aduertit *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* ex quibus recta linea conſtituitur; Alia verò ſunt, quæ non dicunt completam eſſentiam, ſed ſunt aliquid ipſius & extrà lineam.

Secvndò ſupponendum quæſtionem verſari inter Philoſophos, quænam entia conſtituant rectam lineam: ſcilicet an Deus cum creatura; an etiam entia rationis; an etiam partes phyſicæ, & metaphyſicæ.

Nominales collocant omnia entia, etiam Deum in prædicamentis.

Secvnda opinio eſt Louanienſ. & Aliorum reponentium directè in prædicamentis omnes res finitas tam completas, quam incompletas, & partiales.

Tertia opinio eſt communis S. Bonauent. *cit.* D. Thom. Scoti reponentium tantum res finitas reales, & completas, incomplexaſque in Prædicamento: Hinc.

Prima Conclvsio: Nullum ens infinitum ponitur in prædicamentis, eſt S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *quæſt. vlt.* & *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 2. *quæſt.* 2. & 3. & *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 31. *art.* 2. *quæſt.* 1. & 2. & communis contra Nominales.

Probatvr, Quia ſolum genera, & ſpecies, & indiuidua ponuntur in recta linea prædicamentali, ergo ſolum entia limitata finita, & perfectibilia; Tum quia ens, provt commune eſt ad Deum, & creaturam, eſt quid tantum per intellectum fabricatum, ergo.

Obiicies primò: Omne prædicamentum dicit aliquam perfectionem; Ergo pertinet ad Deum.

Respondetvr, dicere perfectionem admixtam cum imperfectione, & in hoc ſenſu, quatenus dicit perfectionem, dicitur de Deo, verbi gratiâ, ſubſtantia, magnitudo, bonitas; ſic S. Bonau. *ſuprà cit. in quæſt.* 6. *ad* 2. *Concl.*

352. Secvnda Conclvsio: Ad hoc vt aliquid reponatur in prædicamento

dicamento directè, & per ſe, requiritur: Primò, vt id ſit ens reale, per quod excluduntur entia rationis: Secundò, vt ſit ens finitum, per quod excluditur Deus: Tertiò, vt ſit quid limitatum, per quod excluduntur tranſcendentia: Quartò, vt ſit incomplexum, & ideo complexa vt propoſitiones non ſunt in genere, Quintò, vt ſit vniuocum, ſic excluduntur æquiuoca, & analoga propriè: Et hinc omnia entia finita, & completa tam ſubſtantialia, quam accidentalia ponuntur in prædicamento, quia habent rationem formæ totius: Ad prædicamenta verò reductiuè pertinent, ait S. Doct. *lib. 2. diſt. 24. cit.* Primò principia, ſiue eſſentiantia ſiue integrantia, vt materia, forma per ſe, pes, manus: Secundò, quæ ſunt alterius complementa vt differentiæ: Tertiò, quæ ſunt viæ ad res, vt mutatio, generatio, vel à rebus, vt potentiæ actiuæ, paſſiuæ, & proprietates: Quartò, ſicut ſimilitudines, ſpecies intelligibiles: Quintò negationes, & priuationes.

Obiicies, Genera ſunt etiam partes, ſicut differentiæ. Ergo reductiuè tantum ſpectant ad Prædicamentum.

Respondetur, quod genera vt ſic ſunt quoddam totum poteſtatiuum, & tali pacto ſpectant ad prædicamentum directè, prout verò ſunt partes, indirectè ponuntur.

Tertia Conclusio, Subſtantia ponitur in Prædicamento in concreto: Accidentia verò propriè in abſtracto: Probatur prima pars, quia ſubſtantia in abſtracto eſt quid incompletum, verbi gratiâ, animalitas, humanitas, quæ ſignificant naturam, vt eſt principium animalis, & hominis, at in concreto dicit quid completum ex natura exiſtentia, & ſubſiſtentia in communi.

Probatur ſecunda pars, Quia accidentia per hoc differunt à ſubſtantia, quod ſubſtantia in abſtracto abſtrahit à propria exiſtentia, & ſuppoſito, quæ ſpectant ad idem prædicamentum. Accidentia verò ab alieno ſuppoſito, & diuerſi generis. Vnde in abſtracto ſignificantur per modum per ſe ſtantis, & vt ſeiuncta à ſubiecto phyſico, Ergo vt ſic debent reponi in Prædicamento; At in concreto important res diuerſi generis, nec ſunt quid vnum; Ergo hoc pacto non reponuntur in prædicamento.

Advertendum hîc, quod abſtractio accidentium alia eſt Phyſica ſcilicet à ſubiecto inhæſionis; alia eſt Metaphyſica, eſtque, quando albedo, verbi gratiâ abſtrahitur non à ſubiecto, ſed ab hac, vel illa albedine, & dicitur albedeneitas, ſic habet modum partis, & entis incompleti, & dicitur abſtractum vltimatè, ſicut Phyſicum dicitur media abſtractione abſtractum: Addimus tamen ex Scoto etiam accidentia in concreto, provt dicunt ſolam naturam, & proprium modum actualis inhærentiæ, licèt concernant ſecundariò ſuppoſitum, poſſunt reponi in prædicamento, vt verbi gratiâ coloratum dicitur vniuocè de albo, & nigro.

Obiicies primò: Accidentia debent poni in prædicamento eo modo, quo de ſubſtantia prædicantur, diſtinguuntur enim per ordinem ad ſubſtantiam, ſed prædicantur in concreto de ſubſtantia non in abſtracto; Ergo.

Respondetur concedendo diuiſionem accidentium fieri iuxta ordinem diuerſum, quem dicunt ad ſubſtantiam: coordinatio tamen ipſorum non facta eſt ſecundum hunc reſpectum, ſed per ordinem ad ſub, &

Yy 3 ſuprà;

Digitized by Google

ſuprà ; ſic negatur Conſequentia.

Obiicies ſecundò : Concretum accidentale concernit ſubiectum : ergo nec poteſt poni in prædicamento.

Respondetur poni in prædicamento, prout ſubiectum eſt connotatum, & non ſignificatum per ſe, ſic enim eſſet ens per accidens.

QVÆSTIO IX.

An genera non ſubalternatim poſita poſſint habere aliquam differentiam communem.

353. Occasione ſecundæ regulæ antepredicamentalis poſitæ ab Ariſtot. & à nobis explicatæ ſuprà *in q. 6. ad quintam Concluſionem*, proponitur hæc quæſtio, quæ eſt valde vtilis ad dignoſcendum naturas, & differentias rerum : Hinc.

Primò ſupponendum eſt cum communi ex Tatar. *in ſummulis hoc loco ;* ex Meldul. *diſp. 6. num. 39.* Ruu. *hic cap. 3.* per genera ſubalternatim poſita intelligi ea, quorum vnum eſt ſub altero, corpus ſub ſubſtantia, vel quæ ſunt ſub tertio, vt eſt planta, & animal ſub viuente. Et conſequenter per genera non ſubalternatim poſita intelliguntur ea, quæ non ſunt ſub altero, vel quæ non ſunt ſub tertio genere. Et ideo hic quæritur, an ea, quorum vnum ſub altero non collocatur, vt animal, & planta, poſſint habere eandem differentiam communem, licèt ambo ſub tertio non contineantur, vt planta, & animal reſpectu corporis : Nec eſt quæſtio de differentia conſtitutiua illius generis, à quo oriuntur, vt planta, & animal reſpectu viuentis, certum enim eſt hanc competere vtrique, ſed eſt quæſtio de diuiſiua inferioris, vt verbi gratiâ quantitas primò diuiditur in continuam, & diſcretam, & vtraque poteſt eſſe permanens, at continuæ conuenit etiam ſucceſſiua ; quæritur, an differentiæ inferiores competant æquè vtrique, verbi gratiâ permanentia poſſit vtrique ſuperiori competere vere.

Prima opinio eſt Meldul. *hic num. 43.* aliorumque id negantium.

Secvnda opinio affirmatiua, eſtque Ruuij, aliorumque : Pro ſolutione.

354. Primò Notandum, quod quædam ſunt differentiæ vniuerſales, quæ totam lineam prædicamentalem diuidunt, vt corpus, & ſpiritus, quæ conſtituuntur per corporeum, & incorporeum, & de iſtis certum eſt non habere differentias diuiſiuas ſuperioris generis communes ; ſunt enim oppoſitæ ; corpori enim non poteſt competere incorporeum, nam corpus inchoat lineam differentem à ſpiritus linea: Aliæ ſunt differentiæ particulares, particulare genus diuidentes, vt planta, & animal, quæ nullam oppoſitionem habent, ſed tantum ſunt diſparatæ. Hinc

Prima Conclvsio : Genera ſubalternatim poſita, quorum vnum eſt ſub alio, habent omnes differentias conſtitutiuas ſuperiorum generum communes, & diuiſiuas aliquas, non tamen omnes, verbi gratiâ animal, & viuens habent differentiam diuiſiuam ſubſtantiæ communem vt corporeum, & etiam conſtitutiuam corporis : non verò oppoſitam ſcilicet incorporeum. Ratio eſt, quia ſi genus ſuperius prædicatur de generibus inferioribus, quæ ſunt ſpecies ſubalternæ, ſequitur etiam prædicari differentiam conſtitutiuam talis generis ſuperioris conſtituti per illam:

Digitized by Google

illam; ſed conſequens eſt falſum, vt per ſe patet. Ergo

Secvnda Conclvsio: Genera eiuſdem prædicamenti poſita ſub tertio poſſunt habere communem aliquam differentiam diuiſiuam ſuperioris generis licèt non neceſſariò, nec ſemper, eſt Ariſtot. *6. Top. cap. 2. loc. 41.*

Probatvr ex hoc, quod quantitas diuiditur primò in continuam, & diſcretam, & vtrique conuenit permanentia; continuæ verò etiam ſucceſſiua; ergo inferiores differentiæ poſſunt competere ſpeciebus ſuperioribus; ſic etiam corpus diuiditur in viuens, & non viuens, & tamen etiam Angeli ſunt viuentes. Tum quia tales differentiæ important aliquam conuenientiam in ſuperioribus; Tum quia illæ differentiæ vltimatè non conſtituunt illas ſpecies; ergo nec diſtinguunt ipſas, verbi gratiâ, diſcretum, & continuum non diſtinguunt permanentem, & ſucceſſiuam quantitatem, ſed tantum continuam, & diſcretam, quorum ſunt vltimatè conſtitutiuæ. Tum quia aliquæ non ſunt differentiæ adæquatæ, &c. Ergo poſſunt competere ſimul cum aliis, & ſimul ſumptæ, cum definitio conuertatur, vt docet Ariſt. *2. Poſt. cap. 14.* ſic ternarius definitur, *quod ſit impar primus*: ſic etiam *6. Top. loc. 41. & 4. Top. loc. 11.* ait Ariſt. genera ſub communi tertio contenta non eſſe inconueniens habere communes ſpecies, & differentias: hincque animal diuiditur per rationale, & irrationale, & poſteà *7. Metaph. cap. 43.* ipſum diuidit in habens pedes, & non habens pedes, & hic *cap. 4.* in greſſibile, aquatile, & volatile, ſignum euidens differentias aliquas inadæquatas poſſe competere pluribus generibus: Et talium differentiarum plura genera numerantur; ſic quantitas permanens, & ſucceſſiua, &c. & corpus viuens, vt dictum eſt, conuenit Angelis, & animabus, & tamen diuidit corpus, & conſtituit plantas. Habitus diuiditur per naturalem, & ſupernaturalem, per intellectualem, & moralem, quæ differentiæ conueniunt etiam actibus intellectus: Potentia cognoſcitiua diuiditur in corporalem, & ſpiritualem, & competunt iſtæ differentiæ etiam potentiæ appetitiuæ: Bipes eſt differentia greſſibilis; & volatilis: Incorruptibilitas competit ſubſtantiæ corporeæ, & incorporeæ: Practicum, & ſpeculatiuum ſunt differentiæ ſcientiæ vt ſic, & actuum ſcientificorum: Prudentia eſt ſub genere habitus, & etiam virtutis moralis: Idem actus moralis ex duplici motiuo duarum virtutum, vt charitatis, & obedientiæ erit ſimul in illis virtutibus: Prædicari in quid, & in quale ſunt differentiæ prædicabilium, & tamen vtraque conuenit differentiæ: Propoſitio affirmatiua diuiditur in veram, & falſam, & tamen competunt etiam negatiuæ; ergo vera concluſio.

Respondet Meldul. has omnes differentias eſſe accidentales, hinc negat conſequentiam; ſed hæc reſponſio gratis datur, & etiam gratis rejicitur: Nam ſecundum omnes tales ſunt veræ differentiæ, &c.

Addimvs amplius huic Concluſioni contra ipſum, & Ruuium, alioſque, quod differentia prædicati vnius prædicamenti poteſt etiam competere alicui prædicato alterius prædicamenti, dummodò tantum inter ipſa adſit ſolum diſtinctio formalis, vel ſecundum Thomiſtas virtualis; Et ratio eſt, quia aliquod prædicatum, licèt ponatur quoad modum eſſendi in aliquo prædicamen-

dicamento diuerſo à proprio, in quo eſt ſecundum modum eſſendi : attamen non amittit ſpecificationem, & perfectionem, quæ ei poteſt ineſſe ſecundum modum eſſendi, vel è conuerſo, verbi gratiâ, proprietas ſubſtantialis quoad eſſe entitatiuum eſt in prædicamento ſubſtantiæ ſaltem reductiuè, & quoad modum eſſendi eſt in qualitatis prædicamento, & eſt eadem licèt ſecundum diuerſas formalitates conſiderata; Ergo illa differentia, quæ ei competit in prædicamento ſubſtantiæ, ab ea non amittitur, provt reponitur in prædicamento qualitatis : ſic ſpiritualitas competit ſubſtantiæ, & accidenti, ſic figura quantitati, & qualitati : Duplum, & dimidium, æquale, & inæquale ſunt quantitatis differentiæ, & ſimul etiam relatiuæ : & ratio eſt, quam adduximus, quia cum tales differentiæ non ſint vltimò conſtitutiuæ & adæquatè, ſed tantum diuiſiuæ generis, & inadæquatè conſtituentes ſpeciem inferiorem : hæc enim habet ſuam propriam vltimò conſtitutiuam ſimul cum illa communi : ſic bipes non conſtituit adæquatè animal, ipſum tamen conſtituit, vt habens pedes.

355. Obiicies cum Meldul. Si eadem differentia ſiue vltima, ſiue non vltima aduenirer pluribus generibus, ſequeretur idem ſpecie, vel genere inferiori eſſe in diuerſis generibus non ſubalternis, ſed id implicat, quia idem ſpecie, vel genere inferiori habet vnam eſſentiam, genera verò non ſubalterna, ſiue diſparata non faciunt vnam eſſentiam vt planta, & animal, ergo. Probatur ſequela, quia quorum eſt vna differentia, vna eſt entitas ſpecifica, ergo quorum eſt multiplex differentia, multiplex erit entitas.

Respondetvr concedendo totum de differentiis vltimò conſtitutiuis, negando de diuiſiuis communibus, & inadæquatis : vt eſt in propoſito.

Contra inſtat Meldul. Omnis differentia habet diuidere genus, & conſtituere ſpeciem, ergo nulla reſponſio.

Respondetvr, quod illæ differentiæ communes licèt competant pluribus generibus inadæquatè : attamen qualibet etiam habet conſtituere ſuam propriam ſpeciem, vt eſt bipes, vt dictum eſt, qui conſtituit animal, vt habens pedes, & cum hoc competere animali vt ſic, provt eſt communis; ſicque corporeum diuidit ſubſtantiam, & conſtituit corpus faciens illud differre ab Angelo, & ipſum conuenire cum omnibus creaturis corporeis : ſic ſubſtantia intellectualis continetur immediatè ſub corpore, & ſub ſpiritu, & tamen ſpectat ad ſpeciem hominis. Vnde concluditur, quod vniuerſaliter loquendo, ſolùm differentiæ vltimò conſtitutiuæ ſunt propriæ talium ſpecierum, nec aliis poſſe competere : Nec Textus Ariſtotelicus eneruat hanc noſtram aſſertionem, dum in ſecunda regula dicit, quod generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ, ideſt generum poſitorum in diuerſis prædicamentis, nam eius ſenſus eſt de generibus prædicamentorum realiter inter ſe diſtinctorum : non autem eorum, quæ tantum diſtinguuntur formaliter : hæc enim habent inter ſe entitatiuè ordinem.

SECVNDA

SECVNDA PARS

Prædicamentalis Ariſtotelis.

TRACTATVS VI.

De Prædicamentis in particulari.

DIVISVS IN QVINQVE PARTES.

PRIMA PARS.

De Subſtantia.

EXPEDITA prima parte huius libri tranſeundum nobis eſt ad ſecundam, in qua Ariſtoteles agit de principali intento, hoc eſt de decem prædicamentis in particulari, & diuiditur in quinque capita, in quorum primo agit de Subſtantia; In ſecundo de Quantitate: In tertio de Relatione: In quarto de Qualitate: In quinto de ſex reliquis prædicamentis ſimul.

CAPVT I.

De Subſtantia.

356. IN hoc capite Ariſtoteles tria facit. Primò diuidit ſubſtantiam in primam, & ſecundam, eaſque definit. Secundò comparat eas inter ſe. Tertiò enumerat proprietates Subſtantiæ: Quoad primum dicit, quod ſubſtantia prima, quæ eſt maximè ſubſtantia, eſt, quæ nec eſt in ſubiecto, nec de ſubiecto dicitur, taleſque ſunt

Digitized by Google

omnes ſubſtantiæ indiuiduæ, vt Petrus: ſecundæ ſubſtantiæ ſunt ſpecies, & genera, in quibus primæ ſubſtantiæ inſunt ideſt potentialiter; nam actualiter ſecundæ ſunt in primis vel vt ſuperiora in ſuis inferioribus: Quoad ſecundum explicat, quomodò primæ ſubſtantiæ ſint ſecundis perfectiores, quia ipſæ propria virtute ſuſtentant ſecundas, & ſubſtant ipſis, & accidentibus immediatè. Secundæ verò mediatè tantùm: Quoad tertium dicit, quod prima proprietas ſubſtantiæ cuiuſcumque eſt non eſſe in ſubiecto, ſcilicet inhæſionis; inhæſio enim eſt propria ſolùm accidentium: Secunda eſt, quod ſecundæ ſubſtantiæ vniuocè prædicantur de primis: Tertia eſt, quod prima ſubſtantia ſignificat hoc aliquid ideſt ſingulare, ſecunda verò quale quid, ideſt communicabile pluribus: Quarta, quod non habent contrarium: Quinta nec ſuſcipit magis, & minùs: Sexta, quod eadem ſubſtantia manens eſt ſuſceptiua contrariorum, quæ omnes infrà explicabuntur fuſiùs.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. SVBSTANTIA poteſt ſumi primò communiſſi-
357. mè, Secundò communiter, Tertiò propriè; primo modo dicitur eſſentia cuiuſcumque rei, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue ſit accidens; ſic & Fides dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum, ſcilicet tranſumptiuè pro fundamento: Secundo modo dicitur quæcumque eſſentia per ſe ſtans, ſiue ſit creata, ſiue increata, ſiue completa, ſiue incompleta. Tertio modo eſt ſolùm ſubſtantia per ſe ſtans completè, & aliis ſubſtans: Alio modo etiam poteſt diuidi ſic; Subſtantia, vel dicitur res, quæ eſt permanens, & per ſe ſtans: Alio modo, quod ſit permanens, ſed non per ſe ſtans, ſed alij inhærens: Tertiò quælibet eſſentia actu ſiue per ſe ſtans, ſiue non, ſolumque primo modo eſt propriè ſubſtantia. *Lib.* 3. *diſtinct.* 23. *artic.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſtinct.* 23. *articul.* 1. *quæſt.* 2. *& lib.* 2. *diſtinct.* 37. *dub.* 4. *& lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *dub.* 5. *& lib.* 2. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *fund.* 3. *& in Pſ.* 38.

B. SVBSTANTIA diuiditur in primam, & ſecundam: Prima eſt indiuidua ſingularis, ſeu hypoſtaſis, & perſona: Secunda eſt natura communis (ſcilicet vel generica, vel ſpecifica) dicitur autem ſubſtantia à duplici proprietate, ſcilicet à ſubſiſtere, & à ſubſtare aliis: Primum eſt perfectionis; Secundum eſt imperfectionis: Prima ſubſtantia ſubſiſtit in ſe, & per ſe, ſecunda per ſe, & non in

ſe

ſe, non enim inuenitur ſecunda ſubſtantia niſi in prima: Vndé ſecunda intellectu, & natura, ſiue formaliter abſtrahitur: Prima ratione re, natura, actu, intellectu, & ſtatu ſubſiſtit: Vnde verior eſt prima, quam ſecunda. *In Pſalm.* 38. *& lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 3. *& lib.* 3. *diſt.* 10. *art.* 1. *quæſt.* 5. *arg.* 5. *& lib.* 3. *diſt.* 17. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 8. *dub.* 5. *part.* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3.

C. HABET igitur prima ſubſtantia, quod per ſe ſtat, & non per aliud, & quod alij ſubſtat, & hoc tripliciter, vel alij inhærenti, ſcilicet accidentibus, vel alij diſtinguenti, vel alij vt perficienti ſcilicet naturæ, quæ potiùs perficit indiuiduum, quàm perficiatur per contractionem: Primum conuenit ſolùm accidenti; Secundum differentiis, & proprietatibus; Tertium conuenit formæ partis, & totius illi in ordine ad partem materialem, iſti in ordine ad ſuppoſitum, vel indiuiduum. *Lib.* 1. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 2. *aliiſque locis cit.*

D. SVBSTANTIA omnis vel eſt materia, vel forma, vel compoſitum, & conſequenter alia incompleta, alia completa. Completa eſt forma totius, quæ nec eſt pars, nec principium alterius, ſed in ſe eſt terminata, quia per ſe ſtat aliis circumſcriptis, eſtque vel indiuiduum, vel ſuppoſitum, vel perſona, & ponitur directè in prædicamento: Incompleta verò ponitur tantùm reductiuè: Prima indiuiduatur tali pacto, nempè per coniunctionem materiæ, & formæ præcedentem, ex qua reſultat additio contrahens ideſt differentia indiuidualis contrahens naturam ad eſſe indiuiduale. *Lib.* 2. *diſtinct.* 37. *dub.* 4. *& lib.* 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 5. *& lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 2. *&* 3. *lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad vltim. & lib.* 3. *diſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in corp. & lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *&* 3. *& lib.* 1. *diſtinct.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. *& quæſt.* 2. *& lib.* 3. *diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1.

E. SVBSTANTIA igitur, quæ ponitur in prædicamento, importat compoſitionem, & limitationem: Particulare enim de ſui nominis ratione importat partem, & imperfectionem, ſcilicet naturam, & habentem naturam, ob idque indiuiduum creatum rationalis naturæ eſt in genere, quia multis differentiis diſtat, cum diſtinguatur qualitate ſcilicet differentia: Hinc particulare propriè non ponitur in Diuinis, benè autem perſona, quia de ſe dicit tantùm differentiam per originem, non per qualitates contrahentes. *Lib.* 1.

diſt. 8. part. 2. quæſt. vlt. & lib. 3. diſt. 2. art. 2. quæſt. 3. & lib. 1. diſtinct. 23. art. 1. quæſt. 1. ad 2. & 3.

F. Ex quibus ſequitur, quod primæ ſubſtantiæ ſunt completiſſimæ, & veriores ſubſtantiæ, quàm ſecundæ. Iſtæ enim in tantùm exiſtunt, inquantùm inſunt in primis. *Lib. 1. diſt. 23. art. 1. quæſt. 1. & 2. & ſuprà ad literam B. & C.*

G. Quare relicta illa proprietate, qua ſubſtantia per ſe ſubſtat, ſequentes præcipuè conſiderandæ ſunt. Prima, quod non ſuſcipiat magis, & minùs. Secunda, quod nihil ei ſit contrarium, licèt ſit ſuſceptiua contrariorum. Tertia, quod ſignificat hoc aliquid, &c. *Lib. 1. diſt. 8. part. 1. dub. 4. & lib. 2. diſtinct. 3. part. 1. dub. 2. & lib. 1. diſtinct. 17. part. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 1. & lib. 2. diſtinct. 16. articul. 1. quæſt. 3. in arg. & lib. 2. diſt. 41. art. 1. quæſt. 1. ad 1. & lib. 1. diſt. 37. part. 1. art. 2. quæſt. 1. fund. 3. &c.*

Scholium ſuper Textum.

358. Primò Nota, quod ſubſtantia, prout dicitur communiter de Deo, & de creatura, non eſt, de qua hîc loquimur, eſt enim quid Analogum: Vnde hic ſumitur tantùm propriè, prout habet illas duas proprietates ſcilicet per ſe ſtare, & aliis ſubſtare ſic *ad literam A*, quæ conditiones tamen propriè conueniunt primis ſubſtantiis.

Secundò Nota, quod ſubſtare aliis competit tantùm primis ſubſtantiis, vt dictum eſt *ad literam B, & C.* Subſtare verò ſtat tripliciter ſcilicet alij inhærenti, ſic ſunt omnia accidentia: Secundò alij diſtinguenti, & inexiſtenti; ſic ſunt differentiæ, & proprietates ſubſtantiæ: Tertiò alij perficienti, ſic eſt forma partis in materia, & totius in indiuiduo, & ſuppoſito, & hinc indiuiduum appellatur materia ab Ariſt. dicente, cùm dico Cœlum, dico formam, cùm dico hoc Cœlum, dico materiam, quia veluti materia ſubſtat naturæ perficienti, de quo infrà in quæſtionibus.

Tertiò Nota *ad literam D*, quod S. Doctor. licèt videatur aſſerere indiuiduationem fieri ex coniunctione materiæ cùm forma, idque eſt verum phyſicè: attamen admittit etiam differentiam indiuidualem, quam appellat additionem contrahentem, non tamen complentem: Immò vult potiùs, quod indiuidualitas compleatur per naturam, vt dicetur in ſequentibus quæſtionibus, in quibus, & alia explicabuntur.

QVÆSTIO I.

Quodnam ſit genus generaliſſimum ſubſtantiæ.

359. PRo tituli explicatione ſupponendum id, quod eſt traditum in Textu *ad literam A*, nempè hîc non ſumi ſubſtantia

ſubſtantiam communiſſimè pro natura cuiuſque rei, ſed propriè pro ſubſtantia, quæ dicitur à per ſe ſtando, & aliis ſubſtando, hæcque vel eſt prima ſcilicet indiuidua, vel ſecunda ſcilicet natura vt ſic exiſtens in indiuiduo: Quæritur igitur hîc, quænam comprehendat ſubſtantia ſumpta pro genere generaliſſimo, & pro coordinatione ipſius vſque ad indiuiduum.

Prima opinio eſt Nominalium, Ocham, Greg. aliorumque includentium in hoc prædicamento omnia creata, & ipſum Deum, quam ſequuntur Hurt. *in M.t. diſp. 9. ſect.* 4. Arriag. *diſp. 3. ſect.* 2.

Secvnda opinio eſt communis, aliorumque excludentium quidem Deum à prædicamento ſubſtantiæ, ob idque hîc ſolùm ſumentium ſubſtantiam creatam: At diuiſi ſunt inter ſe; Nam aliqui vt Alb. Magn. *hic* & Ægidius includunt tantùm ſubſtantias corporeas, & aliqui tantùm corruptibiles: Alij communiter dicunt omnem ſubſtantiam creatam etiam Angelos collocari in hoc prædicamento, eſtque D. Bonauent. *lib. 1. diſtinct.* 8. *quæſt. vult.* D. Thom. Scot. & communior, & verior: Pro cuius ſolutione.

Notandvm eſt ſubſtantiam tam primam, quàm ſecundam poſſe conſiderari vel primò, vel ſecundò intentionaliter: Primo modo, ſi eſt prima, eſt ipſum indiuiduum reale incommunicabile vt Petrus, ſi eſt ſecunda ſubſtantia, eſt ipſa natura realis communicabilis inferioribus: ſecundo modo, ſi eſt prima ſubſtantia, importat ipſam rationem indiuidui, provt eſt ſubjicibile ſpeciei, & provt in communi ſumitur: ſi eſt ſecunda ſubſtantia, ſumitur pro ipſa coordinatione generum, & ſpecierum. Quare ſubſtantia ſecundò intentionaliter ſumpta ideſt ad hoc vt poſſit collocari in genere, exigit pro fundamento ipſam naturam pluuificabilem in inferiora, & & contrahibilem per differentias ſpecificas, & indiuiduales: Hinc.

360. Prima Conclvsio: ſubſtantia Prædicamentalis non eſt quid commune Deo, & creaturis, Eſt D. Bonauent. *lib. 1. diſt. 8. part. 2. quæſt. vlt.* per totam præcipuè *ad 2. & lib. 1. diſt. 19. part. 2. art. 1. quæſt. 2. ad 3. aliis locis cit. in quæſtione de Vniuerſali Logico.*

Probatvr primò auctoritate D. Auguſt. & communiter aliorum SS. PP. apud S. Bonauent. *lib. 1. diſt.* 8. *cit.* D. Thom. *part. 1. quæſt. 3. art. 5. & 1. contr. gent. cap.* 25. & Scoti *lib. 1. diſt. 8. quæſt.* 2. & D. Auguſt. *clarè id docet 7. de Trin. cap.* 5.

Probatvr ſecundò, quia quod eſt in Prædicamento, eſt in genere, eſt limitatum, componibile, contrahibile, finitum, multiplicabile, & compoſitum, ſi eſt indiuiduum ex pluribus natûris, & differentiis; ſed Deus non eſt capax talium imperfectionum; Ergo: quæ omnia probata fuere *in quæſt. de Vniuerſali logico, & in quæſt. de Compoſitione ex genere, & differentia*, & latè proſequitur noſter P. Trigoſius in D. Bonauent. *quæſt. 3. art. 3. dub.* 1.

Probatvr tertiò, Quia ſubſtantia prædicamentalis dicitur, quatenùs per ſe ſubſiſtit, & aliis ſubſtat; ſed Deus non poteſt aliis ſubſtare; Ergo

Hvrtadvs *cit.* negat hæc omnia ex hoc, quod tenet non eſſe neceſſarium vllum fundamentum à parte rei, adhoc vt quid concipiatur vniuerſale, & tantùm pendere imperfectionem

ctionem ab operatione noſtri intellectus, quæ tamen *in tract. Vniuerſalium, & formalitatum* fuerunt à nobis ſufficienter confutata.

361. Obiicies primò ex D. Damaſceno *l.b. 1. fidei cap. 1.* & *lib. 1. inſtit. cap. 7.* vbi dicit incorporeum eſſe differentiam ſubſtantiæ Dei, & Angelorum; & D. Auguſt. 5. *de Trin. cap. 8.* docet aliqua prædicamenta dici propriè de Deo, ſcilicet ſubſtantiam, relationem, & actionem, cætera impropriè, & metaphyſicè.

Respondet S. Doct. *lib. 1. diſtinct. 8. dub. 4. & quæſt. vlt.* Nomina aliqua generum reperiri in Deo, non ſub ratione generis, ſed prout per talia nomina ſignificatur Diuina eſſentia cum ſuis perfectionibus, verbi gratiâ per modum qualitatis, quantitatis, quia non habemus nomina propria talem perfectionem exprimentia: Vnde negatur, quod propriè loquendo dicantur de Deo, ſcilicet cum admixta imperfectione prædicamentali.

Contra, proprietas præcipua ſubſtantiæ abſoluta eſt per ſe ſubſiſtere, ſed id eſt commune Deo, & creaturæ: Vnde Seraphicus Doct. *lib. 1. diſt. 23. art. 1. quæſt. 2. in corp.* ait, quod hæc proprietas propriè magis eſt in Diuinis, quàm in creaturis, ſed magis, & minùs non tollit vnitatem conceptus vniuocam; Ergo Deus propriè eſt in hoc prædicamento.

Respondetur ex eodem S. Doct. *loco cit.* & *lib. 1. diſt. 8. quæſt. vlt.* quod ille conceptus communis eſt propriè, & à parte rei analogus, licèt concedatur poſſe eſſe vniuocum, vt diximus de ente: Attamen quia in prædicamento propriè collocatur ſubſtantia ſecundùm duplicem proprietatem per ſe ſtandi, & aliis ſubſtandi; hinc neceſſariò remouendus eſt Deus.

Obiicies ſecundò cum Hurtado *cit.* poſſe coordinari nouum prædicamentum, vel ſeriem prædicatorum Diuinorum, nempè Indiuiduum non alicuius ſpeciei infimæ prædicabilis, ſed vt res ſingularis indiuiſibilis in alias, de quo poſſint prædicari conceptus abſtracti communes finitis, & infinitis, vt ſubſtantia completa, intellectualis, cui adde, (*à ſe*) ens & ſeriem (ait) prædicatorum Diuinorum, & illa particula (*à ſe*) includit infinitam perfectionem, quam non includebant prædicata communia; Tum etiam quia poſſumus aſſignare conceptus communes rerum infinitarum, qui determinentur per differentiam infinitam ſimpliciter, verbi gratiâ, perſona Diuina vt ſic; Ergo rationes communes non ſunt neceſſariò finitæ.

Consideret Lector hanc nouam Philoſophiam Hurtadi alioquin doctiſſimi, & acutiſſimi non amplius excogitatam à quolibet alio, & inueniet prorſus nullum aliud fundamentum in ſe habere præterquam in ſuo intellectu. Impoſſibile enim eſt talem coordinationem prædicatorum Dei eſſe prædicamentum, cum ſit ſeries nimis anguſta pro ente infinito, ſed erit ſeries conceptuum noſtrorum ſine fundamento, & ob id nec eſt ſeries realitatum, vt eſt neceſſe in vero Prædicamento; Tum etiam quia illa prædicata ſunt communia etiam creaturis; ergo illa ſeries non differt à prædicamento ſubſtantiæ creatæ: nam ens ſubſtantiale, completum, ſpirituale, competunt creaturis; Tum quia falſum eſt, quod ly (*à ſe*) formaliter dicat infinitatem. Idem Author poſteà abſque eo quod afferat vllam rationem conuincentem pro ſua confictione totus.

Digitized by Google

tus eſt in ſoluendo rationes aliorum. Vnde hac excogitatione, ſeu nouitate omiſſa ſit.

362. Secvnda Conclvsio: Omnia entia completa ſubſtantialia creata directè reponuntur in Prædicamento ſubſtantiæ. Incompleta verò reductiuè tantùm.

Probatvr prima pars de Angelis, & Cœlis (nam de cæteris non eſt difficultas) Quia habent omnes conditiones ad id neceſſarias; ſunt enim entia finita, completa, compoſita ex genere, & differentia; ergo quæ compoſitio ex Seraph. Doct. ortum habet à materia, & forma, vt diximus *in quæſtione de Compoſitione ex genere, & differentia*; Tum quia per ſe ſubſiſtunt, & aliis ſubſtant, ſcilicet naturis communibus, & accidentibus, ergo.

Probatvr ſecunda pars de incompletis. In recta linea reponuntur ſolùm ea, quæ recipiunt in recto prædicationem totius, & ſuperiorum prædicatorum eſſentialiter in inferioribus incluſorum, ſed entia incompleta non poſſunt has conditiones recipere, ſunt enim tantùm partes; ergo ſi ponuntur in prædicamento, id erit ſuo modo, vt ſunt partes, & reductiuè tantùm.

Obiicies primò ex Ariſt. 10. *Met. text.* 26. Corruptibile, & incorruptibile differunt genere; ſed Angeli, & corpora cœleſtia ſunt incorruptibilia; Ergo non conueniunt in genere.

Respondet Scotus *lib.* 4. *diſtinct.* 6. *quæſt.* 10. Ariſt. loqui de genere phyſico ideſt materia non de logico, & prædicamentali: Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. ait, verum eſſe illud axioma, quando corruptibilitas, & incorruptibilitas venit ex natura principiorum componentium; Non verò quando ab extrinſeco, ſicuti euenit in corporibus corruptibilibus, quæ ſunt talia non ex principiis intrinſecis, ſed ex hoc quod habent qualitates contrarias pugnantes ad inuicem, quibus carent Cœli: Tum etiam quia id poteſt verificari de genere proximo, non de primo, & ſupremo.

Obiicies ſecundò; Genus, & differentia, quomodocumque ſumantur, ſemper ſunt entia incompleta, & tamen ponuntur genera in recta linea; Ergo & entia incompleta: immò & differentia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, vel numero; Ergo & ipſa reponenda eſt in linea directa.

Respondetvr, Genus poſſe ſumi vt partem actualem in compoſito metaphyſico, ſicque non ponitur directè in linea prædicamentali niſi ex ratione allata *in Concl.* 4. *quæſt.* 1. *de genere*; ideſt quatenùs prædicatur ad modum concreti, & totius; ſi poſteà ſumitur vt totum poteſtatiuum, tunc in recto prædicatur, & propriè reponitur in linea recta; Eſt enim in ſe quid completum licèt potentiale. Idem & dicendum de differentia, ſi ſumitur vt prædicabile: non verò ſi vt eſt pars componens totum.

Obiicies Tertiò; Corpus eſt pars compoſiti, & tamen ponitur in recta linea.

Respondetvr poni in recta linea, vt eſt totum conſtans ex genere, & differentia; & vt eſt pars componens totum, nempè prout dicit differentiam, ſic eſt reductiuè tantùm in prædicamento.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Explicantur Proprietates, & attributa ſubſtantiæ.

363. PRIMA Proprietas ſubſtantiæ eſt non eſſe in ſubiecto inhæſionis; hæcque conuenit omni ſubſtantiæ, ſiue primæ, ſiue ſecundæ, ſiue completæ, ſiue incompletæ: Vide Textum *ad literam C.*

DICES; ſecundæ ſubſtantiæ ſunt in primis: ergo malè aſſignatur proprietas hæc, &c.

RESPONDETVR ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* ſecundas ſubſtantias eſſe in primis non inhæſiuè, hoc enim eſt tantùm proprium accidentium, ſed vt in alio perficientes, & quidditatem tribuentes.

DICES, hanc proprietatem conuenire etiam accidenti ſeparato in Euchariſtia.

RESPONDETVR negando aſſumptum; ibi enim accidentia habent inhærere aptitudinaliter, quod non habet ſubſtantia vlla.

SECVNDA Proprietas eſt vniuocè prædicari prædicatione recta, & eſſentiali, quæ proprietas non eſt quarto modo, & propria tantùm ſubſtantiæ; competit enim ſecundis ſubſtantiis etiam accidentibus vniuerſalibus; ſic Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.*

TERTIA eſt, quòd omnis ſubſtantia videtur hoc aliquid ſignificare. Aduertendum hîc, quod in Prædicamento ſubſtantiæ differenter ſignificat hoc aliquid, & quale quid; Primum eſt proprium ſingularis, & indiuidui: Secundum eſt naturæ, & ſubſtantiæ communis, hinc competit tantùm hæc proprietas indiuiduo, & primis ſubſtantiis: nam, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 1. *fund.* 3. hoc aliquid ſignificat ſingularem, & per ſe ſubſiſtentem, & completam ſubſtantiam, & incommunicabilem vt quod, & vt quo.

QVARTA eſt, quod ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, idque eſt intelligendum de propria contrarietate, quæ eſt inter formas poſitiuas mutuò ſe expellentes, vt ſunt qualitates plurimæ, de qua S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 34. *art.* 2. *quæſt.* 2. & 3. non de priuatiua, nec relatiua, nec contradictoria; Ratio autem eſt, quia ſubſtantia non inhæret in ſubiecto: ergo nec poteſt expelli ab eo.

QVINTA eſt non ſuſcipere magis, & minùs, ideſt vt accidentia, quæ recipiunt varios gradus intentionis: Vnde idque (ait S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *dub.* 2. intelligendum eſt Logicè, non Phyſicè, ideſt ſubſtantia æqualiter prædicatur de qualibet, verbi gratiâ, homo de Petro, & Paulo, &c. Et *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& ad* 3. *& ibid. dub.* 4. *& lib.* 1. *diſt.* 17. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 1. *& lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *q.* 2. docet S. Doct. quod ſi ſubſtantia ſumitur in abſtracto vt ſic, non poteſt recipere magis, & minùs; ſi verò, vt in hoc, ſic poteſt recipere aliquam gradualem perfectionem maiorem, vel minorem intratamen limites eiuſdem ſpeciei metaphyſicè ſumptæ; de qua materia alibi agetur proprio loco.

SEXTA eſt, quod vna numero permanens poteſt ſuſcipere contraria, verbi gratiâ, modò calorem, modò frigus, & hæc ſolùm primis ſubſtantiis competit, quæ ſolæ habent vnitatem numericam, & ſunt hoc aliquid, quod tamen

Digitized by Google

tamen intelligendum de contrariis propriis abſolutis principaliter, & id de ſubiecto vltimato, ac independenti, ſic enim excluditur quantitas, quæ quidem recipit contraria, ſed prout eſt ſubiectum dependens à ſubſtantia, vt accidens eſt; non ſic ſubſtantiæ primæ, quæ independenter recipiunt accidentia contraria.

QVÆSTIO III.

De primarum Subſtantiarum indiuiduatione.

364. IN tractatu de Vniuerſalibus in communi egimus de natura in communi, & conſequenter de ſecundis ſubſtantiis metaphyſicè, & logicè ſumptis, ibique ſtabilitum fuit naturam de ſe eſſe communem, fierique per aliquid ſuperadditum indiuiduam, & ſingularem: remiſimuſque ad hunc locum examen modi, quo indiuiduatur. Hinc occaſione, quod Ariſtot. agit de primis ſubſtantiis pro complemento huius materiæ mouetur hæc quæſtio de principio indiuiduationis, quodnam ſit.

VBI aduertendum hîc nos non ſumere indiuiduum pro ſecunda intentione, quatenùs eſt correlatiuum ſpeciei, & vt dicitur de hoc, vel illo, ſed ſumimus hîc indiuiduum metaphyſicum, & reale pro eo, quod dicit indiuiſibilitatem in partes ſubiectiuas, cui repugnat communicari vt quod, & in plura, quorum quodlibet ſit ipſum: Non quæritur autem de principio efficiente indiuiduationem; eſt enim producens ipſum indiuiduum, nec de materiali; eſt enim ipſum compoſitum, ſed de principio formali, non quidem denominatiuo; eſt enim ipſa indiuiduatio actualis, ſed de principio formali fundamentali, & radicali indiuiduationis, nempè quodnam ſit illud, ad quod formaliter, & immediatè conſequitur eſſe indiuidui, ſeu indiuiduatio. Nec eſt quæſtio de indiuiduo vago, ſed de ſignato, & determinato vt Petrus, quid ſit, quod ipſum conſtituat in eſſe indiuidui, illudque à quocumque alio diſtinguat.

PRIMA opinio eſt Nominalium tollentium de medio hanc diſputationem, quippè qui putant quamlibet rem, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem de ſe, & intrinſecè ſine aliquo addito eſſe indiuiduam, & ſingularem, quod & ſuſtinent Thomiſtæ in ſubſtantiis ſpiritualibus, à quibus remouent materiam, quam vnicam volunt eſſe principium indiuiduationis: de qua opinione Nominalium ſatis ſuprà dictum eſt in tractatu formalitatum, & in tractatu de vniuerſalibus in communi.

SECVNDA opinio eſt omnium realium D. Bonau. D. Th. Scoti, & aliorum ſuſtinentium omnem naturam indiuiduari per aliquid ſuperadditum, ſiue diſtinctum formaliter ex natura rei ab ipſa natura, ſiue realiter, ſiue virtualiter tantùm, & per opus intellectus, ſed tamen poſteà diuiſi ſunt inter ſe in aſſignatione talis principij. Nam aliqui recentiores apud Paſqualig. *tom.* 2. *Metaph. diſp.* 39. *ſect.* 1. ſuſtinent eſſe exiſtentiam.

ALII, vt Gothfredus de fontibus, & Ægidius Romanus volunt eſſe quantitatem.

ALII eſſe collectionem accidentium, quatenùs res, quæ producitur, dicit ordinem ad has numero cauſas, & circumſtantias loci, & temporis; ſic Vaſq. *tom.* 1. *in* 3. *part. diſp.* 94. *cap.* 7. & videtur etiam eſſe huius opinionis

Digitized by Google

Suarez *tract. 2. in 3. part. diſput.* 44. *ſect. 6.* licèt in metaphyſica oppoſitum doceat.

Alii volunt eſſe materiam, ſuntque Thomiſt. qui tamen ſunt inter ſe diuiſi in varias claſſes, ſignum potiſſimum imbecillitatis huius opinionis. Aliqui enim volunt eſſe materiam ſignatam ideſt cum quantitate determinatam. Alij eſſe materiam vt capacem illius, vel illius quantitatis. Alij eſſe materiam vt radicem, & cauſam quantitatis, quos & alios ad longum recenſet Suarez *in Met. diſp. 5. ſect. 3.* & Meldul. *in Met. diſp. 10. quæſt. 6. art. 1. num. 66. & ſeq.* & Serbellonus *in Met. diſp. 1. quæſt. 2. art. 4.*

Alii volunt eſſe formam, ſic Auer. Durand. *lib. 2. diſp. 3. quæſt. 2.* Zimara *Theor.* 97. Bacon. *lib. 3. diſput. 11. quæſt. 2. art. 2.* aliique Aueroiſtæ. Ad hanc claſſem ſpectant allj, qui volunt hoc principium indiuiduationis principale eſſe formam, materiam verò minùs principale, & potiùs conditionem ſine qua non; & videtur idem aſſerere etiam S. Doct. *lib. 2. diſtinct. 3. part. 1. art. 2. quæſt. 3. ad vltim.* de cuius mente infrà, &c.

Alii ſuſtinent principium indiuiduationis eſſe quandam realitatem vltimam, quæ eſt differentia, & quam appellant ob defectum vocabulorum hæcceitatem. Sic Scotus *lib. 2. diſt. 3. quæſt. 6. & quodlib. 12. & 7. Metaph. q. 13.* & omnes eius ſequaces

Qvid ſentiat Seraph. Doct. eſt valdè difficile dignoſcere ob varia dicta, & apparenter oppoſita. Attamen hanc opinionem, quam Scotiſtæ tenent fuiſſe veram, & germanam ipſius Seraph. Doct. mox apparebit euidenter, vt etiam adnotauit Ferchius doctiſſimus, fideliſſimuſque Bonauenturiſta *tom. 2. de Angelis q. 93.* & aliis locis. Hinc pro ſolutione quæſtionis, & vt pateat ſenſus Seraphicus, & veritas huius ſententiæ.

Primò Notandum, quod iſtæ voces vnum numero, indiuiduum, res ſingulares ſunt ſynonima, competuntque tam ſubſtantiæ, quàm accidenti ſingulari, vt notat S. Doct. *lib. 1. diſt. 25. art. 2. quæſt. 2. & lib. 2. diſt. 3. part. 1. art. 2. per totum, & aliis locis.* Suppoſitum verò, Hypoſtaſis, & Perſona competunt tantùm ſubſtantiæ; Suppoſitalitas enim eſt vltimus terminus ſubſtantiæ: Differunt autem ſic ex S. Doct. *lib. 3. diſtinct. 10. quæſt. 3. in corp.* Indiuiduum aliquid dicitur dupliciter, primò, quia dicitur de vno ſolo, quatenùs eſt quid indiuiſum in ſe, ſic albedo Petri eſt indiuiduum: ſecundò dicitur, quod eſt ab alio diuiſum, & ſubſiſtit in ſe, & per ſe, & propriè dicitur ſuppoſitum; indiuiduum primo modo importat incommunicabilitatem vt quod, non verò vt quo, ideſt implicat, quod diuidatur in partes, quarum quælibet ſit ipſum indiuiduum, & de qua poſſit prædicari in quid in recto, eo modo, quo communicatur, & prædicatur natura humana de Petro; & cum iſta incommunicabilitate adhuc ſtat, quod poſſit communicari vt quo, ſcilicet vel vt forma, ſicut anima rationalis corpori, & albedo hæc illi ſubiecto, vel per aliam vnionem, vt humanitas Chriſti per vnionem hypoſtaticam communicatur ſuppoſito Verbi. Suppoſitum verò indiuiduum eſt incommunicabile, & vt quo, & vt quod, quia dicit ſubſtantiam totaliter per ſe, & in ſe ſubſiſtentem vltimatè completam, & terminatam, quæ, ſi eſt in Angelo, vel homine, dicitur perſona ratione nobilitatis naturæ; ſi eſt aliarum inferiorum ſubſtantiarum, dicitur ſuppoſitum, vel hypoſtaſis,

ſunt

ſunt tamen à parte rei vnum, & idem ſuppoſitum, hypoſtaſis, & perſona, & differunt ſolùm per connotationem. Suppoſitum enim vt ſic connotat tantùm ſubſtantiam completam vt lignum lapidem, hypoſtaſis connotat ſubſtantiam ſenſitiuam, & perſona ſubſtantiam rationalem. Vide S. Bonauent. *lib. 3. diſtinct. 5. art. 2. quæſt. 2. ad 1. & diſt. 10. citat.* & *lib. 2. diſtinct. 3. part. 1. artic. 2. per totum*, & *lib. 1. & diſt. 25. per totam.* Indiuidualitas à Seraph. Doct. appellatur res naturæ, & indiuiduum quod; ſuppoſitum verò qui. Sic *lib. 1. diſt. 19. part. 2. quæſt. vltim.*

366. Secundò Notandum, quod circa principium indiuiduationis S. Doct. videtur ſibi parum conſtans, & nimium varius; nam *lib. 2. diſt. 3. p. 1. art. 2. quæſt. 2. & 3.* & *lib. 2. diſt. 18. art. 1. quæſt. 3. in corp.* & *lib. 3. diſt. 10. art. 1. quæſt. 3.* & *lib. 1. diſt. 19. part. 1. art. 1. q. 2. & q. 4. in corp.* firmiter ſemper docet indiuiduationem fieri ex coniunctione materiæ cum forma, & deindè *lib. 1. diſt. 25. art. 1. quæſt. 2. ad 1.* docet fieri per differentiam indiuidualem, quam appellat additionem contrahentem, vt ſuprà dictum eſt. Adeſt & alius locus non minùs difficilis in Seraph. Doct. nàm *lib. 2. diſtinct. 18. art. 1. quæſt. 3. in corp.* affert textum Ariſtotelicum *ex 1. cal. tract. 95.* cum dico Cœlum, dico formam, cum dico hoc Cœlum, dico materiam, & ibi loquitur de forma totius, quæ eſt quid compoſitum ex materia, & forma, ſiue ex genere, & differentia: eſt enim tertia entitas, ergo ſi ad illam tertiam entitatem, ſeu ad compoſitum (ly *hoc*) ideſt indiuidualitas addit materiam, in indiuiduo erit duplex materia, quod videtur implicatorium, quod & notauit etiam Ferchius *tom. 2. de Angelis quæſt. 94. num. 2. & ſeq.* quod tamen aſſerere de S. Doct. nefas eſſet, cum inter omnes Doctores Scholaſticos ſit conſtantiſſimus, & vnus, & idem ſemper in ſuis aſſertionibus, vt patet eius ſcripta euoluenti; quare vt ſenſus verus, & ſubtiliſſimus Seraph. Doct. pateat.

367. Tertiò Notandum, quod ſubſtantiam indiuiduari, poteſt eſſe Phyſicè, & Metaphyſicè, *lib 3. diſt. 5. art. 2. quæſt. 1. ad 4.* cum enim differentia indiuidualis ſit realitas Metaphyſica, debet & habere ortum à cauſa phyſica, à qua metaphyſicè emanat, vt euenit in omnibus realitatibus metaphyſicis, vt diximus *in tract. formalit.* Igitur indiuiduum ſit tale, & metaphyſicè, & phyſicè, quodnam igitur eſt principium phyſicum talis indiuidualitatis?

Respondetur ex S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 3. p. 1. art. 2. q. 3.* quod non eſt materia ſola, nec forma ſola, ſed eſt ex principiorum indiuiſione, & appropriatione, ſed principaliter à forma, minùs principaliter à materia, ob id dicit hanc concurrere, vt conditionem ſine qua non, ideſt vt partem minùs principalem; ipſa enim principia, dum coniunguntur inuicem, ſe appropriant, & faciunt indiuiduum, ſicut patet, cum impreſſio, vel expreſſio ſit multorum ſigillorum in cera, quæ prius erat vna, nec ſigilla plurificari poſſunt ſine cera, nec cera numeratur, niſi quia fiunt in ea diuerſa ſigilla; ſic & materia cum ſit homogenea, & vna de ſe; *ex lib. 2. diſtinct. 3. part. 1. art. 1. quæſt. 2. & 3.* & *lib. 4. diſtinct. 43. artic. 1. quæſt. 5. ad 6.* & ob id, quantùm eſt de ſe, in quauis portione ſua proportionali eſt receptiua cuiuſlibet formæ eiuſdem rationis; & formæ eiuſdem ra-

Digitized by Google

tionis ſunt ſimiliter informatiuæ cuiuſcumque partis materiæ; ſi ergo hæc forma iungatur huic parti materiæ, tunc reſultat tertia entitas, ſeu forma totius compoſiti, ex hoc quod vtrumque principium partiale internum eſt vnum, ex qua coniunctione contractum eſt quaſi fœdus maritale, & hinc in reſurrectione mortuorum anima habebit inclinationem non ad quodcumque corpus, & è conuersò, ſed ad ſuum proprium, cùm quo conſtituerat compoſitum indiuiduum; Quarè tria requiruntur: Primum eſt hæc materia, & forma; ſecundum eſt coniunctio materiæ, & formæ facta ab efficiente; Tertium eſt appropriatio huius materiæ ad hanc formam, ad quam conſtitutionem vnitatis indiuidui phyſici conſequitur eſſe diſtinctum ab alio, & ſurgit ex hoc numerus completus; Hæc S. Bonauent. quoad indiuiduationem phyſicam *loc. cit. ſuprà in tertio Not.* Ex quibus ſequitur, quod indiuiduatio phyſica formaliter, & phyſicè fit abſque vlla forma, vel entitate ſuperaddita, & patet ex traditis; nam phyſicè indiuiduum conſtituitur per ſua principia vnita, & in ſe indiuiſa, quod & notauit Guarinus *diſp. de indiuiduo exp. 5.* & infrà in Concluſionibus probabitur, ſed quia per hanc vnionem res vltimatè non diſtinguitur ab alia, nam licèt Petrus ſit hic homo, quia conſtat ex hac materia, & ex hac forma; hinc vlteriùs quærendum remanet, quonam à principio hæc materia, & hæc forma fuerint ſingularizatæ, & hoc eſt vltimatum indiuiduationis principium, de quo hîc eſt ſermo: hinc cum non poſſit vltimatè conuenire principiis phyſicis, debet fieri recurſus ad differentiam metaphyſicam; quarè quoad hanc indiuiduationem metaphyſicam addimus ex eodem Seraph. Doct. *lib. 1. diſtinct. 25. cit.* hanc fieri per differentiam indiuidualem, quæ ſicuti, & omnes alij gradus prædicamentales, realitateſque ſubſtantiæ trahunt originem ab ipſo compoſito phyſico ſubſtantiali, de quibus omnibus S. Doctor. *lib. 4. diſt. 50. part. 2. art. 1. quæſt. 1. ad vlt.* ſed quomodo dicit Seraph. Doct. quod indiuiduum addit ad formam totius, quæ phyſicè conſtat ex materia, & forma, & metaphyſicè ex genere, & differentia, nouam materiam, cum dico Cœlum, dico formam, ſcilicet totiùs, cum dico hoc Cœlum dico materiam? hinc

368. Qvartò Notandum, quod Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 25. art. 1. quæſt. 2. ad 1.* aſſignat paucis quidem, ſed ſuccoſis verbis diſcrimen, quod eſt inter differentiam ſpecificam, & indiuidualem dicens; In creaturis eſt ſpecificatio per additionem, ideſt differentiam complentem: Indiuiduatio eſt per additionem, ſeu appoſitionem contrahentem, & ideò cum dicitur ſubſtantia indiuidua, indiuiduum, ideſt indiuidualitas realiter addit ſuprà ſubſtantiam, & ſubſtantia indiuidua ſuprà naturam, ideò neceſſe eſt perſonam creatam eſſe compoſitam. Ex quibus poteſt inferri, quodnam diſcrimen ſit inter differentiam ſpecificam, & indiuidualem, & etiam in quibus conueniunt. Nam in ſpecificatione ſunt tria ſcilicet genus, & differentia, & ſpecies conſtituta: In indiuiduatione pariter ſunt tria, natura ſpecifica, differentia indiuidualis, & indiuiduum: Hinc ſicut in ſpecificatione differentia ſpecifica, ſi comparetur ad genus, habet illud cùm alia diuidere, & contrahere ad ſpeciem, hancque conſtituere, eique tribuere indiuiſibilitatem

Digitized by Google

bilitatem in alias ſpecies, in qua contractione, ait S.Doct. differentia complet, quia eſt perfectio in ordine quidditatiuo potentiæ quidditatiuæ & perfectior, & nobilior materiæ: Vnde fit, quod ſpecies eſt totum eſſe indiuidui, ſcilicet quidditatiuum: In indiuiduatione verò differentia comparata ad ſpeciem ipſam diuidit, & contrahit ad indiuiduum, cui tribuit eſſe omninò indiuiſibile in alia; hicque patet differentia inter vtramque, quia ſpecifica complet, Indiuidualis non complet, quia non ſpectat ad quidditatem indiuidui, ſed tantùm contrahit, & determinat ſpeciem ad eſſe indiuiduale vt principium formale indiuiduationis, ob id dicitur ſpectare ſolùm ad entitatem totam indiuidui, non verò ad quidditatem. Et hinc patebit, quarè hæc differentia indiuidualis appelletur nomine materiæ, non quod ſit materia partis, vel phyſica, ſed quia per comparationem ad naturam ſe habet potiùs vt materia, quatenùs dat indiuiduo ſubjicibilitatem, qua ſubſtat omnibus prædicatis ſuperioribus prædicamentalibus de ipſo prædicabilibus, & etiam accidentibus. Vnde S. Doct. *lib. 1. diſt. 23. art. 1. quæſt. 2. ad arg.* ait, quod prima ſubſtantia dicitur à ſubſtare tripliciter, ſcilicet alij inhærenti, nempè accidenti; Item alij diſtinguenti nempè differentiis. Item alij perficienti nempè naturæ communi perficienti, ergo prima ſubſtantia ſe habet vt materia perfectibilis, quam expoſitionem poſtmodum tradiderunt Scotus *lib. 2. diſtinct. 3. quæſt. 6. & quodlib. 2.* Rada *text. 2. contr. 3. art. 4.* Baccon. *lib. 3. diſp. 12.* Franc. Picolom. *lib. 3. de materia cap. 18.* Zabarella *lib. de nat. cœl. cap. 8.* aliique plures apud Mel. *in Met. diſp. 10. num. 74. & 75.* & hinc indiuiduum à Seraph. Doct. appellatur ſuppoſitum de quo, & in quo, de quo ſcilicet dicuntur prædicata ſuperiora, in quo totum eſſe rei ſtabilitur; ſic *lib. 3. diſtinct. 10. articul. 1. quæſt. 3. in corp.*

369. Qvintò Notandum hic, quod valdè diſcrepat hæc doctrina à Seraph. Doct. poſita ab illa Thomiſtarum quorundam, qui dicunt, quod differentia indiuidualis contrahit quidem naturam ſpecificam, attamen ipſam non actuat, ſeu perficit, ſed potiùs natura contrahitur, ſicut actus per ſuam potentiam, hinc à differentia indiuiduali potiùs imperficitur, & limitatur, cùm de ſe eſſet priùs omnimodè perfecta in omni gradu, alioquin non eſſet ſpecies athoma; Nos verò dicimus, quod differentia indiuidualis contrahit naturam ſpecificam, & contrahendo actuat eam non quidem in eſſe quidditatiuo, ſed tantùm in ordine entitatiuo, quia tribuit totum eſſe, quod indiuiduo competit in tota linea prædicamentali: Hinc tamen non ſequitur, quod hæc differentia ſit ſimpliciter perfectior ipſa natura ſpecifica, ſed tantùm ſecundùm quid, cùm illam actuet tantùm entitatiuè, & vt dicit S. Doct. *lib. 2. diſtinct. 3. cit.* accidentaliter, & in genere entitatiuo, ſiue potiùs hypoſtatico, quatenùs eam reddit incommunicabilem: His poſitis ſtat

370. Prima Conclvsio: Exiſtentia non eſt principium indiuiduationis rerum nec formale, nec radicale. Eſt communis D. Bonauent. D. Thomæ Scot. contra aliquos recentiores apud Paſqualig. *tom. 2. Met. diſp. 39. ſect. 1. apud* Meldul. *diſp. 10. num. 39.* qui optimè examinat plures rationes ab aliis adductas præcipuè à Suarez *diſp. 5. ſect. 5.* earumque imbecillitatem demonſtrat, & deindè affert hanc

potiſſimam ex Scoto *lib. 2. diſtinct. 3. quæſt. 3.* Quod ex ſe non eſt diſtinctum, & determinatum, non poteſt eſſe primum diſtinguens, ac determinans aliud, ſed eſſe exiſtentiæ eſt huiuſmodi, quatenùs diſtinguitur ab eſſe eſſentiæ, ergo. Probatur antecedens, quia eſſe exiſtentiæ non habet proprias differentias diuerſas à differentijs eſſentiæ: aliàs haberet propriam coordinationem diuerſam à coordinatione eſſentiarum, ſed determinatur præcisè ex determinatione alterius, ergo non determinat aliud. Confirmatur, illud, quod præſupponit coordinationem, & diſtinctionem alterius, non eſt prima ratio diſtinguendi ipſum, vel determinandi ipſum, ſed exiſtentia vt determinata, & diſtincta præſupponit ordinem, & diſtinctionem eſſentiarum: ergo. Coordinationes enim prædicamentales abſtrahunt ab exiſtentia actuali, ſiue communi, ſiue particulari, quia ponuntur in prædicamento res ſecundùm eſſe cognitum, &c. ſed ſubſtantia indiuidua ponitur in tali coordinatione: ergo abſtrahit ab exiſtentia.

Probatvr ſecundò: Nullum conſtitutiuum eſt poſterius natura ſuo conſtituto, ſed exiſtentia actualis eſt poſterior natura indiuiduo: ergo. Probatur minor: exiſtentia actualis eſt modus eſſentiæ, & ob id poſterior ipſa re, & eſt vltimus actus ordinatus ad conſtituendam rem extra cauſas, ergo ſupponit rem completam in ſuo ordine eſſendi prædicamentali, in quo eſt etiam indiuiduum, & patet, quia impoſſibile eſt, quod fiat exiſtens animalitas ſola abſque rationalitate, & cæteris prædicatis neceſſariis pro complemento entitatis. Confirmatur ex S. Doct. *lib. 2. diſtinct. 1. part. 1. artic. 3. quæſt. 2. in fine corp.* quia priùs eſt rem produci per ordinem ad agens, quàm ad eſſe, ſiue exiſtere: ergo indiuiduum præintelligitur natura in eſſe, quàm in exiſtere.

371. Obiicies primò: exiſtentia eſt vltimus actus, ergo vltimò diſtinguens indiuiduum ab alio, ergo & conſtituens ipſum.

Respondetvr concedendo antecedens de vltimò actu extrinſeco, & extra coordinationem prædicamentalem, negando de intrinſeco, ſicque extrinſecè etiam facit diſtinguere, non per id tamen infertur etiam conſtituere.

Obiicies ſecundò: Ad exiſtentiam actualem primò terminat generatio indiuidui; ergo eſt id, per quod eſt indiuiduum formaliter.

Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 5. art. 2. quæſt. 1.* quod generatio principaliter terminat ad naturam, ſed vt in hoc ideſt vt indiuiduam, & hinc etiam ad exiſtentiam concomitanter; ſic negatur Conſequentia.

Obiicies tertiò: Vnitas indiuidualis fundatur in eſſe rei, vt in radice, ſed exiſtentia eſt vltima ratio eſſendi rei, ergo fundatur in ipſa immediatè.

Respondetvr vnitatem indiuidualem fundari in eſſe indiuiduali, non in exiſtentiali, ſic negatur Minor, & Conſequentia.

Contra: Indiuiduatio non ingreditur eſſe intrinſecum rei, ſed eſt extra ipſum, vt quid conſequens; at exiſtentia ingreditur eſſe rei, & vltimò complet, ergo exiſtentia indiuiduationem, ergo erit fundamentum indiuiduationis.

Respondetvr: Indiuiduatio non ingreditur eſſe intrinſecum quidditatis rei, concedo, eſſe entitatiuum, nego: Ad minorem reſpondetur exiſtentiam ingredi rem vt modus, non vt prædicatum quidditatiuum, vel vt

differen

differentia; ſic negatur conſequentia.

372. Secvnda Conclvsio: Nec quantitas, nec collectio accidentium, nec ordo ad extrinſecas circumſtantias eſt principium formale indiuiduationis. Eſt S. Doct. *loc. cit. lib.* 2. *diſt.* 3. *& aliis.*

Probatvr primò de quantitate: Subſtantia prima non habet eſſe à quantitate: Accidens enim non poteſt eſſe ratio conſtitutiua, vel entitatiua ſubſtantiæ: ergo nec à quantitate habet indiuiduationem. Probatur ſequela, quia idem eſt conſtitutiuum, & diſtinctiuum, & ob id etiam idem tribuens eſſe vnum, ergo. Tum quia quantitas eſt quid poſterius productum à ſubſtantia, ergo. Tum quia ſequeretur ſubſtantiam poſſe eſſe ſimul, & ſemel indiuiduam, & non indiuiduam, quod eſt implicatorium. Poſſet enim Deus ſeparare ſubſtantiam à quantitate, & viceuerſâ, & tunc, &c.

Probatvr ſecundò de collectione accidentium. Accidentia non continentur in coordinatione prædicamentali ſubſtantiæ directa, ergo non poſſunt tribuere eſſe indiuiduale ipſi ſubſtantiæ. Tum quia ſubſtantia eſt ſemper prior omnibus accidentibus, & eſt ipſorum cauſa, ſed cauſa non poteſt cauſare, niſi ſit actu: ergo antecedenter eſt indiuidua. Tum probatur ex ſeparabilitate, vt ſuprà.

Probatvr tertiò quoad circumſtantias agentis, ſubiecti, loci, temporis, &c. Quia iſtæ circumſtantiæ ſunt indifferentes ad hoc, vel illud indiuiduum. Tum etiam quia datà illa combinatione accidentium adhuc poſſent dari alia indiuidua eiuſdem rationis non dependentia à talibus circumſtantiis; ergo non poteſt illa combinatio eſſe adæquata, & formalis ratio indiuiduationis ſubſtantiæ.

373. Obiicies: Porphyrium definire indiuiduum per collectionem indiuiduorum; ergo, cum ingrediantur eius definitionem, erunt de quidditate, vel ſaltem ipſum conſtituent in eſſe.

Respondet Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. id fieri ad oſtenſionem noſtram, & à poſteriori, &c.

Obiicies ſecundò: Diſcretio indiuidualis, & perſonalis eſt ſecundùm numerum, ergo ſecundùm quantitatem.

Respondet S. Bonauent. *ibid. ad vltim.* quod ſi intelligatur diſcretio ſecundùm numerum quoad eſſe intrinſecum, falſa eſt maior, quoad quid conſequens, tranſeat. Tum etiam quia duplex eſt vnitas, & diſcretio, ſcilicet intrinſeca, & ſubſtantialis, & accidentalis, &c. Vide *ibid.* S. Doct. in reſponſionibus ad alias obiectiones, quæ ſunt refertæ optimis doctrinis. Aduerte tamen, ne confundaris in lectione Textus Seraph. *ex lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. 2. *&* 3. quod ibi admittit quandam vnitatem numeralem entitatiuam antecedentem ad eſſe indiuidui, & ad numericam de genere quantitatis, prima vnitas eſt entitatiua ſcilicet conſequens ad eſſentiam rei abſque aliquo ſuperaddito, & dicit eandem rationem in toto, & partibus, vt in materia conſiderata ſecundùm ſe, & vt abſtracta ab omni forma, & quantitate, nam de ſe non habet indiuidualitatem, nec vnitatem numeralem propriam, ſed benè vnitatem quandam numericam entitatiuam homogeneitatis, quæ potiùs dicitur priuatiua, de quo agitur *in lib.* 1. *Phyſic.* de vnitate materiæ *lib.* 1. *quæſt.* 6. nunc ſat ſit pro intelligentia dictorum Seraph. Doct.

379. Ter

Digitized by Google

374. Tertia Conclvsio: Materia pura, ſiue ſignata quantitate non eſt principium indiuiduationis. Eſt S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quaſt.* 3.

Probatvr à Seraphico Doct. ſic primò: Quod eſt vnum de ſe in omnibus, non poteſt eſſe principium diſcretionis, ſed materia in omnibus materiatis eſt huiuſmodi; ergo. Maior patet, idem enim non poteſt eſſe ratio conuenientiæ, & diſconuenientiæ; ſed materia eſt ratio conuenientiæ indiuiduorum in ipſa communi ratione materiæ ergo: Tum quia materia eſt prima pura potentia, receptiua, paſſiua, indiuiduum verò vt tale dicit vltimam actualitatem, ſed actualitas non poteſt eſſe à potentia pura paſſiua, ergo nec indiuidualitas: Tum etiam ſi mutaretur materia à forma aëris ad formam aquæ, vel ignis, eſſet eadem vnitas materiæ, & diuerſitas indiuiduorum, ergo & eſſent ambo vnum indiuiduum.

Respondent communiter Thomiſtæ, tranſeat totum de materia vt ſic, negatur de ſignata quantitate; Ratio ipſorum eſt, quia incommunicabilitas, & vnitas, ſeu indiuiſio indiuidui ortum habet à materia, & diſtinctio à quocunque alio, à quantitate, ſic Ioan à S. Thom.

Contra, Materia ſignata quantitate ſupra materiam nudam non addit niſi ſignationem, ſeu diuiſionem, ſed talis ſignatio ad nihil deſeruit, ergo nulla reſponſio: Probatur Minor, quia illa ſignatio vel eſt eadem cùm materia, vel non, non primum, quia nullum dependens à poſteriori poteſt eſſe idem realiter priori, ſed ſignatio dependet intrinſecè à quantitate; ergo eſt quid poſteriùs ſubſtantia: ergo. Nec ſecundum, quia eſt accidens realiter diſtinctum à materia, at nullum accidens poteſt indiuiduare ſubſtantiam, vt probatum eſt.

375. Probatvr ſecundò, Quod eſt neceſſaria conditio alicui cauſæ in cauſando, non poteſt habere eſſe à cauſato, ſed ſignatio materiæ ſecundùm Aduerſarios eſt conditio neceſſaria, vt materia ſit principium indiuiduationis, & quantitas oritur à materia, ergo ſubſtantia nequit habere eſſe indiuiduum à quantitate, quæ eſt cauſata à ſubſtantia. Maior eſt certa: Cauſa enim ſecundùm totum ſuum eſſe præcedit naturaliter effectum, ſed illa conditio indiuidui pertinet ad eſſe cauſæ: ergo conditio illa non poteſt habere eſſe ab effectu, ſcilicet à quantitate: Tum etiam quia eadem materia cum eadem quantitate poteſt eſſe in genito, & in corrupto, ergo tunc non eſſet ratio indiuiduationis.

Obiicivnt Thomiſtæ plures Textus Ariſtotelis aſſerentis materiam eſſe principium indiuiduationis, & præcipuè ſuprà allatum, cùm dico Cœlum, dico formam, cùm dico hoc Cœlum, dico materiam, vt videre eſt apud Ioan. à S. Thom. *de generat. quaſt.* 9. *art.* 4. & apud Meldul. *diſp.* 10. *num.* 94. *& ſeq. & num.* 78. *& ſeq.* Quibus omnibus.

Respondetvr Ariſtot. vel loqui de principio phyſico, non de formali Metaphyſico indiuiduationis, vel loqui de differentia indiuiduali, quæ appellatur nomine materiæ, vt dictum eſt ſuprà in Not. Tertio.

Obiicivnt ſecundò: Omnis proprietas debet reduci ad vnum primum ſubiectum, ergo & incommunicabilitas, & irreceptibilitas, & ſubjicibilitas indiuidui, ſed materia eſt primum ſubiectum receptiuum, & irreceptibile,

ceptibile, ergo omnis ratio indiuidui, quatenùs eſt incommunicabile vt quod, & aliis ſubiicibile ad materiam, vt ad propriam cauſam debet reduci.

376. Respondetvr concedendo antecedens de proprietatibus eiuſdem rationis, negando de diuerſis: Ad minorem, & probationem reſpondetur incommunicabilitatem,& ſubjicibilitatem dici de materia, & de indiuiduo æquiuocè, nam materia eſt communicabilis vt quod, vt ſic enim in communi diuiditur in hanc, vel illam, & eſt irreceptibilis, & incommunicabilis vt quo, quia non poteſt eſſe forma alteri: Indiuiduum verò eſt incommunicabile vt quod, & communicabile vt quo. Item materia eſt ſubiectum primum per ordinem ad formas diuerſæ rationis; at Indiuiduum eſt ſubiicibile gradibus prædicamentalibus eiuſdem rationis ſibi identificatis: Vnde aliundè deſumendæ ſunt iſtæ conditiones.

Obiicies tertiò, cui per ſe primò repugnat communicari pluribus eo modo, quo vniuerſale communicatur inferioribus, illud eſt principium indiuidui, ſed materia ſignata eſt huiuſmodi, quia ita eſt vnius, quod impoſſibile eſt eſſe alterius cum tali ſignatione, ergo: Minor eſt Ariſt. *ex 2. de an. tract.* 41. vbi dicit, quod omnium natura conſtantium determinata eſt ratio magnitudinis, & augmenti. Confirmatur, quia ſi materiali indiuiduo præter mateтiam ſignatam quodcunque aliud remoueas, adhuc remanebit incommunicabilis ſubſtantia, non autem ſi auferatur, ergo.

Respondetvr negando Minorem, nam,vt dictum eſt,materia ſignata cum eadem ſignatione poteſt ſucceſſiuè eſſe ſub diuerſis formis, & plura indiuidua numero,immò ſpecie diuerſa conſtituere, patet hoc, quia in ſubſtantiis homogeneis id euenire poteſt, nempè quod plures formæ, verbi gratiâ, in aqua, in aëre retineant eandem materiam cum eiſdem dimenſionibus; Tum etiam per miraculum, vt ſi ſub eiſdem numero accidentibus Euchariſtiæ Deus poneret aliam ſubſtantiam panis, ex quo patet indiuiduationem intrinſecè non pendere à materia vt ſignata quantitate, ſed tantùm extrinſecè. Nec Ariſt. aliquid probat ad hanc rem, ſed intendit tantùm viuentia exigere certam menſuram debitam tali ſpeciei non indiuiduo ſoli; Hinc ad confirmationem conceditur antecedens ex hac parte, ſcilicet quod ablatâ materia ſignata, non ampliùs erit indiuiduum, idem etiam ſi auferatur forma non ex hoc, quod ſint principium formale indiuiduationis, ſed quia ſunt principium phyſicum ſubſtantiæ compoſitæ indiuiduæ; Hinc abſolutè loquendo negatur antecedens in ſenſu Aduerſariorum, & ſimul conſequentia: Et patet falſitas antecedentis ex hoc, quod etiam ipſa materia ſignata eſt indiuidua, & ſingularis vt quod, ergo per aliam materiam ſignatam erit talis, tum ex indiuiduatione Angelorum, à quibus ipſi omnem materiam remouent.

377. Qvarta Conclvsio: Forma ſiue partis, ſiue totius nequit eſſe principium per ſe indiuiduationis. Eſt S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 3. cit.* Scot. & aliorum cit.

Probatvr à Seraph. Doct. Quod ex ſe eſt multiplicabile in plura eiuſdem rationis, non eſt ratio eſſendi incommunicabile in plura, quodque eſt ex ſe multiplicabile, non eſt ratio conſtituens in eſſe immultiplicabili ſed omnis forma cauſata quantùm

ex ſe eſt, ſiue ſit partis, vt anima rationalis, ſiue totius, vt humanitas eſt communicabilis, & plurificabilis, conſtitutiuum indiuidui eſt ratio conſtituens in eſſe immultiplicabili, & indiuidui: ergo. Maior eſt certa: Idem enim formaliter non eſt ratio neceſſariò duorum formaliter oppoſitorum. Minor probatur, quia omnis forma creata nata eſt habere ſimilem, vt docet Ariſtot. 7. *Met. tract.* 77. vt patet in Sole, & Luna, & probat S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *art* 2. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 3. *cit.* & id maximè patet in indiuiduis cauſatis ex diuiſione continui.

Obiicies primò ex Ariſtot. 1. *Phyſ. tract.* 69. appellante formam hoc aliquid, *&* 2. *de an. tract.* 2. ait per formam fieri hoc aliquid, ergo per formam fit ſingulare.

Respondetur cum communi interpretum, hoc aliquid ſumi æquiuocè aliquando pro indiuiduo; aliquando pro certa, & determinata ſpecie, & quidditate, & vt quo; ſic forma eſt ratio, per quam ſpecies habet determinatam eſſentiam.

Obiicies ſecundò, ab eodem eſt aliquid, & vnum, quia idem eſt eſſe, & vnum eſſe, ſed per formam aliquid eſt, ergo & eſt vnum, ergo & indiuiduum; Maior, & Minor patet, quia ad formam eſt terminus generationis, ergo & ipſa eſt ratio indiuidui.

Respondetur concedendo Maiorem de eodem eſſe vel ſpecifico, vel indiuiduali. Ad minorem reſpondetur per formam rem habere eſſe ſpecificum, ipſamque cùm materia eſſe principium phyſicum generationis efficiens, non formale, & metaphyſicum, & vltimatum. Ad probationem reſpondetur ad formam vt quo terminare generationem, non vt quod, quia eſt ad totum, & ad naturam, ſed vt in hoc, ideſt per aliud indiuiduatam.

Addunt hîc plures Scotiſtæ ſcilicet Faber *Theor.* 90. aliique; quod licèt à forma non deſumatur indiuiduatio, deſumitur tamen ab vltima realitate formæ, quæ eſt hæcceitas; nam in ea clauduntur multæ realitates, (licèt rejiciatur à Meldul. *diſp.* 10. *n.* 96. *& ſeq. &* 102.) non quoad indiuiduationem ipſius formæ, ſed compoſiti, quod eſt & conforme Seraphicis principiis; vult enim, quod differentiæ emanent à toto compoſito non à parte licèt principaliter ratione formæ, vt diximus in Cap. de differentia.

378. Quinta Conclusio: Materia, & forma vnitæ, ipſarumque appropriatio ſunt cauſa phyſica indiuiduationis phyſicæ indiuidui, eſt & S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 3. *& aliis loc. cit.*

Probatur, quia indiuiduatio non oritur ex materia ſola, nec ex forma ſola, at ineſt in compoſito per aliquid intrinſecè exiſtens in compoſito; ergo ratione materiæ, & formæ vnitarum. Tum quia ideò eſt hoc compoſitum vnum numero, quia conſtat ex hac materia, & ex hac forma vnitis; ergo. Tum quia principia phyſica eſſendi ſunt etiam & vnitatis phyſicæ, ſed hæc materia, & hæc forma ſunt huiuſmodi: ergo. Et hinc infertur vnionem materiæ, & formæ eſſe principium indiuiduationis cauſaliter non formaliter, &c. quod & plures docent cùm Meldul. *diſp.* 10. *Met. num.* 105. *&* 109.

379. Sexta Conclusio: Principium formale indiuiduationis metaphyſicæ naturæ eſt aliquid poſitiuum ſuperadditum ipſi naturæ ſubſtantiali, quod eſt vltima realitas ab ipſo emanans, & diſtincta formaliter ab ipſa, quæ à Scotiſtis appellatur hæcceitas, à Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 25. *art.* 1.

art. 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. additio ideſt appoſitio, ſeu differentia contrahens.

P**ROBATVR** prima pars: Natura de ſe non eſt formaliter ſingularis, ergo eſt per aliquid ſuperadditum, ſed id eſt quid poſitiuum, nec ſunt materia, nec forma, nec vnio ipſarum, nec exiſtentia, nec accidentia, ergo eſt aliud nempè vltima realitas differentialis: Maior iam aliàs *in tract. de Vniuerſ. & communitate naturæ* eſt probata contra Nominales, & vlterius confirmatur, quia humanitas de ſe eſt indifferens ad eſſe in Petro, & in Paulo, ergo requirit ex ſua ratione formali habere eſſe determinatum. Tum quia ſi natura generica ſpecificatur ob ſuam indifferentiam per differentiam ſpecificam, ergo & ſpecifica per indiuidualem ſuperadditam determinabitur, non enim eſt maior ratio de illa, quam de iſta. Tum quia ſequeretur, quod indiuidua de ſe poſſent eſſentialiter mutuò prædicari, nempè ſi ſeipſis indiuiduarentur naturæ, & non per aliquid ſuperadditum formaliter ex natura rei, quod eſt falſum; quod enim ineſt alicui ex natura ſua, ſemper ei ineſt, ergo ſi natura de ſe eſt determinata cum Petreitate, vbicumque erit, erit etiam cum ipſa. Tum quia, (vt arguit Scotus) omnis differencia differentium reducitur ad aliqua primò diuerſa, cùm enim in aliquo conueniant, & per aliud differant, neceſſariò debet dari ſtatus in eorum differentia, ſed indiuidua propriè in aliquo conueniunt, ſcilicet in natura, & in alio differunt, cùm ſint aliquid idem entia, ergo aſſignari debet, in quo ſunt primò differentia, ſed tales ſunt differentiæ indiuiduales, ergo per has ſuperadditas differunt. Probatur Minor, quia in natura indiuidua conueniunt, ergo ſolùm in differentia diſconueniunt, ergo per aliquid ſuperadditum. Quod verò hoc ſuperadditum ſit quid poſitiuum, & eſt minor principalis argumenti, patet. Tum quia per id poſitiuè differunt indiuidua. Tum quia indiuiduum conſtituitur in eſſe poſitiuo per ipſum. Tum quia indiuiduum eſt maximè ſubſtantia, & perfectior, quàm ſecunda ſubſtantia; ergo.

P**ROBATVR** ſecunda pars nempè talem differentiam eſſe à natura diſtinctam formaliter. Natura formaliter non eſt ſingularis, aliàs nunquam poteſt fieri vniuerſalis, ergo diſtinguitur formaliter à ſingularitate; quæ Concluſio aliàs probata eſt *in tract. de natura communi*, vbi etiam probauimus talem diſtinctionem formalem in eſſe inter gradus prædicamentales, ipſoſque facere aliquam compoſitionem, inter quos eſt hæc vltima realitas.

380. O**BIICIES** primò contra primam partem Concluſionis cum Nominalibus; nulla res extra animam eſt, quæ non ſit ſingularis ex Ariſtot. ergo natura non eſt indiuidua per aliquid ſuperadditum.

R**ESPONDETVR**, quod omnis res eſt ſingularis vel extrinſecè, vel intrinſecè; natura eſt ſingularis extrinſecè, ideſt per aliquid ſuperadditum non incluſum formaliter in ratione formali quidditatis; indiuiduum verò eſt ſingulare intrinſecè; ſicque natura extra animam non eſt ſingularis de ſe, &c.

O**BIICIES** ſecundò: Id, quod eſt additum, vel eſt eſſentiale, vel eſt accidentale; ſi primum, ergo indiuidua diſtinguuntur per eſſentiales, & ſpecificas differentias; ſi ſecundùm, ergo indiuiduum erit ens per accidens, ſicque ſpecies non poterit prædicari de indiuiduo per ſe. Hoc argumentum conficitur à Ioan. à S.Th. & aliis Thomiſtis, qui

Digitized by Google

& ipſum confirmat ferè iiſdem terminis, ſed occurrit optimè Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. dicens, quod indiuidualitas, ſi ſumitur quoad entitatem, eſt ſubſtantialis, & in eodem ordine prædicamentali; ſi quoad modum, eſt accidentalis, ideſt non incluſa formaliter in quidditate naturæ indiuidui, nam natura dicit quid, Indiuiduum dicit qui, vel quis, ex *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *quæſt. vlt.*

Instat Heruæus magno apparatu verborum: Iſta differentia, vel eſt ſubſtantia, vel accidens; ſi primum, ergo vel materia, vel forma, vel compoſitum ex Ariſt. ſi ſecundum, ergo indiuiduatur res per accidens.

Respondetur, nec eſſe ſubſtantiam in recto, nec accidens, ſed eſſe realitatem metaphyſicam ſubſtantiæ, vel accidentis diſtinctam formaliter à ſubſtantia, identicè verò eſſe ſubſtantiã, & ſi eſt accidentis, eſſe accidens.

Obiicies Tertiò: ſi quælibet res indiuiduatur per aliquam differentiam ſupperadditam, ergo & in compoſito erunt plures differentiæ indiuiduales, & primò erunt tres ſcilicet in materia, forma, & compoſito, deinde in partibus integrantibus, & in accidentibus exiſtentibus in ſubſtantia, ſed hoc eſt multiplicare entia ſine neceſſitate, & darentur etiam plures exiſtentiæ.

381. Hoc argumentum petit ſolutionem plurium difficultatum tangentium indiuiduationem partium, & accidentium, quæ dabitur in ſequenti quæſtione; Pro nunc reſpondetur in compoſito ſubſtantiali dari tres indiuidualitates ſcilicet pro materia, forma, & tertia entitate, quæ ex Seraph. Doct. diſtinguitur realiter à ſuis partibus, vt dicetur proprio loco: Verum quidem eſt, quod in doctrina Seraphica propriè materia non eſt indiuidua de ſe, ſed habet tantùm vnitatem numericam entitatiuam, ſic *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. Idem & dicendum de forma licèt magis propriè: Vnde negatur conſequentia, cum iſtæ indiuidualitates non ſint propriæ, &c.

Instant, Si differentia indiuidualis emanat à compoſito ex materia, & forma, ergo in entibus ſimplicibus non erit aliqua differentia; nec in Angelis.

Respondetur differentiam indiuidui, quod eſt prima ſubſtantia completa, quales ſunt etiam Angeli, & anima rationalis, oriri ex compoſitione materiæ, & formæ: In cœteris oriri ex propria entitate phyſica, vt in ſequenti quæſtione dicetur.

Instabis; Ergo ſi ad multiplicationem entitatum phyſicarum multiplicantur differentiæ indiuiduales, multiplicabuntur etiam ad multiplicationem realitatum: Probatur conſequentia; nam prius concipitur in homine hæc ſubſtantia, hoc corpus, &c. quam hic homo, ſed id eſt abſurdum, cum vna ſit ſatis.

Multi Scotiſtæ admittunt Conſequentiam, & negant id eſſe abſurdum. Vide Meldul. *log. diſp.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 3. *& in Met. diſp.* 10. *num.* 135. At nos.

Respondemus ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. & ad* 2. quod differenti modo proceditur in cognitione graduum metaphyſicorum, & in eorum productione, nam metaphyſicus procedit ab vniuerſalibus vſque ad indiuiduum; At via generationis priùs eſt hic homo, quam ſit hoc animal, hoc vivens; & hinc omnes gradus per vnicam differentiam habent eſſe determinatum; Ratio eſt, quia gradus indiuidualis, adhoc vt contrahat ſpeciem, ſupponit eam in

ſuo

Digitized by Google

ſuo eſſe quidditatiuo, non entitatiuo completam: Vnde, ſi dantur indiuidua generica, dantur per conceptus intellectus inadæquatos, vt diximus *cap. de genere*, Nec valet paritas de entitatibus phyſicis, nam iſtæ, cùm habeant propriam exiſtentiam, & ſint terminus per ſe phyſicæ cauſalitatis, etiam habent proprias differentias; non ſic gradus metaphyſici.

Obicies quartò ex Caiet. *de ente, & eſſentia cap. 2. quæſt. 3. & 4.* Actus ſingularis ſupponit potentiam ſingularem *ex 2. Phyſ. tract.* 38. debent enim proportionari ad inuicem; ſed differentia indiuidualis eſt actus ſingularis, ergo ſupponit naturam ſingularem; ergo eam non reddit talem: Confirmatur, quod conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri eiuſdem ſpeciei, ſupponit eorum diſtinctionem; ſed Petreitas Petri repugnat Paulo; ergo ſupponit antecedenter ipſos diſtinctos indiuidualiter.

Hvic argumento tenentur reſpondere & ipſi Thomiſtæ admittentes differentias indiuiduales, quicquid ponant enim pro differentia indiuiduali, certum eſt id debere eſſe actum ſingularem, ſicque & ſupponere naturam ſingularem.

Nos tamen Reſpondemus, actum eſſe ſingularem vel vt quo, vel vt quod: Primo modo differentia eſt per ſe primo ſingularis; ſecundo modo eſt ipſum indiuiduum: hinc maior deſumpta ex Ariſt. verificatur de actu, & potentia phyſica, quæ ad actum debet præexiſtere, non de metaphyſica quæ ſunt realiter idem; quorum proportio non habet conſiſtere in ſingularitate, ſed in tali ratione, quod vnum non deſtruat rationem alteriùs: Vnde actus debet eſſe ſingularis vt quo, natura verò, quæ eſt in potentia eſt contrahibilis per differentiam, & ob id & cõmunicabilis pluribus: Valet etiam illa propoſitio, & proportio ſic, quod actus ſi eſt ſingularis vt quod, & potentia debet eſſe talis; ſic hæc anima ſupponit hoc corpus: Ad Confirmationem reſpondetur, ſi illud, quod conuenit vni, & repugnat alteri, eſt prima ratio conſtitutiua illius, negatur debere præſupponi diſtinctionem eorum; ſic etiam rationale conuenit homini, & repugnat aſino, nec tamen præſupponit eorum diſtinctionem ſpecificam, ſed eam facit; ſi verò id eſt quid conſequens, vt eſt aptitudo, verbi gratiâ, riſibilitas, &c. id non facit ad rem, cum differentia indiuidualis faciat diſtinguere.

Obicies quintò: Indiuidualitates, ſi ſunt intra eandem ſpeciem, important conuenientiam, & maiorem, quam inter diuerſas ſpecies; ergo non ſunt primò diuerſæ.

Respondetvr ex S. Doct. *lib. 1. diſtinct. 25. art. 2. quæſt. 1. & 2.* Indiuidualitates conuenire in aliquo conceptu abſtracto per intellectum ſecundùm conſimilem habitudinem, qui cùm ſit inadæquatus, non tollit, quin à parte rei ſint primò diuerſæ; & ſi datur maior conuenientia in aliquibus ideſt non ratione ſui, ſed ratione naturarum, quibus identificantur, de ſe enim ſunt partes à parte rei.

382. Obicies contra aliam partem Concluſionis, ſcilicet quod ſit quid negatiuum ipſa indiuidualis differentia. Indiuiduum formaliter eſt tale per indiuiſionem, ergo per negationem diuiſionis.

Respondetvr ex doctrina in ſimili Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. nct. 25. art. 2. quæſt. 1.* & *lib. 1. diſtinct. 24. art. 1. quæſt. 1.* quod licèt explicetur per negationem, tamen verè impor-

Digitized by Google

tatur poſitio, quatenùs indiuiduum eſt tale per gradum vltimum prædicamentalem.

Obiicies contra vltimam partem Concluſionis ex Paſqualig. *diſp.* 40. *ſect.* 3. Indiuiduatio diſtinguit vnum indiuiduum, eiuſque naturam ab alio adæquatè realiter, & ſecundùm eſſe phyſicum; ergo à natura non diſtinguitur ſolùm formaliter; Probatur conſequentia, quia nihil realiter ab alio diſtinguitur per quid extrinſecum, ſed per intrinſecum propriæ entitatis; eadem enim ſunt principia conſtitutiua, & diſtinctiua, ergo differentia hæc eſt idem omnino cum indiuiduo, & natura eius.

Respondet Meldul. *diſp.* 10. *num.* 28. concedendo antecedens, negando conſequentiam: Ad probationem reſpondetur diſtingui illa indiuidua penes differentias, quatenùs identificantur realiter cum natura, quia ſic ſunt capaces exiſtentia, & ſecundùm hanc identificationem diſtinguuntur, non penes extrinſeca, ſed penes intrinſeca talis entitatis.

Instat Paſqualig. Natura à parte rei in quolibet indiuiduo diſtinguitur à propria indiuiduatione; ergo, vt diſtinguitur, habet ſibi appropriare talem differentiam, quæ eſt ſibi extrinſeca, cùm non includatur in eius ratione formali; ergo requirit aliquid determinatiuum, per quod ſibi eam appropriet, & tranſeat à ſua indifferentia, ergo per illud determinatiuum erit ante indiuiduationem indiuidua.

Respondetur huic argumento, & ipſos Thomiſtas teneri reſpondere, cùm dicant talem differentiam diſtingui virtualiter,& naturam appropriare ſibi eandem differentiam: Nos verò reſpondemus concedendo antecedens, negando conſequentiam; & ad probationem reſpondetur, quod determinatio per extrinſeca competit entibus realiter diſtinctis, vt materiæ per diſpoſitionem ad formam in ordine ad conſtituendum compoſitum; At negando, quod requiratur talis determinatio in formalitatibus metaphyſicis, nam ex vi productionis talis naturæ determinatur ad eſſe in Petro, & non in alio genere, in genere enim efficientis, & in genere formali per indiuiduationem ſibi realiter identificatur; producitur enim natura (ait. S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1.) vt in hoc.

QVÆSTIO IV.

An entia incompleta habeant propriam differentiam indiuidualem.

383. Plvra entia incompleta enumerantur à Philoſophis; hæc ſunt vel ſubſtantialia, vel accidentalia: ſubſtantialia ſunt materia, & forma; item & partes heterogeneæ, & homogeneæ, & realitates ſubſtantiæ; Accidentalia ſunt ipſa accidentia; quia dependent à ſubſtantia, & eorum realitates, item & modi extrinſeci; Quæritur ergo, an omnia iſta habeant propriam differentiam.

Thomistæ conſequenter ad ſua principia docent materiam indiuiduari per ordinem ad formam, & quantitatem verò per ordinem ad materiam, item & formam quamlibet etiam animam rationalem per ordinem ad ſubiectum, idemque dicunt de accidentibus; ſic Ioan. à S. Thom.

quæſtione 1. *de generat.* aliique.

Scotvs, & Scotiſtæ vnanimiter docent omnia entia incompleta, & etiam accidentia indiuiduari propria indiuidualitate, ſed circa realitates diuiſi ſunt inter ſe; Nam aliqui ſuſtinent habere proprias differentias indiuiduales, vnde dicunt dari hoc corpus, hoc viuens, hoc animal immediatè, ſic Pontius *diſputat.* 6. *Log.quæſt.*9.*num.* 3. Albertinus *tract.*2. *princip.* 1. *Philoſ. quæſt.* 10. *dub.* 2. *Concl.* 1. Hurtad. citatur etiam à Meldul. *diſp.* 4. *Met. ſect.* 3. aliique, ſed malè, nam *in loco cit.* nec facit verbum de formalitatibus, & iure meritò, nam eas negat alibi: Oppoſita ſententia eſt communior, & vera negans, ſed ſuſtinens indiuiduari per differentiam rei, cuius ſunt realitates.

S. Doct. videtur ſtare cum Thomiſtis, cùm pluribus locis dicat accidentia numerari ad numerationem ſubiecti, ſic *lib.* 2. *diſt.*26. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 3. *& diſt.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.*3. & *lib.* 4. *diſtinct.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 3. & *lib.* 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſtinct.* 13. *art.* 3. *quæſt.* 2. *aliiſque locis*, & communiter citatur pro hac ſententia, ſed immeritò, vt videbimus, nam & ipſe ſuſtinet oppoſitam, vt mox patebit; Pro cuius ſolutione.

384. Primò Notandum, & ſupponendum cùm communi ex Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 50. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad vlt.* quod ordo prædicamentalis in eadem linea eſt ab indiuiduo aſcendendo vſque ad genus generaliſſimum, & è conuerſò deſcendendo terminatur ad indiuiduum, idem & habet *lib.* 2. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. Vnde ſequitur, quod, quidquid ſpectat ad rationem indiuidui formaliter ſumpti, debet collocari in eodem ordine, & linea.

Secvndò Notandum, & ſupponendum ex traditis *in tract. formalit. q.* 1. quod omnes realitates, quales præcipuè ſunt omnes gradus metaphyſici incipiendo ab indiuidualitate, cùm non habeant propriam exiſtentiam, trahunt ſuam originem per emanationem ab ente phyſico, ſiue à re habente propriam exiſtentiam, & quæ eſt per ſe terminus phyſicæ cauſalitatis: Vnde ſequitur, quod iſta entia quæcunque illa ſint, dum habent propriam exiſtentiam, etiam neceſſariò habent ſuam differentiam indiuidualem cum cæteris realitatibus; Cùm hoc diſcrimine tamen, quod accidentia phyſica, cùm ortum habeant aliundè, nempè vel à ſubiecto, in quo ſunt, vel ab alia cauſa extrinſeca, vt ſunt gratia Diuina, lux in aëre, & ſpecies intentionales in ſpeculo, & in oculo, quæ ortum habent à ſuo principio originali, non à ſubiecto, in quo ſunt, vt docet S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 3. *quæſt. vlt.* & aliis pluribus locis; Hinc cùm accidentia omnia habeant eſſe phyſicum à ſubſtantia, conſequenter etiam compoſitionem metaphyſicam, & gradus metaphyſicos habent quidem emanantes ab ipſis, ſed cum dependentia à ſuo principio, vel à ſubiecto, id tamen non officit, quin habeant propriam differentiam indiuiduantem, quod vt meliùs percipiatur.

Tertiò Notandum ex S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp. & ad* 3. quod accidens poteſt ſumi dupliciter; Primò formaliter, & abſolutè in ſe: Secundò materialiter per ordinem ad cauſam, & ſubiectum, & ratio formalis accidentis eſt prior in accidente; materialis eſt poſterior Vnde accidens non multiplicatur ad multiplicationem ſubiecti, niſi præintelligatur multiplicatio formalis accidentis, & niſi

Digitized by Google

niſi etiam multiplicetur illa ratio, ſecundùm quam dicitur ſubiectum. Ex qua vera doctrina infertur, quod in eodem ſubiecto numerantur, vel diuerſificantur numero accidentia, quando adeſt diuerſa ratio formalis accidentium, vt verbi gratiâ, in eodem pomo albedo, & dulcedo, illa eſt ſecundùm rationem diaphani, iſta ſecundùm rationem humidi prædominantis, vnitas verò ſubiecti in hoc caſu ſe habet materialiter tantùm. Hinc infert S. Doct. quod plura accidentia poſſunt eſſe in eodem ſubiecto ſecundùm ſe, ſic plura lumina in eodem aëre, plures ſpecies in eodem oculo, ſic *lib. 2. diſt. 13. quaſt. vltim. ad arg.* Iſta enim habent ſingula diuerſam rationem formalem principij, & entitatis, quando verò in illis adeſt vnica ratio formalis in eodem ſubiecto, tunc numerantur ad multiplicationem ſubiecti, & habent vnitatem ex vnitate ſubiecti, vt multiplex albedo in pariete: Vide Seraph. Doct. *ibid.* & *lib. 2. diſt. 26. art. 1. quaſt. 5. ad 2. & 3.* Id tamen euenit ex ipſa ratione formali accidentium vt à priori, ex ſubiecto verò à poſteriori. Quibus præmiſſis ſit.

385. PRIMA CONCLVSIO: Entia incompleta habentia propriam exiſtentiam, & quæ ſunt terminus per ſe phyſicæ cauſalitatis, habent propriam differentiam indiuidualem; ea verò, quæ carent propria exiſtentia, indiuiduantur per differentiam rei, in qua ſunt.

PROBATVR prima pars: Differentia indiuidualis eſt realitas metaphyſica emanans à re phyſica, ſed hæcceitas eſt talis, ergo emanat à quacunque re phyſica; at multa entia incompleta ſunt exiſtentia propriè, & per ſe, & ſunt terminus phyſicæ cauſalitatis per ſe; ergo & habent effectum metaphyſicum differentiæ. Maior patet ex traditis in prima quæſtione formalitatum. In quacunque enim entitate phyſica adſunt propriæ formalitates; Minor eſt certa: Subſumpta Minor patet de materia, forma, de modis extrinſecis, quæ, vt probauimus *in quaſt. de diſtinct. reali*, ratione productionis peculiaris ſunt tales ſcilicet terminus phyſicæ cauſalitatis. Tum quia, vt probatum fuit *in quaſt. 5. de Vniuerſ.* in communi omnia entia incompleta habentia propriam exiſtentiam poſſunt fundare vniuerſalitatem logicam, ob idque & ſunt capacia coordinationis prædicamentalis generum, ſpecierum, & indiuiduorum; ſunt enim prædicabilia, vt ſumpta in communi de ſuis inferioribus cùm fundamento verò in re. Tum quia, vt infrà dicetur, nullum ens indiuiduatur per rem alterius generis, cùm non intret in eius coordinationem prædicamentalem. Hocque eſt conforme doctrinæ Seraphicæ traditæ in cit. locis. Tum & *lib. 2. diſtinct. 1. part. 2. art. 3. quaſt. 1. in fine*; id fatetur de anima rationali; tum *lib. 2. diſt. 3. part. 1. art. 2. quaſt. 3. in corp. de materia*, quæ eſt de ſe vna vnitate vniuerſalitatis, & & etiam numericè, licèt ſit imperfectiſſima vnitas.

QVOD poſteà realitates carentes propria exiſtentia indiuiduentur differentia indiuiduali rei, cuius ſunt realitates, patet ex traditis, cùm non habeant proprium eſſe phyſicum, &c.

SED dices ex ſuprà traditis, exiſtentia non eſt principium indiuiduationis, ergo ex hac non poteſt inferri indiuidualitas.

RESPONDETVR negando conſequentiam; nam ex exiſtentia tanquam à ſigno poſteriori infertur indiuiduatio rerum, &c.

Digitized by Google

386. Secvnda Conclvsio: Accidentia phyſica, & realia indiuiduantur per propriam hæcceitatem, & non per materiam, vel ſubiectum.

Probatvr primò à Scoto; Principium indiuiduationis formale rei debet eſſe eiuſdem generis cum ipſa re indiuidua, quia ſpectat ad eandem coordinationem prædicamentalem; ergo accidentia non poſſunt habere pro principio formali indiuiduationis ſubiectum, quod eſt alterius generis. Tum quia accidens de ſe præciſo ſubiecto eſt vnum per ſe, & prædicabile de ſuis inferioribus eſſentialiter; ergo habet in ſuo ordine differentiam indiuidualem, aliàs eſſet prædicatio accidentalis.

Respondent Thomiſtæ indiuiduari accidens non præcisè, & intrinſecè per ſubiectum, ſed per ordinem, & habitudinem ad ſubiectum, quæ eſt accidenti intrinſeca.

Contra, hæc habitudo vel eſt actualis, vel aptitudinalis; ſi primum, vt tenentur fateri, quia cauſa, ad hoc vt cauſet, debet eſſe in actu; id eſt impoſſibile, & probatur, quia hæc habitudo actualis eſt quid extrinſecum accidenti, & ab eo ſeparabile, quia inhærentia actualis eſt ei extrinſeca, vt probauimus *in quæſt. de Accident.* vt patet in accidentibus Euchariſticis, tunc ſi ſepararetur, accidentia eſſent indiuidua abſque differentia ſua, quod implicat. Tum quia actus ſingularis phyſicus ſupponit potentiam phyſicam in actu, ſed illa habitudo actualis eſt talis; ergo præſupponit accidens in eſſe indiuiduali, & hoc eſt argumentum, quo vtitur Caiet. contra nos, vt aliàs in antecedenti quæſtione viſum eſt, nec in vlla ſententia poteſt negari in dicto ſenſu.

Respondent Thomiſtæ plures fieri accidens indiuiduum per habitudinem aptitudinalem.

Contra primò, quia illa habitudo indifferens eſt ad quodcunque accidens, & ſubiectum, ergo non poteſt ipſum determinare, ergo requiritur, vt ſit actualis habitudo, quod implicat. Tum quia poſſet eadem forma ſucceſſiuè tranſmutari à Deo de ſubiecto in ſubiectum, immò naturaliter lux tranſmutatur, immò de facto plura accidentia eiuſdem rationis ſunt ſimul in eodem ſubiecto, vt dictum eſt de ſpeciebus in oculo, & in ſpeculo, ſed idem principium formale non poteſt ſimul pluribus tribuere ſuum effectum.

Respondet Bann. 1. *de generat. quæſt.* 20. *art.* 9. requiri non ſolùm vnitatem ſubiecti ſecundùm rationem formalem receptiui, ſed vt conditionem ſine qua non, etiam vnitatem temporis, & videtur etiam idem aſſerere S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. vbi notat, quod actus numeratur ſubiecto, tempore, & termino.

387. Contra quia circunſtantia temporis ſe habet per accidens ad indiuiduationem: reſpicit enim indeterminatè quodcunque tempus, in quo fiunt, non à quo, & Textus Seraphicus nihil facit pro hac ſententia, nam ibi loquitur de accidentibus ſucceſſiuis ſecundùm continuationem ipſorum, non ſecundùm indiuiduationem: vnde patet (ait Meldul.) imbecillitas huius opinionis, quia cogitur abire in diuerſa, vt effugiat vim argumentorum, &c.

Obiicies primò ex Seraph. Doct. Accidentia numerantur ad numerationem ſubiecti.

Respondetvr, (vt ſuprà) ibi loqui S. Doct. à poſteriori, quia differentiæ

ferentiæ vt plurimùm (ait ipſe: *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in fine*) nobis innoteſcunt à poſteriori.

Obiicies ſecundò ex eodem S. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 8. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. Idem Pater non eſt capax plurium paternitatum numero ſimul ratione vnitatis ſubiecti, ergo à ſubiecto recipit indiuiduationem; ſed iam reſponſum eſt in præcedenti argumento, & nunc iterum.

Respondetvr, quod ſaltem eſt capax plurium paternitatum ſucceſſiuè: Tum etiam quia remanet hæc quæſtio examinanda ſuo loco, vbi patebit, quod hæc repugnantia non venit ex multitudine numerica accidentium, cùm & ipſe aſſerat dari de facto, vt dictum eſt, ſed id vt plurimùm euenit, ex incapacitate ſubiecti non valentis recipere plures effectus formales eiuſdem rationis.

Instabis iterum ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *art.* 2. *quæſt.* 1. vbi dicit, quod Petrus, & albedo vniuntur in ratione indiuidui, ſed prius conuenit Petro, & poſteà albedini; ergo albedo indiuiduatur indiuiduatione Petri.

Respondetvr, vt prius dictum eſt, concedendo totum phyſicè: Secundò concedendo totum à poſteriori; Tertiò S. Doct. non dicit, quod eodem principio indiuiduentur Petrus, & eius albedo, ſed quod prius, & principaliter conuenit Petro, & poſterius albedini, & verum dicit, quia albedo habet dependentiam à ſubiecto, ob idque & eius indiuidualitas, ideò nihil contra nos.

Obiicies Tertiò: Res, à quo recipit eſſe, recipit & vnitatem, & indiuiduationem, ſed accidentia, & omnes formæ corporeæ recipiunt eſſe à ſubiecto; ergo: Confirmatur ex traditis *in quæſtione de compoſitione ex genere; & differentia accidentium*, quod iſtam habent ab ipſo compoſito phyſico.

Respondetvr concedendo totum de principio phyſico, ſiue materiali, ſiue efficiente; negando de formali, de quo hîc loquimur: habent enim ortum à ſubiecto; attamen eorum eſſe continet in ſe proprias differentias Metaphyſicas.

Instat Ioan. à S. Thom. *quæſt.* 9. *de generat.*: Nulla forma receptibilis eſt de ſe indiuidua niſi per ordinem ad ſubiectum recipiens, à quo limitatur, & irreceptibilis redditur in alio ſubiecto; ergo.

Respondetvr, vt ſuprà dictum eſt *in quæſt. antecedenti ad Concluſ. Tertiam*: Irreceptibilitas indiuidui non eſt vt quo, ſed vt quod, ideſt non eſt per modum formæ in ſubiecto; ſic enim etiam materia eſt irreceptibilis, & tamen non eſt indiuidua propriè, & accidentia Euchariſtica ſunt indiuidua, & tamen ſunt receptibilia, ſed incommunicabilitas indiuidui eſt vt quod, ideſt vt vniuerſalis de particulari, hincque negatur antecedens, & conſequentia.

Obiicies ſecundò: diſtinctio indiuidualis, & numerica eſt materialis, & non formalis; ergo à materia habet radicem primam.

388. Sed iam reſponſum eſt aliàs, quod ſi eſt ſermo de radice phyſica, conceditur antecedens, & conſequentia; ſi eſt ſermo de differentia Metaphyſica, & radice Metaphyſica, reſpondetur, quod dicitur materialis, quatenùs reddit indiuiduum ſubjicibile gradibus ſuperioribus de ipſo prædicabilibus &c. ipſum autem non eſt prædicabile de inferiori: hinc conſequentia, vel conſequens non facit ad rem.

Obiicies

Digitized by Google

Obiicies Tertiò; ſunt multa accidentia, quæ non habent propriam exiſtentiam, ſicuti paſſio, modi intrinſeci, & huiuſmodi, ergo ſi in his indiuiduatio non eſt à propria entitate, nec in aliis.

Hoc argumentum eſt Paſqualig. cui reſpondetur, quod ſi dantur talia accidentia, concedimus non habere propriam indiuidualitatem, vt dictum eſt in fund. ſed negatur habere eam à ſubiecto, in quo ſunt, ſed benè à ſuo ſubiecto accidentali, ſic modi intrinſeci albedinis indiuiduantur per indiuidualitatem ipſius, ſic & paſſiones accidentium, ſic & gradus ſuperiores.

Obiicies Quartò ex S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 3. Anima rationalis differt ab Angelo per vnibilitatem ad corpus; ergo ſi ſpecificatur per talem ordinem, etiam poterit indiuiduari. Item poteſt argui de materia, quæ dicit ordinem eſſentialem ad formam, & vice verſa &c. & de aliis entibus incompletis.

Respondet idem Seraph. Doct. in fine, differentias vt plurimùm à nobis ignotas eſſe, ideò à nobis nominari à poſteriori &c. idemque & dicendum de omnibus entibus incompletis; hincque non ſequitur non habere antecedenter ſuas differentias; Tum etiam quia, ſi per talem ordinem deſumerentur eorum differentiæ ſpecificæ, non benè hinc infertur etiam deſumi indiuiduales, quæ ſunt extra ipſorum quidditatem.

Dices Anima eſt pura forma, ſicut & accidentia ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 1. *in corp.* ergo de ſe non habent propriam differentiam indiuidualem; nam, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 4. habent hanc à ſubiecto compoſito Phyſico.

Respondetvr, vt diximus, de genere, & differentia, quod in anima rationali, quia eſt compoſita ex materia, & forma, ſicut in Angelis, differentiæ oriuntur ex tali compoſito phyſico; in cæteris formis ſimplicibus à ſubiecto, licèt poſteà Metaphyſicè habeant ortum ab ipſo accidente.

Dices: Si dantur in vno compoſito tot hæcceitates, ſequitur aggregatio plurium entium in actu, cùm ſint plures actus.

Respondetvr negando ſequelam; Nam ſicut admittuntur plures differentiæ ſpecificæ, & plures partes in compoſito, quæ in vnam tertiam entitatem completam coaleſcunt; ſic & plures indiuidualitates incompletæ, & partiales, quæ in vnum totale indiuiduum coaleſcunt, quæ reſponſio eſt conformis iis, quæ tradit Seraph. Doct. de pluribus formis in compoſito, *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 5. & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *dub.* 2.

Qværes, quid de partibus heterogeneis, & homogeneis.

Respondetvr, quod, vt ſunt integrales, non habent propriam indiuidualitatem, maximè heterogenæ, at homogeneæ, vt ſunt entitatiuæ, & ſubiectiuæ toti vniuerſali, habent ſuam indiuiduationem, vt ſuprà dictum eſt.

Digitized by Google

SECVNDA PARS TRACTATVS VI.

De Prædicamento Quantitatis.

389. SECVNDA pars huius tractatus Prædicamentorum in particulari eſt circa Prædicamentum Quantitas, & iuremeritò ponitur ab Ariſtot. ſecundo loco poſt ſubſtantîam, eo quia Quantitas eſt primum inter omnia accidentia, quæ à ſubſtantia cauſantur, vt dicit ſæpè Seraph. Doct. *infracit.* Tum etiam quia analogiam habet ad eſſe ſubiectum aliorum accidentium; ſubſtantia enim eſt ipſorum vltimatum, quantitas non vltimatum ſubiectum, quia inhærent in ſubſtantia media quantitate. Tum etiam, vt probabitur *in Phyſ. lib.* 1. quantitas interminata eſt coæua materiæ primæ. Vnde Ariſt. in hoc capite tria facit. Primò diuidit Quantum in quantum per ſe, & per accidens. Primum eſt, quod de ſe habet extenſionem vt linea. Secundum, quod habet per aliud, vt album; albedo enim eſt extenſa per quantitatem. Deinde diuidit quantum per ſe in continuum, & diſcretum; continuum eſt, cuius partes copulantur communi termino, vt linea, ſuperficies, corpus, tempus; Diſcretum eſt, cuius partes non copulantur communi termino, vt numerus, & oratio, & vtrumque eſt vel habens poſitionem, & permanentiam partium, vel in ordine ad ipſum totum vt linea ſecundùm ſe, vel in ordine ad locum, vt eadem linea extenſa in corpore, vel non habens

bens talem permanentiam, ſed ſucceſſionem, & fluxum, vt tempus.

Secvndò aſſignat ſpecies quantitatis; Primò enim eam diuidit in continuam, & diſcretam: Species primæ ſunt linea, ſuperficies, & corpus; linea eſt longitudo ſine ſuperficie, & latitudine; ſuperficies eſt latitudo cum longitudine ſine profunditate; corpus eſt profunditas cum longitudine, & latitudine. Alias duas ſpecies aſſignat huius quantitatis, ſcilicet tempus, & locum; ſpecies diſcretæ quantitatis ſunt numerus, & oratio, numerus eſt aggregatio plurium vnitatum; oratio eſt aggregatio plurium vocum.

Tertiò aſſignat proprietates; Quarum prima eſt, quod quantitati nihil eſt contrarium; Secunda, quod non ſuſcipit magis, & minùs ideſt intenſionem, & remiſſionem, ſed benè maius, & minus, ideſt magnitudinem, & paruitatem: Tertia, quod faciat æquale, & inæquale: Prima non eſt proprietas quarto modo, cùm competat etiam ſubſtantiæ, & relationi, & etiam aliis: Secunda eſt propria quarto modo, ſicut & tertia.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. 390. QVIA quantitas conſequitur materiam ſecundùm eſſe, ideſt pro vt materia eſt vnita formæ, quæ tamen principaliter reſpicit materiam, & minùs principaliter formam, & directè ipſam ſubſtantiam, à qua originem trahit, & in qua ſunt primò, & immediatè accidentia ſubſtantiæ, ratione cuius ſunt hîc, nunc, & ſubiecta immutationi ſenſuum; non enim poſſunt ſenſus immutare, niſi ſint extenſa. Hinc ordo exigit, vt poſt ſubſtantiam ſequatur conſequenter conſideratio quantitatis. *Lib. 2. diſt. 12. art. 2. quæſt. 1. fund. 3. & lib. 2. diſt. 13. art. 2. q. 1. in*

corp. & lib.2. diſt.3. part. 1. art. 1. quæſt. 2. ad 4. & lib. 4. diſt.16. part.1. art. 4. quæſt.1. ad vlt. & lib. 4. diſt.10. part. 1. art. 1. q.2. & 4. & lib.1. diſt.19. part. 1. quæſt.1.

B. QVANTITAS autem alia eſt molis, alia virtutis; Prima eſt accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia, ſecunda dicitur quantitas impropriè, quia competit ipſi ſubſtantiæ ſecundùm ſe, ob idque rectiùs quantitas prædicamentalis diuidi poteſt in corporalem, & ſpiritualem: debet enim neceſſariò admitti aliqua quantitas accidentalis in ſubſtantiis ſpiritualibus. *Lib.1. diſt.17. part.2. art. 1. quæſt.1. & part.2. art. 1. quæſt. 1. ad 3. & quæſt.2. & 4. & lib. 1. diſt. 19. part. 2. art. 1. quæſt. 1. in corp. & ad 2. & quæſt. 4. & lib. 2. diſt. 12. art. 2. quæſt. 1. in fund. 3. & lib.2. diſt.13. art. 2. quæſt. 1. in corp. & lib. 3. diſt. 14. art.1. quæſt.2. & lib.4. diſt. 45. dub. 3. & lib.4. diſtinct.6. part. 1. art. 1. quæſt. 1. & lib.4. diſt.16. part.1. art. 4. quæſt.1. ad vltim. & lib. 2. diſt. 2. part. 1. art. 1. quæſt.1. ad vltim.*

C. QVANTITAS alia eſt continua; alia diſcreta; & vtraque vel eſt permanens, vel ſucceſſiua; Permanens continua diuiditur in lineam, ſuperficiem, corpus, & locum; ſucceſſiua in æuum, tempus, & motum. Diſcreta in numerum, & orationem; linea comprehendit vnicam dimenſionem, ſcilicet ſecundùm longitudinem, ſuperficies binam ſcilicet ſecundùm longitudinem, & latitudinem, & corpus trinam, quia addit ad duas dictas profunditatem; numerus eſt multitudo menſurata per vnum, ob id importat antecedenter ſeparationem, aggregationem, & menſurationem. Vnde vltra vnitatem ſubſtantialem, ſeu indiuidualitatem omnes ſubſtantiæ creatæ important æqualiter numerum, & vnitatem accidentalem de genere quantitatis, quæ prouenit à principiis ſubſtantialibus ad ipſum accidentaliter relatis. *Lib.1. diſtinct. 19. part. 1. artic. 1. quæſt. 1. & 2. ad 2. & lib. 2. diſtinct. 34. art. 2. quæſt. 1. ad 3. & lib. 1. diſt. 37. part. 1. art.3. quæſt.2. in corp. & ibid. part.2. art. 1. quæſt. 1. fund. 3. & lib. 4. diſt. 24. part.1. art. 2. quæſt. 4. & lib.1. diſt.24. art.2. per totum, & art.3. & lib. 1. diſt. 19. part. 1. art. 1. quæſt. 2. & lib. 2. diſtinct. 2. part. 1. art. 1. quæſt.1. ad vlt. & ſerm. 4. Hexaëm. & lib. 2. diſt.3. part.1. art.1. quæſt.2. fund.3. & art.3. quæſt. 2. ad 1.*

D. QVANTITATIS corporeæ ratio eſſentialis eſt poſitio partium in ordine ad totum, ſed tamen cum ordine ad locum; quantitatis verò communis ad ſpiritualem, & corpoream eſt extenſio totius in

loco

Digitized by Google

loco limitata, & finita, ſiue finitas, & limitatio faciens eſſe hîc, & nunc vel ſecundùm totum, vel ſecundùm partes; Vbi enim eſt diſtinctio per additionem (qualis eſt in omnibus creaturis) ibi eſt limitatio, & conſequenter diuiſio vnius ab alio, & aggregatio, & menſuratio plurium, hinc neceſſariò eſt aliqua quantitas; & licèt Angeli ſint ſimplices per priuationem partium extra partes, tamen cùm eorum ſimplicitas ſit limitata, & finita, ideò neceſſariò ſunt hîc, & nunc, & in loco limitato; licèt ſint toti in toto, & in qualibet parte, ideſt definitiuè, corpora verò etiam commenſuratiuè. *Lib.* 4. *diſt.* 10. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. 3. 4. *&* 5. *& lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. 2. *&* 3. *& lib.* 1. *diſt.* 37. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *& art.* 2. *quæſt.* 1. *& part.* 2. *art.* 2. *per totum, & lib.* 1. *diſtinct.* 19. *quæſt. vltim. & lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp.*

E. PROPRIA paſſio quantitatis eſt æqualitas, & inæqualitas, quæ ponitur in ſubſtantiis ſpiritualibus, & corporalibus licèt diſſerenti modo: Item eſt eſſe maius, vel minus; Item & finitas, & infinitas; Item & numerabilitas, & diuiſibilitas; impenetrabilitas verò eſt propria tantùm corporum ob eorum corpulentiam, & craſſitiem. *Lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *&* 2. *&* 3. *& lib.* 4. *diſt.* 43. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 2. *per totum, & lib.* 4. *diſt.* 49. *part.* 2. *art.* 3. *princip. art.* 2. *quæſt.* 1.

Scholium ſuper Textum.

391. PRIMÒ Nota, quod Seraph. Doct. conſequenter ad ſua principia procedit, cùm enim materiam recognoſcat in Angelis, & in anima rationali, ad hancque doceat conſequi quantitatem; hinc recognoſcit quantitatem non ſolùm in corporibus, ſed & in ſubſtantiis ſpiritualibus, ſed differenti modo, nam quantitatem Angelorum, & ſpirituum appellat nomine quantitatis virtutis, ſeu potiùs ſpiritualis, ſecun[illegible]m quam ſunt definitiuè in loco; illam verò molis, ſeu corpoream, ſecundùm quam corpora ſunt ordinata ſecundùm ſuas partes ad conſtituendum totum, & ad locari in loco dimenſiuè, quæ omnia in ſequentibus, ſicut & alia elucidabuntur, &c. Vnde nihil ſupereſt dicendum ſuper Textum circa hanc poſitionem.

SECVNDÒ Nota, quod ex doctrina Seraphica ſequitur, quod duplex eſt extenſio, alia, quæ habet partem extra partem, eſtque corporum; alia, quæ eſt abſque tali exteritate, ſed cum aliquali ſimplicitate, ſed tamen finita, apta tamen ad tribuendum ipſi ſubſtantiæ ſpirituali eſſe in loco, eſſe menſurabilem, &c. de qua in quæſtione prima.

TERTIÒ Nota, quod dum dicit *ad literam C*, quod numerus venit à principiis ſubſtantialibus ad ipſum accidentaliter

Digitized by Google

dentaliter relatis, vult dicere, quod cùm tam Angeli, quam homines, & alia corpora componantur intrinſecè ex materia, & forma; & cùm quantitas oriatur ex materia principaliter; hæc autem eſt vna, & eiuſdem rationis, & homogeneitatis in omnibus materiatis, ob idque & capax vnionis, & continuitatis, ſi ad diuerſa indiuidua applicatur, inſurgit neceſſariò numerus accidentalis, qui tali materiæ diuiſæ accidentaliter aduenit, ob idque eſt accidens realiter diſtinctum, hincque patet non omnem numerum oriri ex actuali diuiſione continui, ſed etiam ex diſcontinuitate entium materiatorum, vt melius patebit in quæſtione Tertia.

QVÆSTIO I.

Quodnam ſit genus generaliſſimum Quantitatis; & quæ ſit eius ratio formalis.

392. MERITÒ poſt ſubſtantiam agitur de quantitate, nam, vt ait S.Doct. *lib.*4. *diſt.*12. *part* 1. *art.*2.*q.*2. *in corp.* *&* *ad* 1.& *lib.*2.*diſt.*3.*part.*1.*art.*1.*q.*1. *in corp.*& *lib.*4. *diſt.*16. *part.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 1. *ad vlt.* Quantitas eſt primum accidens, quod ex materia educitur, & quæ eſt congenita materiæ primæ, (in ipſa enim ſunt dimẽſiones interminatæ, vt ait S.Doct.*lib.*2.*diſt.*2. *art.*1. *q.*2. *in corp.*) & ob id quantitas eſt id, ſuper quod accidentia primò inſunt, & qua mediante inſunt in ſubſtantia; de qua ſupponimus cum communi, & Seraph. Doct. pro nunc diſtingui realiter contra Nominales aſſerentes nihil aliud eſſe quantitatem niſi ſubſtantiam extenſam; & nouiſſimè Bagata *in* 6. *Phyſ.ſect.*2.& Guarinus *diſp.de quantit. exp.* 1. *&* 2. ſuſtinent quantitatem eſſe proprietatem tranſcendentalem entis finiti, vagarique per omnia entia, quæ opiniones refutabuntur, & impugnabuntur in Phyſica, in qua eſt proprius locus, contra quos ſunt omnes reales D. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 10. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *aliiſque locis*, D.Thom. Scot. aliique.

HIC autem quæritur tantùm, in quonam conſiſtat ratio formalis huius accidentis realiter à ſubſtantia diſtincti, & quodnam ſit genus generaliſſimum, quæ duo dubia ſunt intrinſecè annexa: vnius enim ſolutio pendet ab altera: Et quoad primam partem, nempè quoad rationem formalem quantitatis.

PRIMA opinio eſt Thomiſt. qui tamen ſunt inter ſe diuiſi, nam aliqui collocant eſſentiam quantitatis in extenſione partium in ordine ad ſe, & ad totum, ita quod vna pars eſt extra aliam, & ab alia diſtincta, provt tamen conueniunt in conſtitutionem totius: Sic Aureol.*lib.*2.*diſp.*12.*q.*2.*art.*4.Capreol.*lib.* 2.*diſp.*18. *quæſt.*1. Durand. Sot. Tolet. 1. *Phyſ. quæſt.* 7. Complut. *diſp.* 13. *log. quæſt.*2. Vaſquez.3.*part. diſp.*190. *cap.* 3. & quicunque negant ſubſtantiam eſſe diuiſibilem in partes entitatiuas, ac integrales ſecluſâ quantitate.

ALII ſuperaddunt coordinationem partium in toto, ita vt alteræ ſint mediæ, aliæ extremæ, nec inter ſe confuſæ, & implicatæ, ſic Fonſec. 5. *Met. cap.* 3.*quæſt.* 1. Ioan. à S. Thom.*q.*16. *log.art.* 1. & cum his ſunt plures Scotiſtæ, vt Faber, & alij. Alij collocant eam in ordine ad extenſionem ſubſtantiæ in loco ſiue actualem, ſiue aptitudinalem, ita plures cit. Meldul.*in Phyſ. diſp.*9. *in princ.*

SECVNDA

Secvnda opinio conſtituit eſſentiam quantitatis in impenetrabilitate partium, quatenùs ex natura ſua ſunt incompoſſibiles, quod eſt idem, ac dicere, quatenùs important extereitatem entitatiuam, & in ordine ad ſe; ſic Meldul. cit. Ruu. 1. *Phyſ. cap.* 3. *quaſt.* 2. Am. *tract.* 15. *quaſt.* 4. *dub.* 4. *art.* 7. Hurtad. *diſp.* 3. *Met. ſect.* 5.

Tertia opinio eſt Seraph. Doct. qui admittit id, quod ſecunda opinio, ſed tantùm in quantitate corporea, ſed cùm aliam quantitatem recognoſcat in ſubſtantiis ſpiritualibus creatis, aliam rationem formalem quantitatis aſſignat, vt mox dicemus: Quoad aliam partem: Communis opinio Philoſophorum recognoſcit pro genere generaliſſimo quantitatem corpoream, ſiue molis, vt ſic.

S. Doct. aliud genus ſuperius commune quantitati corporeæ, & ſpirituali neceſſariò docet debere admitti: Pro cuius ſolutione, & veritatis ſeraphicæ elucidatione.

393. Primò Notandum, quod cùm quantitas ſit genus generaliſſimum collocatum immediatè cum aliis prædicamentis ſub ente, & ob id, cùm non habeat ſuprà ſe aliud genus, & immediatam differentiam, per quæ poſſit explicari adæquatè eius natura, hinc eius conceptus conſtare debet ex ente, & aliquo modo intrinſeco, vel proprietate immediata: Primi enim conceptus rerum, vt plurimùm nobis innoteſcunt à poſteriori, vel per proprietates, vel per proprias operationes, vel per ordinem ad aliquod extrinſecum, vt rectè docet S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 2. *quaſt. vlt. in fine*, & *lib.* 1. *diſt.* 24. *quaſt.* 1. Hinc orta eſt tanta varietas opinionum circa rationem formalem quantitatis.

394. Secvndò Notandum, quod diuiſio quantitatis in quantitatem molis, & virtutis communiter aſſeritur æquiuoca, quod & docet S. Doctor. *lib.* 4. *diſt.* 44. *part.* 1. *dub.* 3. *& diſt.* 16. *part.* 1. *art.* 4. *quaſt.* 1. *ad vlt.* & *lib.* 1. *diſtinct.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quaſt.* 1. *in corp.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 15. *art.* 1. *quaſt.* 3. *in corp. aliiſque locis*, in quibus docet quantitatem virtutis dici talem metaphoricè tantùm, ob idque transferri etiam in Deum; quæ aſſertio, ne pariat in nobis æquiuocationem, & confuſionem, maximè in capeſcendâ Seraphica doctrina, indiget diſtinctione, & explicatione: Duplex enim eſt quantitas virtutis ad aures Seraph. Doct. alia eſt, quæ eſt idem, ac perfectio entitatiua rei, & hæc eſt idem realiter cum ſubſtantia, & eſſentia rei, & dicitur tantùm metaphoricè quantitas, & magis propriè à Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 44. *cit.* appellatur quantitas rationis; ſic *lib.* 1. *diſtinct.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 3. *& in corp.* idque totum eſt verum: ſed aduertendum, quod ex principiis Seraphicis alia quantitas virtutis neceſſariò debet admitti, quæ eſt accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia, ſpecie differens à quantitate molis, & hæc eſt in ſubſtantiis ſpiritualibus, de qua loquitur S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 1. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad vlt.* & *aliis locis infrà tradendis*, vbi exponentur verba plurium Textuum eiuſdem Seraph. Doct. qui in hoc loco addit, quod licèt Ariſt. non conſcenderit ad conſiderationem huius quantitatis entium ſpiritualium, quod & euenit, vel quia eam non cognouit, vel quia ſolùm menſuras horum inferiorum determinare intendebat; vel quia inſufficiens fuit; attamen non propter hoc à veritatis tramite aliquatenùs nobis diſcedendum eſt: Cùm igitur in Angelis, & anima rationali ad

adſit vera quantitas accidentalis, tum continua, tum diſcreta, hæc meritò ad differentiam quantitatis molis, & corporeæ appellanda erit quantitas virtutis, vel potiùs, & magis propriè quantitas ſpiritualis, quod non obſcurè innuit S. Doct. *loc. citat.* & *lib.* 1. *diſt.* 19. *quæſt.* 1. *ad* 2. apertè docet nomen quantitatis vt ſic eſſe genus ad quantitatem molis, & virtutis, vt ad duas ſpecies, & licèt *in corp. quæſt.* dicat quantitatem virtutis dici tranſlatiuè quantitatem, id tamen aſſerit, prout ponitur in Deo, & per comparationem ad quantitatem molis, quæ ſenſibiliter eſt talis.

395. Tertiò Notandum, quod ad diſcernendum diſcrimen, quod eſt inter vtramque quantitatem molis, & ſpiritualem, ſupponendum eſt ex Seraph. Doct. quod triplex extenſio in vniuerſum poteſt excogitari. Prima eſt propria per ſe, & formalis, eſtque ipſa quantitas molis, quæ conſiſtit in extereitate partium cum commenſuratione, ſaltem aptitudinali ad locum, ipſiuſque partes, & hæc eſt in corporibus, ſed non eſt ratio formalis quantitatis, nam ad hanc extenſionem cum extereitate partium non ſufficit diuerſitas partium inter ſe, ſed requiritur, quod talis extenſio habeat & ſitum, & communem terminum: poſitionem enim debent habere partes in ſitu, quod & adnotauit Ferchius *infrà cit.* Secunda eſt entitatiua ſubſtantiæ corporeæ, quatenùs eſt capax recipiendi talem extenſionem quantitatiuam, de quibus loquitur S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 15. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *articul.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 17. *art.* 1. *quæſt.* 2. primam ab anima ſenſitiua remouet, & in ea recognoſcit aliqualiter ſecundam, vt aduertit etiam Ferchius *tom.* 1. *de Angelis quæſt.* 44. *num.* 8. & 9. licèt animam ſenſitiuam Seraph. Doct. ſentiat eſſe ſpiritualem, & totam in toto, & totam in qualibet parte, vt proprio loco dicetur: citatus Ferchius tamen non ſatis ſibi conſtat in expoſitione Seraphici Textus, vt videre eſt *tom.* 1. *de Angelis quæſt.* 44. *num.* 7. & infrà etiam notabitur. S. Bonau. verò vtramque remouet & per ſe, & per accidens ab anima rationali, & ab Angelo, quod eſt diligenter aduertendum, vt intelligatur, in quo ſenſu extenſionem, & quantitatem excludat à ſubſtantiis ſpiritualibus, nempè corpoream, & molis: Tertia extenſio eſt ſpiritualis, & hæc importat diuerſitatem partium, ſed ſine poſitione ſitus, quam recognoſcit in Angelis, & anima rationali, eſtque etiam quantitatiua, quæ ad differentiam corporeæ poteſt appellari virtualis, ſeu entitatiua, quatenùs importat extenſionem, per quam vna pars non eſt alia non ſolùm entitatiuè, ſed & quantitatiuè, licèt vna non ſit extra aliam, ſed omnes ſint in vnum confuſæ cum diſtinctione entitatiua vniuſcuiuſque, & cum compenetratione omnium ſimul; ex eo enim, quod ſunt compoſiti ex materia, & forma, habent limitationem, & finitatem, & ſecundùm ſe, & in ordine ad locum, & in ordine ad recipiendam aliquam quantitatem continuam, & diſcretam; nam, vt ait S. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *dub.* 3. Illud tantùm, quod eſt omninò ſimplex, eſt incapax reſolutionis ad minus, & extenſionis ad maius, ſed vbicunque eſt compoſitio (qualis eſt in Angelis, & anima rationali) eſt poſſibilis reſolutio ad minus, quantum eſt de natura rei (addo) & extenſio ad maius; poſſet enim Deus addere ad vnum Angelum nouam materiam; hinc & ineſt aliqualis extenſio, licèt minima

Digitized by Google

minima ſaltem mathematica, vt loquitur S.Doct. *lib.* 4. *diſt.* 49. *part.* 2. *art.* 4. *quaſt.* 2. *ad vltim.* eſtque *art.* 1. *articuli* 2. *princip.*

Et hæc eſt ratio, quare S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *artic.* 1. *quaſt.* 1. *in corp.* remouendo ab Angelis compoſitionem ex partibus quantitatiuis, ſcilicet molis, integrantibus heterogeneis, & includendo in eo compoſitionem ex materia, & forma, non excludat ab eo compoſitionem ex partibus homogeneis, de qua *ibid. q.* 2. *&* 3. & conſequenter Angelum, & animam vult eſſe præditam totius homogenei, quod & ſubtiliſſimè adnotauit Ferchius *tom.* 2. *de Angelis quaſt.* 72. Vt autem id intelligatur.

Pro Maiori Confirmatione dictorum videatur *quaſt.* 2. *tract.* 2. *lib.* 3. *Phyſ.* vbi probatur ex Seraph. Doct. continuum componi ex indiuiſibilibus phyſicis, quæ ſunt quantitates, & extenſa virtualiter, & mathematicè, ob idque formaliter non coincidit extenſio cum quantitate diuiſibili, ſeu cum diuiſibilitate, ſed abſtrahit à quanto diuiſibili & indiuiſibili: vnde mirum non eſt, ſi recognoſcamus quantitatem in Angelis abſque diuiſibilitate, licèt cum extenſione.

396. Qvartò Notandum, quod S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 49. *part.* 2. *art.* 6. *quaſt.* 1. quærit, an corpus glorioſum poſſit penetrare non glorioſum, & quomodo, & propoſitis, & reiectis variis placitis aliorum ſtabilit ſuam opinionem dicens, quod duo corpora ideò non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, non quia ſint duo, antè enim per naturam ſunt duo, quàm ſint in loco, & ob id conſeruant etiam in eodem loco propriam naturam,& quantitatem, cùm duo puncta, & duæ lineæ, & duæ ſuperficies ſimul ſunt in contactu phyſico, quia contigua ſunt, quorum termini ſunt ſimul, quandocunque in eodem loco primo ſunt, ſed id euenit propter corpulentiam, & craſſitiem: hinc ablatâ hac corpulentia, & craſſitie per dotem ſubtilitatis, & virtutem penetratiuam actiuam, dabitur penetratio vnius corporis cum alio ipſo non cædente.

In quo caſu, ait *ibidem ad* 4. vtrumque habebit propriam menſuram intrinſecam, licèt non extrinſecam ad eundem locum: ſicque non habent diſtinctionem manifeſtam, quæ eſt ſecundùm diſtantiam localem, ſed benè diſtinctionem naturalem, quæ eſt ſecundùm diuerſam ſubſtantiam corpoream, qua ſimul in ſuis naturis coëxiſtunt; quare poſitâ raritate, per quam tollitur corpulentia, & craſſities materialis, poterit dari extenſio abſque extereitate partium, & ſi id admittitur abſque miraculo, vel cum miraculo in corporibus, multò magis in compoſitis phyſicis materialibus incorporeis, quales ſunt Angeli, & animæ rationalis.

397. Qvintò Notandum, quod diſcrimen inter extenſionem corpoream molis, & ſubſtantiarum ſpiritualium eſt: primò, quia quantitas molis, cùm ſit formaliter extenſa, etiam per ſe extendit ſubſtantiam per accidens in varias partes cum extereitate partium: ſecundò eſt, quod quantitas molis eas commenſurat cum loco corporeo, ita quod totum eſt in toto, & quælibet pars in parte, quia partes ſunt inter ſe diſtinctæ ſecundùm diſtantiam ratione formæ corporeæ, quæ non eſt nata informare corpus, niſi cum tali extenſione, & diſtantia partium, licèt in ſe ſit ſimplex eſſentia conſiſtens. Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quaſt.* 2. *ad* 4.

ad 4. & *lib.* 4. *diſt.* 49. *cit.* Cùm autem forma Angeli, & animæ ſit ſimpliciſſima, etiam informat illam materiam carentem corpulentia, & craſſitie corporea, illique tribuit aliquam ſimplicitatem licèt non omnimodam, ſicque relinquendo illis partibus diſtinctionem naturalem entitatiuam facit, quod totum ſit in toto, & totum poſſit eſſe in qualibet parte per replicationem ſuæ præſentiæ, & cùm Angelus, & anima ſint compoſita ex materia, & forma limitata, & quæ facit vnum totum homogeneum conſtans pluribus partibus, tribuit ei finitatem, & limitationem, vt aduertit S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *& ſeq.* & ob id determinationem ad limitatum locum, & ſimul capacitatem ad recipiendum in ſe quantitatem, tum continuam, tum diſcretam, vt mox dicetur; Et licèt videatur inintelligibile dari talem quantitatem ſine extereitate partium, tamen rectè conſideranti omnia ſupradicta, patebit, quàm ſit rationabilis iſta poſitio; Nam, vt ait Capreol. *lib.* 2. *diſput.* 18. *quæſt.* 1. Vaſq. *in* 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 19. *cap.* 3. Corpus Chriſti, licèt provt eſt in Cœlo, habeat extenſionem cum extereitate partium, tamen, provt eſt in hoſtia, ibi eſt ſine tali extereitate, & cum diſtinctione partium ſine diſtantia locali, & idem dicit S. Bonauent. de corporibus glorioſis penetrantibus non glorioſa; & Ouiedus *in Met. cont.* 3. *part.* 2. *num.* 26. & *in Phyſ. contr.* 5. *part.* 5. docet non implicare quantitatem indiuiſibilem, & Serbellonus *de an. diſput.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 1. *num.* 11. notat habere partes integrantes competere etiam entibus ſpiritualibus; patet in habitibus intellectus, & voluntatis; iſti enim habitus ſunt compoſiti ex pluribus partibus; amor item, & odium habent intenſionem partium, quæ non poteſt eſſe ſine multitudine partium extenſiua, cùm ſint diuiſibiles; Idem & dicendùm de gratia, &c. ergo ratio ſpiritualitatis ſtat cum extenſione partium ſine extereitate ipſarum; Patet etiam ex hoc, quod cùm quantitas per id differat à cæteris formis accidentalibus, quod aliæ ſunt ſimplices: quantitas verò, cùm ſit materialis, non ſolùm habet afficere ſubſtantiam ſua formali extenſione, ſed & ipſa ſit quanta, & extenſionem habens in ſuis partibus, per conſequens dum afficit ſubſtantiam, tunc vna extenſio eſt in alia, ſcilicet in ſubſtantia abſque tali extereitate: Hinc ſequitur, quod extenſio, provt præſcindit ab extereitate, vel diſtantia partium, eſt ratio formalis quantitatis. Addimus ad ſupradicta notabilem doctrinam Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in princ. corp.* vbi habet hæc verba; pluribus de cauſis iudicamus impoſſibile aliquid: Primò per limitationem naturalis potentiæ, vt de trunco fieri vitulum, Virginem parere, &c. Secundò non ob limitationem potentiæ, ſed per limitationem noſtræ intelligentiæ, vt duo corpora eſſe in eodem loco, vel idem corpus in diuerſis locis, vel maius in minori loco, quia nullo modo poſſumus capere, cùm noſtra imaginatio ſemper dicat oppoſitum, &c. hæc S. Bonauent. ad rem noſtram, vnde addit *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. *in fine*, oportet abſtrahere animum ab iſtis ſenſibilibus, & ſuper actum imaginationis conſcendere, &c. ſic enim (dico ego) præcipiet intellectus aliqualiter naturam huius quantitatis ſpiritualis &c.

398. Sextò Notandum, quod multæ proprietates aſſignantur communiter à Philoſophis ex Ariſt. quæ tamen,

tamen, provt ſunt communes omni quantitati, diuerſimodè aſſignandæ à nobis ſunt ab aliis, qui non recognoſcunt aliam quantitatem, quam molis: Prima igitur eſt extenſio entitatiua partium in ordine ad totum, & ad locum, ita quod vel vna ſit extra aliam, vel quod vna non ſit alia; primum eſt in quantitate molis, ſecundum eſt, etiam in quantitate ſpirituali, primam ſupponit S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 10. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *in corp.* Secundam verò *ibid. ad vlt.* & *lib.* 4. *diſt.* 11. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. Secunda eſt diuiſibilitas in partes integrantes; & hæc ſi eſt, quatenùs ſunt incompoſſibiles adinuicem, prouenit à quantitate molis; ſi eſt per ſolam partiũ ſeparabilitatem, hæc etiam eſt in ſubſtantiis ſpiritualibus: Vbi enim eſt compoſitio, ibi eſt reſolubilitas ad minus, & extenſibilitas ad maius, vt dicit S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 8. *dub.* 3. & *lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 3. *q.* 2 *in corp.* Idem & competit Angelis ratione quantitatis diſcretæ, vt per ſe patet: Tertia eſt menſura, qua tum quantitas, tum res quanta alteri comparata poteſt menſurare actiuè & menſurari paſſiuè, ſic vlna pannum menſurat. In Angelis abſque dubio eſt menſura, ait S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. tum ratione ſuarum affectionum, quæ menſurantur tempore, tum ratione ſuæ durationis, quæ menſuratur æuo ſucceſſiuo; tum ratione æqualitatis, & inæqualitatis, vt mox dicetur, tum ratione loci, nam licèt non commenſurentur diuiſibiliter à loco vt corpora: commenſurantur tamen aliqualiter definitiuè, & etiam ſecundùm maiorem, vel minorem ſphæram loci: Tum etiam, quia ſunt numerabiles: Quarta eſt impenetrabilitas, qua vna quantitas alteram ab eodem loco excludit, idque prouenit, (ait S. Doct. *lib.* 4. *diſtinct.* 49. *part.* 2. *art.* 3. *princip. quæſt.* 1. *art.* 2. *& comp. Theol. lib.* 7. *cap.* 28.) à corpulentia, ideſt quantitate corporea molis, qua remotâ non repugnat vnam ſubſtantiam poſſe aliam penetrare, hæcque competit tantùm quantitati molis, nam, vt ſubdit S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. plures Angeli, quantum eſt de ſpirituali eorum natura, poſſent ſimul eſſe in eodem loco, ſi aliàs ordo vniuerſi non repugnaret; idque fusè à nobis probatur *in Phyſ. lib.* 3. *tract.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 4. *Phyſ. tract. de loco quæſt.* 5. *& in libris de gener. tract.* 4. *quæſt.* 3. *&* 4. & quia ex corpulentia, & ordine partium oritur figurabilitas, & vbicatio cum ſitu, & circumſcriptione in loco, nec iſtæ competunt Angelis; quantitas enim eorum eſt infigurabilis, & inſituabilis, quod etiam competit tempori, & numero, vt notant etiam Complut. *in fin. quæſt. vlt. de quantitate*: Quinta eſt finitas, & infinitas; hîc aduertendum, quod infinitas, & finitas pluribus modis poteſt ſumi, ſcilicet quoad perfectionem eſſentiæ, & dicitur propriè quantitas virtutis: item quoad intenſionem, eſtque in qualitate, item quoad extenſionem, numerum, & durationem, & hæc eſt propria quantitatis vt ſic, vt ait S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 47. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *quæſt.* 1. *&* 2. Vnde finitas quantitatiua eſt, quæ procedit ex terminatione; hæc autem poteſt eſſe dupliciter; primò poſitiuè, quatenùs prima pars ſubſtantiæ reſpondet primæ parti dimenſionis, media mediæ, & vltima vltimæ, & hæc dicit extereitatem partium, ob idque eſt tantùm in corporibus; ſecundò modo priuatiuè, abſque tali extereitate, ſed tamen nec excedit nec exceditur, & hæc eſt in Angelis; ſic

S. Bonau. *lib.4. diſt.10. part.1. art. 1. q.4. ad vlt. & lib.1. diſt.19. p. 1. art.1. quæſt.1. ad* 3. &c. Sexta eſt æqualitas, & inæqualitas: prima oritur ex menſura, quæ cum alia dicit conterminationem, & exceſſus priuationem; ſecunda importat exceſſus poſitionem, ſic *lib.1. diſtinct. 19. part. 1. art. 1. quæſt. 1. & 2.* Hæcque eſt in Angelis, & in corporibus, &c. Septima eſt extenſio in ordine ad locum, vel cum extereitate, vel ſine extereitate partium, vt dictum eſt de hac *lib.4. diſt.10. part.1. art.1. quæſt.4.* & *lib.2. diſt.2. part. 2. art.2. per totum*, & *lib.1. diſt.37. p. 2. per tot.* Prima eſt in corporibus; ſecunda eſt in Angelis; conueniunt autem ambo in hoc, quod vtrumque dicit præſentiam actiuam, & definitionem paſſiuam, & limitatam in loco tanto, & non ampliori, &c. Octaua, quod quantitati conuenit maius, & minus, vtrumque conuenit corpori, & Angelis licèt diuerſimodè, vt dictum eſt. Nam Angelus eſt totum homogeneum, corpus eſt totum, vel heterogeneum, vel totum habens partes cum extereitate, &c. Nona, quod quantitati nihil eſt contrarium contrarietate expellente ab eodem ſubiecto; licèt enim quantitas vna corporea expellat alteram, id tamen non eſt ratione communis loci, vt commune ſubiectum eſt, ſed ratione quantitatis exiſtentis in hoc, & illo corpore, &c. Decima, quod non recipiat magis, & minùs, quia ſpectat ad qualitatem, quæ duæ proprietates competunt tantùm corporibus. His poſitis ſit

399. Prima Conclvsio: Quantitas corporea ad mentem Ariſtotelis, & omnium Philoſophorum conſtituit genus generaliſſimum huius prædicamenti; ſecundùm veritatem verò, & mentem Seraph. Doct. ſolùm quantitas, prout communis corporeæ, & ſpirituali corporum, & ſubſtantiarum ſpiritualium, eſt genus generaliſſimum.

Prima pars eſt certa, & receptiſſima apud omnes, nec indiget probatione, vt aduertit S. Doct. *lib.2. diſt.2. part.1. art. 1. quæſt. 1. ad vltim.* Nam Ariſtoteles diſſerebat tantùm de his inferioribus. Tum etiam quia quantitati corporeæ inſunt omnes ſuprà dictæ proprietates ſenſibiliter; ergo de quantitate corporea tantùm agebat Ariſtoteles, &c.

Secvnda pars eſt S. D. *cit.* Guarini Mutin. in ſuis placitis Philoſophicis *fol.*119. & *fol.*795. & *fol.* 815. qui tamen in principiis à nobis diſcrepat, eſt & Ferchij *tom. 1. de Angel. quæſt.* 71. *in* 4. & 5. *concl.* qui tamen exponens Seraph. Doct. tum in primo tomo, tum in hoc ſecundo excludit ab Angelis omnem quantitatem extenſiuam, vnde non video, quomodo ſibi conſtet in ſuis dictis aſſerens *in citat.* 4. & 5. *concl.* quod Angelus componitur cum quantitate, & deinde *in tom.* 1. *q.* 44. *num.*8. & *ſeq.* & *num.* 16. & *ſeq.* ipſam negat in anima, & hìc *tom.2. quæſt.*71. ipſam admittit, &c.

Qvod autem hæc ſit mens Seraph. Doct. patet *ex loc. citat. lib. 2. diſt. 2. quæſt. 1. ad vltim.* vbi apertè recognoſcit quantitatem veram in Angelis, & *ibid. quæſt. 3.* docet æuum Angelorum eſſe ſpeciem quantitatis prædicamentalis continuæ ſucceſſiuæ, & *ibid. ad* 5. in quo obiiciebatur, quod omne ſucceſſiuum reducitur ad permanens; ergo ſi in æuo Angelorum eſt ſucceſſio ſecundùm prius, & poſterius, erit & quantitas permanens ſecundùm prius, & poſterius, ob idque cum extereitate partium.

Respondet S. Bonauent. quod

verum

verum eſt, quod menſura ſucceſſiua reducitur ad permanentem, ſed tamen non eſt neceſſarium quoad permanentem ſecundùm prius, & poſterius. Hinc in Angelis,cùm recognoſcat ſucceſſionem quantitatiuam, etiam & permanentem licèt abſque extereitate partium, vt dictum eſt *in tertio notabili:* Et *lib.* 1. *diſt.* 37. *part.* 2. *dub.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp.* cum D. Auguſt. docet affectiones Angelorum, ſiue immanentes, ſiue extraneas, ſiue inſtantaneas, ſiue ſucceſſiuas menſurari tempore. Et *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. & *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp.* & *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. & alibi ſæpè docet in Angelis eſſe numerum prædicamentalem vniuocè, ſicut in nobis, ex eo quod in ambobus, & in cæteris rebus numerus reſultat ex indiuidualitate; Et *lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp.* docet, quod locus habet triplex officium ad locatum, ſcilicet continere, menſurare, & conſeruare; iſta tria competunt corporibus locatis, primum tantùm Angelis, & ſubſtantiis ſpiritualibus, ex hoc quod ſunt finitæ, &c. Et *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. & 2. docet finitatem, æqualitatem, & inæqualitatem quantitatiuam competere omnibus entibus creatis, non autem Deo, qui eſt ſummè ſimplex, ob idque tantùm infinitas, & æqualitas naturæ ei competit. Et *lib.* 1. *diſt.* 37. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* vbi dicit, quod alia eſt proprietas loci, qua complet indigentiam locati, eiuſque naturam conſeruat, eſtque propria tantùm corporum; alia eſt, ſecundùm quam locatum æquatur loco, ipſique proportionatur, & ſecundùm hanc corpora commenſurantur loco: ſpiritualia autem, licèt non ſint commenſurabilia reſpectu partium, ſunt tamen definibilia reſpectu totius: ex qua doctrina, & textibus clariſſimis patet Seraph. Doct. ſupponere in Angelis quantitatem ſine extereitate partium, cùm in ipſis recognoſcat rationem totius per ordinem ad locum, quod eſt effectus quantitatis.

Probatvr primò ratione adducta à S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *fund.* 3. Quandocunque aliqua communis paſſio ineſt aliquibus ſubiectis, illa ſubiecta neceſſariò conueniunt vniuocè in ratione communi, quæ eſt principium talium proprietatum, ſed ſubſtantiæ corporeæ, & ſpirituales habent communes paſſiones quantitatis prædicamentalis, ergo ipſis competit quantitas communis. Maior eſt clara, & euidens, quia, vbi eſt idem effectus formalis, ibi eſt eadem cauſa formalis. Minor probatur multipliciter; primò in Angelis eſt finitas non ſolùm entitatiua, ſed & quantitatiua, nempè ad quantitatem totius homogenei conſtantis tanta, & tanta materia, ad localitatem, ad æqualitatem, & inæqualitatem. Non enim poteſt aſſignari certum, & determinatum extremum, niſi reſpectu alicuius, vel vlteriùs tendentis, vel minùs habentis in entitate, ob idque & ratione partium deſſignabilium; at ex S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 8. *dub.* 3. talis finitas eſt in quocunque ente creato ſolo ſummè ſimplici excepto; ergo. Tum quia, vbi eſt æqualitas, ibi eſt conterminatio, & exceſſus priuatio cum capacitate ad talem exceſſum; ſed, vbi hæc ſunt, ibi eſt diuerſitas, magnitudo, ambitus localis. Et vbi inæqualitas, ibi eſt aſſignabilis exceſſus; & vbi vtraque eſt, ibi eſt menſurabilitas, numerabilitas, deſignatio partium, quæ omnia ſunt in Angelis.

Nec valet, quod communiter reſpondent

pondent Aduerſarij, nempè talia attributa ſubſtantiarum ſpiritualium eſſe tranſcendentia, non prædicamentalia, nec in ipſis poſſe inferri ob ipſa quantitatem propriam: Non valet, inquit S. Bonauent. *lib. 2. diſtinct. 3. citat.* quia eadem menſura menſurantur decem homines, ac decem Angeli; Tum quia Æuum in ipſis eſt duratio ſucceſſiua; Tum quia ipſorum motus in ipſis receptus eſt ſucceſſiuus; ergò habent idem principium formale talium attributorum, ac ineſt in corporibus: In corporibus autem ratio radicalis talium proprietatum eſt compoſitio ex materia, & forma, ſed eadem adeſt in Angelis; ergo eſt eiuſdem rationis, quod & infrà in ſequenti Quæſt. fuſiùs patebit: Et confirmatur, quia continentia paſſiua corporum in loco eſt ex finitate, proueniens ex quantitate, & quantitas ex materia, ſed eadem continentia, & finitas eſt in Angelis; ergo & eadem cauſa; immò è contrà, quia adeſt eadem cauſa, ibi & debet eſſe idem effectus formalis ex Seraph. Doct. cit.

400. Probatvr ſecundò: Angelus eſt receptiuus quantitatis continuæ, & diſcretæ; ergo extenſionem habet in ſe permanentem. Conſequentia patet, quia vt ex Ariſt. Seraph. Doct. docet *lib. 2. diſtinct. 2. part. 1. art. 1. quæſt. 3. arg. 5. ad oppoſ.* quando duæ cauſæ ſunt ita adinuicem ordinatæ, vt vna oriatur ab altera, tunc quod non eſt receptiuum primæ, nec etiam erit ſecundæ, & è contrà, quod eſt receptiuum ſecundæ, erit etiam primæ, ſed quantitas ſucceſſiua oritur à permanente; ergo ſi Angelus non poterit recipere quantitatem permanentem, nec poterit ſucceſſiuam, quod eſt falſum. Antecedens probatur: Angelus recipit in ſe ſuum æuum, & etiam durationes temporaneas ſuorum actuum; item & motum ſucceſſiuum, & mutationes inſtantaneas; item & vbi Angelicum, eſtque diuiſibile; ergo

Respondet Ferchius *tom. 1. de Angelis quæſt. 44. num. 16.* negando conſequentiam, & ad probationem reſpondet concedendo Maiorem, ſi illæ duæ formæ ita ſunt ordinatæ, vt vna verè fiat ex altera; negando, ſi vna forma oriatur aliundè, vt euenit in Angelis; nam ſucceſſio æui non naſcitur ex quantitate permanente, ſed ex natura eſſentiæ productæ, quatenùs non raptim tranſit, & cùm non ſit purus actus, nec etiam habet ſuum eſſe durans totum ſimul, ſed partim in actu, & partim in potentia, ob idque ſucceſſiuè.

Contra: Succeſſio quæcunque ſucceſſiua oritur, tanquam ex radice ex quantitate permanente, ergo nulla reſponſio: Probatur antecedens; Nulla ſucceſſio quantitatiua poteſt dari, niſi recipiatur in ſubiecto capaci extenſionis, eſt enim accidens; ſed ſucceſſio æui, & mutatio localis, & vbi permanens recipitur in Angelo; ergo habet extenſionem permanentem.

Addit Ferchius *ibid.* ſuam reſponſionem eſſe ad mentem Seraph. Doct. *ex loco cit.* quod tamen pace ſua eſt falſum; nam ait Seraph. Doct. quod prius, & poſterius in ſucceſſione reducitur ad permanens, non tamen ad prius, & poſterius permanentis; vult dicere, quod non eſt neceſſe, quod illa quantitas permanens habeat prius, & poſterius, in qua recipiatur prius, & poſterius quantitatis ſucceſſiuæ, id eſt quod habet extereitatẽ partium; ſed ſufficit, vt ſit quantitas permanens proportionata, ideſt ſine extereitate partiũ.

401. Probatvr Tertio: Angeli reponuntur in prædicamento ſubſtantiæ, qualitatis; Vbicationis, Actionis, Paſſionis,

Paſſionis, & aliorum accidentium, exceptis iis, quæ ſunt propria tantùm corporum; ſed illa recipiuntur in ſubſtantia corporea media quantitate: ergo & in Angelis. Confirmatur, quia ſi non adeſt quantitas, & extenſio in Angelis, id maximè, quia videtur intelligibile, quod aliquid ſit quantum, & non habeat partem extra partem, & quod etiam non ſit diuiſibile, quæ videntur non poſſe ineſſe in ipſis, ſed hæc ratio non obſtat; ergo. Probatur minor, eſſe quantum, & in loco abſque extereitate partium inuenitur de facto in corporibus, tum ſupernaturaliter, tum naturaliter, ergo poteſt reperiri in Angelis. Probatur antecedens primò ex Capreolo ex Sacramento Euchariſtiæ. Nam corpus Chriſti licèt in Cœlo ſit cum extereitate partium, pro vt tamen eſt in hoſtia, eſt totum in toto, & totum in qualibet parte, nec eſt ibi aſſignabilis aliqua pars, quin etiam ibidem ſit alia pars; cùm ibi ſit definitiuo modo; ergo ſi id poteſt eſſe in corpore extenſo cum extereitate partium, multò magis in ſpiritu, quod & notauit Meldul. *in Phyſ. diſp.* 11. *num.* 110. extenſio enim actualis in loco non eſt de eſſentia quantitatis. Probatur ſecundò antecedens, quod detur extenſio cum carentia naturali talis extereitatis partium, quantitas differt ab aliis accidentibus per hoc, quod cùm det aliis eſſe quantum, & ipſa eſt quanta, & extenſa formaliter (differt enim ab aliis accidentibus, quod hæ ſunt formæ puræ) quantitas verò, cùm ſit quid materiale ſubiectiuum, habet & ipſa extenſionem formaliter, & tribuit ſubſtantiæ eſſe extenſum, ſed in tali caſu datur extenſio immerſa in ſubſtantia extenſa abſque extereitate partium in vtraque; ergo naturaliter poteſt dari abſque tali extereitate; vbi enim eſt extenſio quantitatis, ibi eſt & extenſio ſubſtantiæ partis in parte, & totius in toto.

402. Obiicies primò, Seraphicum Doctorem totum eſſe in omnibus locis in excludendo quantitatem à ſubſtantiis ſpiritualibus, vt videre eſt tum *lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 2. *per totam*; tum *aliis locis citat.* vbi dicit tantùm tribui quantitatem metaphoricè tantùm, & propriè ſolùm quantitatem virtutis, quæ dicit quid intrinſecum ipſi ſubſtantiæ.

Respondetvr, vt ſuprà *in fund.* dictum eſt S. Doct. recognoſcere quantitatem virtutis, ſeu ſpiritualem in Angelis, & excludere ab ipſis quantitatem molis, quæ eſt cum extereitate partium, appellareque illam metaphoricam, vel comparatiuæ tantùm, vel quatenùs transfertur ad Deum, vt dictum eſt, aliàs, cùm aſſerat *lib.* 1. *diſt.* 19. *q.* 1. *ad* 2. quantitatem eſſe genus ad vtrunque, dicendum eſſet ſibi contradixiſſe, dum verè quantitatem veram recognoſcat in ipſis, licèt non corpoream, quod nefas eſt profitendi doctrinam S. Doct. qui inter omnes fuit conſtantiſſimus in ſuis aſſertionibus, & fundamentis.

Obiicies ſecundò: Si datur extenſio in Angelis ratione materiæ, ergo erit extenſio tantùm entitatiua, quæ eſt communis omni ſubſtantiæ, ſed hæc eſt tranſcendentalis, & non prædicamentalis; ergo falſa concluſio.

Respondetvr ex S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 30. *art.* 3. *quæſt.* 1. *in improb. tertiæ opinionis*, Subſtantiam, & materiam habere quidem extenſionem entitatiuam, quæ eſt tranſcendentalis, ſed tamen eſt impropria extenſio. Non enim poteſt dici tanta, & quanta niſi ratione quantitatis, per quam ſit extenſa ſecundùm ſe, & in ordine ad locum, & diuiſibilitatem

tem phyſicam, quod & notauit Suarez *in Met. diſp.* 4.*ſect.*4. *num.*17.

Dices; Ergo ſubſtantia Angeli erit diuiſibilis, ſicut & corporea, ſicque pars erit extra partem.

Respondetvr illam ſubſtantiam Angeli eſſe quidem de ſe diuiſibilem ſcilicet ipſius materiam, & hoc ſaltem potentia ſupernaturali, & Diuina, non autem naturali. Hîc autem quærimus, ait Seraph. Doct. in ſimili *lib.*2. *diſtinct.*3. *part.*1. *quæſt.*1. *in fine*, non quid poſſit Deus, ſed quid congruat naturæ rerum. Vnde cum tali quantitate Angelus poteſt dici indiuiſibilis ratione ſuæ formæ ſimplicis, & perfectiſſimæ, quod non ineſt in corporea, quæ habet formam exigentem extenſionem cum extereitate partium diuiſibilium naturali modo. Et hinc Ovied. *in Met. ſuprà cit. in vlt. fund.* docet non implicare quantitatem, quæ de ſe eſſet indiuiſibilis, & omninò ſimplex.

Obicies Tertiò; Si adeſt extenſio in entibus ſpiritualibus, ergo & poterunt deſignari partes, ſicque vna erit extra aliam, ſicque erunt corpora.

403. Respondetvr, quod aliud eſt corpus phyſicum trina dimenſione conſtans, aliud habere partes deſignabiles, & mathematicas: ſic enim, ait S. Doct. omne continuum eſt diuiſibile, vel diuiſione phyſica, vel mathematica, & ſecundùm intellectum. Idemque & dicit D. Auguſt. ſic S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 49. *art.* 4. *quæſt.* 2. *ad vlt.* vnde hæc diuiſio poteſt eſſe ſine prima, vt patet in accidentibus ſpiritualibus in tempore, in numero, in ſubſtantia, vnde admittitur prima conſequentia, negatur vltima; ergo erunt corpora. Ad hoc enim, vt ſit ens quantum eſſentialiter, ſufficit, vt ſit talis extenſio, quæ faciat, quod vna pars non ſit omnis pars, & toti non adæquetur, licèt poſteà ſint ita vnitæ, vt naturaliter ſint indiuiſibiles, quatenùs vna pars eſſentialem dependentiam dicit ab alia, & omnes à tertia entitate reſultante, quod non euenit in quanto molis. Et cùm Angelus conſtet materia tanta hinc, &c.

Obicies quartò: anima rationalis, & Angelus ſunt tota in toto, & tota in qualibet parte; ergo ſunt indiuiſibiliter in loco, ergo non quantitatiuè, & cum extenſione.

Respondetvr ſuprà iam nos dediſſe differentiam inter extenſionem corporum, & entium ſpiritualium in tertio Not. & iterum dicimus ſubſtantias ſpirituales eſſe totas in toto, & totas in qualibet parte, quia cùm ſint vnitæ earum partes cum ſimplicitate, & indiuiſibilitate, & abſque extereitate, habent vim ſe replicandi ad omnes partes loci; ob idque dicuntur non extendi, ſicut faciunt corpora: hinc tamen non ſequitur non habere proportionatam quantitatem.

Et ſi durum videatur intellectui noſtro capere, quomodo vnum ens indiuiſibile poſſit habere extenſionem, ad hanc duritiem emoliendam, & tollendam valdè iuuabit ſuprà datum monitum Seraph. Doct. ſic loquentis in ſimili *lib.*2. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.*1. *quæſt.*3. *ad* 4. *&* 5. Si quis vult talem entitatem intelligere, oportet ab hac ſenſibilitate abſtrahere animum, & ſuper actum imaginationis conſcendere, & concipere talem entitatem abſque tali extenſiua mole, ſicque poterit id aliqualiter capere.

404. Secvnda Conclvsio: Ratio formalis quantitatis conſiſtit in extenſione, prout præſcindit ab extereitate, vel non extereitate partium, ſeu potiùs in extenſione, prout ponit

capacita

capacitatem in ſubſtantia ad finitatem, limitationem, & localitatem, & ad alias proprietates quantitatis eſſentiales. Eſt S. Bonauent. *loc. cit.* & præcipuè *in lib. 4. diſtinct. 12. part. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 2.* vbi dicit, quod quantitas formaliter loquendo habet extenſionem de natura ſui generis; vnde non ſaluatur quantitas, niſi etiam extenſio, ſed non poteſt loqui de entitatiua, quæ non pertinet ad hoc prædicamentum; vnaquæque enim res eſt per ſe vna, & ab aliis diſtincta: Vnde eſt in omni ſubſtantia creata. Tum quia materia recipiens quantitatem eſt priùs in ſe aliquod totum, nec poteſt loqui de ſituali actuali, quia eſt poſterior quantitate; ergo de ſituali aptitudinali.

SIC etiam Suarez *in Metaphyſ. diſp. 40. ſect. 4. num. 15.* licèt diſſentiat à nobis poſteà in hoc, quod eam tantùm recognoſcit in corporibus: eſt & Serbellon. *in Log. diſp. 2. quæſt. 7. art. 5.* qui ſuſtinet rationem formalem quantitatis eſſe extenſionem aptitudinalem in ordine ad locum.

PROBATVR autem, quia talis extenſio abſtrahit ab extereitate, & non extereitate partium; ergo omni quantitati competit. Tum quia duo Angeli petunt ex ſua limitatione duo corpora locantia ex S. Bonau. *lib. 2. diſt. 2. part. 2. art. 2. quæſt. 1. in corp.* ſed id non prouenit ex hoc, quod ſint in eis duæ materiæ entitatiuè diſtinctæ, ſed à quantitate; ergo talis capacitas ad locum prouenit ab extenſione.

DICES; Illa aptitudo eſt quid conſequens ad eſſentiam quantitatis; ergo non eſt ratio formalis ipſius.

RESPONDETVR capacitatem talem eſſe in ſubſtantia ex ratione formali quantitatis informantis ipſam ſubſtantiam ſcilicet ex extenſione ab ipſa recepta; hancque explicari à poſteriori ex Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 2. quæſt. vltim. in fine*; cætera, & obiectiones contra hanc Concluſionem dabuntur, & ſoluentur fuſiùs in Phyſica, &c.

QVÆSTIO II.

Quænam ſint ſpecies Quantitatis.

405. MAXIMA eſt diſſentio inter Philoſophos circa iſtas ſpecies.

NAM aliqui recognoſcunt tantùm tres proprias ſpecies in quantitate continua, ſcilicet lineam, ſuperficiem, & corpus, ſic cum Meldul. *Log. diſputat. 7. num. 69.* plures. Alij vnicam tantùm ſcilicet corpus. Alij addunt etiam locum. Alij recognoſcunt etiam tempus. Alij & numerum, & orationem ablegant à vera ratione quantitatis. Alij eas veras ſpecies recognoſcunt, vt videre eſt apud Ruuium, & Meldul. *hîc*: Seraph. Doct. in aliquibus conuenit cum ſuprà poſitis. DD. in aliis diſſentit.

PRIMA CONCLVSIO: Prima diuiſio quantitatis ſecundùm veritatem debet fieri in ſpiritualem, & corpoream tanquam in duo prima membra diuidentia, ſequitur ex præcedenti quæſt.

ET probatur earum diuerſitas formalis, nam per extereitatem, & non extereitatem partium habetur diuerſa ratio formalis quantitatis inducens etiam diuerſos effectus formales: per primam enim habetur diuiſibilitas phyſica.

ITEM & impenetrabilitas non per ſecundam.

 SECVN

Secvnda Conclvsio: Vtraque rectè diuiditur in continuam, & diſcretam. Eſt S. Bonauent. *ſerm.* 4. *Hexaëm.* & *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* & *ad* 2. & *lib.* 4. *diſt.* 12. *art.* 3. *per totum.* Prima eſt, cuius partes ſimul permanent vnitæ realiter, vt linea; ſecunda eſt, cuius partes non copulantur communi termino, & vtraque diuiditur in permanentem, & ſucceſſiuam: Prima eſt, cuius partes permanent: ſecunda, quæ habent eſſe in fluxu: Hæc Concluſio patebit in ſequentibus.

Solvm ſupereſt ſoluere hoc dubium: Nam duæ differentiæ oppoſitæ non poſſunt ſimul conuenire extremis conſtitutis per eas, & oppoſitis, ſed ſuprà dictæ conueniunt vtriſque, nam ipſis competit & continuitas, & diſcretio, &c. ergo malè aſſignata eſt talis diuiſio, & ſubdiuiſio.

Respondetvr ex traditis *in quæſt.* 10. *antepredicamentali*; Quod ſi differentiæ ſunt vltimò conſtitutiuæ, non poſſunt duæ oppoſitæ competere vni ſpeciei oppoſitæ conſtitutæ; at ſi non ſunt vltimò conſtitutiuæ, dum retinent aliquam communitatem competentem etiam ſuperioribus conſtitutis, poſſunt ipſis competere, vt verbi gratià corpus diuiditur in viuens, & non viuens, & tamen viuens competit etiam Angelis: ſic quantitas diuiditur immediatè in continuam, & diſcretam, & vtraque in permanentem, & ſucceſſiuam, &c. ſic negatur conſequentia.

406. Tertia Conclvsio, Quantitas continua corporea permanens rectè diuiditur in lineam, ſuperficiem, corpus, & locum: ſucceſſiua verò habet tantùm tempus, non verò motum; Eſt S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *argum.* 6. *ad oppoſ.* & *lib.* 1. *diſt.* 37. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in corp.* & *lib.* 4. *diſtinct.* 16. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 6. & *lib.* 3. *diſt.* 29. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 5. & *lib.* 4. *diſtinct.* 49. *part.* 2. *artic.* 2. *princip.* *art.* 3. *quæſt.* 1. & *lib.* 2. *diſtinct.* 13. *articul.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 4. & eſt communis.

Et probatur primò, quia cùm primæ tres conueniant in quantitate, diſcrepant tamen in extenſione formali ſcilicet per longitudinem, latitudinem, & profunditatem; Tum quia quælibet habet diuerſas proprietates de ipſa demonſtrabiles: nam Geometra demonſtrat de linea rectitudinem, & curuitatem, de ſuperficie planum, & conuexſum, de corpore ſphericum, trilaterum, & ſimilia; De loco verò addimus cum Seraph. Doct. quod eſt vera ſpecies quantitatis, ſed tamen non eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter diſtincta à ſuperficie. Et patet, quia non addit niſi vel continentiam actualem, vel menſuram, ſed id ſpectat ad relationem, & eſt tantùm quantitas ſecundùm denominationem extrinſecam; ergo non poteſt hæc ratio conſtituere nouam ſpeciem: vnde ait S. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 2. *part.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* quod locus, & ſuperficies ſunt idem per eſſentiam, & differentia per comparationem tantùm vt comparata ad rem locatam, vel vt abſolutè ſumpta.

407. Obiicies primò. Linea continetur in ſuperficie, & hæc in corpore: ergo corpus non differt ab vtraque per longitudinem, & latitudinem.

Respondetvr concedendo antecedens de continentia materiali, negando de formali; Explico hanc diſtinctionem, linea, ſi ſumitur, prout includitur in ſuperficie, eſt indiuiſibilis,

Digitized by Google

lis, quia eſt terminatiua, & continuatiua ſuperficiei, ſicut puncta lineæ: Item & ſuperficies, prout continetur in profunditate, eſt indiuiſibilis ob dictam rationem; & hoc pacto ſumuntur materialiter, nec faciunt ſpecies diſtinctas: at ſi ſumuntur ſecundùm ſe, prout ſunt diuiſibiles, cùm habeant diuerſam extenſionem formalem, ſic conſtituunt ſpecies diſtinctas.

Obiicies ſecundò: Nullum genus prædicatur de ſuis ſpeciebus denominatiuè, & accidentaliter, ſed tantùm eſſentialiter, ac ſubſtantiuè: non enim dicitur rationalitas eſt rationalis, animalitas eſt animalis, ſed dicitur, quantitas eſt extenſa, tanta, quanta, linea eſt quanta: ergo.

Respondetur primò hoc eſſe peculiare quantitatis, nempè poſſe prædicari concreta de abſtractis, quia non ſolùm habet, quod ſit alterius menſura, & quo, ſed quod ſit per aliam menſurabilis, & vt quod; ratio eſt, quia quantitas non ſolùm extendit alia, ſed & ſeipſam, vide, quæ ſuprà tradita ſunt *num.* 395. quo ſtrictè ſummendo communiter in aliis non admittitur, ex eo quod abſtractum ſignificat formam in ſe, & vt quo, & concretum concernit ſubiectum, & vt quod, ſicque mutaretur quo in quod.

Respondetur ſecundò: eſſe non denominatiuam prædicationem, ſed eſſentialem, prout concernit materiam, ita vt ſenſus ſit, linea eſt quanta, ideſt hoc longum eſt quantum, & extenſum: vel tertiò *ly quantum* idem eſt ac extenſum, menſurabile, diuiſibile, vel aliam proprietatem dicit.

Obiicies Tertiò; Linea ordinatur vt pars ad conſtitutionem ſuperficiei, & hæc ad conſtitutionem corporis; ergo non eſt ſpecies, ſicut punctum ad lineam.

Respondetur negando conſequentiam; Nam ad hoc, vt aliquid ſit ſpecies, ſufficit, vt ſit quid completum, vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid, & ſecundùm modum, & quod ſit prædicabile de ſuis inferioribus eſſentialiter: Vnde dicitur, homo eſt animal, & hoc maximè eſt verùm de partibus homogeneis, quæ eſſentialiter admittunt prædicationem totius, vt eſt linea, ſuperficies, licèt quoad alium reſpectum concurrant ad conſtitutionem totius integralis.

Obiicies quartò. Vna ſpecies in alia non includitur, ſed linea includitur in ſuperficie, & vtraque in corpore; ergo.

Respondetur maiorem eſſe veram de continentia formali, falſam de materiali, & præſuppoſitiuè, ſcilicet quatenùs ſuperficies neceſſariò præſupponit lineam non vt partem conſtitutiuam, ſed vt medium indiuiſibile continuans ſuas partes, quæ continentia eſt tantùm materialis: formaliter enim linea habet ſuam longitudinem continuatam per puncta: ſuperficies ſuam latitudinem continuatam per lineas, & corpus profunditatem continuatam per ſuperficies. Sic etiam numerus præſupponit alium ad ſui conſtitutionem, verbi gratiâ, ternarium, binarium, & non eſt ille formaliter, ſed tantùm materialiter, & præſuppoſitiuè: Vnde non dicitur, ſuperficies eſt longitudo, ſed eſt latitudo cum longitudine, &c.

Obiicies quintò; Locus dicit peculiarem extenſionem ſupra ſuperficiem, nam importat extenſionem totius ad totum locatum, & partium ad ipſas partes locati, ſed hanc extenſionem non habet ſuperficies vt ſic conſiderata; ergo: Tum quia impor-

tat ſupra ſuperficiem æqualitatem ad locatum, ergo.

Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib.1. diſt. 37. part. 2. quæſt. 2.* & *lib. 2. diſt. 2. part. 1. art. 1. quæſt. 1. in corp.* talem additionem eſſe tantùm relationem continentiæ, vel menſuræ, non verò nouam extenſionem formalem. Nec eſt verum, quod dicat eſſentialiter ordinem partium loci ad partes locati: cùm Angeli verè contineantur in loco abſque tali correſpondentia paſſiua. Et ad id de æqualitate reſpondetur hanc eſſe proprietatem communem omnibus ſpeciebus quantitatis, &c.

408. Qvarta Conclvsio: Tempus eſt vera ſpecies quantitatis continuæ ſucceſſiuæ, non verò motus. Eſt S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 2. quæſt. 1. & 2. in corp. & lib. 2. diſt. 7. part. 2. art. 1. quæſt. 2.* Vt probetur hæc Concluſio

Advertendvm primò, quod tempus eſt numerus, ſeu menſura motus. In motu autem poteſt conſiderari duplex extenſio, altera, vt eſt via inter duos terminos à quo ad quem; altera, in quantum durat: primam habet à mobili, ſeu à ſpecie, ſeu à termino ad quem: ſecundam habet à tempore. Hinc patet motum eſſe vtroque modo quantum non per ſe, ſed per accidens: tempus verò habet extenſionem de ſe ſecundùm prius, & poſterius durationis diſtinctam à motu, à mobili, à termino, & à ſpatio, dependentem tamen à cauſa efficiente motum.

Advertendvm ſecundò, quod tempus eſt duplex ſcilicet extrinſecum, & intrinſecum: Primum eſt duratio primi motus ſcilicet mobilis primi cœleſtis, qui, cùm ſit regulatiſſimus, regulat omnes alios inferiorum corporum, ob id dicitur menſura omnium: Secundum eſt proprium cuiuſlibet rei variabilis, prout durat, & perſeuerat in ſuo eſſe, & exiſtere: Hincque patet, in quo ſenſu ſit ſpecies quantitatis; nempè, prout eſt menſura rerum variabilium, pertinet ad relationem, prout verò denominat res exiſtentes in tempore, ſpectat ad prædicamentum quando. At prout importat extenſionem præcisè ſecundùm prius, & poſterius, eſt ſpecies quantitatis ſucceſſiuæ continuæ.

409. Probatvr autem Concluſio, quia tempus habet extenſionem diuerſam à motu, fieri enim poteſt, vt motus habeat paruam extenſionem, & tempus magnam, & è contra. Motus enim factus per idem ſpatium eiuſdem longitudinis non habet maiorem extenſionem, ſiue ſit velox, ſiue tardus, & tamen duratio erit extenſior, vel minùs extenſa. Tum quia eius partes, ſcilicet præteritum, & futurum copulantur per inſtans; ergo.

Obiicies cum Meldul. Duratio non diſtinguitur à re durante; ergo nec tempus à motu, ſed motus non eſt ſpecies vera quantitatis; ergo nec tempus.

Respondetvr hanc obiectionem petere cælebrem quæſtionem examinandam in Phyſica, & pro nunc negatur antecedens: ſunt enim, vt dictum eſt, diuerſæ extenſiones, & realiter diſtinctæ, vt dicetur ſuo loco.

Obiicies ſecundò: Tempus partes non habet exiſtentes. Præteritum enim iam præteriit, futurum non eſt, ſed tantùm habetur vnicum inſtans: ergo.

Respondetvr: Tempus non habet partes actu permanentes, concedo, actu exiſtentes in fluxu, nego, ſic negatur conſequentia.

Ex

Ex quibus ſequitur motum non eſſe ſpeciem quantitatis. Tum quia non habet per ſe ſucceſſionem; poſſet enim fieri in inſtanti per virtutem valentem vincere totam reſiſtentiam medij. Tum quia partim eſt in actu, & partim in potentia, & ob id quid incompletum; ergo per ſe non pertinet ad prædicamentum.

Hinc Seraph. Doct. ait *lib. 2. diſt. 24. part. 1. art. 2. quæſt. 1. ad vlt.* pertinere ad prædicamentum tantùm reductiuè.

410. Qvinta Conclvsio: Quantitas ſpiritualis diuiditur in continuam, & diſcretam. Continua in permanentem, & ſucceſſiuam; eſt Seraph. Doct. & ſequitur ex traditis in præcedenti quæſtione.

Hic autem explicanda eſt vtraque quantitas. Permanens eſt quædam extenſio exiſtens in ſubſtantia ſpirituali abſque extereitate partium, & proportionata ipſi, nempè quatenùs importat totum homogeneum habens extrema finita, & limitata, & menſurabilia cum altera ſubſtantia ſpirituali, quæ tamen cùm ſit nobis inſenſibilis, nec etiam habet peculiare nomen, ſed tantùm gaudet hoc nomine vniuerſali extenſionis ſpiritualis permanentis. Ratio autem huius differentiæ inter permanentem quantitatem corpoream, & ſpiritualem debet deſumi ex ipſius diuerſis principiis; nam quantitas corporea oritur à materia, cum qua fuit congenita interminatè, & in qua immediatè inhæret; licèt in eodem inſtanti fuerit informata forma coporea, quæ non eſt nata informare materiam niſi cum extenſione extereitatis quantitatiua: Sic *lib. 2. diſt. 2. art. 1. quæſt. 2.* & *lib. 2. diſtinct. 12. artic. 1. quæſt. 1. fund. 4 & lib. 2. diſt. 3. part. 1. art. 1. quæſt. 2. ad 4.* Materia verò Angelorum, & animæ rationalis (addit *lib. 2. diſtinct. 2. part. 2. artic. 2. quæſt. 1. in corp.*) cùm informetur à forma ſpirituali, & ſimpliciſſima, etiam tribuit illi quoddam genus ſimplicitatis finitæ non relinquendo partem extra partem, ſed ipſas vniendo, & in vnum confundendo.

Hinc ſequitur, quod in ſubſtantia ſpirituali admitti debeat minima extenſio, & tanta, quanta eſt neceſſaria ad recipiendas extenſiones in ſe accidentales, tum permanentes, nempè vbi inſituale, & infigurabile; tum ſucceſſiuas nempè æuum, & aliquo modo tempus, & motum. Tum diſcretas, nempè numerum, vt in ſequenti quæſtione dicetur: & hæc de continua permanente.

411. Svccessiva verò dicitur Æuum, ſeu æuiternitas, de qua Seraph. Doct. *lib. 2. diſtinct. 2. part. 1. art. 1. per totum, & in Centil. part. 3. ſect. 3. & alibi ſæpè:* & hæc eſt menſura ſubſtantiæ ſpiritualis, & inuariabilis ſecundùm prius, & poſterius, ſeu eſt quantitas continua ſucceſſiua extenſa ſecundùm dimenſionem extrinſecam rei incorruptibilis, & inuariabilis in ſua duratione, cuiuſmodi ſunt Angeli, & anima rationalis, corpus cœleſte, & materia prima quatuor elementorum, quæ definitio proportionaliter eſt intelligenda iuxta ſuprà dicta de tempore, ſolúmque differunt (ait Seraph. Doct. *loc. cit. quæſt. 3.*) quod in tempore eſt ſucceſſio cum variatione, priuſque, & poſterius cum veteratione, & renouatione partium ſuarum, & rerum menſuratarum per tempus.

At in æuo eſt ſucceſſio ſecundùm prius, & poſterius, dicens quidem durationem extrinſecam, & extenſionem, ſed abſque variatione, vel innoua

vel innouatione partium ſuarum, vel ſubſtantiarum menſuratarum, ſic fluxus aquæ à fonte comparatur tempori; & fluxus radij à ſole æuo comparatur, qui ſemper egreditur à Sole, non quia nouum egrediatur, vt in riuulo, ſed quia quod emiſſum eſt, continuatur: Vnde influentia Solis nihil aliud eſt, quam continuatio dati, ſed de hac materia agetur in phyſica, & in Theologia: vbi eſt proprius locus. Addimus, quod cùm Anlorum affectiones menſurentur tempore, ſiue ſint ſucceſſiuæ, ſiue iſtantaneæ, quæ & in Angelo recipiuntur, etiam & aliqualiter deberet & recipere in ſe talem ſucceſſionem, ſiue inſtantaneitatem mutationis: Ex quibus S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 2 *part.* 1 *art.* 1. *quaſt.* 3 *ad* 3. infert, & docet hoc prius, & poſterius ſucceſſiuum reduci debere ad quantitatem permanentem, in qua recipiatur, eſto, quod non adſit prius, & poſterius in ipſa, ideſt extereitas partium: Et *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 3. habet hæc verba; Ad illud, quod objicitur, quod poteſt cogitari creatura ſimplex.

Respondetvr, quod eſt impoſſibile, eo ipſo enim, quod eſt creatura ſiue ſpiritualis, ſiue corporea, non eſt actus purus, ob idque eſt mutabilis, & ſi eſt talis, neceſſariò habet fundamentum, & quia eſt limitata, & in genere, oportet, quod habeat compoſitionem, addit *diſt.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *quaſt.* 1. & quia eſt finita, ideò eſt hîc, & nunc, ſi eſt ſpiritualis, eſt in loco non tamen ſecundùm partem, & partem: ſi eſt corporea, eſt cum extereitate partium.

QVÆSTIO III.

An numerus, & oratio ſint veræ ſpecies quantitatis diſcretæ.

412. Prima opinio aufert à vera ratione ſpecifica quantitatis quantitatem diſcretam, & conſequenter etiam numerum, & orationem; Ità Nominal. & alij cum Meldul. *diſp.* 7. *log. num.* 46. *& num.* 81. volunt enim eſſe tantùm aggregatum per accidens.

Secvnda opinio ſuſtinet affirmantem; Eſtque Seraph. Doct. *infrà cit.* D. Thomæ: Scoti, *& ſeq.* Complut. *diſt.* 14. *quaſt.* 7. Ruu. & recentiorum. Sed tamen in hac opinione eſt diſſenſio, in quibuſnam rebus poſſit admitti numerus prædicamentalis, & accidentalis; nam communiter ferè omnes, D. Thomas: Scotus, *& ſeq.* hunc admittunt tantùm in entibus corporeis, in quibus reſultat ex diuiſione continui, in entibus verò ſpiritualibus, vt in Angelis, admittũnt quidem vnitatem indiuidualem, & multitudinem indiuidualem, ſed hanc volunt eſſe tranſcendentalem tantùm, non accidentalem, cùm non ſint capacia diuiſionis, quæ fit in continuo. Seraph. verò Doctor vult æqualiter, & vniuocè ineſſe vnitatem, & multitudinem numericam accidentalem non ſolùm in hominibus, & aliis entibus corporeis, ſed etiam in ſubſtantiis ſpiritualibus, ſcilicet Angelis, & animabus: Pro cuius quæſtionis ſolutione.

Primò Notandum, quod tota difficultas in opinione Seraphica, quæ ponit numerum in ſubſtantiis ſpiritualibus prædicamentalem, conſiſtit in explicando, quomodo ipſis inſit accidentaliter

liter: certum enim eſt, quod talis aggregatio, & numeratio accidentalis in entibus corporeis reſultat ex diuiſione continui, quæ ſi non adfuiſſet, neć etiam adfuiſſet hæc multitudo: Hincque dicunt Thomiſtæ, & Scotiſtæ, quod in entibus, quæ non poſſunt continuari ad inuicem, non poteſt adeſſe talis numerus accidentalis, & prædicamentalis, & licèt numerentur, & conſtituant multitudinem, talis numerus eſt tranſcendentalis tantùm, quia eſt per indiuidualitates, quæ ſunt vnitates entitatiuæ, & eſſentiales, & inſeparabiles: Seraph. verò Doct. exiſtimat hoc eſſe merum effugium difficultatis, cùm pateat eodem modo numerari decem lapides, decem homines, ac decem Angelos, ergo id eis debet competere ratione alicuius entitatis communis; Tum quia ſcimus ex fide numerum Angelorum debere ſuppleri per numerum hominum, ſic *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *fund.* 2. Hinc S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quaſt.* 1. *ad* 1. docet, quod vltra vnitatem ſubſtantialem in omnibus per ſe entibus (hæcque eſt in natura formali, ſeu ſpecifica, & generica, de qua *in tract. vniu.* & in indiuiduo eſt indiuidualis entitatiua, & ſubſtantialis, de qua *in cap. de ſubſtantia*) vltra hanc vnitatem (inquit) debet neceſſariò admitti alia vnitas accidentalis, & quantitatiua, quæ ortum trahit à principiis ſubſtantialibus rei ad ipſam vnitatem accidentaliter relatis; Quod dictum eſt valdè obſcurum, nec poteſt explicari abſque recurſu ad alios Textus Seraphicos: Vnde vt pateat ſublimiſſimus ſenſus Seraph. Doct. & quàm metaphyſicè procedat in hac Materia.

413. Secundò Notandum: quod cùm Seraph. Doct. ex ſæpè aliàs traditis, & tradendis ſuo loco *ex lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quaſt.* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 17. *art.* 1. *quaſt.* 2. & *aliis pluribus locis* recognoſcat in omnibus per ſe entibus compoſitionem ex materia, & forma, ex qua materia, prout tamen eſt exiſtens cum forma, oritur quantitas, quærit poſteà, an materia habeat aliquam vnitatem, & communitatem in omnibus materiatis, an verò ſit diuerſæ rationis: Et reſoluit *ibid. lib.* 2. *diſt.* 3. *quaſt.* 2. & 3. quod materia de ſe, & preciſè conſiderata habet quandam communitatem, & vnitatem homogeneitatis ferè ſimilem vnitati continuitatis, maiorem tamen, & vniuerſaliorem, & ob id de ſe nullam habet diſtinctionem: ex quo fundamento ſequitur, quod dum indiuidua compoſita ex materia, & forma multiplicantur; reſultat etiam vltra vnitatem indiuidualem, & ſubſtantialem diſcretio, & multitudo vnitatum accidentalium, quæ ineſt æqualiter, & vniuocè in omnibus per ſe entibus tam corporeis, quàm ſpiritualibus, ſiue reſultet ex actuali diuiſione vnius continui, ſiue ex diſcontinuatione, ſeu ex diſcretione illius materiæ, quæ de ſe eſt homogenea, & indifferens ad eſſe vnum totum continuum, vel diſcretum in multas partes: hincque dixit S. Doct. quod vnitas accidentalis reſultat ex principiis ſubſtantialibus accidentaliter ad ipſam relatis, ideſt quatenùs vnitas, & multitudo tali materiæ accidentaliter ei ineſt, ob id dixit Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 1. *quaſt.* 1. quod vnum comparatum ad materiam dicitur priuatiuè ideſt quid in ſe indiuiſum, comparatum verò ad formam, (per quam fit ſeiunctio) dicitur poſitiuè ſcilicet quid ab aliis diſtinctum: materia enim vt ſic eſt indifferens ad vtrunque, & *lib.* 1. *diſt.* 2. *dub.* 7. & *lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 2. *quaſt.* 1. & 2.

Digitized by Google

notat numerum fieri ex aggregatione, & diſtinctione, idque vel diuiſione continui, vel formarum diſparatione, gradu, ſeu ordine: Ex qua pulcherrima doctrina clarè patet, quàm facilè, & quàm adæquatè ad veritatem ſe extricet ab aliis difficultatibus, in quas cæteri ſe inuoluunt, dum coguntur aſſerere, quod numerus Angelorum, & entium aliorum, qui non reſultat ex diuiſione continui, eſt tranſcendentalis, quod dictum eſt contra ſenſum, & rationem; dum eodem modo numeramus decem lapides, & decem Angelos, nec ipſi reddunt aliam rationem, niſi quia habent aliqualem ſimilitudinem cum numeratione entium quantorum, non verò rationem vniuocam, ex hoc, quod in iſtis non inuenitur quantitas, ſicque afferunt pro ratione id, quod eſt in quæſtione petentes principium.

414. Tertiò Notandum, quod numerus prædicamentalis alius eſt Phyſicus, alius Mathematicus, ſeu intelligibilis: Phyſicus ſunt ipſæ res concretæ in materia, vt decem lapides, & dicitur numerus numeratus: Mathematicus ſunt ipſæ vnitates abſolutæ ab omni materia, & ab intellectu in vnum collectæ, quæ vnitates, ſi rebus applicantur, dicuntur numerus numerans; Si verò ſecundùm ſe conſiderantur, prout & ipſæ ſunt ſecundùm prius, & poſterius ordinabiles, dicuntur numerus numeratus. Hìc autem eſt ſermo de numero Mathematico, non de phyſico. Definitur autem ſic: *Numerus eſt multitudo vnitatum menſurata per vnum, ſeu eſt quantitas diſcreta extenſa ſecundùm dimenſionem plurium, vt vnius permanentium*: Dicitur *multitudo plurium vnitatum*, quia numerus (ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 24. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1.) neceſſariò importat diuiſionem, & ſeparationem vnitatum: Dicitur *menſurata per vnum, ſeu ſecundùm dimenſionem plurium vt vnius*, quia neceſſariò numerus importat compoſitionem, & aggregationem earundem ſub vna forma generica, vel ſpecifica vt binarij, & ternarij, à qua menſuratur ipſa multitudo, vel etiam ab ipſa vnitate replicata, ſicque ex vnitatibus pluribus reſultat alia vnitas ſcilicet totius, quæ dicitur numerus, verbi gratiâ ternarius.

415. Quartò Notandum, quod numerus poteſt ſumi vel vt totum integrale, & phyſicum, vel vt totum vniuerſale poteſtatiuum, ſeu metaphyſicum. Sic Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 4. *in corp. & ad* 2. Cùm enim non ſit totum phyſicum conſtans ex materia, & forma, quia eſt accidens, eſt tamen totum integrale, quatenùs vnitates ordinantur ſecundùm prius, & poſterius, ex qua ordinatione reſultat hoc totum, verbi gratiâ, ternarius, quaternarius, & ſicut ex ente phyſico reſultant realitates metaphyſicæ, ſic ex tali entitate integrali reſultat compoſitio ex genere, & differentia, & ob id totum metaphyſicum, quod eſt vnum per ſe; genus eſt ipſa quantitas diſcreta, verbi gratiâ, tres vnitates, differentia, cùm ſit nobis ignota, & innominata, exprimitur à poſteriori per extenſionem tantam, vel tantam tantùm, vt in ternario extenſio ad tres vnitates tantùm. In quo numero eſt conſideranda forma partis, & forma totius; forma partis phyſica ſunt ipſæ vnitates materiales, quæ habent eſſe, vel ex diuiſione continui, vel ex diſcontinuitate continuabilis, & forma totius eſt totum integrale; forma partis metaphyſica eſt differentia ſuprà dicta, ſcilicet illa extenſio ſecundùm

Digitized by Google

dùm tantam multitudinem; forma totius eſt ipſe numerus ſecundùm ſuam rationem ſpecificam reſultans, vt ternarius, quaternarius.

416. Qvintò Notandum ex Complut. *in Log. diſputat. 13. quæſt. vltim.* quod oratio hîc non ſumitur pro actu religionis, nec pro oratione logica, quæ eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius aliqua pars ſeparata eſt ſignificatiua; nec pro oratione rethorica apta ad perſuadendum, ſed pro oratione muſica, ideſt pro oratione externa, & vocali, ſecundùm quod eſt realis multitudo prolationum, ſeu ſyllabarum diſcretarum ordine quodam ſibi ſuccedentium; Vnde ſumitur pro voce, quæ cauſatur ex colliſione quarundam partium corporis animalis, ſcilicet gutturis, palati, linguæ, dentium, & labiorum, ſicque vnica vox erit vnica ſyllaba, & plures voces plures ſyllabæ, & oratio erit aggregatum ex talibus ſyllabis, vt dominus, quæ fit ex tribus percuſſionibus ſibi ſuccedentibus. Cùm autem inter vnam, & alteram ſyllabam intercedat aliqua breuis morula, conſequens eſt, vt tales ſyllabæ ſint diſcontinuæ, ob idque & tota oratio eſt quid diſcretum.

Ex quo ſequitur hanc orationem quantitatiuam non eſſe aërem verberatum, in quo recipitur ſonus; eſt enim ſubſtantia, nec ſonum ipſum, eſt enim qualitas, nec ipſam colliſionem, cùm ſit actio, ſed eſt illa duratio, ſeu extenſio, & quaſi corpulentia vocis, ſecundùm quam quælibet ſyllaba dicitur longa, vel breuis, magna, vel parua, & hæc eſt quantitas vocis, ſeu extenſio, ſeu dilatatio ſyllabæ, quæ maior eſt in longa, quàm in breui oratione, & ratione cuius ſunt ordinabiles ſecundùm conſonantiam, à qua ſumitur vnitas, & eſſentia orationis, ſicut ab ordine, & numerabilitate vnitatum ſumitur numerus; hæcque oratio appellatur cum communi à Seraph. Doct. Proſodia, ſeu metrica quantitas, ſub qua tanquam ſub genere continentur omnia genera carminum, vt exametrum, pentametrum, &c. Item omnes pedes carminum vt ſpondeus, dathilus, &c. omnes ſpecies ſonorum muſicorum, vt diapente, diatheſſaron, &c. Vide Sot. hîc *quæſt. 1. art. 4.* de quibus etiam aliqua tangit Seraph. Doct. *in proœm. Pſalmorum, & Threnorum Ierem.* His poſitis ſtat.

417. Prima Conclvsio: Numerus prædicamentalis eſt vnum per ſe reale, & vera ſpecies quantitatis diſcretæ. Eſt S. Bonauent. *ſuprà cit.* D. Thom. Scot. & communis contra Nominales, & Meldul.

Probatvr prima pars: De numero habetur ſcientia, ergo non eſt ens per accidens, ſed vnum per ſe; ergo, &c.

Conseqventia eſt Ariſtot. & communis, quia de ente per accidens non habetur ſcientia.

Antecedens etiam patet, quia Arithmetica eſt vera ſcientia realis, cuius obiectum eſt numerus, & in muſica numerus ſonorus.

Respondent Aduerſarij, quod de ente fortuito non poteſt dari ſcientia, tamen de aggregato ex plutibus rebus diuerſorum generum, vt Petrus fortis, poteſt dari ſcientia; quæ reſponſio eſt fictitia, nam cùm de ente per accidens non poſſit haberi definitio, nec etiam ſcientia, &c. Nec magis ſatisfacit reſponſio Fonſecæ dicentis numerum conſideratum ſecundùm ſe eſſe aggregatum per accidens, ſed ſecundùm ordinem factum per intellectum ſic eſſe ſcibilem; quæ reſ-

ponſio rejicitur communiter, cùm Arithmetica ſit ſcientia mathematica, & realis, ob idque & obiectum debet eſſe reale: Tum quia de ipſo demonſtrantur paſſiones reales.

PROBATVR ſecunda pars: Numerus reſultat ex ordinabilitate, quam habent vnitates ſecundùm prius, & poſterius, ſed iſtam habent independenter ab intellectu, vt docet S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 2. *art.* 1. *quaeſt.* 4. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1. & *q.* 2. *ad* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 2. *q.* 1. *ad* 4. ergo eſt ens reale: Tum quia numerus eſt obiectum intellectus motiuum, ergo antecedit ipſius operationem, Tum quia vnitates habent eſſe præcisâ quacunque operatione intellectus, ergo & id, quod ex ipſis reſultat. Antecedens patet, quia, vt ait Hurtadus, quando recenſeo exercitum, non facio militum numeros, ſed cognoſco eos, qui ſunt in exercitu: video enim tres milites, cognoſco eos eſſe ternarium, trinitatem enim illis ego non appingo, ſed in illis ſuppono: Actus enim numerans ſupponit obiectum numerabile.

418. PROBATVR Tertia pars: Quantitas diſcreta eſt vera quantitas realis generica; ergo habet ſub ſe ſpecies: Antecedens ſuprà probatum eſt ex diuiſione quantitatis in eam, cuius partes copulantur communi termino, & è conuersò; Tum quia quantitas continua eſt realis; ergo ſi illam faciam diſcontinuam, erit etiam realis licèt differenter; Tum quia ad vnitatem ſpecificam non eſt neceſſarium, vt partes ſint realiter vnitæ in Tertio, ſed ſufficit, vt ſint ordinatæ, vel ordinabiles ad conſtituendum tertium, ſed tales ſunt vnitates: ergo.

419. SECVNDA CONCLVSIO: Numerus prædicamentalis æqualiter, & vniuocè competit omnibus per ſe entibus tam corporeis, quàm ſpiritualibus. Eſt Seraph. Bonau. contra omnes alios.

PROBATVR ex eius principiis: Numerus prædicamentalis accidentaliter aduenit omnibus per ſe entibus ſuprà dictis; ergo eſt ipſis communis. Probatur antecedens, vnitates, quæ reſultant ex diuiſione actuali continui, intantùm faciunt numerum, inquantùm diſcontinuantur adinuicem, ità vt poterant non diſcontinuari, ſed in poſitione plurium diſcontinuatorum, quæ poterant, & poſſent continuari, reſultat eadem multitudo numerica accidentalis, & eiuſdem rationis, & talis eſt in immediata productione plurium Angelorum, & animarum conſtantium materia eiuſdem rationis; ergo numerus eſt in omnibus accidentalis, & eiuſdem rationis. Maior eſt certa; Nam ad numerum ſufficit multitudo vnitatum diſcontinuatarum, & in vnum collectarum, ſed hæc aduenit, & reſultat tàm in corporibus, quàm in ſpiritualibus: vt ſuprà probatum eſt *in* 2. *Notab.* ergo vt ſuprà.

OBIICIES primò ex Ariſt. à Meldul. *cit. in Phyſ. diſp.* 5. *num.* 178. Numerus non eſt quid per ſe vnum, ergo nec ſpecies quantitatis.

420. RESPONDETVR non eſſe per ſe vnum conſtans ex per ſe actu, & per ſe potentia, ſed benè eſſe vnum totum integrale phyſicum, & vnum per ſe vniuerſale metaphyſicum.

CONTRA inſtat Meldul. ſi eſt vnum, id vel eſt vnitate ſimplicitatis, & hoc non, quia eſſet ſimul idem ſimplex in pluribus ſubiectis; vel vnitate compoſitionis, & hoc non, quia non conſtat ex per ſe potentia, & actu; ergo nullo modo.

RESPON

Respondetvr eſſe vnum vtroque modo, ſcilicet quia eſt accidens, ob idque nec compoſitum ex materia, & forma ideò eſt ſimplex; eſſe etiam vnum compoſitione metaphyſica, quæ dicit formam totius reſultantem ex genere,& differentia,& trahentem originem ex totalitate ipſius integrali phyſica.

Obiicies ſecundò: Illa ſola multitudo vnitatum prædicamentalem numerum conſtituit, quæ ineſt rebus accidentaliter, ſed talis eſt ſola, quæ ex diuiſione poſſibili continui reſultat; ergo in entibus incapacibus continuitate eſt impoſſibilis, ſed huiuſmodi ſunt Angeli, & animæ; ergo in Angelis non eſt numerus prædicamentalis.

Respondetvr concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, ſed talis eſt ſola, quæ fit ex diuiſione continui actuali, vel poſſibili, concedo, actuali, & poſitiua, nego: hinc negatur vltima ſubſumpta minor, & conſequentia ex traditis in ſecundo fundamento. Addit S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. quod non ſemper requiritur ad numerum actualis diuiſio materiæ, vt euenit in iis, quæ producuntur immediatè à Deo, & non per viam generationis vnius ex alio, hinc patet vanitas obiectionis.

Instas: in Diuinis eſt ternarius numerus perſonarum, & tamen ibi non eſt quantitas; Tum quia Deus, & lapis faciunt binarium; ergo numerus non eſt ſpecies quantitatis.

Respondet Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 2. *&* 3. *&* *quæſt.* 1. *ad vlt.* negando in Diuinis eſſe numerum propriè, & abſolutè ſumptum, ſed tantùm impropriè, quia ibi non eſt multitudo vnitatum naturarum, nec aggregatum, nec vnum eſt principium multitudinis in Deo, ob id eſt ibi tantùm impropriè, quatenùs ſunt ibi proprietates diſtinctæ non per additionem, ſed per originem, & quando dicitur, Deus, & vnus lapis faciunt binarium, negatur hæc propoſitio, ſi ſumatur binarius propriè; ſi verò ſecundùm noſtrum modum intelligendi conceditur, ſed nihil ad rem noſtram.

Obiicies tertiò: Numerus minor continetur in maiori eſſentialiter, ergo non eſt ſpecies condiſtincta ab eo.

Respondetvr, vt ſuprà dictum eſt in ſimili obiectione de linea, & ſuperficie, numerum minorem contineri in maiori materialiter tantùm, non formaliter, & ſecundùm ſuam rationem ſpecificam, nam binarius, vt concurrit ad ternarium conſtituendum, ſumitur materialiter, ideſt vel vt dicit duas entitates potentialitatem habentes ad ternarium, vt dicit cum aliis Meldul. Vel vt dicit Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 24. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. *&* *quæſt.* 3. *ad* 2. quia binarius, licèt de ſe conſtituat ſpeciem, adhuc tamen retinet potentialitatem ad vlteriorem actualitatem, & tunc binarius non habet rationem ſpeciei, ſed partis integralis conſtituentis ternarium, tuncque differt ſicut partes, & totum.

421. Instas; Numerus, ſeu vnitas antecedens eſt in actu, habens totum eſſe actuale, ergo nullam actualitatem poteſt vlteriùs recipere; Non enim eſt maior ratio de vna, quàm de alia vnitate.

Respondetvr, numerum antecedentem non eſſe in potentia receptiua nouæ formæ phyſicæ, ſicut eſt materia; concedo, quod in hoc ſenſu eſt ens in actu: Non eſt quid determinabile per aliam vnitatem, nego, eo modo, quo genus determinatur à diffe-

rentia ; ſic enim ſit totum vniuerſale: Et ad id, quod non eſt maior ratio de vna vnitate, quàm de alia, quod omnes indifferenter erunt determinabiles, & determinatiuæ.

Respondent rectè Complut. *hîc num.* 88. *&* 89. quod licèt in hoc omnes ſint æquales, nec vna vnitas eſt magis determinatè vltima, quàm altera: Attamen cùm ſint accidentia, & ob id puræ formæ, & ordinabiles ad conſtituendam vnam integram quantitatem per numerabilitatem; omnes ob id habent, quod vltima, vel vltimus numerus eſt determinatiuus cæterorum. Vnde datâ numeratone negatur non eſſe maiorem rationem de vltima, quàm de primis. S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. aliam magis ſubtilem & adæquatam rationem reddit, quia multiplicatio numeralis eſt per receſſum ab vnitate, ideò dicit potentialitatem, & determinabilitatem per aliam vnitatem, vel per alium numerum.

Instas ſecundò cum Fonſeca, & Suarez apud Ruu. *hîc num.* 51. numerum eſſe vnum per accidens; quantitas enim diſcreta non copulatur in termino: Tum quia omnes vnitates ſunt entia actu.

Respondetur, quod ſi vnitates conſiderantur per ſe, & ſecundùm rationem materialem, vt ſeparatæ, ſic non efficiunt vnum per ſe; ſi verò provt ſunt ordinabiles adinuicem ſecundùm numerabilitatem, quàm habent per ordinem ad intellectum, ſic ſuam propriam vnitatem habent proportionatam ad conſtituendum vnum non continuum, ſed diſcretum.

Contra: Ergo habet vnitatem ab intellectu, ſicque formaliter erit ens rationis, provt eſt vnum.

Respondetur negando conſequentiam, nam illa numerabilitas, quam habent per ordinem ad intellectum, eſt vera, & realis in vnitatibus.

422. Quæres; An forma numeri ſumenda ſit ab vltima vnitate, vel ab omnibus, vt eſt in binario ſecunda vnitas, & in ternario tertia.

Respondetur; quod, vt ſuprà dictum eſt ex Seraph. Doct. cùm numerus habeat rationem totius integralis, & phyſici, & etiam vniuerſalis Metaphyſici: ſi primo modo ſumitur, non exigit rationem actus, & potentiæ, ſeu generis, & differentiæ, ſed ſufficit ordo ſecundùm prius, & poſterius in vnitatibus, verbi gratiâ, conſtituentibus ternarium, in quo ordine tamen vltima vnitas eſt veluti forma determinans alias, & veluti forma partis; ſi verò ſecundo modo ſumitur, ſic ratio generis debet deſumi non ab vna vnitate, ſed ab omnibus ſub ratione potentiali, verbi gratiâ, ternarius vt ſic eſt quantitas diſcreta, differentia verò etiam ab omnibus ſub ratione actus ſub peculiari ratione extenſionis, & ſecundùm peculiarem extenſionem tantam, vel tantam tantùm, ideſt ad tres vnitates, ſicque eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ.

Obiicies ex Maſtrio, ſi numerus vt conſtans pluribus vnitatibus eſt totum, ſequitur, quod idem accidens ſit in pluribus ſubiectis, verbi gratiâ ternarius in talibus, quod eſt impoſſibile, ſicque erit vnum per accidens, quia tria ſunt ſubiecta.

Respondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 6. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 2. *quæſt.* 3. *in corp.* quod ternarius, provt eſt totum integrale, eſt in illis tribus ſubiectis, provt integrant vnum ſubiectum, ſicut gratia eſt in pluribus potentiis animæ,

animæ, & vna ſanitas in pluribus membris. Provt verò eſt totum vniuerſale, ſic eſt vnum indiuiſibiliter in pluribus partibus ſubiectiuis ; eſt enim totum in ſingulis vnitim ſumptis, nec magis in vno, quàm in alio.

423. Secvnda Conclvsio: Oratio eſt vera ſpecies quantitatis diſcretæ. Probatur, quia conſtat vera extenſione diſcreta, ſecundùm quam habet partes vnam poſt aliam ſecundùm prius, & poſterius; ergo. Confirmatur, quia talis extenſio ſyllabarum eſt diſtincta à motu prolationis, & à tempore, in quo profertur: in ſe enim habet ſuam corpulentiam ; ergo.

Obiicies primò; talis extenſio eſt ad placitum ; ergo non eſt realis.

Respondetvr primò negando antecedens, ſi ſumitur ipſa oratio vt ſic.

Respondetvr ſecundò ex S. Doct. quod diſpoſitiones Grammaticales trahunt originem, & habent fundamentum in re, ſic *ſerm.* 4. *in Hexaëm.* Vnde ob id aliqua vox producitur, alia concipitur, quia ſic exigit eius natura, & fundamentum reale.

Obiicies ſecundò cum Maſtrio, & aliis: Talis extenſio, vel eſt adunatio plurium vocum, ſicque erit numerus; vel eſt mora prolationis, ſit erit tempus, ſicque eſt ad libitum hominum, non ex natura ſua.

Respondetvr in nullo ex allatis modis conſiſtere, ſed conſiſtere in propria extenſione, vt dictum eſt *in fund.* 5. quæ tamen, vt dictum eſt de numero, ordinatur ad intellectum valentem illam ordinare ſecundùm prius, & poſterius. Vnde ait S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1. *fund.* 3. quod ordo vnius rei ad alteram, cui coniungitur, in re facit compoſitionem, at in cognitione, vel in ſermone facit complexionem, &c. quæ tamen eſt per accidens illi ordini, & aggregationi conſideratæ ſecundùm ſe.

Obiicies tertiò cum Maſtrio: Si oratio eſt quantitas, ergo diuiſibilis, ſed hoc eſt falſum, quia ampliùs non eſſet vna, ſi diuideretur in partes.

Respondetvr eſſe diuiſibilem, vt eſt totum integrale, indiuiſibilem, vt eſt totum vniuerſale, ſeu vt ſpecies, vt dictum eſt de aliis ſpeciebus.

Tandem concluditur, quod quantitas genus generaliſſimum primò diuiditur in ſpiritualem, & corpoream, & vtraque in continuam, & diſcretam; continua in permanentem, & ſucceſſiuam, continua permanens ſpiritualis tribuit eſſe extenſum abſque exteretate partium, ſeu cum infigurabilitate, & inſitualitate, vt dicunt de tempore Complut. *in fin. quæſt. vltim.* & continua permanens corporea in lineam, ſuperficiem, & corpus, & iſtæ in alias plures ſpecies: Succeſſiua continua ſpiritualis in æuum, corporea in tempus multiplex; Diſcreta in numerum, & orationem; numeruſque eſt communis corporibus, & ſpiritualibus, omneſque aliæ ſpecierum aliarum ſubdiuiſiones poſſunt videri apud Euſtachium de Prædicamento Quantitatis.

TERTIA

Digitized by Google

TERTIA PARS TRACTATVS VI.

De Prædicamento Qualitatis.

424. IN hoc capite, quod continet tertiam partem huius tractatus: Ariſt. tria facit: Primò definit qualitatem in abſtracto, & deinde in concreto dicens, *qualitas eſt id, ſecundùm quam ſubiecta dicuntur qualia*, verbi gratiâ, albedo ſecundùm quam homo dicitur albus, vel è conuersò, qualia ſunt, quæ per qualitates ſic denominantur, vt album per albedinem: Secundò enumerat quatuor ſpecies, ſeu genera ſubalterna qualitatis, quarum prima dicitur habitus, & diſpoſitio: ſecunda naturalis potentia, & impotentia: Tertia Paſſio, & paſſibilis qualitas; quarta dicitur forma, & figura, & deinde definit vnamquanque dicens, quod habitus *eſt qualitas difficile mobilis à ſubiecto*, diſpoſitio *eſt qualitas facile mobilis:* Naturalis potentia, & impotentia eſt, *ſecundum quàm aliquis dicitur potens, & impotens ad agendum*, Paſſio *eſt qualitas cauſans paſſionem in ſenſu citò tranſeuntem, vt rubor ex verecundia.* Paſſibilis qualitas *eſt qualitas durabilis, vt rubor ex complexione:* forma *eſt qualitas externa ſpectans ad pulchritudinem, vel deformitatem rei:* Figura *eſt qualitas in quantitate, vt curuitas, rectitudoque in linea.* Tertiò aſſignat proprietates qualitatis; quarum prima eſt qualitati ineſſe contrarietatem ſiue in concreto, ſiue in abſtracto, vt album contrariatur nigro: Secunda ſuſcipere magis, & minùs;

minùs; Tertia eſt ſecundùm quam res dicuntur ſimiles, vel diſſimiles: Et hæc de Textu Ariſtotelico.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. QVALE, cùm dicat formaliter qualitatem, neceſſariò
425. importat in ſubiecto vel determinationem, vel denominationem, & ob id vel qualitas nobilitat tribuens ſubiecto benè eſſe, vt gratia, & virtutes; vel deformat, deordinat, & dehabilitat ſubiectum. Vel eſt, quo res denominatur qualis; Vel eſt id, quo aliquid cognoſcitur. Vnde qualitas eſt modus, quo ſubſtantia determinatur ſecundùm aliquam menſuram. *Lib.* 1. *diſtinct.* 20. *dub.* 6. *& lib.* 2. *diſtinct.* 26. *part.* 1. *articul.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 1. *& lib.* 2. *diſtinct.* 35. *per totam*, *& lib.* 1. *diſtinct.* 22. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vlt. & lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. *&* 3. *& lib.* 4. *diſtinct.* 49. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 4. *& ad argum.*

B. Et quia ſubſtantia, ſeu res poteſt determinari vel ſubſtantialiter, vel accidentaliter; primo modo, vt rationalitas, & riſibilitas; ſecundo modo, vt albedo; hinc qualitas prima ſui diuiſione diuiditur in ſubſtantialem, & accidentalem puram; licèt enim riſibilitas reductiuè ſpectet ad ſubſtantiam, quoad modum tamen ſpectat ad hoc prædicamentum. *Lib.* 2. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. *& lib.* 4. *diſt.* 6. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.*

C. Accidentalis primò diuiditur in habitum, & diſpoſitionem; ſecundò in naturalem potentiam, & impotentiam; tertiò in paſſionem, & paſſibilem qualitatem; quartò in formam, & figuram. *Lib.* 4. *diſt.* 6. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *& quæſt.* 3. *&* 5. *& lib.* 3. *diſtinct.* 34. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *& lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. & lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *q* 2. *ad* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 3. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 3. *& lib.* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 1. *ad vlt. & lib.* 2. *diſt.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad argum. & lib.* 1. *diſt.* 20. *dub.* 6. *& & lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 3. *& Centil. part.* 3. *ſect.* 24. *& ſerm.* 2. *Hexaëm.*

D. Et quia qualitas eſt communis ſubſtantiis corporeis, & ſpiritualibus,

ritualibus, hinc in corporeis dantur qualitates contrariæ; quarum primæ ſunt duæ actiuæ; aliæ paſſiuæ; Primæ ſunt calidum, & ſiccum, ſecundæ ſunt frigidum, & humidum; aliæ poſteà ex his conſequuntur. Dantur & aliæ qualitates, quæ non habent contrarium nempè in ſubſtantiis incorruptibilibus. *Lib. 2. diſt.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. *& Breuil. part.* 2. *cap.* 4.

E. Hinc prima proprietas ab Ariſt. aſſignata competit tantùm qualitatibus contrariis, ſcilicet habere contrarium: ſecunda verò ſcilicet ſuſcipere magis, & minùs, & tertia, ſecundùm quam aliquid eſt ſimile, & diſſimile, competunt etiam qualitatibus ſubſtantiarum incorruptibilium licèt cum aliqua improprietate, vt dicetur in quæſtionibus. *Lib. 2. diſt.* 14 *cit. & lib.* 3. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *fund.* 5. *& lib.* 4. *diſt.* 17. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2. *& lib.* 4. *diſt.* 49. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 31. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *& diſt.* 30. *quæſt.* 3. *& lib.* 1. *diſt.* 20. *dub.* 6.

Scholium ad Textum Seraphicum.

426. Primò Nota, quod Seraph. Doct. collocat in hoc prædicamento etiam qualitates ſubſtantiales, habent enim rationem vniuocam determinatiuam ſubiecti cum accidentalibus, nempè ratione modi accidentalis: ſic riſibilitas determinat ſubiectum accidentali modo, ſic & indiuidualis differentia.

Secvndò Nota, quod non rectè Ariſt. diuidit qualitatem, cùm reliquerit vnum membrum, ſcilicet ſubſtantialem, item & ſpiritualem, quibus non ineſt contrarietas propria, quæ & alia enodabuntur in ſequentibus quæſtionibus.

QVÆSTIO I.

Quomodo qualitas ſit genus generaliſſimum.

Recto ordine tum doctrinæ, tum naturæ poſt Quantitatem agitur de Qualitate, ad vtramque enim ſpectat ordinare partes compoſiti (ait D. Thom. *in* 5. *Met. Lect.* 20.) licèt diuerſimodè; nam quantitas extendit partem, & totum tum in ordine ad ſe, tum ad locum; Qualitas verò ordinat partes virtuales, ſeu perfectionis ſecundùm debitam proportionem, ſeu commenſurationem naturæ, & partium eius ſaltem virtualium in ordine vel ad actionem, vel ad eius terminationem; de qua proportionalitate agit S. Doct. *in opuſc.*

oppuſc. Itiner. Ment. cap. 2. Vnde qualitas eſt modus, ſeu diſpoſitio, ſeu determinatio modificans ipſam ſubſtantiam tribuendo illi nouum eſſe accidentale: Hinc quæritur, quodnam ſit genus generaliſſimum in hoc prædicamento.

417. Primò ſupponendum, quod qualitas ſumi poteſt multipliciter, & primò communiſſimè pro quacunque determinatione ſuperaddita ſubſtantiæ, ſic dicitur de ſubſtantia, de quantitate, Relatione, de differentiis, & quocunque alio ex prædicamentis, & in hoc ſenſu certum eſt nomen qualitatis ſumi æquiuocè, vel ſaltem analogicè: Secundò pro aliqua forma modificante ſubiectum accidentali modo, ſiue ſit verum accidens, ſiue non, dummodò in tali officio verè accidentaliter modificet rem, & de hac agit Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 3. Tertiò pro forma intrinſecè exiſtente in ſubiecto, ipſamque verè accidentaliter & quoad rem, & quoad modum determinat, & afficit; hoc vltimo modo qualitas in ſententia Ariſt. & communi conſtituit ſupremum genus qualitatis: Seraph. Doct. ſumit qualitatem ſecundo, & tertio modo.

Secundò ſupponendum ex aliàs traditis ex S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *cit.* quod aliquid poteſt eſſe in aliquo prædicamento quoad rem, & in alio quoad modum: aliquid enim poteſt eſſe in prædicamento ſubſtantiæ quoad rem vt riſibilitas, quatenùs identificatur cum homine, & quoad modum eſſe in prædicamento qualitatis, quatenùs modificat accidentali modo rem denominando eam intrinſecè ad modum accidentis: His præmiſſis ſit.

418. Prima Conclvsio: Qualitas conſtituit genus generaliſſimum, prout dicit conceptum communem ad qualitatem ſubſtantialem, & accidentalem, in quæ duo membra primò diuiditur. Eſt S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 3. *cit.* contra ferè omnes.

Probatvr: Qualitas dicitur forma ſuperaddita ſubſtantiæ modificans, & determinans accidentali modo ipſam, ſed id totum faciunt vniuocè qualitates ſubſtantiales, & accidentales, ſcilicet differentiæ, proprietates ſubſtantiarum, & formæ accidentales; ergo. Probatur Min. Proprietates ſubſtantiæ ſunt quid ſubſtantiale, & reductiuè in prædicamento ſubſtantiæ: propriè tamen ſunt accidentia, & modificantia ſubiectum accidentali modo; Tum quia ipſum denominant accidentaliter; Tum quia ſecundùm modum inhæſiuum, & intrinſecum afficiunt ipſum, ſed idem faciunt accidentia vera qualitatiua, ergo: Confirmatur, quia tam differentiæ, quàm proprietates, & accidentia prædicantur in quale de ſuis inferioribus, ergo præſcindunt à ratione quid, & à proprio, & ab accidente communi, ergo vt ſic dicunt rationem vniuocam, alioquin non eſſent vniuocum vniuerſale; Tum quia prædicamenta diſtinguuntur ſecundùm varios modos deſcendendi in inferiora, ſed iſta omnia deſcendunt ſecundùm modum qualitatiuum, & modificatiuum.

Obiicies cum Maſtrio: Qualitas habet intendi, & remitti in ſubiecto, ſed proprietates ſubſtantiæ id non habent: ergo non conueniunt in vniuoca ratione.

419. Respondetvr illam proprietatem remiſſionis eſſe propriam qualitatis corporeæ, nec id eſſe rationem conſtituendi prædicamentum. Reſpondetur ſecundò ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1.

& *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *quæſt.*2. *ad* 3. quod ſubſtantia ſecundùm ſe, & forma non recipit magis, & minùs: habet tamen remitti, & intendi ſecundùm eſſe ipſius in materia: vt patebit *ex lib. de generat.* idem & dicendum de proprietatibus.

Obiicies ſecundò: Prædicamenta ſunt res; ergo ſecundùm rem debent collocari in linea prædicamentali, ſed qualitates ſubſtantiales ſecundùm rem ſunt in prædicamento ſubſtantiæ: ergo malè ponuntur in hoc prædicamento.

Respondetvr eſſe quidem res, ſed cum hac differentia, quod accidentia ſecundùm varios modos, quibus afficiunt accidentaliter ſubſtantiam, etiam diſtinguuntur: cùm autem proprietates, & differentiæ ſubſtantiæ habeant modum accidentalem: Hinc, &c.

Instas: Res eſt in ſe vna; ergo ſi ſecundùm eſſentiam ponitur in vno prædicamento, non poterit poni eadem vna in altero.

Respondetvr ex Seraph. Doct. quod ſi prædicamenta ſumuntur, vt res metaphyſicè, certum eſt ſecundùm eſſentiam reponi in vno prædicamento; ſi verò logicè, prout dicunt diuerſos modos, quibus applicantur, & ſunt prædicabilia, poſſunt reponi in diuerſis prædicamentis, ſic differentiæ, & proprietates, quia habent modnm afficiendi, & prædicandi accidentalem, ſcilicet in quale, poſſunt reponi in hoc prædicamento; licèt ſecundùm rem ſint partes quidditatis, vel ipſi ſubſtantiales.

Ex qua reſponſione ſequitur, quod rectè qualitas fuit definita ab Ariſtot. quatenùs ſupremum genus eſt capax definitionis, ſcilicet per ordinem ad afficere ſubiectum, dicendo, qualitas *eſt, ſecundùm quam quales dicimus*, dixi, quatenùs ſuprema genera ſunt definibilia: nam, cùm vt notat Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *in corp.* prima, & ſuprema, cùm non poſſint propriè definiri à priori, debent definiri à poſteriori, & per notiora, vt fit hic per ordinem ad afficientiam ſubiecti. Varias definitiones varij afferunt qualitatis, quas quiſque poterit videre apud Complut. & Meldul. quæ omnes in hoc conueniunt, quod qualitas ſit determinatiua, & modificatiua ſubſtantiæ, quatenùs ipſi ſuperaddit aliud eſſe per modum formæ informantis accidentaliter.

QVÆSTIO II.

Expenditur multiplex diuiſio Qualitatis, & præcipuè illa, quam tradit Ariſt. in quatuor ſpecies ſubalternas enumeratas in Textu.

430. Scotistæ cum Scoto communiter docent ſuprà dictam diuiſionem non eſſe generis in ſpecies, ſed tantùm in modos accidentaliter diſtinctos ex hoc, quod eadem ſpecies ad plura capita poteſt ſpectare, verbi gratiâ, calor vt eſt principium actionis, & facilè, vel difficilè mobilis ſpectat ad habitum, & diſpoſitionem, prout eſt paſſio illata, erit paſſio, prout eſt inferens, erit paſſibilis qualitas.

Thomistæ cum D. Thom. & aliis ſuſtinent eſſe veras ſpecies diſtinctas, inter quos aliqui ſuſtinent diuidi in octo ſpecies, ſcilicet habitum, & diſpoſitionem eſſe duas, ſicque & alias; alij negant, ſed reduci debent ad quatuor capita tantùm.

S. Bonav. *in ſerm.* 2. *Hexaëm.* docet eſſe modos ſubſtantiæ, & *lib.* 4. *diſt.* 6.

diſt. 6. quæſt. 1. docet eſſe veras ſpecies, quæ diuerſitas eis competere debet per diuerſos reſpectus. Pro ſolutione.

429. Notandvm, quod qualitas poteſt conſiderari dupliciter, vel in abſtracto, & ſecundùm ſe, & quidditatiuè; vel in concreto, provt afficiunt ſubſtantiam accidentali modo: Sic primo modo poſſunt enumeratæ ſpecies in vnum coincidere: Secundo modo nequaquàm: Hinc

430. Prima Conclvsio: Qualitas primò diuidi debet in ſubſtantialem, & accidentalem, vt ſuprà dictum eſt, (de ſubſtantiali dicetur poſteà in fine) deinde accidentalis in ſpiritualem, & corpoream *ex lib. 4. diſt. 6. art. 1. quæſt. 1. in corp.* quia ſunt duo primi modi, quibus afficiuntur inferiora ſubſtantiæ, ſed prima inferiora ſubſtantiæ ſunt corpus, & ſpiritus; ergo & qualitates ſunt vel ſpirituales, vel corporales: Spiritualis deinde ſubdiuiditur in naturalem, & ſupernaturalem infuſam. Prima vel ſpectat ad intellectum, vel ad voluntatem, vt ſunt habitus intellectuales, virtutes, &c. Secunda eſt, quæ à Deo immediatè creatur, & infunditur in anima vt fides, ſpes, Charitas, &c. & omnes virtutes infuſæ: Corporea ſubdiuiditur in quinque capita ſecundùm quinque ſenſus corporeos; quos afficit, &c. de quibus aliàs, &c.

431. Secvnda Conclvsio: Qualitas accidentalis verè diſtinguitur in illas quatuor ſpecies enumeratas, quæ ſunt: Prima, habitus, & diſpoſitio: Secunda, Naturalis potentia, & impotentia: Tertia, Paſſio, & paſſibilis qualitas: Quarta, forma, & figura. Eſt communis Thomiſt. & plurium aliorum cum Seraph. Doct. *citat.* eſtque expreſſa ſententia Ariſtot. in hoc capite.

Probatvr primò: De qualibet eſſentialiter, & quidditatiue prædicatur qualitas, vt genus ſupremum, & quælibet habet propriam differentiam, ſcilicet modum peculiarem denominatiuum, & qualificatiuum ſubſtantiæ; ergo quælibet conſtituit propriam ſpeciem. Conſequentia eſt clara: Probatur antecedens, qualitas eſt diſpoſitio ſubſtantiæ vel interior, vel exterior, ſi exterior, vel eſt primò ſenſibilis, ſicque vel afficit ſenſum aliqua paſſione, vt color viſum, vel efficitur ex aliqua paſſione, vt rubor, ſic eſt paſſio, & paſſibilis qualitas, ſi non per ſe primò eſt ſenſibilis, ſed tantùm cum alio, vt cum quantitate ſic eſt forma, & figura; ſi interior, vel vt ait Seraph. Doct. *lib. 3. diſt. 6. dub.* 3. ſi eſt medio modo, vel eſt principium innatum operandi proueniens ex naturali complexione, ſic eſt potentia, vel impotentia, id eſt potentia debilis, vel prouenit ab extrinſeco inhærens tamen in ſubiecto, & diſponens ad operandum, ſic eſt habitus, & diſpoſitio: Sed iſtæ rationes ſunt differentes ſpecie in qualibet, dicunt enim diuerſam modificationem ſubſtantiæ tum in ordine ad eandem ſubſtantiam, tum in ordine ad diuerſos actus, & obiecta; ergo: quæ diuerſitas rationum magis patebit in ſequentibus.

Obiicies ex Scotiſtis: Repugnat idem reponi in diuerſis ſpeciebus, ſed huiuſmodi eſt qualitas, verbi gratiâ, calor, vt dictum eſt ſuprà in explicatione opinionis Scoti, eſt in tribus ſpeciebus qualitatis. Tum quia qualitas eſt accidens; ergo modificat; ergo tantùm qualitates per modos diuerſificantur.

Reſpondetvr ex Seraph. Doct. *lib. 2. diſt. 3. p. 1. art. 2. q. 2. ad 2. & 3.* quod vna res habens plures formalita-

tes veras poteſt poni in vna ſpecie ſecundùm eſſentiam, & ſecundùm alium modum ſuperadditum in alia, & maximè quando modus dicit diuerſam rationem formalem, ſic ſenſibile, & vegetatiuum differunt ſpecificè in ratione formæ, & in ratione potentiæ, quæ diuerſitas rationum eſt ſpecifica in ratione qualificandi ſubſtantiam; ſic calor, prout eſt quid intrinſecum in igne, eſt potentia, prout eſt quid extrinſecum, & principium agendi in ſubiecto, eſt habitus, vel diſpoſitio, prout eſt paſſio inferens, vel illata, eſt paſſio, &c. Tum etiam quia verum eſt antecedens primum de ſpecie phyſica, falſum de metaphyſica.

QVÆSTIO I. LAT.

De Habitu & diſpoſitione.

432. CONCLVSIO: Habitus, & diſpoſitio, prout dicunt accidens ſuperadditum ſubſtantiæ, ſpectant ad eandem ſpeciem, differuntque tantùm per magis, & minùs perfectum, conſiſtunturque formaliter non in ordine ad naturam benè, vel malè diſpoſitam, vt volunt Thomiſtæ, nec in ordine ad agendum ſimul, & patiendum, vt volunt Scotiſtæ apud Meldul. *diſp.* 7. *num.* 108. ſed tantùm in ordine ad agendum faciliter, Sic S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 5. & *lib.* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. Sed hîc aduerte ex eodem S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. & *lib.* 4. *diſt.* 6. *cit.* & *lib.* 3. *diſt.* 31. *art.* 3. *quæſt.* 1. quod habitus poteſt ſumi dupliciter; primò, prout contradiſtinguitur contra diſpoſitionem per perfectum, & imperfectum, ſcilicet in ordine ad idem obiectum: ſecundò, prout vtrumque comprehendit ſcilicet omnem qualitatem, quæcunque illa ſit, ſumitur hîc primo, non ſecundo modo, nam hoc ſecundo modo verificatur de quacunque qualitate, & etiam de cæteris ſpeciebus, & ſolùm impropriè dicitur, ſic etiam diſpoſitio dupliciter ſumitur, ſcilicet vel quatenus diſponit ad idem obiectum formale, quod reſpicit habitus, vel quatenùs diſponit ad aliud obiectum; verbi gratiâ, fides diſponit animam ad eliciendum actum charitatis, vel etiam ad habitum oppoſitum, ſcilicet ad gloriam. Hîc eſt ſermo de diſpoſitione primo modo, non hoc ſecundo, nam talis diſpoſitio eſt quid genericum ad quamcunque diſpoſitionem, & ad habitum; Noſtra igitur Concluſio procedit tantùm de diſpoſitione, & habitu, quæ ſunt eiuſdem naturæ, & de eodem obiecto formali, ſicque concluſio habet duas partes, prima, quod ſint eiuſdem ſpeciei: ſecunda in ordine tantùm ad agendum.

433. PROBATVR igitur prima pars ex S. Doct. Perfectum, & imperfectum in eodem genere non differunt ſpecie; magis enim, & minùs non variat ſpeciem, niſi quando adeſt differens motiuum formale, & obiectiuum, vel niſi quando magis, & minùs eſt vltra terminum non citra terminum, vt calidum vt ſex eſt vltra terminum, vt quatuor ex S. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 34. *part.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 2. & *lib.* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 42. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad vlt.* & *lib.* 2. *diſt.* 9. *art.* 2. *quæſt.* 4. *ad vlt.* ſed diſpoſitio, & habitus, prout ſumuntur hîc pro qualitate, vel faciliter vel difficiliter mobili à ſubiecto, & prout facilitât potentiam ad agendum vel magis, vel minùs, ſunt ad idem motiuum formale; ergo

ergo non differunt ſpecie. Minor patet, quia ambæ ſunt ad facilitandam potentiam, nec differunt niſi ſecundùm magis, & minùs; Tum quia habitus diuerſificantur per actus in ordine ad obiecta diuerſa formalia ex Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. hincque ſubdit *lib.* 3. *diſtinct.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. quod duæ qualitates, quando habent connexionem naturalem, & ordinem ad idem obiectum, non diuerſificantur ſpecie, ſed huiuſmodi ſunt habitus, & diſpoſitio; ergo: Tum quia habitus, & diſpoſitio ſunt in eadem potentia, & diſpoſitio fit habitus, vt cum communi, & experientiâ docet S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 6. *cit. quæſt.* 1. *&* 3. *ad* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. patetque de ſcientia, & ob id differentia, quæ eſt inter ipſa, eſt ſolùm penes maiorem, vel minorem radicationem in ſubiecto, quæ prouenit ex maiori, vel minori multiplicatione actuum eiuſdem generis, ſed hæc differentia eſt omninò extranea, ergo accidentalis; Probatur minor, quia eſt per ordinem ad ſubiectum, non ad obiectum formale, ergo.

434. Probatvr ſecunda pars, quæ eſt expreſſa S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 25. *cit.* & *lib.* 2. *diſt.* 28. *dub.* 1. & *lib.* 4. *diſt.* 4. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* & *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* Habitus, & diſpoſitio ſunt formæ perficientes ſubiectum, & potentiam, ſed forma non dat pati, ſed agere, ergo ſunt ad agendum faciliter; Tum quia, vt rectè docet Suarez *in Met. diſp.* 43. *ſect.* 3. *num.* 5. ſignum certum cognoſcendi, an qualitas ſit propter operationem, eſt, quando ſeclusâ neceſſitate actionis illa qualitas non eſt neceſſaria, ſed ſuperflua in natura, at ſeclusâ neceſſitate operandi in potentia ad nihil aliud inſeruit habitus, & diſpoſitio, ergo eſt ad agendum tantùm. Probatur minor, quia habitus habilitat potentiam in eſſe potentiæ, ergo per ordinem ad poſſe agere.

Probatvr ſecundò, quia habitus acquiſiti, & infuſi per hoc diſtinguuntur, quod acquiſiti non dant nouam potentiam, ſed eam facilitant, & adiuuant tantùm. At infuſi dant nouam potentiam ad agendnm: ergo eorum ratio formalis, & ſpecifica eſt in ordine ad agendum tantùm; Tum quia habitus ſpecificantur per actus in ordine ad obiectum, ergo per ordinem ad actus habent ſuam rationem formalem; Tum quia habitus acquiruntur per actus, & ſi ſunt infuſi, donantur per ordinem ad actum, ergo habent eſſentialem ordinem ad agendum; ſic S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2.

Probatvr Tertiò contra Thomiſtas, quia diſpoſitio naturæ benè, vel malè ſe habentis ſpectat ad alias ſpecies, verbi gratiâ ſalubritas benè diſponit, inſalubritas malè, & tamen hæc eſt in tertia ſpecie, ergo illa diſpoſitio bona, vel mala non eſt ratio formalis habitus. Sic etiam licèt habitus morales benè, vel malè diſponant, tamen dantur habitus indifferentes, qui neutrum faciunt; ergo illa bona, vel mala diſpoſitio non eſt ratio eorum formalis.

435. Obiicies primò contra primam partem; Habitui, & diſpoſitioni competunt diuerſæ rationes formales, ergo ſunt diuerſa ſpecie: Probatur antecedens; eſſe difficilè mobile à ſubiecto conuenit habitui ex ratione ſuæ cauſæ neceſſariæ, à qua ſumit ſuam ſpecificationem; diſpoſitioni eſſe facilè mobilem, verbi gratiâ, ſcientia ex ratione demonſtrationis fit difficilè mobilis, opinio verò facit diſpoſitionem

Digitized by Google

nem tantùm, ſed iſtæ cauſæ habent diuerſa obiecta formalia; ergo & effectus.

Respondetvr huic debiliſſimo fundamento Run. ex doctrina ipſius *hic ad* 1. quod differentia ſumpta per ordinem ad ſubiectum, vel tempus, vel cauſas, vel frequentationem actuum eſt merè accidentalis. Nam, vt rectè obſeruant Conimbric. *hic art.* 3. *in fine* eſſe facilè mobile, vel diffilè ſpectat etiam aliis ſpecibus, vt per ſe patet; ergo eſt differentia accidentalis habitus, & diſpoſitionis, ſed debet deſumi penes obiectum formale, quod eſt ad agendum.

Addimvs ex S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. & *lib.* 3. *diſt.* 31. *art.* 3. *quæſt.* 1. *in corp.* quod dantur habitus, & diſpoſitiones, quæ ſunt oppoſita, ſcilicet datur diſpoſitio diſponens ad id, ad quod habeat oppoſitionem, vt medius color ad extremum, & fides ad gloriam, tuncque ſuperueniente habitu ceſſat diſpoſitio, & in his verum eſt, quod differant ſpecificè, ſed de tali habitu, & diſpoſitione non eſt hìc ſermo; ſic enim ſunt quid ſuperius ad has duas, & ad alias ſpecies qualitatis, ſed hic eſt ſermo de habitu, & diſpoſitione per ordinem ad res eiuſdem naturæ. Vnde in allato ſenſu poteſt eſſe vera opinio aſſerentium eſſe duas ſpecies.

Obiicies ſecundò. Dantur habitus, qui ſunt diſpoſitiones ad habitus, vel oppoſitos, vel diuerſæ ſpeciei; ergo: Probatur antecedens, quia fides diſponit ad ſpem, & charitatem, & etiam ad gloriam, & tamen certum eſt differre ſpecie; ergo falſa Concluſio, quod ſint eiuſdem ſpeciei.

Respondetvr ex S. Doct. *lib.* 3. *diſtinct.* 31. *art.* 3. *quæſt.* 1. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2. & *lib.* 4. *diſt.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* concedendo, quod illi habitus, qui ad alios diſponunt, non ſunt diſpoſitio, de qua hìc loquimur, dicuntur enim diſpoſitiones lato modo, prout diſpoſitio eſt quid ſuperius ad omnes habitus, & diſpoſitiones, ſic conceditur antecedens, & negatur conſequentia. Addimus ex Suarez *diſp.* 42. *ſect.* 6. *num.* 13. quod diſpoſitiones aliæ ſunt, quæ ex natura ſua, & ex vi ſuarum cauſarum habent facilè ammoueri à ſuo ſubiecto, vt verbi gratiâ, error, quia ex falſis principiis oritur: ſunt & habitus ex vi ſuarum cauſarum difficilè mobiles, vt eſt ſcientia cauſata à demonſtratione, ſic iſta differunt eſſentialiter, nec diſpoſitio poteſt fieri habitus, ſed hic loquimur de iiſdem in eodem genere per ordinem ad idem obiectum formale.

Obiicies Tertiò cum Complut. *hic quæſt.* 3. *num.* 24. Nomen habitus dicitur ab habendo, vnde per ipſum reſpondetur rectè ad interrogationem, quomodo quis ſe habeat: ad quàm reſpondetur per habitum permanentem, & per afficientiam bonam, vel malam diuturnam, & non per diſpoſitionem, ergo habitus, & diſpoſitio differunt ſpecificè ad inuicem, & ſumi debent per ordinem ad ſubiectum benè, vel malè affectum, & non per ordinem ad agendum. Confirmatur, quia omnes habitus ordinantur ad benè, vel malè eſſe potentiarum; Tum quia vel dicunt conuenientiam, vel diſconuenientiam naturæ; ergo non in ordine ad agendum ſumi debent, niſi forſam ex conſequenti.

436. Respondetvr, quod interpretatio illius nominis habitus ab habendo eſt nimis ampla, & competit etiam aliis ſpeciebus, vt potentiæ, & impotentiæ, paſſioni, & paſſibili qualitati:

Digitized by Google

litati: Hinc negatur conſequentia. Et ad Confirmationem reſpondetur illam afficientiam ſubiecti ſpectare ad ſecundam, vel tertiam ſpeciem, quia quod ſubiectum benè, vel malè ſe habeat, prouenit ab intrinſeco, vt infrà dicetur. Addit S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 25. *part.* 1. *quaſt.* 4. falſum eſſe, quod habitus dicatur ab habere, ſic enim ſpectat ad vltimum prædicamentum, ſed dicitur ab habilitate, & facultate agendi, vel ab habendo habilitatem: Hinc negatur totum argumentum, & conſequentia.

Obiicies quartò cum Ioan. à S. Th. *hic art.* 3. Dantur aliquæ qualitates, quæ ſunt habitus, & non ſunt operatiuæ; ergo falſa noſtra concluſio: Probatur antecedens, quia ſanitas, & pulchritudo ponuntur ab Ariſt. 7. *Phyſ. tract.* 17. in prima ſpecie qualitatis, & tamen non ſunt operatiuæ: ergo.

Respondet Suarez Metaph. *diſp.* 42. *num.* 20. *ſect.* 4. ſanitatem, & ægritudinem non eſſe vnam qualitatem, ſed potius aggregatum compoſitum ex primis quatuor qualitatibus ad certam moderationem, vel immoderantiam redactis, & ob id impropriè appellantur habitus, vt facit Ariſtot. *cit.* qui aduertenter notat poſſe aliquo modo dici habitus, vel diſpoſitiones ratione maioris radicationis, vel minoris non abſolutè.

437. Deinde pro ſolutione obiectionum ad oppoſitum, & variorum Textuum Ariſtot. quæ poſſunt afferri, aduertendum eſt ex Conimbric. *hic quaſt.* 2. *art.* 3. *ſect.* 1. quod pro habitu ſpectante ad hanc ſpeciem ſumitur omnis qualitas, quæ poſita ab agente in potentia ab ipſo tantùm dependet in fieri, non in conſeruari, diciturque habitus; confert enim ad inchoandam actionem: Illa verò, quæ dependet ab agente etiã in conſeruari, dicitur diſpoſitio, & iſtæ vel inſeruiunt ad inchoandam actionem, vel ad ipſam terminandam: Primi generis ſunt habitus acquiſiti, & infuſi, ſpecies impreſſæ in potentiis internis excepto communi ſenſu, omnes artes, & virtutes, & omnes qualitates acquiſitæ in animo, & corpore ex frequentatione actuum: Secundi generis ſunt termini cognitionum, & appetitionum, ſpecies intentionales ſenſuum externorum, & communis, qualitates productæ in medio à magnete, ſuccino, & torpedine, influxus cœleſtes, & impulſus, qui vult diuiſionem omnium ſpecierum ſubalternarum habitus, & diſpoſitionis adeat Euſtachium in ſua Logica.

QVÆSTIO II. LAT.

De Potentia, & impotentia Naturali.

438. Conclvsio: Naturalis potẽtia, & impotentia eſt qualitas ſuperaddita potentiæ operatiuæ ſibi congenita, & natura debita & ab ipſa potentia operatiua realiter diſtincta, & etiam ab habitu, & diſpoſitione, qua quis poteſt faciliter, vel cum tarditate vti ſua potentia, ſicque dicit modum exiſtendi in ſubiecto, ſcilicet prouenientem ab intrinſeco, vt eſt ingenioſitas naturalis, vel tarditas, & hoc per ordinem ad agendum, & reſiſtendum. Sic S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quaſt.* 3. *in corp.* nec ſunt duæ ſpecies diſtinctæ, ſed vna tantùm importans ſolùm differentiam accidentalem.

Vt hæc concluſio probetur, & intelligatur, in quonam Seraph. Doct. diſcrepat

diſcrepat à Thomiſtis, vel à Scotiſtis, aduertendum ex eodem Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 3. *cit.* quod potentia naturalis poteſt ſumi tripliciter: Primo modo, provt immediatè egreditur, & emanat à ſubſtantia per ſe operatiua, ſic ſunt potentiæ animæ intellectus, voluntas, &c. quæ ſunt idem realiter, diſtinctæ tamen formaliter ab anima: Secundo, provt potentia dicit ordinem ad actum ratione alicuius qualitatis ſuperadditæ ab extrinſeco prouenientis, vt potentia ſyllogizandi, quæ eſt per habitum, eſtque de prima ſpecie qualitatis: Tertio, provt potentia ſuperaddita reſpicit ipſum ſubiectum, ſeu potentiam ſubſtantialem, ideſt ſecundùm modum exiſtendi naturalis potentiæ in ſubiecto, ſecundùm quem dicitur ſubiectum facile, vel difficile ad agendum, vel reſiſtendum, ideſt provt ab intrinſeco aduenit ipſi potentiæ, ſic eſt ſecunda ſpecies qualitatis. Sic & *lib.* 2. *diſt.* 24. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 5. Differunt autem iſtæ tres potentiæ, quod per primam anima dicitur potens per ſeipſam, & per aliquod ſui, & eiuſdem generis: per ſecundam fit potens ad agendum determinatè, quia determinatur ab extrinſeco ad determinatum actum. Per tertiam determinatur indeterminatè ad operandum in communi, & ob id ſumitur per id, quod ipſi naturale eſt, vt potentia videndi in oculo purgato, & debilitas in oculo infirmo; Secunda tribuit facilitatem: Tertia tribuit cum facilitate, vel cum difficultate potentiam ſimpliciter, & ob id hæc comproducitur cum ipſo ſubiecto: Ignis enim non poteſt calefacere niſi medio calore, & anima niſi media potentia viſiua, & hinc ait S. Doct. *ſerm.* 2. *Hexaëm.* quod naturalis potentia eſt qualitas, provt dicit modum conſequentem ſubſtantiam, vt apparet in duro, & moli ſanatiuo, & ægrotatiuo: Hinc patet, quàm malè Thomiſtæ ponant in hac ſecunda ſpecie potentias animæ, cùm non ſint de genere qualitatis accidentalis, & cùm ſint idem cum anima rationali realiter.

439. ADVERTE etiam hìc per impotentiam intelligi non puram carentiam, ſed modum qualitatis, ſecundùm quem potentia eſt principium difficulter agendi, & reſiſtendi, ſic ſiccitas in ligno, & peruietas in chryſtallo dicunt potentiam agendi, & ſimul difficultatem reſiſtendi tranſitui radiorum ſolis, ex quo poſteà ſequitur ex conſequenti facilitas patiendi, vel retardandi ſubiectum ab agendo, vt patet in inertia, & deſidia plurium in operando, quæ paſſiuitas non ſpectat propriè ad hanc ſpeciem, quicquid dicat Meldul. hìc, cùm ſit quid conſequens ad ipſam potentiam, ſic deducitur ex S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 6. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. Hinc

PROBATVR prima pars Concluſionis. Hæc naturalis potentia, vel impotentia eſt accidens ſuperadditum ſubſtantiæ; ergo ab ipſa differt realiter, ſed non eſt habitus, & diſpoſitio, ergo eſt ſpecie diſtincta. Probatur Maior ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 3. *cit.* & *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *quæſt.* 2. *arg.* 6. *ad oppoſ.* Impoſſibile eſt in creatis eſſe omninò idem principium eſſendi proximum, & operandi, aliàs eſſet idem in re eſſe, & operari (quod ſolùm eſt in Deo) ergo ſubſtantiæ debet ſuperaddi aliquid ab ipſa diſtinctum, vt poſſit agere, & ſit in actu primo proximo, ſed id eſt quid accidentale; qualitas enim (ait S. Doct. *cit.*) eſt immediatum principium actionis in creaturis, ergo eſt potens in actu primo per qualitatem ſuperadditam. Probatur Minor, Id, quo potentia attingit terminum, eſt

Digitized by Google

eſt quid ab ipſo egrediens, & realiter ab ipſa diſtinctum, ergo eſt accidentalis ipſi: Sic ignis (ait S. Doct.) per calorem producit caliditatem, & ignem, Sic homo ſua ingenioſitate naturali poteſt faciliter intelligere. Probatur minor principalis argumenti: Specie differunt id, quod eſt naturale, & id, quod eſt artificiale, & acquiſitum ab extrà, ſed habitus, & diſpoſitio eſt artificialis, & ab extrinſeco adueniens; Potentia naturalis eſt ab intrinſeco: ergo, &c.

Sic calor congenitus cum igne, & calor immiſſus in aliud differunt ſpecie, vt dicunt Phyſici. Tum quia habent diuerſa obiecta formalia, nam naturalis potentia habet pro obiecto informationem, & perficientiam ſubiecti, ad hoc vt ſimpliciter poſſit agere, habitus verò ad habendam facilitatem tantùm agendi; ergo.

Probatvr ſecunda pars: Quod non diſtinguantur ſpecie naturalis potentia, & impotentia, vt patet in potentia viſiua iuuenis, & ſenis; habent enim idem obiectum, quia magis, & minùs differunt tantùm accidentaliter ex traditis, ergo.

Obiicies primò: Ab eadem virtute eſt currere, & expeditè currere, ergo potentia naturalis non eſt quid ſuperadditum ſubſtantiæ.

440. Respondet S. Bonauent. *lib. 3. diſtinct. 34. artic. 1. quaſt. 1. & lib. 1. diſtinct. 3. part. 2. articul. 1. quaſt. 3. ad 3.* concedendo antecedens de principio remoto, & radicali, negando de proximo, & ſecundario, quod importat facilitatem ſuperadditam.

Obiicies ſecundò: Diuerſitas inter habitum, & potentiam naturalem eſt penes modum accidentalem; Probatur, quia de eadem re verificantur, vt de calore, qui eſt habitus, prout eſt difficilè mobilis, eſt potentia vt eſt habilitas agendi, ſeu reſiſtendi, & vt eſt paſſio inferens, eſt in tertia ſpecie, &c. Sic Scotus, & Scotiſtæ.

Sed reſpondetur ex Seraph. Doct. negando antecedens: Ad probationem reſpondetur eandem rem conſideratam ſecundùm diuerſas formalitates poſſe ſpectare ad diuerſas ſpecies, vt dictum eſt ſuprà ex Seraph. Doct.

Vnde cùm habitus, & naturalis potentia habeant diuerſam eſſentiam, diuerſa officia, & obiecta motiua: hinc etiam & differunt ſpecie; nam, vt dictum eſt, habitus aduenit ab extrinſeco; habetque pro obiecto immediato ipſam operationem faciliter factibilem; Potentia verò realis habet pro primario obiecto ipſam afficientiam ſubiecti licèt ſecundariò per ordinem ad actum.

Obiicies tertiò: Poſſe, & non poſſe differunt pluſquam genere, ergo & potentia naturalis, & impotentia.

Respondetvr concedendo antecedens de non poſſe abſoluto, & purè negatiuo, negando de non poſſe poſitiuo, quod dicit qualitatem debilem agendi, vel reſiſtendi.

Obiicies quartò: Non poteſt eſſe talis debilitas, ſeu reſiſtiuitas abſque paſſione; ergo coincidit cum tertia ſpecie.

Respondetvr talem paſſionem eſſe quid conſequens, nec ſpectans ad rationem formalem impotentiæ; ſic negatur conſequentia.

441. Conclvditvr ergo, quod per naturalem potentiam, & impotentiam intelligitur qualitas innata, qua ſimpliciter, vel facilè ſubiectum ea præditum agit, vel reſiſtit contrario: Vnde potentia naturalis

eſt vel verè principium actiuum ſimul cum ſubſtantia, & potentia ſubſtantiali, vel habet tantùm modum, vel ſimilitudinem actionis, licèt non ſit verè actio, vt eſt in potentia reſiſtiua; ſic explicant Thomiſtæ hanc potentiam reſiſtendi apud Complut. *hîc num.* 32. licèt Seraph. Doct. velit eſſe verè potentiam actiuam, vt dicetur in Phyſica de motu grauium, & leuium: Hæc potentia naturalis eſt vel rerum animatarum, vel inanimatarum; ad animatas ſpectant qualitates reſpicientes potentias vegetantes, ſentientes, appetitiuas, cognoſcitiuas, exteriores, & interiores, & ſpeciales aliquorum virtutes: Ad inanimatas ſpectant innumeræ virtutes, quæ ipſis inſunt, vt videre eſt apud Euſtachium in ſua logica.

QVÆSTIO III. LAT.

De Paſſione, & paſſibili qualitate.

442. CONCLVSIO: Paſſio, & paſſibilis qualitas eſt tertia ſpecies qualitatis à cæteris diſtincta, & vnica tantùm. Eſt S. Bonau. *lib.* 4. *diſt.* 6. *quaſt.* 1. *in corp.* & communis Thomiſtarum; Pro qua explicanda, & probanda.

ADVERTENDVM hîc non ſumi Paſſionem primò pro proprietatibus ab eſſentia dimanantibus, vt riſibilitas, quæ appellantur communiter paſſiones rerum, quatenùs recipiuntur in ſuo ſubiecto: Secundò, nec pro quacunque receptione media, qua paſſum recipit effectum agentis: ſpectat enim ad prædicamentum Paſſionis, quatenùs eſt terminus actionis prædicamentalis; Tertiò, nec pro receptione alicuius qualitatis contrariæ, & diſconuenientis, & diſponentis ad corruptionem, idque fit media alteratione, vt dum, quis infirmatur, patitur, ſic dicitur Paſſio Chriſti maxima, & hæc etiam ſpectat ad Prædicamentum Paſſionis: ſed ſumitur hîc Paſſio pro qualitate, ſecundùm quam fit talis alteratio, & hæc dicitur paſſibilis qualitas, & hoc vel quia infert paſſionem., ideſt alterationem; vt dulce, amarum, calidum, & frigidum, vel quia eſt illata, & cauſata à tali alteratione, vt dum quis pudore afficitur, ruber fit, & dum timet, pallidus, quæ, ſi eſt durabilis, dicitur Paſſio, ſi diu non permanet ex permanenti alteratione, dicitur paſſibilis qualitas, ſiue procedat à natura, ſiue ab infirmitate, &c. Hinc ſequitur (ait Seraph. Doct.) quod hæc ſpecies qualitatis eſt illa tantùm, quæ eſt ſenſibilis, & obiectum ſenſuum; non autem interna, vt eſt intellectio contra Meldul. *hîc num.* 118. & alios Scotiſtas reponentes in hac ſpecie etiam intellectiones.

PROBATVR autem, quod ſenſibilis tantùm ad hanc ſpeciem ſpectet; Quia, vt rectè docet S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 3. *quaſt.* 1. *ad* 2. obiectum ſenſus per hoc differt ab obiecto intellectus, quod iſtud iuuat, & confortat potentiam, ex hoc quod influentia talis obiecti intrat potentiam, ipſique auget virtutem, at obiectum ſenſus tantùm ad extrà excitat, facitque ſenſum extra ſe diſpergi, & pati, ex hoc quod dependet ab organo, quod facilè læditur: obiectum enim agit in ſenſus, & eos immutat, & conſequenter cauſat paſſionem: Sic S. Bonauent. *lib.* 4. *diſt.* 49. *part.* 2. *art.* 3. *quaſt.* 1. & 2. ergo Paſſio eſt tantùm penes obiecta ſenſuum: Addimus ex Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 49. *cit.* & *lib.* 2. *diſt.* 20. *art.* 1. *quaſt.* 3. *ad* 4. quod inter obiecta

iecta ſenſuum illa, quæ reſpiciunt viſum, & auditum, minùs cauſant paſſionem, quàm cætera, ex eo quod ſenſus ſunt magis ſpirituales, & hinc (ait) iſti in gloria remanebunt in ſuo exercitio; ratio eſt, quia ab obiectis viſus, & auditus non cauſatur aliqua qualitas corruptiua, vel corruptibilis; verbi gratiâ, humetatio, calefactio, & ſi aliquando offenduntur, id euenit ob debilitatem organi, vel ob nimiam excellentiam obiecti improportionati tali debilitati, at in cæteris emittitur qualitas corruptibilis, & corruptiua, verbi gratiâ, odoris, ſaporis, &c. Quod verò conſtituant vnicam ſpeciem, probatur, quia vtraque Paſſio, & paſſibilis qualitas habent eandem rationem formalem, ſcilicet vel ſunt cauſa, vel effectus alterationis. Quod verò citò tranſeant, vel non, id eſt eis per accidens, quia hæc differentia prouenit ex modo inhærendi in ſubiecto.

Obiicies primò Ariſt. collocaſſe actiones appetitus in Prædicamento Actionis; ergo non benè dicuntur paſſiones; Tum quia ſunt immanentes, vt ira, triſtitia, & recipiuntur intùs in anima, & non ſunt ſenſibiles; ergo.

443. Respondetur, quod ſi conſiderentur præciſè actiones appetitus, ſpectant ad Prædicamentum actionis; ſi verò provt dicunt quid materiale, & pro formali, important ſuos terminos, qui ſunt qualitates illatæ, ſic negatur, quod non ſpectent ad hanc ſpeciem; nam in tali Paſſione concurrit primò alteratio, verbi gratiâ calefactio: Secundò terminus ſcilicet calor: Tertiò actio agentis alterantis: Quartò terminus talis actionis, ſcilicet qualitas illata paſſo, vel ſibi, ſic ira eſt appetitus vindictæ, qui media alteratione habet pro termino ſenſibilem accenſionem ſanguinis, quæ dignoſcitur per ruborem externum, vel alio ſigno, ſic negatur, quod hoc pacto non ſint ſenſibiles tales actiones ſumptæ ſimul cum ſuo termino.

Obiicies ſecundò cum Meldul. Intellectiones paſſiuæ tantùm recipiuntur in intellectu, & ipſum immutant paſſiuè: ergo in hac ſpecie debent collocari.

Respondetvr ex S. Bonauent. *lib. 4. diſt. 6. quaſt. 1.* negando conſequentiam: intellectiones enim, cùm non ſint vllo modo ſenſibiles, hinc non poſſunt ſpectare ad hanc ſpeciem, aliàs cùm veritas ſit obiectum intellectionis, etiam omnia vt vera deberent collocari in hac ſpecie, quod eſt falſum.

Dices: Operationes animæ habent impediri per corporis ineptitudinem, vt euenit in phræneticis, & amentibus; ergo & in hac ratione erunt ſpectantes ad hanc ſpeciem.

Respondet S. Bonauent. *lib. 2. diſt. 25. part. 2. quaſt. vlt.* negando conſequentiam, nam hæc differentia eſt inter operationes animæ ſenſitiuæ, & intellectiuæ, quod illæ exercentur in corpore mediante organo, cum quo, & in quo, & per quod operatur anima ſenſitiua: Hinc ſequitur, quod tales operationes fiant cum aliqua alteratione, vel organi, vel partis, in qua reſidet potentia, & quò vehementiores ſunt actus, eò maiorem alterationem cauſant, quæ alteratio eſt vel corruptiua vtpotè contraria complexioni, vel eſt alteratiua tantùm non ademptiua, ſeu corruptiua, vel etiam eſt perfectiua, cùm ſit ad obiectum conueniens, tamen ſemper aliquem exceſſum habet: Prima dicitur paſſio naturalis; ſecunda animalis; de quibus vide

S. Bonauent. *loco cit.* & *lib.* 2. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. & *lib.* 4. *diſt.* 44. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 1. & 2. & agetur *in tract. de anima.* At intellectus operatur quidem in corpore, ſed non cum organo vt cooperante, ob id de ſe non eſt ſenſibilis, nec per ſe, nec per accidens; Et ſi lædatur in amentibus talis operatio, id prouenit, quia cùm organica ſit ipſa potentia, & anima etiam indiget, dum eſt in corpore, ipſo etiam corpore habente rectam diſpoſitionem, quæ ſi auferatur, vel lædatur ob aliquam aliam rationem, tunc deficit etiam rectitudo in intelligendo, ſed ob id non ſequitur, quod ſit ſenſibilis: vide ibid. S. Bonauent. *lib.* 2. *diſt.* 25. *cit.* Tandem de diuiſione huius ſpeciei in varias ſpecies ſubalternas ſecundùm ordinem quinque ſenſuum externorum vide Euſtachium in ſua Logica.

QVÆSTIO IV. LAT.

De forma, & figura.

444. CONCLVSIO: Forma, & figura eſt vera ſpecies qualitatis diſtincta à cæteris, & vna. Eſt communis S. Doct. Thomiſt. aliorumque contra aliquos Scotiſtas.

VT explicetur, & probetur, Aduertendum eſt ex S. Bonauent. *lib.* 4. *diſt.* 48. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in corp.* & *in Centil. part.* 3. *ſect.* 24. & *lib.* 4. *diſt.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.* quod hîc forma non ſumitur forma ſubſtantialis, vel accidentalis, quæ verè informant ſubiectum, ſed ſumitur pro diſpoſitione, quam habent partes quantitatis in ordine ad ſe, ex qua deriuatur denominatio formoſi, vel deformis; item figura ſumitur pro qualitate reſultante ex terminatione quantitatis.

IN re figurata enim tria conſiderantur. Primò ipſa res figurata, verbi gratiâ Lignum; ſecundò quantitas ſic, vel ſic terminata, verbi gratiâ vel linealiter, vel orbiculariter; tertiò ipſa terminatio, ſeu diſpoſitio externa quantitatis, ſcilicet rectitudo, curuitas, triangulatio Sic S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 48. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in fine corp.* In qua diſpoſitione reſultante ex clauſione linearum (ait S. Doct.) reſultat exterior facies, ſeu pulchritudo, ſeu fictio, quomodo figulus format vaſa lutea: Hinc ſequitur differentia inter formam, & figuram; nam figura primò dicit diſpoſitionem reſultantem ex clauſione quantitatis, ſeu linearum: forma pro vt dicit formoſitatem, & debitam coordinationem partium: Forma enim (ait S. Doct.) dicitur quaſi foris manens ideſt externa imago, & ſimilitudo exterius repræſentans rem, in qua eſt: ſecundò figura dicit ordinem ad quantitatem, quam qualificat, & modificat: forma verò ad ſubſtantiam quantam, quam exteriùs repræſentat, vel ad rem artificiatam; Hincque dixit S. Bonau. paucis multa comprehendens *lib.* 2. *diſtinct.* 16. *quæſt. vlt. in corp.* & *lib.* 4. *diſt.* 49. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vlt.* & *lib.* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. & *in Centil. part.* 3. *ſect.* 24. quod forma, & figura eſt quantitas in qualitate, & qualitas in quantitate; Vnde pro materiali dicunt diſpoſitionem quantitatiuam, & pro formali, & principaliter modificationem quantitatis, verbi gratiâ, ipſam rectitudinem, curuitatem; Sic Corpus Chriſti conſideratum ſecundùm ſe habet ſuam figuram quantitatiuam, ſcilicet ordinem partium inter ſe; in Sacramento habet aliam diſpoſitionem extrinſecam ſine extereitate partium, ob

ob idque & aliam modificationem qualitatiuam. Ex quibus ſequitur. Primò, quod forma, & figura differunt ab aliis prædicamentis formaliter, nam vt ſic dicunt rationem formalem qualitatis qualificantis ſubiectum per ordinem ad quantitatem; Secundò, quod forma, & figura differunt tantùm accidentaliter. Nam figura reperitur quidem in omni quantitate, ſiue continua, ſiue diſcreta vt ſic, & in abſtracto, provt abſtrahit ab hac, vel illa materia, & à quacunque alia forma accidentali; talibuſque vtuntur Mathematici, ſic appellantes aliquas formas, vel figuras planas, alias curuas, triangulares, &c. Forma verò propriè in rebus artificiatis, & etiam non abſtractis à materia ſenſibili, ſic dicitur forma, Turris, domus, nauis: Vnde prima dicitur forma Mathematica; Secunda dicitur Phyſica. Sic S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 16. *quæſt. vltim. in corp.* ergo cùm ambæ dicant ordinem ad quantitatem, licèt figura abſtrahat à materia, forma nequaquàm, ſequitur, quod ſint vna ſpecies. Tum quia ambæ æqualiter extrinſecè competunt terminis quantitatis; reſultant enim ex terminatione partium quantitatis. Poteſt videri vtriuſque diuiſio apud Euſtachium.

Dices: Si forma, & figura dicuntur qualitates, quia modificant quantitatem; ergo cùm omnia accidentia modificent ſubſtantiam, erunt qualitates.

Respondetur negando conſequentiam: Iſtæ enim habent modum peculiarem qualitatis à cæteris diſtinctum, ex eo enim, verbi gratiâ, ſubiectum dicitur habere formam, quia habet colorès cum debita proportione, & quantitatiua, à quibus redditur formoſum; & ex eo quod partes ſunt rectè diſpoſitæ, dicitur habere figuram.

QVÆSTIO III.

Explicantur cætera, quæ ſpectant ad qualitatem per ſequentia dubia.

445. Quæres primò: An qualitas ſubſtantialis habeat ſub ſe alias ſpecies.

Respondetur conſequenter ad tradita ex S. Doct. in prima quæſtione affirmatiuè. Nam cùm differentiæ, & proprietates ſubſtantiæ conueniant cum qualitate accidentali vniuocè in qualificare ipſam ſubſtantiam, & differant penes modos, nempè vel penes quid eſſentiale, vel penes quale proprium. Hinc dicendum eſt, quod qualitates ſubſtantiales, aliæ ſunt qualificantes quidditatiuè, aliæ accidentaliter inſeparabiliter tamen. Sic primo loco ponuntur omnes differentiæ diuidentes, & modificantes genera ſiue ſuprema, ſiue ſubalterna. Secundo loco ponuntur omnes proprietates conſequentes. Sequitur ſecundò, quod in hec ordine ſubſtantiali poſſunt proportionaliter poni habitus, & diſpoſitio ſubſtantialis, taleſque ſunt habitus innati, & congeniti cum ſubſtantia, de quibus S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 25. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *&* 5. Sic enim liberum arbitrium dicitur habitus animæ, quatenùs importat potentiam habilitatam ad eligendum, & reſpuendum: Sic etiam conſcientia habilitata dicitur habitus *ex lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *q.* 1. *& quæſt.* 2. addit concreatum eſſe habitum cum intellectu, & voluntate, illum quidem appellat iudicatorium; iſtum

iſtum affectiuum, & opperatiuum. Tertiò poteſt poni potentia naturalis, & impotentia, quatenùs importat potentias animam qualificantes, de quibus *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. Quartò poteſt & poni Paſſio, & paſſibilis qualitas eo modo, quo ponitur à Scotiſtis in potentiis interioribus receptio intellectionis, & actuum immanentium, Nam ſicut datur receptio, aut paſſiuitas citò tranſiens nempè actuum imminentium tranſeuntium, ſic & datur diu permanens, vt eſt in Angelis receptio ſpecierum congenitarum cum ipſis. Quintò aliquo modo debet admitti forma, & figura etiam in ſubſtantia ratione ſuæ extenſionis entitatiuæ, & multò magis in ſubſtantiis ſpiritualibus, quæ, vt diximus, & probauimus, habent ſuam propriam extenſionem. Et hinc Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 16. *quæſt. vlt.* ait, quod imago in anima rationali dicit conuenientiam in diſtinctione figurali ad modum cuiuſdam trianguli, in quo ſunt tres termini, & tres lineæ ratione trium potentiarum; ſimilitudo verò dicit conuenientiam in qualitate, quatenùs aſſimilatur Deo. Verum quidem eſt, quod in ſubſtantiis ſpiritualibus adeſt minùs propriè talis forma, & figura, vt notat S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. ratione defectus extenſionis cum extereitate partium.

446. QVÆRES ſecundò, quomodo competant omni qualitati proprietates ſuprà ab Ariſt. aſſignatæ.

RESPONDETVR, quod prima proprietas aſſignata ab Ariſt. eſt, quod qualitati ineſt contrarium, quatenùs duæ formæ ita inter ſe diſtant, quod mutuò ab eodem ſubiecto ſe expellunt ſiue formaliter, ſiue effectiuè, cui ſubiecto natæ ſunt ambæ ineſſe, quæ contrarietas tamen cùm non inſit in omnibus qualitatibus, ſed tantùm in aliquibus ſenſibilibus, ſcilicet in primis, quæ ſunt caliditas, frigiditas, ſiccitas, & humiditas, quarum prima, & tertia ſunt actiuæ, ſecunda, & quarta paſſiuæ, & quia inter ſe pugnant, hinc oritur alteratio, & corruptio; ex mixtione verò iſtarum oriuntur ſecundæ qualitates, vt albedo, nigredo, rubedo, & aliæ huiuſmodi, & in iſtis, quomodo inſit contrarietas, patebit in Phyſica: Modò cùm ad ſint qualitates veræ in ſubſtantiis ſpiritualibus, & corporeis incorruptibilibus, quæ nullum habent contrarium; hinc ſequitur, quod hæc poſita ab Ariſt. non ſit proprietas qualitatis vt ſic. De primis ſenſibilibus agit S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. *& in Breuil. part.* 2. *cap.* 4. vbi docet ſenſibiles qualitates ſuprà datas non eſſe primas abſolutè, ſed tantùm eſſe primas inter habentes contrarium, & *lib.* 4. *diſt.* 48. *art.* 2. *quæſt.* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 15. *art.* 1. *quæſt.* 3. De ſecundis *lib.* 2. *diſt.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. *& lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *&* 3. & *lib.* 2. *diſtinct.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad arg.* & *lib.* 4. *diſt.* 48. *art.* 2. *quæſt.* 3. ſunt enim etiam qualitates, perſpicuitas, intellectio, volitio, pernietas.

SECVNDA Proprietas eſt ſuſcipere magis, & minùs, quæ competit & qualitatibus ſubſtantialibus, & accidentalibus, vt ait S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *dub.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 9. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. vbi ait, quod forma ſubſtantialis licèt ſecundùm ſe non recipiat magis, & minùs, habet tamen intendi, & remitti ſecundùm eſſe ipſius in materia. Idem, & *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *dub.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 8. *dub.* 4. Attamen loquendo de propria intenſione

Digitized by Google

ſione, & remiſſione, prout intenſio dicit maiorem actualitatem ratione augmenti entitatis intra propriam lineam, ratione cuius maiori, vel meliori modo ſe habet qualitas in entitate, & è conuersò remiſſio minùs perfectè ſe habet, ſolùm ſpectat ad qualitates accidentales, de quibus agetur *in tract. de Generatione*.

TERTIA proprietas eſt, quod ſit fundamentum ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, quæ tamen abſolutè loquendo non competit ſoli qualitati, nam ſimilitudo etiam reperitur in ſubſtantiis quantitatis, & relationibus. Attamen loquendo de ſimilitudine prædicamentali, non tranſcendentali eſt propria qualitatis tantùm.

ET hæc de Prædicamento Qualitatis Ad laudem Dei, Beatæ Virginis Immaculatæ, & Seraph. Doct. S. Bonauenturæ.

QVARTA PARS TRACTATVS VI.

De Relationis Prædicamento.

447. IN hoc capite, quod continet quartam partem huius Prædicamentorum tractatus, Ariſtoteles primò conſiderat, & refutat definitiones Relationis traditas ab antiquis, quas videre quiſque poteſt apud Authores: Secundò aſſignat propriam definitionem relatiuorum dicens. *Ad aliquid ſunt, quibus hoc ipſum eſt eſſe ad aliquid quodammodo ſe habere*, ideſt relatiua ſunt illa, quæ ſecundùm totum ſuum eſſe, quod formaliter habent, ad aliud referuntur, ſcilicet ad ſuum correlatiuum, vt ad ſuum terminum, vt Pater refertur ad Filium; per quam definitionem relatiua, ſeu relationes ab aliis prædicamentis differunt, quorum totum eſſe non eſt formaliter ad aliud, vt dicetur in quæſtionibus.

SECVNDÒ aſſignat Proprietates relationis; quarum prima

eſt,quod relatiuis ineſt contrarietas,vt virtus contrariatur vitio, magnum paruo, quæ proprietas tamen non ineſt omnibus, vt dicetur ſuo loco, ſecunda eſt, quod ſuſcipiunt magis, & minùs, vnum enim dicitur magis ſimile alteri; nec etiam iſta omnibus relatiuis conuenit: Tertia, quod relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione: Quarta, quod dicuntur ad conuertentiam, vt Pater eſt Filij Pater, de quibus poſteà ſuo loco.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. 448. CVM relatio non prædicet quid abſolutum,ſed ordinem ad alterum; hinc ab aliis prædicamentis differt, quod præter eſſe accidens importat reſpectum ad ſubiectum, & ad obiectum, ſeu terminum ſecundùm habitudinem, & dependentiam,ob idque ad aliquid dicuntur ea,quorum eſſe totum formale eſt ad alterum, ideſt relatiuum ad aliud refertur ita, quod inter id, quod refertur, & ſuum correlatiuum non cadit medium, quod non ſit aliquod illorum. *Lib.* 1. *diſt.*30. *dub.*3. *& lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.*1. *ad* 6. *& quæſt.*2. *& diſt.* 31. *art.*1. *quæſt.* 3.

B. RELATIO autem alia eſt Prædicamentalis; alia non: Prima eſt, quæ ſignificat ſecundùm ſuum eſſe formale relationem: Secunda, quæ de ſe eſt quid abſolutum, ſed habet relationem annexam: Prima fundatur ſuper proprietatem accidentalem: Secunda ſuper dependentiam eſſentialem, ideſt intrinſecè includitur in ipſo abſoluto tamquam quid conſequens) hæcque appellatur tranſcendentalis,) de qua ſuo loco; ſic creatura eſt quid abſolutum includens relationem dependentiæ ad creatorem. *Lib.* 1. *diſtinct.* 35. *dub.*4. *& lib.* 1. *diſt.*26. *art.*1. *quæſt.* 1. *ad* 6. *& lib.*1. *diſt*·30. *dub.*4. *& art.* 1. *quæſt.* 3. *& lib.*2. *diſt.*1. *part.* 1. *art.*3. *quæſt.*2. *in corp.*

C. RELATIO prædicamentalis conuenit cum aliis prædicamentis, quod eſt Prædicamentum, & genus generaliſſimum ſub ente immediatè collocatum, & accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia, diſconuenit poſteà in hoc, quod ipſa ſola dicit non ſolùm ordinem ad ſubiectum,

ſubiectum, ſicuti alia accidentia, ſed & ad ſuum obiectum, & terminum, ſeu correlatiuum. Vnde inter relatiuum, & correlatiuum nihil medium cadit, quod non ſit alterum illorum; ſic Pater ſe ipſo toto refertur ad Filium. *Lib.1. diſt. 26. art. 1. quæſt.1. ad 6. & quaſt. 2. & 3. & lib. 1. diſtinct. 33. art. 1. quæſt. 1. ad vlt. & lib. 3. diſt. 8. art. 2. quæſt.2. in corp.*

D. Hæc relatio tamen alia eſt realis; alia eſt rationis: Prima eſt, qua quis ad aliud refertur ſecundùm rationem exiſtendi per habitudinem realem: Secunda eſt ſecundùm rationem intelligendi tantùm, per quam priuatur habitudo realis. Realis verò alia eſt actualis, quæ ponit extrema in actu: alia eſt tantùm in habitu, ſeu potentialis, quæ vnum extremum actu importat, & aliud in habitu, & in potentia tantùm: Vt Deus dicebatur ab æterno Dominus, Creator, prædeſtinans. *Lib. 1. diſt. 28. dub. 3. & art. 1. quæſt. 2. & diſt. 30. dub. 1. & lib.1. diſt. 7. art. 1. quæſt. 1. & diſt. 18. art. 1. quæſt.2. ad 3. & lib. 1. diſtinct. 30. art. 1. quæſt. 1. & quaſt. 3. & dub. 3. & lib.1. diſtinct. 40. artic. 1. quæſt. 1. ad 1. & lib. 1. diſtinct. 8. part. 1. artic. 2. quæst. 1. ad 2.*

E. Relatio realis alia eſt ſecundùm eſſe; alia ſecundùm dici; ideſt alia eſt ſecundùm rem, & completa, & mutua, alia eſt incompleta, & non mutua: Primo modo refertur Pater ad Filium; ſecundo modo, vt videns ad viſum, & intelligens ad rem intellectam. Videns enim dicit relationem ad rem viſam, ſed non è conuersò, vtraque eſt realis, ſed vltima eſt tantùm ex parte vnius extremi. *Lib.1. diſtinct. 30. dub. 1. & artic. 1. quæst. 3. & lib.1. diſtinct.9. artic. 1. quæst.2. ad 4. & lib.1. distinct.34. art.1. quæst.2. ad 6. & lib.1. distinct.7. art.1. quæst.1. & lib.1. dist.18. art.1. quæst.2. & distinct.40. art.1. quæst.1. ad 1. & lib.1. diſt. 31. dub.1. & lib. 1. diſt. 28. dub. 3. & dist. 31. art. 1. quæst. 2.*

F. Ratio ſuprà dictæ diſtinctionis eſt, quia Relatio vel fundatur ſuper vnitatem, vel ſuper potentiam agendi, vel ſuper menſuram, & menſurabile, vel ſuper dependentiam eſſentialem; Primæ duæ ſcilicet fundatæ ſuper vnitatem, & ſuper potentiam agendi, ſeu originem naturalem ſunt veræ, & reales, & prædicamentales: quæ fundatur ſuper vnitatem, diuiditur in tria capita, vel enim fundatur in vnitate ſubſtantiæ, ſic eſt identitas, & diſtinctio, vel fundatur in quantitate, & hæc, ſi eſt quantitas virtutis, & ſubſtantialis, fundat

æqualitatem, & inæqualitatem ſubſtantialem, vt in Diuinis, quæ non eſt in genere, ſed tranſcendentalis; ſi eſt quantitas prædicamentalis, fundat relationem æqualitatis, & inæqualitatis prædicamentalis, ſi fundatur in qualitate, quæ ſi importat ipſam ſubſtantiam, vt in Diuinis, dicit ſimilitudinem entitatiuam; ſi importat qualitatem accidentalem, fundat ſimilitudinem, & diſſimilitudinem prædicamentalem: ſi verò fundatur ſuper originem, ſic oritur relatio producentis ad productum, & è conuersò; hæcque in Deo eſt tantùm inter perſonas abſque dependentia, ſed cum ordine, & diſtinctione tantùm, & cùm Deus nullum ordinem, & habitudinem habeat ad creaturas, nec eſt in ipſo reſpectus realis ad creaturam niſi ſecundùm modum intelligendi: in creaturis verò eſt cum ordine diſtinctione relatorum, & cum dependentia vnius ab alio *Lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *dub.* 1. *& quæſt.* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 30. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp. & diſt.* 31. *art.* 1. *quæſt.* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *per totam, & lib.* 1. *diſt.* 31. *part.* 1. *art.* 1. *per totum.*

G. Relatio item alia eſt mutua, & reciproca; alia eſt non mutua, & non reciproca; alia æquiparantiæ; alia diſquiparantiæ; alia Proportionis alia proportionalitatis; alia ab intrinſeco, alia ab extrinſeco adueniens; alia ponit vtrumque extremum actu, eſtque actualis; alia ponit vnum extremum actu: aliud in habitu; alia vtrumque in habitu, & aptitudine. *Lib.* 1. *diſt.* 19. *p.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *fund.* 1. *&* 3. *& lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 4. *fund.* 1. *& lib.* 4. *diſtinct.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in fund. & ad* 3. *& lib.* 3. *diſtinct.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vltim. & lib.* 1. *diſtinct.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſtinct.* 31. *part.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 3. *& lib.* 1. *diſtinct.* 30. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. *& lib.* 1. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. *& lib.* 3. *diſt.* 2. *artic.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 5. *& lib.* 1. *diſt.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4.

H. Hinc cùm omne, quod refertur, ſit quid differens ab ipſa relatione, ſequitur, quod fundamentum relationis ſit quid abſolutum, exceptâ relatione voluntaria, & illa relatione, quæ fundatur ſuper aliam relationem. *Lib.* 1. *diſtinct.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vltim. & lib.* 1. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. *ad* 6. *& quæſt.* 2. *&* 3. *ad* 4. *& lib.* 1. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. *ad* 3. *& lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. *& quæſt.* 4. *in fund. & lib.* 4. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vlt. & lib.* 1. *diſt.* 30. *dub.* 4. *& lib.* 1. *diſtinct.* 17. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vltim. & lib.* 4. *diſt.* 19.

Digitized by Google

diſtinct. 19. artic. 3. quæſt. 2. ad 1. & lib. 1. diſtinct. 40. art. 1. quæſt. 1. ad vltim.

I. RELATIONES creatæ, & increatæ verò differunt, quod illæ ſupponunt exiſtentiam rei, & extremorum, & ob id adueniunt accidentaliter: Increatæ verò dant exiſtere, quia ſunt conſtitutiuæ perſonarum, & ipſarum diſtinctiuæ, licèt aliquæ ſint relatiuæ diſtinctorum, nempè quatenùs conſequuntur ad perſonas vt ſimile, æquale, & ob id cùm creatæ differant realiter ab ipſo, quod refertur: Increatæ tamen differunt tantùm ſecundùm alium modum ſe habendi (ideſt formaliter ex natura rei) ab eſſentia, in quam tranſeunt ſecundùm rationem *in*, non ſecundùm rationem *ad*, hanc enim retinent diſtinctam ab eſſentia. *Lib. 1. diſt. 7. dub. 4. & lib. 1. diſtinct. 31. part. 1. art. 1. per totum, & lib. 1. diſtinct. 8. part. 1. art. 2. quæſt. 1. ad 2. & lib. 1. diſt. 30. art. 1. quæſt. 3. in corp. & lib. 1. diſtinct. 22. art. 1. quæſt. 4 ad 1. & 2. & lib. 1. diſtinct. 34. art. 1. quæſt. 2. ad argument. & lib. 1. diſtinct. 35. dub. 4. & lib. 1. diſtinct. 26. art. 1. quæſt. 2. & 4. & lib. 1. diſt. 27. part. 1. art. 1. quæſt. 2. & q. 3. ad argum. & lib. 1. diſtinct. 33. art. 1. quæſt. 1. in corp. & lib. 1. diſtinct. 28. art. 1. quæſt. 2. & in Breuil. part. 1. cap. 4.*

K. RELATIONES plures poſſunt eidem ineſſe ſecundùm diuerſas rationes, ſed ad multiplicationem terminorum multiplicantur reſpectus ſecundùm rationem, ſuperadditurque tantùm nouus reſpectus materialis extraneus primæ relationi, quæ remanet vnica relatio numero.

RELATIO autem dicit ordinem ad ſubiectum in quo ad terminum ad quem, & ad principium à quo. Vnde diſtinctio ſpecifica deſumitur principaliter à principio à quo, numerica à ſubiecto in quo. *Lib. 3. diſtinct. 10. articul. 2. quæſt. 3. ad vltim. & lib. 2. diſt. 24. part. 1. articul. 1. quæſt. 2. ad 3. & lib. 3. diſtinct. 8. articul. 2. quæſt. 2. & lib. 2. diſtinct. 42. articul. 1. quæſt. 2. & lib. 3. diſtinct. 24 part. 1. articul. 2. quæſt. 1. ad 3. & lib. 1. diſtinct. 14 articul. 1. quæſt. 2. & lib. 3. diſt. 6. art. 1. quæſt. 1. & lib. 3. diſt. 21. art. 1. quæſt. 3. & lib. 1. diſtinct. 28. art. 1. quæſt. 2. in fund.*

L. PROPRIETATES relationum ſunt primò dici ad conuertentiam, ſecundò eſſe ſunt ſimul natura, & cognitione. *Lib. 1. diſtinct. 26. dub. 8. & dub. 11. & lib. 1. diſtinct. 27. articul. 1. quæſt. 2. in corpore.*

Digitized by Google

Scholium ad Textum.

449. Primò Nota, quòd Seraph. Doct. docet cum Ariſt. quòd relatiua ſunt, quorum totum eſſe eſt ad aliud, idque intelligendum ſecundùm ſignificationem formalem, vnde dicit, quod relatiuè dici propriè, & prædicamentaliter eſt, quia ſignificat relationem, quales ſunt relationes prædicamentales, ideſt quorum ſignificatum formale eſt ad aliud, per hoc tamen non excludit diſtinctionem realem inter fundamentum, & relationem, vt patet *ad literam B. & H.*

Secvndò Nota, quod S. Doct. vt plurimùm exprimit relationes per hos terminos habitudinis, reſpectus, & ordinis: Aduerte etiam, quòd ad mentem Seraph. Doct. alia eſt relatio ſecundùm dici, eſt enim realis, alia eſt ſecundùm modum, eſt enim rationis, vt patet ex *lib. 1. diſt. 30. art. 1. quæſt. 3. in arg. & in corp.*

Tertiò Nota, quod Seraph. Doct. nunquàm relationem tranſcendentalem apppellat hoc vocabulo, quia tunc temporis non erat in vſu in ſcholis, ſicut nunc, ſed eam appellat relationem fundatam ſuper dependentiam eſſentialem abſoluti, ſeu annexam eſſentiæ: Prædicamentalem verò appellat fundatam ſuper proprietatem accidentalem, vt patet *ad literam B.* vel ſuper originem, & cauſalitatem.

Qvartò Nota, quod S. Doct. docet *lib. 3. diſt. 8. art. 2. quæſt. 2.* quod ſpecificatio relationis deſumenda eſt à principio, à quo eſt: numeratio verò penes ſubiectum, in quo eſt principaliter; minùs principaliter verò à principio à quo, & à termino ad quem; quæ ſicut & alia ſpectantia ad relationem ad mentem S. Doct. explicabuntur in quæſtionibus ſequentibus.

Qvintò Nota, quod Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 30. art. 1. quæſt. 3. ad 4.* non dicit relationes tertij generis fundari ſuper menſuram, & menſurabile, vt communiter ab aliis aſſeritur, ſed ponit differentiam diuerſam harum relationum ab aliis Doctoribus per hoc tantùm, quia non ſunt mutuæ, vt in quæſtione ſexta in fine notabitur, & explicabimus, &c.

QVÆSTIO I.

Explicantur termini ſpectantes ad relationem, & traditur multiplex relationis diuiſio.

450. Vt habeatur expeditior cognitio eorum, quæ in ſequentibus tradenda ſunt, hic ſubijcimus explicationem terminorum, quorum vſus eſt frequentior in hac materia, ſuntque Relatio, Correlatio, Relatiuum, Correlatiuum Extremum, Subiectum, Fundamentum, Ratio fundandi, & Terminus.

Primò: Relatio igitur, vt diximus in Textu ex Ariſtot. & Seraph. Doct. eſt ordinatio, ſeu habitudo alicuius ad aliud, ideſt eſt id, quo aliquid reſpicit aliud, & per quod accipit eſſe reſpectiuum, vt paternitas eſt ratio, qua Pater eſt relatiuum, & qua reſpicit, & refertur ad Filium, vt ad terminum talis relationis.

Secvndò: Correlatio eſt mutuus reſpectus alterius ad alterum, vt filiatio

tio eſt correlatio reſpondens Paternitati, & ſimilitudo in hoc albo eſt correlatio alterius ſimilitudinis exiſtentis in alio pariete albo.

TERTIÒ: Relatiuum eſt id, quod relatione refertur, eſtque quid concretum quodammodo: importat enim ſubiectum, & relationem, vt Pater eſt ſubiectum relationis, qua eſt relatiuum.

QVARTÒ Correlatiuum addit ſupra relationem eſſe terminum alterius correlatiui, vt verbi gratiâ, filius ſupra filiationem eſt terminus relationis Patris.

QVINTÒ; Extremum, Subiectum, Relatum, Correlatum ſunt idem, & dicuntur ipſæ res, quæ relatione referuntur; ſic Pater, & Filius dicuntur duo extrema, duo relata, ſubiecta, correlata.

SEXTÒ: Fundamentum eſt id, ſuper quod fundatur relatio, eſtque duplex, aliud remotum, aliud proximum; verbi gratiâ relatio ſimilitudinis, cùm ſit accidens, & ſimul relatio, vt accidens eſt, reſpicit ſubiectum, & fundamentum remotum, verbi gratiâ, parietem; vt relatio eſt, reſpicit proximum, nempè ipſum parietem, prout continet albedinem, nam ſuper conuenientiam qualitatis, & albedinis exiſtentis in duobus ſubiectis proximè, & immediatè fundatur ſimilitudinis relatio.

SEPTIMÒ Ratio fundandi, & dicitur etiam fundamentum proximum relationis, eſt ratio, quare in ſubiecto fundatur, vel ſubiectatur relatio, vt eſt conuenientia duarum albedinum, quæ eſt ratio proxima, quare duo parietes albi dicuntur ſimiles; ſic conuenientia duarum quantitatum fundat æqualitatem.

OCTAVÒ: Terminus eſt id, ad quod relatio ordinatur, vt ad proprium terminum, vt Paternitas ad Filium, & Filiatio ad Patrem: Et hæc quoad primam partem Quæſtionis.

451. QVOAD ſecundam partem: Prima diuiſio Relationis: Relatio alia realis; alia rationis: Prima, quæ habet extrema realia, vt Paternitas inter Patrem, & Filium: ſecunda eſt, quæ habet vel ambo extrema, vel ſaltem vnum effictum ab intellectu, vt inter ſubiectum, & prædicatum in propoſitione, vel vt eſt relatio Dei creatoris ad creaturam; Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 28. *dub.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 30. *art.* 1. *quæſt.* 3. primam appellat realem, vel ſecundùm rem: ſecundam ſecundùm modum, & iure meritò eam non ſpecificat nomine rationis, quia intendit includere in hoc membro non ſolùm relationem effictam ab intellectu, ſed etiam à voluntate in ordine ad obiectum, & finem præfixum, item & relationem, quæ habet pro termino negationem, de qua *lib.* 4. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 4. *in fine*, & *lib.* 1. *diſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. & *lib.* 4. *diſt.* 2. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* Vt pateat, quomodo diſtinguantur inter ſe relatio realis & rationis, ſciendum, quod relatio realis tria neceſſariò exigit: Primum, quod extrema ſint realia; ſecundum, quod ſint realiter diſtincta: Tertium, quod oriatur ex natura extremorum, & non per opus intellectus: Quare cùm deficit ratio poſitiua in vno extremorum, vt inter lucem, & tenebras, dicitur relatio rationis, ſeu ſecundùm modum.

SECVNDA Diuiſio: Relatio realis, alia eſt Prædicamentalis; alia tranſcendentalis; Prima eſt, quæ accidit fundamento, eſtque accidens realiter diſtinctum ab ipſo: ſecunda eſt, quæ eſt annexa, & identificata fundamento, vt eſt in materia relatio ad formam

vt

Digitized by Google

vt potentia ad actum; Sic S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 35. *dub.* 4. & *diſtinct.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad ſextum*, *aliiſque loc. cit. in Textu ad literam B.* de quarum differentia agetur in ſequentibus.

Tertia Diuiſio: Relatio realis alia eſt ſecundùm eſſe, ideſt mutua ex parte vtriuſque extremi, alia ſecundùm dici tantùm, ideſt ſolùm realis eſt ex parte vnius extremi, ex parte alterius extremi eſt rationis, vt inter ſcientiam, & ſcibile eſt vera relatio ſecundùm rem, ſed ratione talis relationis ſcibile refertur ſecundùm modum intelligendi tantùm ad ſcientiam; ſic creatura ad creatorem *lib.* 1. *diſt.* 30. *art.* 1. *quæſt.* 3. Vnde apud D. Bonau. alia eſt relatio ſecundùm eſſe, alia ſecundùm dici, alia ſecundùm modum: Prima eſt realis importans verum reſpectum vel ex parte vtriuſque extremi, vt dictum eſt, vel ſi eſt ex parte vnius extremi tantùm, ex parte alterius poſteà eſt tantùm per opus intellectus; ſecundùm modum verò importat quid commune ad relationem rationis ex parte vtriuſque extremi, & ad relationem rationis ex parte vnius extremi tantùm. Vide *lib.* 1. *diſt.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 6. & *lib.* 1. *diſt.* 9. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. & *lib.* 3. *diſt.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 5. & *lib.* 1. *diſt.* 35. *dub.* 4. totaque varietas in Textu Seraphico explicatur in ſequenti quæſtione ad Tertium Notabile.

Qvarta Diuiſio: Relatio alia eſt mutua, eſtque idem ac ſecundùm eſſe ex parte vtriuſque extremi; alia non mutua, eſtque ſecundùm eſſe ex parte vnius extremi, & ex alia ſecundùm dici tantùm; de quibus S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *fund.* 3. & *lib.* 1. *diſtinct.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 4. *fund.* 1.

Qvinta Diuiſio: Relatio alia Æquiparantiæ: alia diſquiparantiæ: Prima eſt, in qua eſt conſimilis denominatio in vtroque correlatiuo: vt Paries eſt ſimilis alteri Parieti ſimili; ſecunda eſt, vbi eſt diuerſa denominatio, vt Pater, & Filius. Dominus, & ſeruus: S. Bonauent. *lib.* 8. *diſtinct.* 18. *part.* 2. *quæſt.* 5. *in corp.* & *lib.* 4. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in fund.* & *ad* 3. & *lib.* 1. *diſtinct.* 19. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *fund.* 1.

Sexta Diuiſio: Relatio alia actualis, alia aptitudinalis, ſeu potentialis, & in habitu tantùm; Prima eſt, quæ habet extrema actu: Secunda eſt, quæ habet vnum, vel ambo extrema in potentia, vt inter Roſam in hyeme, & alium florem ſimilem exiſtentes tantùm in potentia: *lib.* 1. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *quæſt.* 3. *ad* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 40. *quæſt.* 1. *ad* 1. Hîc tamen aduertendum eſt, quod cùm eſſentia relationis ſit ipſamet actualis habitudo, non verò potentia, & facultas referendi vnum ad aliud, non dicitur aliqua relatio aptitudinalis, quia actu non exerceat ſuum munus referendi fundamentum, & non denominet ipſum relatiuum actu, ſed quia terminus actu non exiſtit, ſed tantùm potentia, ob id illa relatio dicitur aptitudinalis, vt verbi gratiâ mobilitas actu denominat corpus mobile ad motum, licèt actu non moueatur; ſic Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 9.

Septima Diuiſio; Relatio item alia eſt, quæ fundatur ſuper vnitatem; alia ſuper originem, ſeu potentiam productiuam, alia ſuper dependentiam eſſentialem: Prima eſt triplex, vel enim eſt ſuper vnitatem ſubſtantialem, ſic oritur relatio identitatis, vel diſtinctionis; Vel eſt ſuper vnitatem, & communitatem quantitatis; ſic oritur æqualitas,

Digitized by Google

æqualitas, & inæqualitas; Vel eſt ſuper vnitatem qualitatis; ſic oritur ſimilitudo, & diſſimilitudo, quæ autem fundatur ſuper originem, eſt relatio producentis ad productum, vt Patris ad Filium, cauſæ ad effectus; ſic S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 1. *dub.* 1. *&* *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 30. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& diſt.* 31. *art.* 1. *quæſt.* 2. De Tertia, quæ fundatur ſuper dependentiam eſſentialem, dictum eſt ſuprà.

Octava Diuiſio: Scotiſtæ aſſignant aliam diuiſionem, ſcilicet in relationem intrinſecus aduenientem, & extrinſecus aduenientem; Prima eſt, quæ poſitis extremis neceſſariò reſultat, nec poteſt impediri per vllam potentiam, vt poſito Patre generante, & Filio genito ſtatim reſultat paternitatis relatio, & filiationis: ſecunda eſt, quæ poſitis extremis non ſtatim reſultat, vt verbi gratiâ poſito igne, & ligno non ſtatim reſultat relatio comburentis ad combuſtibile, nam aliquid aliud requiritur, vt, verbi gratiâ, approximatio, & applicatio ignis ad lignum, & etiam datâ hac applicatione poteſt impediri à Deo, vt euenit in tribus pueris in fornace Babylonica; Primam intrinſecus aduenientem docent Scotiſtæ conſtituere hoc Prædicamentum: ſecundam vagare per alia ſex prædicamenta vltima, quæ volunt conſiſtere in pura relatione extrinſecus adueniente, quod tamen negat Seraph. Doct. vt dicetur ſuo loco. An vero aliquando admittatur à S. Doct. in aliquo caſu, eſt valdè dubium, & videtur affirmatiua pars verior, vt videre eſt *lib.* 3. *diſtinct.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vlt.* & *lib.* 4. *diſt.* 7. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 24. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2.

Adverte tamen ſuprà dictas diuiſiones non eſſe ita adæquatas, quod quælibet conſtituant diuerſas ſpecies; Nam, vt plurimùm, vna continetur, & conuertitur cum altera, ſolùmque gaudet diuerſa denominatione, vel diuerſa formalitate; ſic relatio mutua eſt aliquando æquiparantiæ: aliquando diſquiparantiæ, &c. & ſic de aliis, &c. quod in ſequentibus patebit.

QVÆSTIO II.

Quanam relationes pertineant ad hoc Prædicamentum.

452. IN ſuperiori Quæſtione multiplicem diuiſionem relationis tradidimus, ſed quia præcipuæ ſunt relationes ſecundùm eſſe, & ſecundùm dici, & tranſcendentalis. Hinc quæſtio reducitur ab Authoribus ad iſtas, ſcilicet an omnes prtineant ad hoc Prædicamentum, & hac occaſione fit diſcuſſio ſuper differentias ipſarum.

Prima Opinio eſt aliquorum confundentium relationem ſecundùm dici cum relatione rationis; ſic Auic. Henric. apud Complut. hîc *quæſt.* 2. Quod tamen ex mente Seraph. Doct. D. Thom. Scot. & aliorum, & ſecundùm veritatem eſt falſiſſimum: qui tamen poſteà diſcrepant in aſſignanda differentia inter ipſas: Nam Thomiſtæ communiter apud Complut. *cit. num.* 17. & Maſt. *diſp.* 8. *num.* 7. confundunt tranſcendentalem cum relatione ſecundùm dici ex hoc, quod relationes ſecundùm dici non ſunt veræ relationes, quia ſignificant res abſolutas, quas conſequuntur quædam habitudines tranſcendentales in ordine ad aliquid extrinſecum, vt ſcientia, quæ de principali impoſita eſt ad ſignificandam qualitatem, & ex conſequenti relationem ad ſcibile. A qua ſententia

Digitized by Google

parum diſtant Scotiſtæ apud Meldul. *cit. num.* 8. nempè in explicanda ratione relationis ſecundùm dici, ſolúmque diſcrepant in hoc, quod volunt poſteà relationem ſecundùm dici differre à tranſcendentali.

S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 30. *quæſt.* 3. *in corp. & ad* 4. diſcrepat ab omnibus ſuſtinens relationem ſecundùm dici non ſolùm differre eſſentialiter à tranſcendentali, ſed & eſſe veram, & intrinſecam relationem, ſolúmque differre à relatione ſecundùm eſſe in hoc, quod non eſt mutua, ſcilicet realis ex parte vtriuſque termini: Nam ex parte vnius extremi ponit veram relationem, ex parte verò alterius extremi non ponit correlationem veram, ſed tantùm ſecundùm modum intelligendi: idem confirmat *lib.*1.*diſt.*34. *art.*1. *q.* 2. *ad* 6. & *lib.* 1. *diſt.*9. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 4.

Maior difficultas eſt in aſſignatione differentiæ inter relationes prædicamentales, & tranſcendentales; & an genus generaliſſimum ſit quid commune ad vtraſque: In qua, quot capita, tot ſententiæ, vt videre eſt apud Meld. *diſp* 8. *num.* 2. & *ſeq.*

Thomistæ colligunt hanc differentiam ex parte termini, quatenùs prædicamentalis reſpicit teminum ſub ratione termini puri, nullum omninò munus exercendo circa illum, ſed tranſcendentalis exercet vltrà eſſe termini aliquam efficientiam in illo, v.g. vel amando, vel intelligendo, vel vniendo, vel recipiendo, vel actuando: Vnde appellatur non ſolùm terminus, ſed & obiectum, ſubiectum, principium, vel aliquo alio nomine iuxta diuerſitatem munerum. Sic Ioan. à S. Thom. hìc, & Complut. aliique.

Scotistæ verò aſſignant hanc differentiam inter vtramque, quod tranſcendentalis vagatur per omnia genera: Prædicamentalis verò eſt tantùm vno in genere; ſic & Tol. *hìc q.* 1. aliique. Alij vt Hurtad. *diſp.* 15. *Metaphyſ. ſect.* 1. Ouied. *in Metaphyſ. contr.* 10. *p.* 1. Arriaga, aliique plures aſſignant hanc differentiam, quod prædicamentalis eſt accidens realiter diſtinctum à fundamento. Tranſcendentalis verò eſt de eſſentia fundamenti, quod aſſertum licèt rejiciatur à Meldul. *num.* 4. coincidit tamen in re cum eo modo, quem & ipſe ponit pro ſua ſententia *num.* 6. ſolúmque differt ab illo ſuprà allato, quod ipſi dicunt talem reſpectum eſſe de eſſentia: Meldul. verò vult eſſe non eſſentiam fundamenti, ſed ipſi realiter identificatum, quæ differentia eſt de nomine tantum, & hæc eſt germana ſententia Seraph. Doct. vt mox patebit. Pro ſolutione.

453. Primò Notandum ex Scoto *lib.* 1. *diſt.* 31. & *quodlib. q.* 6. quod ad relationem prædicamentalem realem hæc ſunt neceſſaria: Primò, quod extrema ſint realia, & hæc poſitiua: nam ſi ſunt rationis, vel ſaltem alterum ipſorum, erit diſtinctio rationis, vt inter Deum, & creaturam; & ſi alterum eſt priuatiuum, vt inter tenebras, & lucem, erit diſtinctio ſecundùm modum, & ſecundùm quid, vt ait S. Bonau. Secundò, quod ſint realiter diſtincta, idem enim ad ſe ipſum non poteſt referri; hac enim ratione ait S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 9. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* Probatur, perſonas Diuinas eſſe realiter diſtinctas: Tertiò, quod relatio oriatur ex natura extremorum, & non per intellectus ſolam comparationem, quas conditiones ſupponit, & ſparſim tradit S. Doct. tum *loc. cit.* tum *lib.* 1. *diſt.* 31. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *quæſt.* 2. *ad* 1. & *diſt.* 28. *dub.* 3. & *diſt.* 26. *art.* 1. *q.* 2. Et ſi aliquando contingat, vt aliqua ex his

Digitized by Google

his conditionibus deficiat, verbi gratiâ, quod extrema non ſint actu, ſed tantùm vnum, tunc dicitur relatio ſecundùm quid, vel ſecundùm modum, ideſt cum aliqua modificatione. Sic S. Doct. *lib*. 1. *diſt*. 30. *art*. 1. *quæſt*. 3. & *lib*. 1. *diſt*. 28. *art*. 1. *quæſt*. 2. *ad* 3. & *quæſt*. 3. *ad* 3. & *lib*. 1. *diſt*. 40. *art*. 1. *quæſt*. 1. *ad* 1. Sic etiam creatura dicit reſpectum ad non eſſe præcedens *lib*. 1. *diſt*. 9. *art*. 1. *quæſt*. 3. *ad* 2. & *lib*. 1. *diſt*. 8. *part*. 1. *dub*. 2. & *artic*. 2. *quæſt*. 2. *ad* 7. & 8. & *lib*. 2. *diſtinct*. 1. *part*. 1. *art*. 3. *quæſt*. 1.

454. Secvndò Notandum, quod licèt iſtæ conditiones non reperiantur in tranſcendentali, hæc tamen continet etiam aliqualiter ipſas, nam & ipſa eſt realis, eſt & inter extrema formaliter ex natura rei diſtincta; ipſa enim reſpicit præcisè loquendo terminum ſub ratione termini. Vnde differentia aſſignata à Thomiſt. inter ipſam, & prædicamentalem relationem non eſt propria, dicunt enim, quod tranſcendentalis aliud cauſat in termino præter eſſe termini, quæ ratio eſt ipſi relationi extranea, nam ſic non conſideratur relatio tranſcendentalis, provt eſt talis, ſed provt identificatur cum ſuo fundamento. Hincque etiam S. Doct. *lib*. 1. *diſt*. 31. *part*. 1. *art*. 1. *quæſt*. 2. docet, quod ſimilitudo formaliter eſt relatio, cauſaliter eſt qualitas, & æqualitas cauſaliter eſt quantitas, & tamen hoc diuerſum munus non tollit has relationes à prædicamento, ergo ratio ab ipſis allata non eſt verè diſtinctiua relationis tranſcendentalis à prædicamentali, ſed extranea. Nec etiam diſcrimen à Scotiſt. aſſignatum eſt proprium: dicunt enim, ex eo quia vagatur per multa genera, dici tranſcendentalem, quæ ratio non eſt adæquata; nam dantur relationes tranſcendentales, quæ ſpectant ad vnicum Prædicamentum, vt eſt dependentia ſubſtantiæ, quæ reductiuè eſt in eodem prædicamento, & proprietates in eodem prædicamento cum ſuo ſubiecto.

455. Tertiò Notandum, quod Seraph. Doct. *lib*. 1. *diſt*. 30. *dub*. 4. & *art*. 1. *quæſt*. 3. loquendo de relationibus eas ad tria capita reducit, ſcilicet vel quæ fundatur ſuper proprietatem accidentalem, vt eſt ſimilitudo, & æqualitas, vel ſuper dependentiam eſſentialem, vel ſuper originem, & potentiam actiuam, ibique non facit mentionem de altero membro allato ab Ariſt. ſcilicet de relatione, quæ fundatur ſuper menſuram, & menſurabile. Vnde S. Doct. videtur inſufficiens, ſed tamen & hoc membrum vltimum ſupponit *lib*. 1. *diſtinct*. 30. *quæſt*. 3. *ad* 4. Ne autem fiat æquiuocatio in Text. Seraph. aduertendum eſt, quod aliquando relationem rationis appellat ſecundùm dici, vt *lib*. 1. *diſt*. 34. *art*. 1. *quæſt*. 2. *ad* 6. quam, vt plurimùm, appellat ſecundùm modum, ſcilicet intelligendi, aliquando ſecundùm dici appellat relationem non mutuam, vt ibidem patet, ſicque apud Seraphicum eſt quid æquiuocum relatio ſecundùm dici. Attamen illa, quæ fundatur ſuper menſuram, & non eſt mutua, à Seraph. Doct. dicitur relatio ſecundùm eſſe; ſic *lib*. 1. *diſt*. 30. *quæſt*. 3. *ad* 4. Aduertendum eſt etiam, quod S. Doct. rectè diſtinguit relationem, quæ fundatur ſuper dependentiam eſſentialem ab illa, quæ fundatur ſuper originem in Diuinis, & cauſalitatem in creatis; nam omiſſa relatione Diuina, de qua alibi infrà, cauſalitas in creatis, licèt importet aliquam dependentiam effectus à cauſa creata efficiente, tamen cùm iſta dependentia ſit ipſi accidentalis, verè enim poteſt talis effectus

à Deo abſque concurſu cauſæ ſecundæ poni in eſſe: hinc talis dependentia eſt valdè differens ab illa, quam eſſentialiter includit creatura in ordine ad primam cauſam; vel totum à ſuis partibus, vel materia à forma, & è conuersò, vel accidens à ſuo ſubiecto; Illa enim eſt accidentalis, iſta eſt eſſentialis licèt ex conſequenti. Vnde rectè ad tria capita reduci debet ex mente S.Doct. relatio prædicamentalis, ſcilicet ad illam, quæ fundatur ſuper proprietatem accidentalem, ad illam, quæ fundatur ſuper potentiam productiuam, & ad illam, quæ fundatur ſuper menſuram, & menſurabile, & deinde tranſcendentalis eſt, quæ fundatur ſuper dependentiam eſſentialem, & identificatur cùm ſuo fundamento, vt mox patebit: His poſitis ſit

456. PRIMA CONCLVSIO: Nulla ſubſtantia creata formaliter ſumpta, ſiue conſiderata abſolutè, ſiue in ordine ad Deum, eſt pura, & ſola relatio, ſed aliquid diſtinctum à relatione. Eſt S. Bonauent. *loc. cit.* & *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *quæſt. vlt.* vbi docet, quod per hoc differunt creatio actiua in Deo, & creatio paſſiua in creatura, quod illa differt à Deo ratione, & apprehenſione noſtra tantùm; iſta verò differt differentia habitudinis, ſcilicet quia ſubſtantia eſt quid abſolutum, creatio eſt quid reſpectiuum; Tum quia ex Ariſt. priùs eſt ſubſtantia, quàm relatio; Tum ex D. Boëtio, & Aug. apud S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. quod, quidquid ad aliud refertur, eſt aliquid præter ipſam relationem; Tum quia idem formaliter non poteſt eſſe quo, & quod, ſed ſubſtantia eſt, quæ refertur; relatio eſt id, quo refertur: Tum quia de lapide prædicantur ſuæ rationes formales, ſcilicet ſubſtantia in quid: De relatione non prædicatur ſubſtantia in quid, ſed ſolùm per identitatem; ergo diſtinguuntur pluſquàm per intellectum.

OBIICIES ex S. Doct. quod eſt eſſentiale alicui, ab eo non diſtinguitur niſi per intellectum, ſed dependentia eſt eſſentialis creaturæ, &c. ergo.

RESPONDETVR ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. quod eſt eſſentiale in primo modo, concedo, quod eſt in ſecundo modo, ſcilicet ex conſequenti, nego, ſic dependentia eſt quid conſequens, &c.

457. SECVNDA CONCLVSIO: Relationes tranſcedentales per hoc diſtiguuntur à prædicamentalibus, quod illæ identificantur cum fundamento, iſtæ diſtinguuntur realiter.

PROBATVR prima pars ex S.Doct. Omnis relatio, ſine qua fundamentum ab intrinſeco implicat eſſe, non diſtinguitur à fundamento realiter: ſed nulla res etiam per abſolutam Dei potentiam eſſe poteſt ſine ordine, quem dicit tranſcendentaliter ad aliam, vt creatura ſine dependentia ad Deum; accidens ſine dependentia aptitudinali ad ſubſtantiam: materia ſine ordine ad formam, & ſic de aliis: ergo. Minor patet, quia relationes prædicamentales accidunt rebus, tranſcendentales minimè, ſed cum ipſa re incipiunt, & deſinunt, & cum ipſa imbibuntur; conueniunt enim rei, priuſquàm ad prædicamenta ſpecialia deſcendat ideſt ratione ſuæ entitatis eſſentialis, & entitatiuæ. Probatur Maior à Scoto, quia intrinſeca impoſſibilitas ſeparationis duorum prouenit; vel quia ſunt ſimul natura, vt duo correlatiua, vel vel quia vnum eſt priùs altero, à quo eſſentialiter dependet poſterius, vel quia ſunt idem realiter, vel poſteriùs eſt de eſſentia prioris, vt ſunt proprietates rerum ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad*

Digitized by Google

ad 1. ſed creatura, verbi gratiâ, licèt ſit prior, dependet tamen à poſteriori in eſſe tanquàm à ſua cauſa; Vnde dependentia eſt quid eſſentiale creaturæ, ob idque ab ea inſeparabilis intrinſecè, tum & ratione identitatis realis.

Probatvr ſecunda pars. Quia relatio prædicamentalis eſt accidens realiter diſtinctum. Probatur, quia poteſt eſſe fundamentum ſine tali relatione, vt per ſe patet in qualibet relatione ſiue fundata in qualitate, ſiue in quantitate, ſiue in cauſalitate: genito enim Filio, & mortuo Patre ceſſat filiatio, & deſtructo vno albo ceſſat ſimilitudo; ſiue fundata in menſura; ablato enim obiecto adhuc remanet potentia, quod infrà magis patebit.

Obiicies primò. Quia ſequeretur totum Mundum eſſe plenum relationibus, quod abſurdum eſſe docet Ariſt. 4. *Met.* omnia enim dependent à Deo.

Respondetvr, quod eſſet abſurdum collocare omnia in prædicamento Relationis, non autem ponere in omnibus relationem tranſcendentalem identificatam cum re.

Obiicies ſecundò: Relationibus tranſcendentalibus competit definitio tradita ab Ariſt. de definitione prædicamentali, ergo non diſtinguuntur. Confirmatur, quia ſunt relationes ſecundùm eſſe; ergo eorum eſſe eſt totum ad aliud.

458. Respondetvr negando Ant. Nam per illam definitionem definiuntur tantùm accidentales, & licèt tranſcendentales ſint tales ſecundùm eſſe, tamen quia identificantur cum rebus, hinc & in eodem prædicamento rerum reponuntur.

Contra: dependentia eſſentialis ab alio infert diſtinctionem realem inter ipſa; ergo & inter ipſam, & ſuum fundamentum.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 30. *art.* 1. *quaſt.* 3. dependentia eſſentialis, quæ dicit cauſalitatem, concedo, quæ dicit tantùm relationem ſine cauſalitate, vt paſſio reſpectu ſubiecti, à quo dependet; ſic negatur antecedens: Non enim eſt phyſicè cauſata à fundamento, ſed tantùm Metaphyſicè.

Respondetvr ſecundò negando conſequentiam, & paritatem, vt per ſe patet, creatura enim differt à Deo realiter, non verò à ſua dependentia.

Obiicies Tertiò: Dantur multa inſeparabilia ab inuicem, quæ diſtinguuntur realiter, vt patet inter extrema relatiua realia prædicamentalia; ergo inſeparabilitas non eſt ſignum adæquatum relationis tranſcendentalis.

459. Respondetvr concedendo antecedens, & diſtinguẽdo conſequens, ſi inſeparabilitas prouenit ab intrinſeco, ideſt ex identificatione reali, nego, ſi aliunde prouenit, & ab extrinſeco, concedo: & hæc eſt inſeparabilitas extremorum relationis prædicamentalis, quæ, vt ait Meldul. ex Scot. *diſp.* 8. *num.* 48. non prouenit ex intrinſeca natura ipſorum ſingillatim, ſed à ſimultate durationis, cui ambo coëxiſtunt, quæ vtique illis eſt accidentalis, quia vnum poteſt deſtrui alio remanente, inſeparabilitas verò tranſcendentalis eſt ab intrinſeco. Vel dicendum cum S. Doct. quod per hoc differt accidens relatiuum ab abſoluto, quod abſolutum dicit intrinſecè rationem *in* aptitudinaliter: Vnde poteſt eſſe actu, & actu non ineſſe in ſubiecto; at relatiuum dicit *In cum Ad* ideſt ex ſua ratione formali eſt huius ſubiecti ad aliud: Vnde non poteſt eſſe actu, & actu non ineſſe, cùm intrin-

Digitized by Google

ſecè ordinet hoc, in quo eſt ad aliud.

Obiicies quartò : ſi dependentia eſt intrinſeca creaturæ, & facit relationem tranſcendentalem, ergo relatio producentis, & producti non erit prædicamentalis, vt paternitas, eſſentialiter enim effectus dependet à ſua cauſa.

Respondetvr negando conſequentiam : Dependentia enim, quam habet creatura à creatore, eſt eſſentialis, ita quod non poſſit creatura intelligi ſine ipſo : at in creaturis non eſt tanta, quin effectus cauſarum ſecundarum non poſſit eſſe ſine talibus cauſis : Poteſt enim Deus ſe ſolo, quod poteſt cum creatura (loquendo de cauſis extrinſecis) ſicque cùm ſit accidentalis, eſt prædicamentalis ; ſi verò eſt dependentia à cauſis intrinſecis, vt eſt in toto ad partes, tunc eſt eſſentialis, licèt ſecundariò. Vnde creatura licèt de ſe, & in priori ſigno nec ſit dependens, nec independens formaliter ; eſt tamen dependens fundamentaliter, quia ipſi debetur formalis dependentia, ſicut homo de ſe nec eſt riſibilis, nec non riſibilis niſi fundamentaliter.

Dices : Ergo creatura erit compoſita ex abſoluto, & relatione, ſicque erit ens per accidens.

Respondetvr eſſe compoſitam non compoſitione phyſica, ſed integrali Metaphyſica, quatenùs eius conceptus abſolutus exigit à poſteriori conceptum reſpectiuum, vt ipſam integrantem.

460. Tertia Conclvsio : Relatio conſtituit genus generaliſſimum, provt eſt quid commune vniuocum ad relationem fundatam ſuper proprietatem accidentalem, & ſuper originem, ſeu potentiam actiuam, & ſuper menſuram, ob idque provt continet in ſe relationem ſecundùm eſſe accidentale, & ſecundùm dici. Eſt S. Bonauent. *cit. in princip. quæſt.* & *in 3. notab.* pluriumque aliorum.

Probatvr : Quia vniuocè omnes conueniunt in relatione accidentali vera : ergo. Probatur antecedens, quia tam illa, quæ fundatur ſuper vnitatem qualitatis, & quantitatis, quàm quæ fundatur ſuper potentiam productiuam, & ſuper menſuram, important accidens ſuperadditum extremis. Tum etiam quia eſt vnum per ſe conſtans ex ratione *in* tanquam ex materiali, & ex ratione *ad* tanquam formali, vt probabitur in ſequentibus.

Obiicies : In omnibus accidentibus reperitur relatio ad ſubiectum, ſed non datur relatio, quæ non præſupponat accidentia ſcilicet vel qualitatem, vel quantitatem, vel actionem, vel paſſionem, & ſic de cæteris ; ergo in omnibus includitur ; ergo non conſtituit prædicamentum ſpeciale.

Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 26. quæſt. 2.* quod relatio habet quid commune cum cæteris accidentibus nempè rationem *in*, eſtque reſpectus incluſus eſſentialiter, & tranſcendentalis in illis ; habet & aliquid ſpeciale, per quod differt ab aliis, & conſtituit peculiare genus nempè reſpectum ad terminum ſub ratione termini, & iſte competit tantùm aliquibus accidentibus tanquam fundamentis eius, in quibus includitur non eſſentiali incluſione ; ſed accidentali, nempè quatenùs eſt accidens ipſis ſuperadditum.

Obiicies ſecundò : Potentia, & habitus includunt reſpectum eſſentialem ; ergo non pertinent ad hoc Prædicamentum. Probatur antecedens à Ruuio : *hîc quæſt. 5.* reſpectus, quem dicunt ad obiecta, complet eorum eſſentiam. Tum quia talis reſpectus non

poteſt

poteſt ad plura ſe extendere, quam faciat habitus, & potentia; ergo ſolùm ſpectabit ad proprium Prædicamentum vel ſubſtantiæ, vel qualitatis.

Respondetvr negando antecedens: Ad probationem reſpondetur negando antecedens, & confirmationem; Nam eadem res, cùm habeat plures formalitates, poteſt etiam qualificari diuerſimodè per eas; ſic erit potentia conſiderata ſecundùm ſe, & qualitas erit quid abſolutum, provt verò ſecundariò dicit ordinem ad terminum, ſpectabit ad hoc prædicamentum ex aliàs traditis in quæſtione anteprædicamentali.

Qvænam res reponantur in prædicamentis, & in quæſtione de qualitate ex Seraph. Doct. *lib. 2. diſtinct. 3. part. 1. artic. 2. quæſt. 2. ad 2. & 3.* quæ relatio tamen eſt quid ſuperadditum accidentale ipſis, quæ omnia magis explicabuntur in ſequenti quæſtione.

QVÆSTIO III.

An Relatio Prædicamentalis ſit accidens reale ſuperadditum extremis, & ab eis realiter diſtinctum.

461. Celebris valdè eſt hæc quæſtio ob varietatem, & ſoliditatem rationum, & ſententiarum hinc inde pugnantium, & ad duo capita reducitur. Primum eſt, quia Nominales tenent relationes prædicamentales eſſe tantùm denominationes extrinſecas deſumptas ex collectione, & combinatione rerum, ob idque non eſſe niſi concomitantiam, & coëxiſtentiam extremorum, verbi gratiâ, ſimilitudo eſt combinatio duorum alborum, diſſimilitudo combinatio albi, & nigri, ſicque negant eſſe aliquod accidens ſuperadditum extremis. Sic Ocham, Gabriel *in lib. 1. diſputat. 28. 29. & 30.* Hurtad. *diſp. 16. in Metaphyſ. ſect. 2. & 3.* Arriag. *diſp. 12. Log. ſect. 6. & ſeq.* Auerſ. & alij. Secundum caput eſt Realium excludentium ab hac accidentali relatione relationes tertij generis ſcilicet fundatas ſuper menſuram, & menſurabile, ſolúmque prædicamentales in hoc prædicamento recognoſcentium illas relationes, quæ appellantur primi generis, ſcilicet ſecundùm eſſe, ob idque & excludunt tranſcendentales, & relationes ſecundùm dici, ſic ferè omnes apud Ruu. hic *quæſt. 5.* qui poſteà variant in aſſignatione talium formarum accidentalium, vt mox patebit.

S. Doct. in hoc prædicamento includit, vt dictum eſt ſuprà, relationes fundatas ſuper quantitatem, & qualitatem, & etiam ſuper menſuram, & menſurabile tanquam accidentia ſuperaddita extremis, excluditque tantùm tranſcendentales, ſeu quæ fundantur ſuper dependentiam eſſentialem. Pro cuius ſolutione.

462. Primò Notandum, quod hæc quæſtio inuoluit duas præcipuas difficultates: Prima, an relatio ſit accidens: Secunda, an diſtinguatur realiter à fundamento, poſſet enim aliquid eſſentialiter eſſe inuolutum in fundamento vt eius proprietas, ſicque non diſtingueretur realiter ab ipſo.

Hinc ortum eſt diſcrimen inter DD. nam Nominales negant relationem eſſe aliquid præter extrema. Alij vt Bacc. Henric. Suar. *diſp. 47. ſect. 2.* dicunt relationem eſſe aliquo modo quid diſtinctum à fundamento non quidem realiter,

realiter, ſed ratione ratiotinata tantùm; Vnde relatio adæquatè ſumpta eſt idem realiter cum fundamento exigens tamen terminum non vt partem formalem relationis, ſed vt quid connotatum in obliquo: Quare relatio eſt forma abſoluta non abſolutè ſumpta, ſed vt reſpiciens per connotationem aliud.

463. SECVNDÒ Notandum: ex Meldul. aliiſque, quod relatiua valdè differunt à connotatiuis, licèt videantur habere aliquam affinitatem: Nam relatiuum primò, & per ſe, & directè reſpicit aliud, vt Pater Filium, connotatiuum verò reſpicit aliud ſecundariò indirectè, & minùs principaliter, vt cœna primariò importat comeſtionem: ſecundariò tempus.

SECVNDÒ Relatiuum reſpicit aliud vt terminum purè, & præcisè præſcindendo à quacunque alia ratione: connotatiuum verò reſpicit aliud per modum annexi, & acceſſorij præſcindendo à ratione termini, ſic album reſpicit ſubiectum, quod ſecundariò concernit non vt terminum, ſed vt ſubiectum.

TERTIÒ Relatio pertinet ad res ipſas, connotatio verò propriè ad modum ſignificandi non ad rem ipſam, & reperitur in nominibus, quæ ex eorum impoſitione vnum ſignificant, & ex modo ſignificandi principalis ſignificati dant aliud intelligere ſecundariò: Vnde connotatiuum cùm non includat conceptum rei connotatæ propriè, diſtinguit terminos connotatiuos ab abſolutis: relatiuum verò diſtinguit res relatiuas ab abſolutis: Ex quibus patet, quàm inconſultò Hurt. Ariag. & alij quidam conentur ablegare à mundo connotatiua ex hoc, quod ſignificent æquè primò, & per ſe plura; Sic cæna immediatè ſignificat commeſtionem, & tempus ſerotinum, id tamen eſt falſum; Ratio eſt, quia connotatiua nomina non poſſunt ſimul ſignificare plura diuerſi generis, ob idque cùm importent intrinſecè talia nomina, quod vnum id erit principale ſignificatum, licèt poſteà extrinſecè, & ſecundariò aliud. Patet etiam, quàm malè in omnibus immiſceantur connotationes, vt facit Suarez *diſp.* 47. *Met. ſect.* 2. qui cum aliquibus aliis apud Meldul. *diſp.* 8. *num.* 18. *&* 34. ſuſtinet relationem identificari cum fundamento, exigere tamen terminum, non vt partem formalem relationis, ſed vt quid connotatum in obliquo: Vnde infert poſſe aduenire nouam relationem fundamento abſque vlla mutatione, ſed tantùm noua connotatio, ob idque & noua denominatio intrinſeca, vt poſt productionem huius albi, quia habet in ſe totam entitatem ſimilitudinis, prout eſt forma abſoluta adueniente nouo albo, tunc prius album connotabit hoc aliud album, & ſic prius album abſque ſui mutatione denominabitur ſimile per id, quod in ſe priùs habebat abſolutè ſecundùm ſuam entitatem, id tamen eſt falſum; impoſſibile eſt enim, vt fiat tranſitus realis, & phyſicus à contradictorio in contradictorium abſque reali mutatione, & receptione nouæ entitatis, ſi enim noua connotatio aduenit; ergo & aliquid de nouo.

ET licèt Seraph. Doct. aliquando dixerit poſſe aduenire rei relationem abſque mutatione: intelligi debet de mutatione entitatiua, non accidentali, vel ex parte vnius extremi tantùm, vide *lib.* 3. *diſt.* 30. *dub.* 3. *& diſt.* 1. *q.* 1. *ad* 3. *& diſt.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad arg. & lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad argum.* ſed idem *infrà num.* 473. quibus poſitis.

374. PRIMA CONCLVSIO: Relatio prædicamentalis non eſt ſola duorum extremorum combinatio, vel

vel concomitantia, vt volunt Nominales.

Probatvr, quia per hanc poſitionem tollitur vnum ex prædicamentis realibus poſitis à tota Philoſophia Peripatetica, ſed hoc eſt maximum abſurdum, cùm relatio dicat modum eſſendi rei totaliter à cæteris entibus, & præcipuè abſolutis diuerſum; ergo malè ponitur aſſertio Nominalium.

Respondent negando Min. nec vllum abſurdum id exiſtimant, quia auferre à mundo vnum prædicamentum non eſt tollere vnum ex ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, vel vnum præceptum Decalogi: ſed

Contra, vt benè notat Maſt. *hic num.* 19. & Ferchius in D. Bonau. *infrà cit.* licèt non tollatur vnum Sacramentum de Eccleſia, ſanè non poteſt negari, quin vel tollatur, vel ſaltem labefactetur Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, quod eſt maximum Sacramentum fidei noſtræ: Vnde Morandus, cùm videat omnes rationes naturales probantes dari relationes reales poſſe à Nominal. ſolui, addit tamen, quod ſine temeritate maxima non poſſunt negari ex rationibus Theologicis probantibus verè relationes reales ineſſe in Diuinis: Et licèt negent paritatem de relationibus Diuinis, & creatis, cùm illæ conſtituant, iſtæ conſequantur, ob idque nec inferri ex hoc, niſi quod dentur relationes tranſcendentales, quales ſunt Diuinæ; tamen.

Contra inſurgit S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 31. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. Dantur relationes in Diuinis, non ſolùm quæ ſunt diſtinctiuæ perſonarum, ſed & quæ ſunt relatiuæ diſtinctarum, ob idque, vt intelligantur poſteriores, exercitè referunt vnam perſonam ad aliam, ſic ſimilitudo æqualitas in Diuinis, ſic & ſpiratio ſupponit Patrem, & Filium.

Confirmatur: Dantur relationes in Diuinis reales, quia fundantur in productione actiua, & paſſiua, ergo in creaturis, quando realis productio fit, dabitur realis relatio: Quare optimè notat Ferchius *tom.* 1. de Angelis *q.* 22. *num.* 2. quod Ocham, qui fuit vnus ex præcipuis negantibus relationes reales in creatis, hanc opinionem ſuſcitaſſe cum trepidatione labefactandi fidem noſtram ex ſui confeſſione *lib.* 1. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. quod non poteſt notari niſi de magna temeritate; nam ſtante hac ſua trepidatione tenebatur ſoluere argumenta ab ipſo propoſita contra relationes reales, & præcipit Concil. Later. *ſeſ.* 8. ſub Leone X. omnibus Philoſophis, multò magis Theologis. Tum etiam quia ex hoc videtur Ocham plus laboraſſe contra fidem, quàm pro fide; nec enim argumenta vlla poſſunt naturali aſtutia fieri contra fidem, & veritatem, quæ naturali etiam prudentia per artem logicam Theologiæ applicatam ſolui non poſſint.

465. Qvod verò labefactetur fides noſtra ex tali aſſertione negatiua, vlteriùs confirmatur ex Myſterio Incarnationis Dominicæ contra Nominales, & Suarez: ſi enim præter humanitatem nihil aliud ſit vnio hypoſtatica niſi relatio rationis, vel denominatio connotatiua, ſequitur, quod omnis humanitas eſt ita realiter vnita hypoſtaticè Verbo quoad omnem realitatem, ſicut humanitas, quæ eſt in Chriſto. Probatur ſequela, quia hæc relatio rationis poterit ad placitum imponi cuilibet humanitati; idque eſt, quod aſſerebat Neſtorius, nempè præter humanitatem nihil cognouit, per quod vnita eſſet humanitas perſonaliter Verbo; & hinc orta eſt diſputatio inter Catholicos, An præter humanitatem, & Verbum eſſet aliquid verè aliud,

aliud, ſcilicet relatio rationis: Sic etiam Concil. Epheſinum plurimùm laborauit, vt Virgo Maria Mater Dei eſſe definiretur, ſed ſi maternitas eſt ſolùm connotatio nominis, vel comparatio noſtræ mentis; planè inepti fuere Patres de vocabulis, & ſecundis intentionibus diuidentes cum tanta ſolicitudine: Igitur ſi in Maria nihil aliud fuit præter id, quod eſt in qualibet alia muliere, nempè Chriſtus Filius Dei, non plùs Filius Mariæ, quàm alterius poterit dici.

Confirmatvr ex Sacramento Altaris primò. Ante conſecrationem non erat præſentia Chriſti, & tamen erat totum abſolutum in rerum natura, ſcilicet Corpus Chriſti, & ſpecies. Poſt conſecrationem nihil reale eſt plùs ſiue in Chriſto, ſiue in ſpeciebus ex Aduerſariorum ſententia; ergo poſt conſecrationem Corpus Chriſti erit tantùm præſens ſpeciebus ſecundùm noſtram intentionem comparantem, vel ſecundùm denominationem connotatiuam: idque eſt, quod dicit Caluinus.

Secvndò ſpecies ante conſecrationem habebant relationem vnionis ad panem, quæ ſignificatur per eſſe in Pane vt in ſubiecto; ſi autem relatio nihil aliud ſit, quàm panis, & ſpecies illæ, ergo omninò eadem res eodem modo reali accidentia Altaris ſunt in pane, vt in ſubiecto tam poſt, quàm ante conſecrationem. Probatur conſequentia, quia illud abſolutum ſcilicet ſpecies ſunt ante, & poſt conſecrationem eædem, & per Aduerſarios habebant eſſe abſolutum neceſſarium ad relationem antè: ergo & poſt: Idque eſt, quod dicit Lutherus, & cum eo Paniſtæ.

Sed remittamus has rationes diſcutiendas in Theologia, quæ hîc appoſitæ fuerunt à nobis ſolùm, vt pateſiat, quàm periculoſum, & temerarium ſit negare iſtas relationes.

466. Probatvr Secundò à Maſtrio, & cæteris Philoſophis ratione naturali. Dantur in creaturis denominationes puræ relatiuæ: ergo dantur relationes puræ, quæ ſunt prædicamentales. Patet conſequentia, quia effectus formalis non eſt niſi forma ipſa à ſubiecto participata. Antecedens probari poteſt, & probatur à Scotiſtis ex denominationibus fundatis in actione, & paſſione, in vnione, & præſentia, quæ important relationes, ſed quia in doctrina Seraphica non dicunt iſta ſex Prædicamenta puras relationes, ſed tranſcendentales. Hinc probatur ex denominationibus ſimilis, diſſimilis, æqualis, & inæqualis, & aliarum fundatarum ſuper vnum, & multa; ergo ſi iſtæ denominationes ſunt purè prædicamentales etiam ex confeſſione Aduerſariorum, ſequitur dari relationes reales.

Respondent has eſſe puras relationes, & denominationes extrinſecas.

Contra: non poteſt dari relatio extrinſeca niſi per formam aliquam realem exiſtentem in aliquo ſubiecto; ſic paries dicitur viſus per viſionem exiſtentem in oculo; ergo ſi dantur denominationes extrinſecè relatiuæ, debet admitti forma intrinſeca relatiua. Nam forma abſoluta non poteſt tribuere denominationem relatiuam: Denominatio enim debet proportionari formæ denominanti.

Respondent Nominales cum Hurtado hanc denominationem non poſſe deriuari ab vna forma abſoluta, bene tamen à pluribus ſimul coëxiſtentibus, vt à duobus albis ſimilitudo? cùm relatio ſit duplex conceptus abſolutus: hinc ſimile dicitur ad aliud ob

talem

Digitized by Google

talem coëxiſtentiam; album verò dicitur ad ſe, quia ſumitur ab vna albedine; Addit Arriag. hanc eſſe denominationem intrinſecam ratione fundamenti, extrinſecam ratione termini.

Avversa verò reſpondet talem concomitantiam extremorum debere explicari ita, quod dicat vtrumque extremum in recto, vt dicebat Hurt. ſed fundamentum in recto, & terminum in obliquo, ſicque rectè fieri talem denominationem, vt, v. g. hoc album eſt ſimile illi.

467. Contra primò: Quia ſimilitudo non dicit præcisè conceptus duarum albedinum, ſed aliquid ampliùs ſcilicet habitudinem illarum, quæ explicatur per ſicut, v. g. Petrus eſt albus, & Paulus eſt albus, per hoc explicatur coëxiſtentia amborum alborum, non tamen ſimilitudo, niſi addatur, Petrus eſt albus, ſicut Paulus, & è conuersò; ergo vltra coëxiſtentiam dicit habitudinem. Probatur conſequentia, nam dicendo Petrus, & Paulus eſt albus, ſi ex coëxiſtentia infertur, ergo ſunt ſimiles, erit petitio principij, quia probatur idem per idem, ſed non eſt petitio principij; ergo inferendo ſimilitudinem vt quid diuerſum non eſt petitio principij. Confirmatur etiam, quia per illam coëxiſtentiam duorum alborum non efficitur niſi binarius numerus, & denominatio duorum alborum abſoluta ſpectans ad prædicamentum quantitatis. Tum quia ſi illa duo alba ſunt extrema, ergo debet dari medium inter ea, quare dicuntur extrema, & vnum fundamentum, aliud terminus, ſed id non poteſt eſſe quid abſolutum; non enim vnus conceptus abſolutus dici poteſt terminus alterius conceptus abſoluti; ergo eſt relatio. Quæ argumenta etiam vrgent Auuerſam; licèt enim explicet fundamentum in recto, & terminum in obliquo, vt hoc album eſt ſimile illi, tamen eius ſenſus eſt tantùm ponere duo extrema coëxiſtentia. Tum etiam quia ſic malè definirentur relatiua, quorum eſſe eſt ad aliud ſe habere, ſed deberet dici, ad aliud ſunt illa, quorum eſſe eſt cum alio eſſe. Probatur tertiò ex Mair. *lib. 1. diſt. 39. quæſt. 2.* quicquid eſt in duabus albedinibus ſimul coëxiſtentibus, totum eſt in duabus ſibi inuicem ſuccedentibus, ergo ſi ſimilitudo non dicit aliquid reale ſupra entitates abſolutas illarum, ita ſimilis erit vna albedo alteri futuræ, ac vna alteri exiſtenti: conſequens eſt falſum etiam apud Aduerſarios, qui exigunt ad relationem prædicamentalem terminum actu exiſtentem; ergo & antecedens. Probatur conſequentia à pari: numerus duarum albedinum, quia nihil dicit ſupra entitates abſolutas illarum præſertim apud Nominales ita ſaluatur in ipſis actu exiſtentibus, ac in ſibi inuicem ſuccedentibus, ergo & ſimilitudo, ſi nihil aliud dicit præter entitates extremorum.

Respondent requiri ſimultatem durationis.

Contra primò: Quia duratio eſt modus conſequens rem durantem; ergo ſimilitudo, ſi nihil aliud dicit præter entitates extremorum abſolutas, non poteſt pendere à duratione ſimultanea illarum: Secundò, quia illa ſimultas vel aliquid eſt reale præter illas albedines, vel non; ſi non: redit difficultas ſuprà poſita; ſi ſic: hoc, vel eſt abſolutum, & ſic redit eadem difficultas; ſi reſpectiuum, ſic habetur intentum: ergo ſicut ponitur ſimultas relatio, poterit & poni ſimilitudo relatio realis.

Confirmatur, quia ſi Deus produceret immediatè Dauid, & Salo-

monem, tunc ex coëxiſtentia durationis poſſent dici Pater, & Filius.

468. Secvnda Conclvsio: Relatio prædicamentalis non eſt aliquid ſuperadditum fundamento ſola ratione ab eo diſtinctum. Eſt S. Bonauent. D. Thom. Scot. contra Henric. *quol.* 9. *quæſt.* 3. Baccon. *lib.* 1. *diſp.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 4. *dub.* 3. Suarez *in M. t. diſp.* 47. *ſect.* 2.

Probatvr primò. Vel relatio habetur in fundamento ad poſitionem termini de nouo, vel ſupponebatur iam in fundamento quoad totum ſuum eſſe; ſi primum; ergo erit vel ſola combinatio extremorum, vel denominatio inde deſumpta, quæ ſuprà ſunt impugnatæ contra Nominales, vel ſupponebatur iam in fundamento quoad totum ſuum eſſe, vel forma aliqua de nouo reſultans in fundamento ad poſitionem temini, quæ eſt noſtra opinio.

Respondent ſupponi in fundamento identificatam ante aduentum termini.

Contra: Ergo relatio non eſt verum accidens; cùm accidens non identificetur cum ſubiecto, & ſemper daretur ante, & poſt exiſtentiam termini, ſemperque actu denominaret ſubiectum relatiuum: cùm effectus formalis denominationis prædicamentalis relationis ſit actu referre ſubiectum: ſicque Petrus albus diceretur ſimilis Paulo nondum albo; Tum etiam quia relatio ſecundùm ſuam rationem ſpecificam non dependeret à termino, vel res dependens exiſteret ſine eo, à quo eſſentialiter dependet.

Respondent negando has ſequelas ex hoc, quod denominatio relatiua pendet à termino, in cuius dicti explicatione variant ſequaces huius Opinionis: præcipui tamen dicunt in fundamento relationem eſſe incompletam, compleri verò per aduentum termini: ita Baccon. Soncin. aliique.

469. Contra, quia per relationem incompletam vel intelligunt ſolam entitatem abſolutam fundamenti, ex qua poſito termino nata eſt reſultare relatio, idque & nos dicimus, ſed ex hoc malè infertur relationem identificari cum fundamento, nam potiùs rectè infertur diſtinctio relationis à fundamento: Vel intelligunt veram formam relatiuam ratione ſolùm, vel intentionaliter diſtinctam ab entitate abſoluta fundamento, ſicque reddit difficultas ſuper alata, ſecluſo enim termino haberetur tota relationis eſſentia, ac proinde actu referret ante exiſtentiam termini; Tum etiam quia adeſt implicantia in hoc dicto, nempè quod adſit entitas relationis in fundamento, & quod ſit neceſſarius terminus ad ipſam complendam; ergo ad conſtituendam eius entitatem non ſolùm requiritur terminus ad denominandum fundamentum relatiuum, ſed & ad conſtituendam ipſam relationem completam: Alij cum Suarez *cit.* dicunt eſſe quidem relationem quoad totum ſuum eſſe in fundamento, ſed requiri tantùm terminum ad hoc, vt fundamentum denominetur relatiuum, ſicque terminus eſt complementum denominationis.

Contra quia in hoc dicto adſunt duo vel implicantia, vel inintelligibilia, nempè vnum, quod detur relatio completa quoad entitatem in fundamento ſine termino, & alterum, quod licèt ſit in fundamento, tamen illud adhuc non denominet: Eſt enim implicatorium, quod adſit forma in ſubiecto, nec illud denominet formaliter, cùm id ſit eius effectus formalis: item quod neceſſarius ſit terminus adhoc, vt illa relatio poſita in fundamento ſecundùm

cundùm ſuam entitatem illud denominet abſque eo, quod importet neceſſariam habitudinem ad ipſum terminum; nam ſi non habet ad terminum neceſſariam connexonem quoad entitatem, quomodo eam habet quoad denominationem?

Respondet Suarez cum aliis talem eſſe naturam connotatiuorum, vt effectus ipſorum non tribuantur à forma informante ſubiectum, niſi ponatur id, quod neceſſariò connotatur; Patet his exemplis: ſi viſio poneretur in lapide, non faceret illum videntem, quia hîc effectus connotat ſubiectum vitale, & negatio viſus in lapide non denominat ipſum cæcum, quia cæcitas connotat aptitudinem ad videndum: & res in primo inſtanti dicitur creari, & non conſeruari, quia creari connotat reſpectum ad non eſſe, & poſt dicitur conſeruari, & non creari, quia conſeruari connotat eſſe præcedens, licèt nihil in vtroque ſenſu deſit ad creationem, & conſeruationem, ſic & relatio ſecundùm ſuum eſſe totale præexiſtit in fundamento, nec illi aliquid deeſt quoad entitatem, ſed quoad denominationem deeſt terminus.

470. Contra hanc doctrinam acriter inuehunt Ouied. *Met. contr. 9. part. 4.* Hurtad. Arriag. & alij, & imprimitò, nam hoc eſt merum effugium, quo poteſt negari etiam vera vnionis diſtinctio inter materiam, & formam, ſi dicatur, quod in materia de ſe exiſtit vnio quoad entitatem, adueniente autem forma, tunc fit ſola denominatio materiæ vnitæ: ſic & quod ſola anima rationalis eſt homo intrinſecè connotando materiam, & vnionem vt purè terminos, & facta diſſolutione animæ à corpore remanere in anima tota entitas hominis licèt non denominatio: Hinc & iſti Authores prorſus ablegant connotatiua à Scholis, & nimis excedenter; nam hæc doctrina de connotatis licèt non ſemper adhiberi debeat, eſt tamen neceſſariiſſima aliquando, & qua ſæpè vtitur S. Doct. maximè in explicandis attributis Diuinis reſpicientibus creaturas, vt prædeſtinatio, creatio, &c.

Hinc contra reſponſionem datam à Suarez inſurgimus ex doctrina Seraphica primò, quia de conceptu relationis intrinſeco eſt dicere, non tantùm *In:* ſed & *Ad:* ergo malè dicitur quoad entitatem eſſe in fundamento, & connotare tantùm veluti ab extrinſeco terminum: Tum ſecundò, quia, vt arguit Mair. vel iſta connotatio eſt idem prorſus cum entitate fundamenti, vel non: ſi primum, ergo deſtructo termino etiam ſtabit denominatio: ſi ſecundùm, ergo idem poterit dici de ipſa relatione: connotatio enim etiam eſt relatio: Tum tertiò, quia effectus formalis proportionatur cauſæ formali, ita quod ſi effectus, ſeu denominatio eſt abſoluta, & cauſa erit abſoluta, ſi eſt connotatiuus, talis erit cauſa; ergo ſi denominatio relatiua, quia eſt effectus connotatiuus, neceſſariò dependet à termino, idem dici debet de relatione: ſcilicet quod ſecundùm ſe ſit cauſa formalis connotatiua; Tum quartò, quia forma relatiua quoad effectum formalem denominandi, & etiam in abſtracto ſecundùm ſuam perfectionem propriam præſcindendo ab effectu formali denominationis non poteſt poni in fundamento, & ibi conſeruari non exiſtente termino; ergo relatio eſt quid diſtinctum ab entitate fundamenti.

Respondent aliqui, quod ante exiſtentiam termini eſt relatio tranſcendentalis; & poſt fit prædicamentalis ſola facta mutatione extrinſeca ex

tali connotatione, & ſecundùm varium modum eſſendi, ſic albedo de ſe eſt aſſimilabilis entitatiuè alteri, adueniente poſteà alio albo dicitur actu aſſimilata abſque eo, quod aliquid intrinſecè ponatur in prima albedine, ſed tantùm extrinſecum complementum: ſic Amicus *tract.* 15. *quæſt.* 5. *dub.* 2.

Contra primò: Impoſſibile eſt, quod relatio tranſcendentalis, quæ realiter eſt cum fundamento identificata, fiat prædicamentalis, & accidentalis, & ab eo diſtinguatur realiter. Tum ſecundò, quia impoſſibile eſt, vt fiat hæc Metamorphoſis abſque mutatione fundamenti, hoc enim priuilegium ſolùm eſt proprium Diuinæ voluntatis, vt potens ad aliquod obiectum terminari, actu terminetur ad illud ſine ſui mutatione.

Circa quam veritatem plurimùm inſudant DD. vt ſaluetur Diuina immutabilitas. Tum tertiò, quia actualis aſſimilatio eſt differens ab aptitudinali; hæc enim eſt tranſcendentalis, actualis verò eſt accidentalis, & in indiuiduo, quæ prius erat in potentia obiectiua, & poſteà fit in actu.

471. Tertia Conclusio: Relatio realis eſt accidens reale realiter diſtinctum à fundamento. Eſt communis D. Bonau. D. Thom. Scot. & aliorum realium.

Probatur primò: Quod eſt realiter exiſtens, & quod non eſt realiter exiſtens, diſtinguuntur pluſquàm per opus intellectus, ſed huiuſmodi ſunt fundamentum, & relatio prædicamentalis: ergo. Probatur minor, quia fundamenta relationum prædicamentalium poſſunt eſſe ſine illis abſque contradictione, poſſunt enim eſſe ſine terminis; ergo & ſine relationibus, vt patet de duobus albis, de cauſa producente, &c. ſolitariè ſumptis; ergo diſtinguuntur realiter.

Respondet Suarez cum aliis negando conſequentiam ex hoc, quod tantùm ammittitur noua denominatio, non autem entitas relationis: ſed

Contra quia, vt vrgent Hurt. Arriag. Meldul. hæc eſt manifeſta petitio principij, dicunt enim hoc album habere totam entitatem ſimilitudinis, vt poſſit dici ſimile alteri albo poſſibili, denominari autem ſimile per exiſtentiam alterius albi, ſed id eſt idem, ac dicere, hoc album non dicitur ſimile, quia non denominatur ſimile.

Respondent alij relationem quidem poſſe ſeparari à fundamento vt ſic, non tamen à fundamento, & termino ſimul: id enim repugnat omninò.

Contra primò: Quia multi ſuſtinent poſſe ſeparari relationem ab extremis ab ipſo Deo, ita vt ſolùm maneant fundamentaliter relatiua. Tum ſecundò, quia inſeparabilitas non eſt ſignum adæquatum identitatis realis: multa enim ſunt inſeparabilia naturaliter, & tamen diſtinguuntur realiter, vt albedo in cygno, nigredo in coruo, ideò hinc non rectè infertur identitas relationis cum fundamento. Tum quia ſignum diſtinctionis realis eſt diuerſa exiſtentia, quam habent fundamentum, terminus, & relatio.

Probatur ſecundò: & confirmatur ſuprà poſita ratio: Idem abſolutum actiui, & paſſiui manet, & quando hæ cauſæ vniuntur, & quando ſeparantur, ſed ſeparatæ non cauſant, vnitæ cauſant realiter, ergo vnio, & ſeparatio eſt aliud ab abſolutis, ſed non eſt abſolutum, ergo relatiuum, ergo etiam quid reale.

472. Probatur tertiò: Impoſſibile eſt ſimul, & ſemel eandem formam remitti, & intendi; remiſſio enim,

Digitized by Google

enim, & intenſio ſunt motus contrarij, ſed relatio poteſt intendi, quando ſuum fundamentum remittitur, & remitti, quando intenditur, ergo relatio, & fundamentum non ſunt vna forma realiter. Patet minor ſuppoſito, quod Petrus ſit albior Paulo, tunc Petrus ſit magis ſimilis Paulo, quando remittitur albedo, & ſi intenditur, fit minùs ſimilis, quia magis recedit à gradu albedinis Pauli; ergo diſtinguitur realiter relatio à fundamento, licèt non ſint ita ſeparabiles, quod ambo in rerum natura exiſtere poſſint.

Et ſi quæras, qualis ſit hæc diſtinctio.

Respondetur ex traditis *in tractatu formalitatum*, eſſe diſtinctionem realem ſimilem modali, ſed tamen eſſe inter rem, & rē habentes propriam exiſtentiam: relatio enim habet ſuam propriam exiſtentiam, cùm ſit terminus licet ſecundarius phyſicæ cauſalitatis, quicquid dicant aliqui Scotiſtæ cum Bordono non recognoſcentibus in relatione propriam exiſtentiam.

Obiicies primò cum Nominalibus ex Ariſtot. 5. *Phyſ. text.* 10. vbi docet ad relationem non dari motum, quia aduenit ſubiecto, ac recedit abſque vlla eius mutatione per ſolam mutationem alterius extremi: Idem & aſſerit D. Anſelmus *in Menolog. c.* 24.

473. Huic obiectioni variè reſpondent DD. & Seraph. Doct. tum *lib.* 1. *diſt.* 30. *dub.* 3. *& diſt.* 33. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *& lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& lib.* 3. *diſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. *& lib.* 3. *diſt.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 5. *& lib.* 4. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* tum *& aliis locis* docet, quod quando relatio eſt potentialis ex parte vnius extremi, tunc introducitur cum mutatione in vtroque extremo, quando verò vnum extremum eſt actu, tunc introducitur relatio per aduentum alterius extremi cum ſola mutatione in nouo adueniente termino, quæ doctrina Seraph. Doct. cauſat maximum ſcrupulum, & dubietatem, nam videtur contrà experientiam; certum enim eſt, quod adueniente termino ad fundamentum, verbi gratiâ, album, tunc de nouo hoc fit ſimile alteri, ergo cum mutatione; aliter enim ſe habet ac prius, vel oportet incidere in Nominaliſmum. Sed reſpondetur cum eodem Seraph. Doct. *loc. cit.* quod per relationem ſemper interuenit in creatis mutatio aliqua ſiue in vno, ſiue in ambobus extremis. Ariſtot. autem *in citat. loc.* conſiderat mutationem, qua ſecundùm ſe aliquid mutatur non ſecundùm accidens, ibique aſſignat, quænam formæ ſint, quæ propria acquiſitione, ac nouitate acquirantur per ſe primò, vt eſt augmentum, intenſio, quantitas, qualitas, vbi, excluditque relationes ab his terminis, quia relationes per ſe non intenduntur, ſed producuntur ſecundariò, & per accidens, ſcilicet ad poſitionem alterius abſoluti poſiti in altero extremorum, & hinc loquendo de mutatione minùs propria negatur relationes non introduci per aliquam mutationem factam in extremis. Tum etiam quia S. Doct. loquitur de mutatione, quæ aduenit in creatura ex aliquo effectu prouueniente à Deo, vt eſt creatio, prædeſtinatio, vnio Verbi cum humanitate, in his enim certum eſt cadere mutationem tantùm in vno extremo.

Instant: In Deo dantur veræ denominationes relatiuæ Creatoris, & Domini abſque vlla nouitate, ergo abſque vlla mutatione introducuntur.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 30. *art.* 1. *q.* 3. negando paritatem de

Digitized by Google

de relationibus Diuinis, & creatis; In Deo veræ relationes fundantur tantùm ſuper originem, & tranſeunt per identificationem in eſſentiam; Creatæ verò fundantur ſuper formam accidentalem, hinc cum dependentia, & nouitate adueniunt, & licèt de nouo denominetur Deus, Creator, id tamen eſt ſecundùm noſtrum modum concipiendi, nam à parte rei dicitur Creator, quia creatura terminat ſuam dependentiam ad ipſum, non è conuersò.

Dices: Si relatio non eſt per ſe intenta ab agente; ergo nec eſt terminus phyſicæ cauſalitatis, ſicque non habebit propriam exiſtentiam, nec diſtinguetur realiter à fundamento.

474. Respondetur negando Conſequentiam: Negamus enim relationes non produci propria productione licèt non per ſe primò, ſed ſecundariò præſuppoſitâ productione fundamenti: Vnde licèt non appareat relationes generari, & corrumpi manentibus extremis, apparet tamen generari, & corrumpi, ſi ad ſolum fundamentum comparentur, in quomodo incipiunt, modo deſinunt, ſicque patet habere propriam exiſtentiam.

Obiicies ſecundò ex Ariſt. 5. *Met. text.* 20. Similia dicuntur ea, quorum qualitas eſt vna, & eiuſdem rationis; ergo talia ſunt abſque aliquo ſuperaddito: Probatur conſequentia, quia ſi daretur talis modus ſuperadditus, non poſſet facere ea ſimilia; ſed ea ſupponeret habentia vnam qualitatem,ergo talis modus ad nihil deſeruit: Idem & dicendum de duabus quantitatibus, & magis vrgetur in relationibus diſquiparantiæ; poſito enim nigro, & albo, non poſſunt fieri diſſimilia per nouum accidens, quia potiùs per relationes fierent ſimilia, vel conuenientia.

Respondetur concedendo illa alba eſſe ſimilia per qualitatem eiuſdem rationis fundamentaliter tantùm, ſecundùm quam rationem ea definiuit, non verò ſecundùm rationem formalem ſimilitudinis, formaliter verò ſunt talia per modum ſuperadditum. Ratio eſt, quia duo alba dicunt duas entitates coexiſtentes, non verò comparationem inter ſe, ſeu habitudinem, cùm ſint abſoluta, ideò exigitur aliquis modus ea reddens relatiua, & licèt Ariſt. ea definierit per fundamentum, non ob id intendit excludere relationem, ſed ea definiuit per fundamenta, quia, vt ait S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vlt.* relatio eſt minimæ entitatis, ob idque minimæ intelligibilitatis, hincque faciliùs definitur, & dignoſcitur per fundamenta: Et ad id de relationibus diſquiparantiæ.

475. Respondetur ex doctrina, quam tradit Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 4. *diſt.* 19. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 1. vbi docet, quod relationis non datur relatio, provt relatio eſt, hinc per diſſimilitudines album, & nigrum dicuntur diſſimilia, licèt vt diſſimilitudines magis conueniant, quàm album, & nigrum, tamen hanc denominationem ipſis non tribuunt, quia proprius effectus earum formalis eſt reddere ea diſſimilia.

Instant. Duæ quantitates dicuntur inæquales ex hoc, quod vna quantitas entitatiuè plures partes includit, quam alia, ergo ad quemcunque modum ſuperadditum antecedenter ſunt tales.

Respondetur, quod ſi quantitates conſiderantur fundamentaliter, ſe ipſis

ipſis ſunt tantæ; tamen ſe ipſis formaliter non inter ſe ſe ordinantur, niſi per relationem inæqualitatis; forma enim abſoluta non poteſt tribuere denominationem relatiuam, ad quam complendam requiritur forma relatiua: Idemque & reſpondetur ſimilibus argumentis de relationibus fundatis in diſtantia differentia, & diuerſitate inter hominem, & æquum &c. licèt enim fundamentaliter ſe ipſis ſint ſubſtantiæ tales, & tales ſic, & ſic habentes diuerſas entitates, formaliter tamen non denominantur tales niſi per relationem, & habitudinem inter ſe.

Instant Nominales; Omnia hæc gratis dicta eſſe, cùm non habeamus vllam experientiam, vel ſenſibilitatem talium relationum, ob idque eſſe potiùs petitionem principij.

476. Respondet S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 27. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. relationes quidem per ſe non eſſe ſenſibiles, ſed tantùm ratione fundamenti: Vnde ſicut videmus effectus quantitatis, & qualitatis, qui à ſubſtantia præſtari non poſſunt, inde arguimus dari formas accidentales à ſubſtantia diſtinctas, ſic & quia videmus dari hunc effectum in rerum natura ſcilicet ordinari aliqua, & vnum habere ordinationem ad aliud præter opus intellectus, qui nequit præſtari ab entibus abſolutis, hinc arguimus dari genus relationum prædicamentalium ab aliis diſtinctum.

Obiicies Tertiò ex poſitione relationum ſequi multa, & maxima inconuenientia, Primò namque ſequeretur immutari totum Orbem ex immutatione vnius digiti ob relationes diſtantiæ, quæ in omnibus entibus diſtantibus cauſarentur ad poſitionem; vel motionem vnius digiti: Secundò, quod agens creatum poſſet agere in quacunque diſtantia, & infinitos effectus. Item & proceſſus daretur in infinitum, nam ſi diſtinctio inter Petrum, & Paulum eſt relatio, hæc debet eſſe diſtincta ab extremis, & iſta ab alia per aliam diſtinctionem, ſicque in infinitum; Tertiò quod pars eſſet æqualis toti, verbi gratiâ, ſi detur quantitas maior, in ea erit relatio ad minorem quantitatem, verbi gratiâ duplum ad ſubduplum, ſicque relatio duplicitatis eſſet in illo ſubduplo, & hoc vel diuiſibiliter, vel indiuiſibiliter; ſi primum, cum partes duplicitatis ſint eiuſdem rationis cum ipſa duplicitate, vt partes albedinis cum ipſa tota albedine, eandem denominationem præbebunt ſingulis partibus, quam tribuit tota duplicitas, quod magis ſequeretur, ſi ſunt indiuiſibiliter, id eſt tota in toto, & tota in qualibet parte; Et hæc ſunt præcipua fundaměta Nominaliũ, quibus facilè tamě doctrina Seraphica occurritur.

Et ad primum inconueniens reſpondetur ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 20. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 44. *quæſt.* 1. *&* 4. quod cùm Mundus factus fuerit cum optimo ordine, ob idque omnia ſunt ſibi inuicem connexa, & ordinata, & ob id & ſubiecta mutationibus maximè impropriis, vt eſt mutatio relationum, quæ non eſt propriè phyſica: Vnde dato, quod totus Mundus immutaretur, hinc non ſequitur vllum inconueniens, nec has relationes portare eſt aſſumere tantùm onus, quale confingunt Nomin. eſt enim tantùm graue onus intellectui craſſo, & hinc quidam argutè appellant hoc argumentum Tribunitium, eo quod conuincat tantùm plebem, & ignaros ſtupentes, dum audiunt ad motum digiti totum orbem immutari, & multò minùs vrget in ſententia Thomiſt. vt aduertunt Complut. hîc non multiplicantes relationes ad multipli-

Digitized by Google

multiplicationem terminorum numericam, quod & verificatur in ſententia D. Bonauent. vt mox ſuo loco patebit.

477. Ad ſecundum inconueniens, ſcilicet quod agens ageret in diſtans ferè in infinitum, occurrunt facilè Thomiſtæ, & alij negantes relationes produci verè, ſed reſultare, & ſolùm concauſari, quod tamen non euacuat difficultatem, nam, vt dicitur in Phyſica, aliquid reſultare ex alio poteſt contingere tripliciter: primò cauſalitate metaphyſica, quatenùs id, quod reſultat, non cauſatur per veram efficientiam, ita quod id, quod reſultat, non diſtinguitur realiter à ſua cauſa, ſed tantùm formaliter, vt ſunt potentiæ ab anima, quæ ſimul cum anima ab agente producuntur abſque ordine cauſati poſterioris ad cauſatum prius: Secundò reſultantia phyſica, ita vt res phyſicè cauſata, licèt realiter ſit diſtincta à ſubiecto, tamen non poteſt impediri à Deo, quin reſultet, non tamen reſultat per alium influxum, & cauſalitatem diſtinctam à fundamento, ſed quatenùs ab ipſo id, quod reſultat, pendet dependentia ſibi identificata realiter, ignis enim actio eſt relatio, cuius propria cauſa eſt Deus, actio verò dicitur cauſata ab igne producente, quatenùs terminat eſſentialem dependentiam actionis, quam dicit ad ipſum, ita quod per illam actionem dicitur formaliter cauſa; vnde talis actio, ſiue relatio exit à fundamento non per alium influxum, & cauſalitatem diſtinctam, ſed immediatè fluit ab ipſo fundamento dependenter ab ipſo non alia dependentia realiter diſtincta; ſed ſibi realiter identificata. De ratione enim cauſalitatis, vel relationis eſt, vt habeat immediatam habitudinem ad id, quod formaliter cauſam denominat, à quo cauſalitas ſua, qua denominatur formaliter cauſans, dicitur habere eſſe non per aliam cauſalitatem, ſed per immediatam terminationem huius in ratione fundamenti. Ratio eſt, quia illa cauſalitas eſt ratio, qua cauſa dicitur cauſans, nec exigit aliam rationem quæ: Et relatio eſt ratio, qua quid dicitur relatiuum non per aliam relationem, non enim in eodem genere datur duplex quo: Et hac ratione cauſantur relationes reſpectu fundamenti, & termini, quatenùs fundamentum, & terminus eas perducendo terminant earum dependentiam, & per ipſas denominatur fundamentum relatiuum, vel cauſans: ſunt enim ratio formalis ipſi fundamento, qua dicitur ad aliud: Tertio reſultantia fit per verum influxum diſtinctum terminantem per veram mutationem ad effectum diſtinctum. Hinc, cùm relationes phyſicè cauſantur, non ſatisfit argumento.

Ferchivs reſpondet, quod relationes cauſantur à Deo ſupplente vices, & defectus naturæ, vel quod Deus ſimul cum fundamento efficiat relationem, & abſolutum recipit illam, idque ſine coëfficientia alterius extremi tanquam cauſæ ſine qua non; & hæc reſponſio fundatur in doctrina Seraphica *lib.* 1. *diſt.* 31. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* vbi docet ſimilitudinem formaliter dicere relationem, cauſaliter qualitatem, ſic æqualitatem formaliter dicere relationem, cauſaliter quantitatem: Idem & dicit *lib.* 3. *diſtinct.* 8. *art.* 2. *q.* 2. *in corp.* ſcilicet relationes ſecundùm rationem ſpecificam cauſari à principio, & ſubiecto. Quare ſequitur, quod cùm fundamentum cauſet in ſeipſo relationem, quæ cùm dicat reſpectum ad terminum, exigit tanquam conditionem ſine qua non ipſum terminum,

Digitized by Google

terminum, nec etiam agens agere dicatur in quodcunque diſtans; & hanc doctrinam confirmant Complut. Meld. Ruu. aliique.

478. Et ad inſtantiam, quia darentur infinitæ relationes actu, quod eſt etiam argumentum Henrici, varij varia reſpondent. Mairon. concedit infinitas relationes actu, quod tamen eſt contra id, quod docent S. Bonauent. D. Thom. & Scot. ſcilicet non poſſe dari infinitum actu naturaliter.

Meldvla negat ſequelam, & hanc rationem affert; quia ſi Petrus refertur ad Paulum per relationem identitatis realem realiter diſtinctam, & diuerſam à Petro, illa diuerſitas, qua eſt diuerſus Petrus à relatione identitatis, cùm non ſit identificata cum Petro, eſt quidem noua relatio, ſed poſteà in hac ſiſtitur, quia ſeipſa eſt diuerſa à Petro, cùm in primis ſit ſtatus ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *quæſt. vltim. ad vltim. & lib.* 1. *diſtinct.* 33. *artic.* 1. *quæſt.* 4. *in corp.* Vnde, vt dicit Tartar. hîc, cùm Petrus non habet quo, ideſt per quod diuerſificetur ab illa diuerſitate per ipſam, & ipſe eſt diuerſus ab illa prima diuerſitate, nec propriè eſt quod, ſed is eſt, quod diuerſitate prima eſt diuerſus ab alia diuerſitate. Quæ reſponſio non adæquatè tollit difficultatem; eſt enim verum, quod cùm Petrus poſſit eſſe ſine hac, & illa diuerſitate, poteſt fundare ſemper nouam, & nouam diuerſitatem à prima diuerſitate.

Qvare meliùs reſpondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſtinct.* 8. *art.* 2. *quæſt.* 2. quod relationes non multiplicantur ad multiplicationem terminorum, vt infrà ad quæſtionem Sextam dicetur: hinc eadem numero diuerſitate Petrus diuerſificatur à quacunque relatione eiuſdem rationis. Vnde Petrus eadem relatione diuerſitatis eſt diuerſus à Leone, ab equo, quia cùm ſit ab eodem principio, & fundamento, habent & vnitatem ſpecificam: Nec hinc poteſt dici Petrus diuerſus ab illa diuerſitate, qua eſt diuerſus à Leone, Equo, &c. quia in primis eſt ſtatus, ſicut vnitas, quæ facit ſubiectum vnum, non dicitur vna: In relationibus enim non datur reflexio, cùm ſint quo, non quod, ſi conſiderentur ſecundùm ſe; ſic ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 33. *quæſt.* 4. *ad* 1.

Ad tertium inconueniens reſpondent Complut. hîc negando ſequelam, quod pars eſſet æqualis toti, nam relatio dupli eſt heterogenea, ſicque non poteſt æqualiter denominare omnes partes ſubdupli, quæ reſponſio tamen à Meldul. rejicitur; eſt enim falſum talem relationem eſſe heterogeneam. Vnde reſpondetur cum Meldul. aliiſque, quod illa relatio eſt accidens diuiſibile habens partes eiuſdem rationis, eſtque extenſum, ſed tamen, quia primò ſibi determinat totum, & non partem, hinc nata eſt denominare tantùm totum vt perfectibile adæquatum, etiam ſi ex conſequenti ſit etiam in partibus, longitudo enim palmaris primò reſpicit totum palmum, ſecundariò verò hanc, & hanc partem bipalmarem, ſic etiam anima informat omnes partes, ſed tamen non denominantur omne animal; ſic & ſuppoſitalitas ſolùm denominat totum, non partes, & tale accidens eſt relatio, quæ doctrina eſt etiam Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 25. *articul.* 1. *quæſt.* 3. *ad vltim. & lib.* 4. *diſtinct.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 3. Vbi docet, quod ternarius eſt in tribus ſimul, & ſimile reſpicit de ſui ratione duo extrema.

Obiiciunt etiam aliud inconueniens, nempè quod poſſint dari duo ſimilia, quæ per potentiam abſolutam poſſint non eſſe ſimilia; Nam cùm ipſa ſint priora, poterit Deus ſuſpendere ſuum concurſum, ne reſultet relatio conſequens, ſicque erunt ſimilia ſine ſimilitudine, vel ſimul ſimilia, & non ſimilia.

479. Respondent communiter Scotiſtæ negando Deum poſſe ſeparare ſimilitudinem à duobus albis; afferuntque varios modos id tuendi, ſcilicet vel quia relationes neceſſaria ſequela reſultant, vel quia Deus tenetur ex neceſſitate ſuppoſitionis concurrere ad naturalem reſultantiam, quæ omnia ſunt effugia, nec adæquatè tollunt vim argumenti, nec ſufficienter oſtendunt Deum non poſſe ſeparare accidens realiter diſtinctum ab alio, nam illæ reſponſiones currunt in rebus, vel quæ licèt ſint priores, eſſentialiter dependent à poſteriori, vt eſt eſſentia, & exiſtentia, vel quæ realiter identificantur: Vnde ex doctrina Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 26. art. 1. quæſt. 2. in corp.* reſpondetur, quod relatio conuenit cum aliis accidentibus in hoc, quod eſt accidens, & ob id importat rationem *In*; diſconuenit, quod habet tale *In* diuerſum ab abſolutis, quod eſſentialiter dicit ordinem ad aliud, ob idque intrinſecè refert ſubiectum ad aliud, hincque licèt accidens abſolutum poſſit eſſe actu abſque inhærentia actuali, relatio verò nequaquàm, cum eius eſſentia ſit actu referre ſubiectum ad aliud, ob idque non poteſt id facere, niſi actu inhæreat: Cùm igitur relatio reſultet ex fundamento per ordinem *Ad*; Impoſſibile eſt ipſam poſſe ſeparari à fundamento: Et ad id, quod Deus poteſt ſuſpendere ſuum concurſum.

Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib. 2. diſtinct. 2. art. 1. quæſt. 1. ad 3.* quod implicat Deum ſuſpendere ſuum concurſum ad reſultantiam ſimilitudinis inter duo alba: Prius enim non poteſt eſſe ſine poſteriori, quando ad poſterius habet neceſſariam ordinationem; ſic duo alba, cùm dicant vnitatem qualitatis, neceſſariam ordinationem habent ad ſimilitudinem ex fundamento reſultantem: Vnde antecedenter ad ipſam ſunt fundamentaliter ſimilia, & poſt formaliter talia, & cùm non exigatur nouus concurſus à productione fundamenti; Hinc Meldul. dicit neceſſariam connexionem extremorum cum relatione prouenire non ab intrinſeca natura ſingulorum ſingillatim, ſed à ſimultate durationis, cui ambo coëxiſtunt.

Obiicies quartò cum Suarez: & Henrico, *Ad vt ad* nullam rationem realem dicit, ergo relatio nihil reale ponit in re. Probatur antecedens, quia *Ad vt Ad*, conuenit vniuocè tam relationi reali, quàm rationis; ergo: Confirmatur, quia *Ad vt Ad*, præſcindit à ratione *In*; ergo vt ſic nihil ponit in re. Probatur antecedens, quia ſi non præſcindit à ratione *In*; ergo in ratione *In* includitur, quod repugnat, Probatur conſequentia, quia relatio vt talis dicit *Ad*.

480. Respondetvr negando Antecedens, & ob id conſequentiam: Ratio enim Ad eſt quid æquiuocum, vel ſaltem analogum ex S. Bonau. nec tamen id obſtat, ſi non competere poteſt ratio, *Ad*, vniuocè relationi rationis, & reali, quin poſſit competere inferioribus ſecundùm rationem communem. Sic canis vt canis non competit ſtellæ, ſed tamen canis ſydereus eſt ſtella, ſic ens vt ens non eſt homo, homo tamen eſt ens: Ad Confirmationem reſpondetur negando antecedens

dens: vnde S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 33. *quaſt.* 1. *ad* 4. docet, quod relationes non ſunt purè aſſiſtentes, licet enim ſint in comparatione, tamen ſunt inſiſtentes non abſolutè, ſed in comparatione ad alterum: Vnde relatio non dicit præcisè *In* nec *Ad*, ſed *In Ad*, ideſt in hoc ad aliud, nam ſi præcindas fundamentum, & accipias in relatione ſolùm terminum, relationem non percipis, quia eſſentialiter exigit vnum, & aliud, illud vt fundamentum, iſtud vt terminum.

Obiicies Quintò: Poſitis duobus extremis abſolutis reſultat ſtatim denominatio relatiua abſque ipſorum mutatione: remanent enim ſimilia; ſic etiam Deus dicitur Creator, & Dominus;

Respondetvr negando antecedens; Et ad id de denominatione relatiua Dei Reſpondet Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 30. *quaſt.* 3. aduenire in creatura relationem nouam ſecundùm rem, & in Deo ſecundùm modum.

Obiicies Sexto: ſi relatio eſſet alia res diſtincta realiter à fundamento, haberet etiam proprium ineſſe ab ipſo fundamento diſtinctum, conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Probatur ſequela maioris; quia omnis res realiter ab alia diſtincta habet etiam eſſe diuerſum; Tum quia cuilibet accidenti diſtincto reſpondet diſtincta inhærentia, ſeu ineſſe in ſubiecto. Probatur Min. genus generaliſſimum eſt ſimpliciter ſimplex, ſed ſi relatio eſt accidens realiter diſtinctum, non erit ſimpliciter ſimplex, quia eſt compoſitum ex *In*, & ex *Ad*, qui ſunt diuerſi, & oppoſiti conceptus, ergo:

481. Respondetvr concedendo ſequelam Maioris, negando Minorem, & ad probationem reſpondetur negando, quod relatio ſit quid conſtans ex duobus conceptibus *In*, & *Ad*, explicatur autem hæc veritas per id, quod dicit S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 12. *quaſt.* 1. de accidente vt ſic, quod neceſſariò importat inhærentiam aptitudinalem ad ineſſe in ſubiecto, quæ eſt modus intrinſecus ipſius, conſequens tamen ad eſſe abſolutum: Relatio verò ex eodem S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quaſt.* 2. conuenit cum cæteris abſolutis accidentibus, quod dicit ordinem ad ſubiectum, per rationem *In*, diſconuenit per id, quod dicit ordinem ad obiectum, ſeu terminum: Vnde eius eſſentia non tantùm dicit aptitudinem ad ineſſe in ſubiecto, vt alia accidentia, ſed neceſſariò importat actu eſſe in ſubiecto non abſolutè, ſed referendo ipſum ad aliud; quare eius ratio formalis ſimplex eſt *In Ad*, ideſt huius ſubiecti ad aliud, ſic negatur Min. & Conſequentia.

Obiicies ſeptimò; ſi relatio diſtinguitur realiter à fundamento, ergo poterit intelligi abſque ipſo, & etiam abſque termino, ſed conſequens eſt falſum: nam relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione ex Ariſt. ergo. Maior Probatur, quia ſicut poteſt effectus intelligi non intellecta cauſa, ſic & quælibet res abſque alia diſparata, ergo. Probatur Minor, quia impoſſibile eſt intelligere relatiua non intellectis extremis, ergo.

Respondetvr negando ſequelam maioris, Ad probationem reſpondetur, quod tunc aliquid poteſt intelligi non intellecta alia re realiter diſtincta, quando illa res eſt obiectum motiuum intellectus, non verò quando eſt terminatiuum tantùm; hæc enim differentia eſt inter obiectum motiuum, & terminatiuum tantùm, quod illud cognoſcitur virtute ſui, quia concur-

Digitized by Google

rit ad ipſam intellectionem; terminatiuum tantùm verò quod virtute alterins tantùm cognoſcitur, vti eſt relatio, quæ non eſt de numero actiuorum. Tum etiam quia poteſt cognoſci vnum abſolutum abſque alio, non verò relatiuum.

482. QVARTA CONCLVSIO: Triplex genus relationum ſpectat ad Prædicamentum hoc relationis, quod aſſignatur ab Ariſtot. 5. *Met. cap.* 15. Primum enim fundatur ſuper vnitatem, & multitudinem ſcilicet vel ſubſtantiæ, eſtque relatio identitatis, diſtinctionis, ſeu diuerſitatis, vel quantitatis, eſtque relatio æqualitatis, & inæqualitatis; vel qualitatis, eſtque ſimilitudinis, & diſſimilitudinis. Secundum ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam, eſtque relatio producentis ad productum. Tertium ſuper menſuram, & menſurabile vt ſcientia ad ſcibile, hæcque non eſt mutua, de quibus infrà ſuo loco dicetur.

QVÆSTIO IV.

An relatio Prædicamentalis conſtituatur per eſſe in, *vel* ad, *vel per vtrumque ſimul, vel vt loquitur S. Doct. An relationes ſint tantùm aſſiſtentes, an etiam inſiſtentes. Ab aliis ſic proponitur. An relatio Prædicamentalis requirat ad ſui eſſe neceſſariam dependentiam à fundamento, & termino.*

CVM relationes ſint accidentia ſuperaddita fundamentis, vt probatum eſt *in præcedent. quæſtione* ob idque provt ſunt accidentia, habeant inhærere in ſubiecto, ſicut habent omnia alia accidentia, & vltra hoc dicant ordinem ad aliud. Quæſtio eſt, an per rationem inſiſtentiæ, ſeu inhæſionis in ſubiecto, vel fundamento. An verò per aſſiſtentiam, ſeu per ordinem ad aliud conſtituantur in eſſe formaliter, & quidditatiuè.

PRIMA opinio eſt aliquorum apud Radam *part.* 1. *contr.* 23. *art.* 3. *in fine* collocantium rationem formalem relationis in habitudine ad fundamentum, non verò in ordine ad terminum.

SECVNDA opinio eſt Thomiſt. aliquorum aſſerentium Prædicamentum relationis eſſe quidem reale, quatenùs dicit *in*: ſed provt dicit eſſe *ad*, eſſe aliquid rationis, à qua non multùm diſtat Suarez *in præcedent. quæſt. cit.* dum ſuſtinet rationem *ad* eſſe quid commune relationi reali, & rationis, & provt eſt relatio realis, non eſſe aliquid diſtinctum à fundamento. Idem & Capreol. *lib.* 1. *diſput.* 33. *quæſt.* 1. Caiet. Soncinas apud Complut. *diſput.* 14. *Log. quæſt.* 1.

TERTIA ſententia eſt communis Thomiſtarum aſſerentium relationem prædicamentalem eſſe quid reale tam ſecundùm rationem *In*, quàm *Ad*, rationemque *in* eſſe communem, & veluti genericam ad relationem, & alia accidentia abſoluta, determinari verò ad eſſe relationis per eſſe *Ad*: Ita Complut. *cit.* aliique ab ipſis allati.

QVARTA opinio eſt communis Scotiſtarum apud Meldul. hîc *num.* 50. aſſerentium rationem *In* eſſe proprietatem tam relationis, quàm aliorum accidentium, ob idque rationem conſtitutiuam relationis eſſe *Ad*.

QVINTA opinio eſt Seraph. Doct. *infrà cit.* vtrumque eſſe rationem conſtitutiuam relationis, non tamen ſumendo

mendo *In*, eo modo, quo ſumitur à Thomiſtis, idem & docet Meldul. *citat. num.* 51. Vtque id eluceſcat.

483. Primò Notandum ex S. D. *lib. 1. diſtinct. 26. articul. 1. quæſt. 2. & diſt. 33. quæſt. 1. & diſtinct. 34. quæſt. 1.* quod relatio in quibuſdam conditionibus conuenit cum aliis prædicamentis, & in quibuſdam differt. Conuenit cum cæteris in hoc, quod eſt genus entis, ſcilicet ab ente immediatè deſcendens, vt euenit in cæteris nouem; conuenit cum aliis octo prædicamentis accidentalibus, quatenùs eſt accidens: Diſconuenit in eo, quod cùm cætera accidentia habeant reſpectum dependentiæ ad ſubiectum, quatenùs dicunt *In*, ideſt inhærentiam ſaltem aptitudinalem, relatio importat reſpectum, & dependentiam ad obiectum, ſeu terminum *In* reſpectu ad ſubiectum facit cum eo compoſitionem, ſicut cætera accidentia, & inhæret in ſubiecto, & ab eo dependet; idque eſt verum de relationibus creatis; nam in Diuinis, cùm abſit dependentia talis ad ſubiectum, hinc non inhærent, ſed tranſeunt per identificationem formalem in ſubſtantiam, cum obiecto autem, ad quod eſt, non facit compoſitionem, ſed realem diſtinctionem ponit inter fundamentum, ſeu ſubiectum, & obiectum, & ob id remanet hæc ratio *Ad* in Diuinis ſecundùm ſuum eſſe formale *lib. 1. diſt. 33. quæſt. 1.*

484. Secvndò Notandum, quod nomine ſubiecti poteſt intelligi vel fundamentum ipſius relationis, vt albedo eſt fundamentum ſimilitudinis, vel ſubiectum, in quo recipitur albedo, vt paries. Vnde ratio *In* ipſius relationis eſt duplex, vna generica, & communis omnibus accidentibus, & per ordinem ad ſubiectum, ſeu ſubſtantiam, & appellatur propriè inhærentia, de qua ſuprà de Prædicamento Accidentis, hæcque, ſi ſumitur radicaliter, eſt ratio generica cuiuſcunque accidentis, quæ poſteà contrahitur per proprias differentias ſpecificas. Altera ratio *In* eiuſdem relationis eſt per ordinem ad fundamentum, quod ordinat ad aliud, & hæc eſt propria tantùm relationis non quidem generica, ſed ſpecifica, nec diſtincta à ratione *Ad*, ſed eſt idem omninò formaliter. Hanc rationem alij appellant vt *in quo*; ſed Scraph. Doct. appellat vt *à quo* ſic *lib. 3. diſt. 8. art. 2. quæſt. 2.* & meliùs, nam à fundamento principaliter deſumit relatio ſuum eſſe ſpecificum, quatenùs principaliter dependet à fundamento, vt à principio proprio. Quare eſſe *In*, accidentis abſoluti, & eſſe *In*, proprium relatiui, differunt per hoc, quod primum poteſt eſſe actu in entibus, & tamen actu non ineſſe in ſubiecto, licèt ſemper aptum ſit ineſſe, vt docet S. Bonauent. *lib. 4. diſt. 12. quæſt. 1.* at accidens relatiuum non poteſt eſſe actu, & actu non ineſſe, quia ex ratione ſua formali eſt huius ſubiecti ad aliud, nam, vt dictum eſt *in quæſt. 1.* eſſentia relationis eſt ipſamet actualis habitudo, non potentialis tantùm, idque etiam verum eſt in relationibus aptitudinalibus, quæ actualiter referunt fundamentum, & ipſum actu denominant relatiuum, dicuntur autem aptitudinales, quia terminus actu non exiſtit, ſic mobilitas actu refert corpus mobile, licèt actu non adſit motus; ſic etiam Suarez *diſput. 47. Metaphyſ. ſect. 5. num. 9.* & Scotus *quolib. 13. in ſolut. ad 1. princip.* Et hinc ſequitur, quod cùm eſſe *In* formaliter ſumptum in relatione ſit extra conceptum accidentis cuiuſcunque, ſed ſit aptitudo, vel actus conſequens, nec etiam ponit compoſitionem in conceptu generaliſſimo accidentis. Prædicata enim

enim primi modi non componuntur ex prædicatis ſecundi modi : at conceptus ſimplex generaliſſimus relationis eſt eſſe in *Ad*, quæ ratio formaliſſimè ſumpta eſt etiam in relationibus Diuinis, & per id intelligitur dictum S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *& diſt.* 26. *quæſt.* 2. quod relationes Diuinæ ſecundùm rationem *In* tranſeunt in eſſentiam Diuinam, non verò ſecundùm rationem *Ad*, idque intelligendum de *In*, quod competit omnibus accidentibus, non de alio *In*, quod eſt proprium relationis, ſcilicet prout dicit ordinem à fundamento proximo ad terminum : hoc enim non importat compoſitionem vllam. His poſitis eſt.

485. Prima Conclvsio : Relatio prædicamentalis, provt dicit ordinem ad ſubiectum, importat communem rationem cum cæteris accidentibus per *In*, ideſt per inhærentiam aptitudinalem. Eſt S. Bonau. *cit.* & communis, & patet ex ſuprà traditis, quia eſt accidens, ergo habet inhærere in ſubiecto, ergo dicit dependentiam ab ipſo ; Tum quia per hanc rationem non differt ab aliis accidentibus à quantitate, qualitate, &c.

Secvnda Conclvsio : Relatio prædicamentalis differt à cæteris accidentibus per aliam rationem *In*, non abſolutè ſumptam, ſed per ordinem ad teminum, & quatenùs eſt vna ratio ſimpliciſſima, ſeu vt loquitur S. Doct. ratio vt à quo, & à fundamento ad terminum, Eſtque S. Doct. & aliquorum Scotiſtarum apud Meldul. *cit.* licèt inter Seraph. Doct. & ipſos ſit diſcrepantia in modo loquendi : &

Probatvr primò : Tum quia relatio eſt habitudo eſſentialiter inter duo extrema, ergo eſſentialiter petit fundari, & terminari, ergo per in *Ad*; Tum quia non minùs implicat relationem eſſe ſine fundamento, à quo oritur, quam ſine termino, ad quem ordinatur, ergo ſi ratio eſſendi *Ad*, eſt eſſentialis relationi, vt relatio eſt, eſt etiam & ratio eſſendi *In*, vel vt à quo ; Tum quia ex Ariſt. diſtinguuntur relationes non ſolùm penes terminum, ſed & fundamentum *lib.* 5. *Met.* Tum quia licèt ratio eſſendi in ſubiecto ſit propria accidentium omnium, tamen ratio eſſendi in fundamento vt à quo eſt tantùm relationum, per hanc enim diſtinguitur ab aliis : tollere enim reſpectum ad terminum ad quem, & ad fundamentum, cuius eſt reſpectus, eſt deſtruere rationem relationum.

486. Obiicies primò Ariſt. ſemper definire relationem per eſſe *Ad* ; ergo hæc ſolùm eſt propria, & conſtitutiua ratio ipſius ;

Respondetvr Ariſt. ſupponere in tali definitione id, quod per ſe eſt notum, ſcilicet eſſe in fundamento, cùm eſſentialiter ſit ordo vnius ad aliud.

Obiicies ſecundò : Quod ſequeretur relationem conſtitui per duplicem habitudinem, ſcilicet ad fundamentum, & ad terminum, ſicque erit non vnum per ſe, ſed per accidens, cùm non ſe habeant vt potentia, & actus.

Respondetvr ex S. Doct. negando ſequelam Maioris ; Nec enim imaginanda eſt duplex habitudo, ſed vna tantùm ſimplex fundata in fundamento, & terminata ad terminum, & vtraque ſcilicet fundatio, & terminatio eſt ei eſſentialis.

Obiicies Tertiò ex Rnu: eſſe *Ad* ſufficienter explicat naturam relationis, ergo hæc ſufficit ; Probatur antecedens, per rationem *Ad* relatio eſt forma relatiua, & conſtituit ſubiectum formaliter relatiuum, ergo.

Respondetvr negando antecedens :

cedens: Ad probationem reſpondetur, per rationem *Ad* reduplicatiuè ſumptum relatio eſt forma relatiua, nego, ſpecificatiuè ſumpta, quatenùs includit reſpectum ad fundamentum à quo, concedo.

INSTAT Ruu. Ergo per rationem *Ad* non diſtinguitur ab aliis accidentibus, quod eſt falſum.

RESPONDETVR diſtingui inadæquatè, non adæquatè.

OBIICIES Quartò; ſi relatio expoſcit vtrumque reſpectum, ſequitur, quod ſit ens per accidens, ſcilicet quid compoſitum ex duplici habitudine *Ad*: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens.

RESPONDETVR negando ſequelam Maioris, vt dictum eſt ſuprà, & licèt per duos reſpectus circunloquamur rationem definitionis, id tamen non eſt, quaſi ſint duæ differentiæ, eſt enim tantùm vna ſimplex habitudo à quo, & ad quem.

OBIICIES Quintò ex Trombeta. Quandocunque aliquod commune diuiditur per duas differentias oppoſitas in eo ſigno, quo vna differentia vnam ſpeciem conſtituit, & alia aliam conſtituit, ſed ens diuiditur per abſolutum, & reſpectiuum tanquam per immediatas differentias, & abſolutum conſtituitur in eſſe per eſſe ad ſe, antequàm inſit alteri: inhærentia enim accidentis eſt quid poſterius ipſa entitate accidentis, ergo & reſpectiuum in eſſe conſtituitur per *Ad*, antequàm intelligatur ineſſe alteri; ergo ratio *In* eſt quid poſterius, ergo intrinſecè non includitur in eius differentia.

487. RESPONDETVR concedendo maiorem, negando Minorem, Nam ens prius diuiditur in eſſe in ſe, & in alio, & hoc poſteà diuiditur in abſolutum & reſpectiuum, & hinc diſtinguo conſequens, ergo & ens relatiuum prius in eſſe per *Ad*, conſtituitur, quàm ſit in alio, ſi *ly in alio* ſumitur radicaliter per ordinem ad ſubiectum inhærentiæ, nego conſequens, nam prius relationi conuenit ratio communis omnium accidentium; ſi *ly in alio* ſumitur pro fundamento, à quo habet eſſe, & eſſentialiter dependet, nego iterum conſequens; ſi ſumitur *ly in alio* per eſſe actu, vel aptitudine in ſubiecto denominato per accidens, ſic concedo conſequens, ſed nihil ad rem: Nam nos loquimur de eſſe in fundamento, vel vt loquitur S. Doct. de eſſe à quo, cùm reſpectus eſſentialiter ſit habitudo inter duo extrema à quo, & ad quem.

CONTRA, Ergo relatio includit duo extrema, & *hoc* eſſentialiter, ſed hoc eſt falſum, ergo. Probatur ſequela Maioris, quia ſi eſſentialiter dicit habitudinem inter fundamentum, & terminum, hæc duo neceſſariò debet includere. Probatur minor, quia ſic relatio includeret ſubſtantiam.

RESPONDETVR, quod eſſe *In*, & *Ad* poteſt dupliciter conſiderari, ſcilicet intrinſecè, & extrinſecè; Primo modo dicit puram habitudinem inter duo extrema; ſecundo modo connotat, non includit extrema, & in primo ſenſu negatur tota argumentatio, in ſecundo conceditur; ſed nihil contra nos.

DICES: Relatio definitur per incluſionem extremorum, ſic relatio eſt habitudo fundamenti ad terminum: ergo intrinſecè includuntur in ea.

488. RESPONDETVR hanc eſſe definitionem per additamentum, quia enim relatio non poteſt eſſe, nec conſeruari niſi ſuppoſitis extremis, hinc etiam ad quietandum intellectum traditur definitio ipſius cum connotatio-

ne vtriuſque extremi, ſed id eſt quid ei extrinſecum, quod cum ipſa cointelligitur.

Ex quibus infertur contra Henric. *quolib. 9. quæſt.* 3. quod relatio non eſt veluti interuallum quoddam inter duo extrema, ita vt vna, & eadem ſit in ambobus extremis inſidens vt in proprio, & adæquato ſubiecto, aliàs eſſet veluti corda nectens extrema, & vnum accidens eſſet ſimul in duobus ſubiectis, immò in pluribus ſcilicet in fundamento, in termino, & in aëre, ſed eſt tantùm in fundamento, quod per relationem reſpicit aliud ſcilicet terminum.

Infertvr ſecundò, quod cùm relatio dicat dependentiam eſſentialem à ſubiecto, & fundamento, hoc ſolùm poteſt eſſe ens reale, & finitum, nam non ens non poteſt fundare propriè relationem actualem, nec item ens infinitum, cùm ſit expers compoſitionis. Et licèt Deus denominetur Creator, Dominus, prædeſtinans in tempore, id euenit, ait S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 30. *per totum, & lib.* 1. *diſt.* 18. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 3. *& lib.* 1. *diſtinct.* 8. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2. *&* 3. quatenùs eſt terminus relationis, quam importat creatura ad Deum; creatio enim dominium, &c. eſt nomen connotatiuum connotans temporale. Hinc Deus dicitur Creator ex tempore ratione dictæ terminationis, per quam non fit mutatio in Deo, ſed in creatura, vt rectè docet *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *quæſt. vltim.* Idemque dicitur de relatione tranſcendentali, quæ de Deo non poteſt verè dici, vt ait S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 33. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. *& diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 6. *& diſt.* 30. *quæſt.* 3. cum communi contra Mairon. *lib.* 1. *diſt.* 30. *quæſt.* 2. nam talis reſpectus vel eſt alius per eſſentiam, vel per comparationem ad aliud, & vtroque modo importat dependentiam à ſubiecto, & à termino, ſicque Deus dependeret à creatura.

QVÆSTIO V.

Examinatur relatio ex parte fundamenti, & ex parte termini per plura quæſita.

489. CVm relatio intrinſecè dependeat à fundamento, & ſubiecto, & termino. Quæritur primò, an ſubiectum proximum, ſeu fundamentum relationis neceſſariò ſit quid abſolutum, & hoc, an ſubſtantia, an accidens, an verò etiam relatio poſſit fundare aliam relationem.

Respondetvr cum communi D. Bonauent. D. Thom. Scot. fundamentum relationis prædicamentalis neceſſariò debere eſſe quid abſolutum vel formaliter, vel æquiualenter. Sic S. D. *lib.* 1. *diſt.* 2. *dub.* 6. *& diſt.* 19. *p.* 1. *dub.* 1. *& q.* 1. *in fund. & lib.* 1. *diſt.* 31. *q.* 2. *& lib.* 4. *diſt.* 1. *dub.* 3. *& lib.* 4. *d.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad vlt.* omnis enim relatio fundatur vel ſuper vnitatem, & multitudinem, vel ſuper originem, & cauſalitatem, vel ſuper dependentiam. Prima ſuper vnitatem, & multitudinem, vel eſt in ſubſtantia, ſicque fundat relationem identitatis ſcilicet vel numericæ, vel ſpecificæ, vel genericæ, item & diſtinctionis, & diuerſitatis; vel ſuper quantitatem, ſicque fundat æqualitatem, & inæqualitatem, vel ſuper qualitatem, ſicque fundat vel ſimilitudinem, vel diſſimilitudinem. Secunda eſt producentis ad productum, & è conuersò, quæ fundatur ſuper potentiam actiuam. Tertia eſt

eſt dependentiæ eſſentialis, quæ fundatur in ipſa entitate creata, hæcque eſt tranſcendentalis, vt ſuprà dictum eſt. Ratio autem, quare relatio exigit fundamentum abſolutum eſt, quia relatio, cùm ſit accidens conſequens ad poſitionem extremorum, hæc debet illud præſupponere in eſſe, ergo ante relationem debet habere eſſe. Tum quia priùs eſt abſolutum, quàm reſpectiuum, quare optimè dixit Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 31. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* quod ſimilitudo formaliter ſumpta eſt relatio, cauſaliter verò eſt qualitas, & æqualitas formaliter eſt relatio, cauſaliter quantitas, & identitas formaliter eſt relatio, cauſaliter eſt & ſubſtantia, ſed fundamentum eſt cauſa relationis coëfficiente Deo, & ſuperueniente termino, ergo antecedenter eſt quid abſolutum. Hic tamen aduerte ex S. Doct. *loc. cit.* quod in ſubſtantiis datur ſimilitudo, & diſſimilitudo, quæ tamen magis propriè appellatur identitas, & diuerſitas: ſimilitudo enim eſt vel per proprietatem accidentalem vnius rationis, vel per vnius naturæ participationem, *lib.* 4. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *dub.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 19. *cit.*

490. Secvndò: Quæritur, an fundamentum ita debeat eſſe abſolutum, vt nunquàm poſſit eſſe relatiuum, vel relatio.

Respondetvr, quod neceſſariò fundamentum debet eſſe quid abſolutum vel formaliter, vel æquiualenter. Vnde relatio non vt relatio, ſed provt æquiualenter eſt quid abſolutum, poteſt fundare aliam relationem. Eſt S. Bonauent. *loc. cit. lib.* 4. *diſt.* 1. & *diſt.* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 18. *cit.* Scot. aliorumque plurium apud Meldul. *hîc num.* 68. contra D.Thom. & Thomiſt. Complut. alioſque id negantes.

Vt autem id intelligatur aduertendũ, quod res poſſunt habere plures formalitates, & poſſunt ſecundùm vnum reſpectum habere vnam rationem, & ſecundùm alium aliam, ſic aliquid poteſt eſſe vt quo ſecundùm ſe, & per reſpectum ad ſuum quod, & ſecundùm alium reſpectum eſſe in alio genere vt quod, ſic differentia eſt quo per ordinem ad genus, & ad ſpeciem, & per ordinem ad inferiora eſt quod, ſcilicet id, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, vel numero, ſic & ſuo modo relatio comparata ad ſuum oppoſitum terminum ſeipſa eſt quo, ideſt id, quo aliquid refertur ad aliud, nec indiget alio quo, vt Pater paternitate refertur ad Filium; at comparata ad aliquid diſparatum, verbi gratiâ, paternitas ad aliam paternitatem, vel ad filiationem ſeipſa non refertur, nec eſt quo, ſed indiget alio quo ſcilicet alia relatione, v.g. ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, ſicque tunc induit rationem quod, & eſt vt ens omninò diſparatum, & æquiualenter quid abſolutum. Sicque explicatur illa propoſitio Ariſtotelis, quod motus non eſt motus, nec relatio relationis, aliàs abiretur in infinitum.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 18. *cit.* quod motus non eſt motus, nec relationis relatio, provt eſt motus, & relatio, ideſt provt dicit quo, ſed provt dicit principium, & quod diſparatum, motus eſt principium motus, & relatio principium relationis.

Hinc Reſpondetur, quod vna relatio non vt relatio eſt, ſed vt eſt quod, & ſecundùm aliam rationem, & per ordinem ad aliud ſibi non oppoſitum, ſeu diſparatum, ob idque vt æquiualenter abſolutum, vel ens diſparatum poteſt fundare aliam relationem.

Probatvr à Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 1. *p.* 1. *dub.* 3. quia ſimilitudo eſt

ſic relatio reſpectu termini eſt ratio referendi, reſpectu tamen extranei, ac diſparati, & vt eſt quoddam ens reale, poteſt dici referri, quia reſpectu illius non habet rationem relationis, ſed entis cuiuſdam diſparati. Sic negatur conſequentia.

Obiicies quartò, quia daretur proceſſus in infinitum; ſi enim paternitas ad aliam comparata fundat relationem ſimilitudinis, & è contrà, hæc vtique ſimilitudo ad aliam fundabit aliam ſimilitudinem, & è contrà, ſicque & iſtæ duæ duas alias, & ſic in infinitum.

Respondetvr aliquos admittere talem proceſſum abſque eo, quod exiſtiment id inconueniens, alij alias reſponſiones afferunt, quæ tamen non euacuant, nec tollunt difficultates, vt videre eſt apud Meldul. *diſp.*8.*num.*75. S. Doct. *lib.* 4. *diſt.*19. *art.*3. *quaſt.* 2. *ad* 1. docet, quod relationisnon datur relatio, prout relatio formaliter ſumitur, ſed benè prout ſumitur ſecundùm alium reſpectum, & vt eſt principium, ſeu fundamentum alterius comparationis, & poſteà *lib.* 1. *diſtinct.*33. *quaſt. vltim. ad* 1. notat, quod relatio, vt relatio eſt, & vt dicit rationem referendi, reflexa ſupra abſolutum non poteſt multiplicari, quia in eo eſt ſtatus, abſolutum enim reſpectui dat fundamentum, & reſpectus fundamento dat complementum, ſcilicet eſſe ad aliud, reſpectus enim reflexus ſuper ſe, quia vterque dicit comparationem ad alterum, ideſt quia vterque dicit eandem rationem fundandi, vnus non poteſt dare alteri fundamentum, nec complementum, ideò non poteſt reflecti, ſed ibi eſt ſtatus, vnde non dicitur relatio eſt relatiua. Idem & *lib.* 1. *diſt.* 30. *dub.* 4.

Addit tamen *lib.* 1. *diſtinct.* 28. *quaſt.* 1. *ad vltim.* id eſſe intelligendum de relatione, vt relatio eſt, & vt dicit quo, non vt eſt principium, & quod, & vt fundamentum alterius comparationis.

493. Ex quibus ſequitur, quod vt dicit Scot. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *quaſt.* 5. *ad* 3. & Meldul. *citat.* quod hinc non infertur proceſſus in infinitum, vt ſuprà dictum eſt, *in præcedenti quaſt.* quia datur ſtatus in ea relatione, cum qua cæteræ, quæ concipiuntur conſurgere, conueniunt in ratione fundandi, & in ratione referendi, verbi gratiâ, duæ paternitates fundant ſimilitudinem mutuam, & ſi hæc conferatur cum alia duarum paternitatum, tunc iſtæ duæ ſimilitudines nullam aliam poſſunt fundare, cùm ſint tantùm quo, non quod, ideſt ſeipſis ſimiles, non per aliam ſuperadditam, quia ſi vltrà pergas, ſemper inuenies eandem rationem fundandi, ſcilicet conuenientiam, & rationem eandem referendi, & terminandi ſcilicet vt ſimile; & ratio eſt, quia in qualibet denominatione deueniendum eſt ad aliquid, quod in alio ordine ſit ita quo, vt nequeat eſſe quod, vt albedo non poteſt eſſe alba; ſic Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 33. *quaſt.* 4. Sic & in propoſito ſiſtendum eſt ſemper in illis relationibus, quæ dicuntur ad aliud per denominationem eiuſdem rationis cum illa, quam intrinſecè ſecum afferunt, vt dum ſimilitudo dicitur ſimilis, diuerſitas diuerſa, quia ad ſuſcipiendas has denominationes non indigent relatione realiter diſtincta, ſed ad ſummum formaliter; tollitur etiam hæc difficultas per id, quod infrà probabitur, dicendo, quod relationes non multiplicantur ad multiplicationem terminorum, de quo infrà ſuo loco.

Digitized by Google

494. Instat Auuerſa contra Scotum, & Scotiſt. Similitudo reſpicit de ſe ſuum terminum oppoſitum, ipſumque afficit, non autem diſparatum, vt ſimilitudo vnius paternitatis comparatæ cum alia, ſicque poterit dici ſimilis illi oppoſitæ; ergo talis non poterit dici, ſi comparetur alteri diſparatæ, & fundatæ in alio termino diſparato, vt verbi gratiâ ſimilitudo duarum paternitatum comparata cum ſimilitudine duorum alborum, vel etiam duarum aliarum paternitatum; ergò indigebit alia relatione. Probatur Conſequentia, quia per Scotum relationes multiplicantur ad multiplicationem terminorum; Tum quia deſtructis terminis diſparatis, tunc non ampliùs dicuntur illæ duæ paternitates ſimiles duobus aliis albis, vel duabus aliis paternitatibus deſtructis; ergo non ſeipſis, ſed per ſuperadditam paternitatem dicebantur ſimiles.

Respondetvr concedendo antecedens, quando denominationes ſunt diuerſæ rationis ad teminos diuerſos, quia ſic habent rationem quod; negando, quando eſt denominatio eiuſdem rationis; relatio enim ſeipſa eſt ſemper in eodem genere ratio referendi, & ita ratio quo, quod non poteſt eſſe ratio quod. Et ad probationem, quod ad multiplicationem terminorum multiplicantur relationes: Nos ex Seraph. Doct. negamus hanc propoſitionem: Scotiſtæ reſpondent concedendo talem multiplicationem terminorum, multiplicantur relationes in fundamento abſoluto, non in relatiuo: quæ reſponſio, an ſatisfaciat dubitationi, ipſi videant; eſt enim valdè dubium, & de hoc poteſt videri Meldul. *diſput.* 8. *quaſt.* 6. *art.* 2. *ad* 3. *confirmat.* 4. *argum. princip.* Et ad confirmationem Reſpondetur concedendo, quod deſtructis aliis duabus paternitatibus diſparatis non ampliùs priores dicuntur ſimiles, ſed negando ipſas appellari ſimiles per aliam ſimilitudinem, nam ita ſunt quod, vt etiam ſunt ſeipſis quo, ob idque ſecum afferunt intrinſecè formales denominationes, quod non euenit in fundamentis abſolutis, quæ ſunt ita quod, vt indigeant quo, ad hoc vt denominentur relatiua.

Instat iterum Auuerſa. Non poteſt euitari proceſſus in infinitum ex denominatione diuerſæ rationis ab illa relatione, cui tribuitur, vt paternitas eſt ſimilis alteri paternitati, & hæc ſimilitudo eſt diſſimilis aliis rebus, & hæc diſſimilitudo eſt ſimilis alteri diſſimilitudini; ergo per ſimilitudinem, quæ erit diſſimilis aliis rebus, & ſic deinceps trahendo de vna in aliam denominationem.

495. Respondet Meldul. *hic num.* 77. ſimilitudinem, quæ denominat paternitatem ſimilem, ſufficere etiam ad denominandam ſimilem diſſimilitudinem in ipſa fundatam. Vnde ſimilitudo, quæ veluti mediat inter paternitatem, in qua fundatur, & diſſimilitudinem, quam fundat, ſufficiens eſt ad vtramque denominandam; & ratio eſt, quia & forma in ſubiectum, & ſubiectum in formam deriuare denominationem poteſt; Sic enim dicitur quantitas eſt alba, & albedo eſt quanta ex hoc, quod quantitas mediat in ratione ſubiecti inter ſubſtantiam, & qualitatem, de quo Meldul. *in Phyſ. diſp.* 3. *quaſt.* 3. *art.* 2. *num.* 34. *&* 37. Sic & in propoſito ſimilitudo fundatur in paternitate, & fundat diſſimilitudinem, ſufficienter denominat ſimilem paternitatem, & diſſimilem ſecundùm diuerſas rationes, illam quidem in ratione formæ iſtam in ratione ſubiecti, vel fundamenti, & vt quid medians

inter

inter vtramque, qua reſponſione datà Meldul. fatetur non videre aliam magis adæquatam euadendi proceſſum in infinitum: ſed vide *infrà ad num.* 516. vbi tangitur & ſoluitur hìc nodus.

DICES: Si ſimilitudo, & diſſimilitudo differunt ſpecie, quomodo poſſunt per eandem relationem ſpecificam referri.

RESPONDETVR eſſe quidem formaliter vnam ſpecie, ſed virtualiter eſſe duplicem, & eidem poſſe diuerſa competere ſecundùm diuerſas rationes, ſcilicet in ratione ſubiecti, & formæ, vt dictum eſt, nempè vt dicit S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 18. *cit.* in ratione principij, & in ratione formæ, ſeu relationis. Quare ſtat Concluſio, quod relatio vt relatio eſt, vt quo, & vt forma, & vt ſic non poteſt denominare ſeipſam, ſed tantùm vt quod, & vt habet rationem ſuppoſiti, ſic *lib.* 1. *diſt.* 33. *quæſt.* 4. *in corp. & ad* 1. *& diſt.* 30. *dub.* 4.

496. TERTIÒ Quæritur; An ad relationem prædicamentalem requiratur aliqua diſtinctio inter fundamentum, & terminum, & qualis.

ALIQVI negant requiri vllam diſtinctionem, nam idem ad ſe ipſum realiter poteſt referri: Alij admittunt diſtinctionem formalem ex natura rei ſufficere, nam idem ad ſeipſum poteſt referri ſub diuerſis formalitatibus, vt dum quis mouet ſeipſum.

COMMVNIS Opinio D. Bonauent. Scot. & aliorum eſt, quod ad relationem propriè, & rigoroſè dictam requiratur diſtinctio realis inter extrema realia: Probat autem Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 9. *art.* 1. *quæſt.* 2. ex hoc, quod vbi eſt relatio, ibi eſt ordo vnius ad aliud, quia nihil ad ſe refertur, & ordinatur; ergo neceſſariò ibi eſt diſtinctio realis inter ordinata. Et hinc ex oppoſitione relatiua Theologi colligunt diſtinctionem perſonarum realem in Diuinis; Tum quia idem non poteſt eſſe ſimul ſubiectum relationis, & terminus; ſunt enim diuerſæ rationes reales: Vide S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 31. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *&* 3. Vt autem intelligatur ſenſus Seraph. Doct.

NOTANDVM id, quod tradit Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 30. *art.* 1. *quæſt.* 3. nempè triplex genus relationis poſſe excogitari: Primum eſt, quod fundatur ſuper dependentiam eſſentialem, vt relatio creaturæ ad Creatorem: ſecundum eſt eorum, quæ dicunt ſolam originationem; Tertium eſt eorum, quæ dicunt dependentiam accidentalem, vel quæ fundantur ſuper proprietatem accidentalem, quam tamen S. Doct. ponit primo loco, & ſecundam tertio loco: primi generis relationes non differunt realiter à fundamento ex hoc, quod fundamentum eſſentialiter dependet à termino, taliſque eſt in omni effectu per ordinem ad cauſas intrinſecas, vt in toto per ordinem ad materiam, & formam, & per ordinem ad primam cauſam extrinſecam in omni re creata; ſic S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 4. Secundum genus propriè eſt tantùm in Diuinis, ſed tales relationes, provt dicunt cauſationem cauſæ, & productionem veram effectus, ſunt etiam in creaturis, & iſtæ ambæ neceſſariò important diſtinctionem realem inter fundamentum, & terminum: Tertium genus verò licèt communiter importet diſtinctionem realem inter extrema, attamen non poteſt negari, quin etiam idem poſſit in ſeipſo cauſare perfectionem accidentalem, vt mouendo ſe ipſum, & voluntas volendo, & intellectus intelligendo, ſic Petrus ſenex differt à ſeipſo puero, & poteſt etiam dici ſibi ſimilis *lib.* 1.

lib. 1. *diſt.* 31. *part.* 1. *dub.* 2. Attamen, vt ait Seraph. Doct. tales relationes non ſunt verè, & in toto rigore relationes, nam relatio de ſui natura importat ordinem, & diſtinctionem inter extrema, ſic *lib.* 1. *diſt.* 9. *quæſt.* 2. quare loquendo de qualecunque relatione poteſt etiam verſari inter diſtincta formaliter tantùm, quatenùs importatur per varias formalitates aliquis ordo.

497. Qvartò Quæritur: An ratio fundandi ad hoc, vt multiplicentur relationes, debeat eſſe diuerſa in fundamentis, vt ſi Deus poneret eandem albedinem numero in Petro, & Paulo, an ſufficeret ad multiplicandam ſimilitudinem, ſeu ad conſtituendam ſimilitudinem veram inter ipſos: Hic autem ſumitur ratio fundandi pro fundamento proximo relationis, verbi gratiâ ſimilitudinis, quæ remotè inhæſiuè eſt in ſubiecto, proximè verò fundatur in qualitate, eiuſque ratio, quare eſt fundamentum, eſt vnitas, & conuenientia, verbi gratiâ albedinis duorum extremorum.

Thomistæ negant tunc ineſſe veram ſimilitudinem, veramque relationem, ſed tantùm eſſe rationis; ſic D. Thom. *part.* 1. *quæſt.* 42. *art.* 1. & alij ſeq. communiter, & ob hanc rationem in Diuinis negant æqualitatem eſſe relationem realem inter Diuinas perſonas, quia eadem eſſentia eſt in tribus.

Affirmant ex oppoſito Scot. *lib.* 1. *diſt.* 31. *& quol.* 6. & Scotiſt. quibus præiuit S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 31. *part.* 1. *per totam præcipuè quæſt.* 2. qui *ad* 3. affert pulcherrimam hanc doctrinam dicens, quod quædam dicuntur ſecundùm relationem, quæ ſunt diſtinctiua relatorum, vt Pater, & Filius, & talia important reſpectum diſtinguentem, & diſtinctionem vt exercitam, ſic Pater paternitate diſtinguitur à Filio; Quædam ſunt relatiua diſtinctorum vt ſimilis, æqualis, & alia important reſpectum conſequentem ad diſtinctionem, & dicitur diſtinctio vt concepta, prima dicitur exercita, ideſt actu faciens diſtinctionem, ſecunda concepta, ideſt conſequens ad præcedentem diſtinctionem, vt diximus de mente Seraph. Doct. *in tract. formalit. ad quæſt.* 6. *in fine.*

498. Cvm igitur in creatis omnis relatio conſequatur poſitionem extremorum, & ſuppoſitorum habentium in ſe rationem fundandi relationem, dummodò ipſa ſint realiter diſtincta, hinc ſequitur, quod in tali caſu eſſet vera ſimilitudo, licèt cauſaliter proueniret ab eadem cauſa: Probatur ex eodem Seraph. Doct. *ibid.* quia relatio formaliter eſt ordo inter extrema cauſata ab vnitate vel eſſentiæ, vel formæ in pluribus ſuppoſitis exiſtentis, ſed ad id ſufficit vnitas ſpecifica, ergo multò magis & numerica. Probatur Conſequentia, quia quò maior vnitas, eò maior ſimilitudo, & æqualitas; Tum quia relatio denominat fundamenta, non ipſam rationem fundandi, ergo licèt vna numero ſit ratio fundandi, dummodò extrema ſint diſtincta, hæc ſufficit ad ſuum effectum producendum. Confirmatur ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 4. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 9. *dub.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *dub.* 3. quia nomen concretum adiectiuum, cùm dicat formam per modum adiacentis in ſubiecto, & ab ipſo determinatur ob effectum formalem, quem ei tribuit, ergo cùm ſit multiplex determinatio ex multiplici ſubiecto, multiplex etiam erit denominatio, & relatio.

Respondet Cajet. in tali caſu extrema

extrema dici ſimilia fundamentaliter tantùm ob ipſorum diſtinctionem, non formaliter, quia non adeſt diuerſa ratio fundandi.

Contra; quia ex Ariſt. 5. *Met. text.* 20. Relationes maximè primi modi exigunt vnitatem in ratione fundandi, non verò diſtinctionem, & pluralitatem niſi in extremis: Tum quia ſi inter producens, & productum, licèt ſit eadem ratio fundandi paternitatem in Diuinis ſcilicet potentia generatiua, adeſt vera relatio, ergo & inter ſimilia, & æqualia: Tum quia in tali caſu inſunt duo effectus formales à parte rei diſtincti in duobus extremis prouenientes ab eadem forma; Tum quia ſunt duo ſubiecta denominata, & denominantia ipſam rationem referendi diuerſis determinationibus; ergo & per diuerſas relationes: Hincque illæ duæ præſentiæ multiplicatæ in D. Antonio, dum erat ſimul in Italia, & Vlyſipone, erant ſimiles, &c.

Obicies primò: Intantùm extrema referuntur, inquantùm habent quo, & rationem fundandi relationem; ergo ea, quæ primò referuntur, ſunt fundamenta proxima, ſed hoc eſt ipſa ratio fundandi, verbi gratiâ, albedo, ergo ſi eſt vnica numero, non poterit tribuere effectum formalem pluribus extremis, ſcilicet referri. Probatur Conſequentia, quia vbi non adeſt ratio formalis, ibi non poteſt eſſe effectus formalis, ergo vbi adeſt vnica ratio formalis, ibi erit vnicus effectus formalis.

499. Respondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 19. *part.* 2. *quæſt. vlt.* concedendo Maiorem, & Minorem, & negando vltimam Conſequentiam; Ad probationem reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens: ſi eſt vnica ratio formalis, & etiam vnicum quod, concedo, ſi eſt multiplex quod, nego; nam ad multiplicationem ipſius quod eſt, neceſſariò debet multiplicari, ſeu communicari ipſum quo; ideſt effectus formalis: Et patet in Diuinis, ait S. Doct. quia licèt ipſum quo non ſit multiplicabile, eſt tamen communicabile pluribus, ob idque non impedit, quin plurificetur ipſum quod: Et hæc quoad fundamentum; quo ad terminum autem. Hinc

500. Quintò Quæritur, an neceſſariò Relatio realis petat terminum realem, & actu exiſtentem: & Quæſtio eſt, an cùm neceſſariò relatio reſpiciat terminum, iſte terminus neceſſariò debeat eſſe realis, & actu exiſtens.

Respondetur primò, Quod Relatio tranſcendentalis poteſt terminare ad terminum etiam actu non exiſtentem, idque patet manifeſtis exemplis, nam effectus dicit dependentiam eſſentialem ad ſuam cauſam actu etiam non exiſtentem; materia ad formam actu non exiſtentem, ſed ſolùm poſſibilem, ſufficit enim diuerſitas eſſentiæ in termino.

Respondetur ſecundò dari etiam relationes habentes eſſe poſſibile tantùm, vel habentes terminum in habitu tantùm, vt ab æterno Deus dicebatur Creator, Dominus ante creationem, ſic S. Bonau. *lib.* 1. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *quæſt.* 3. *ad* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. In quo caſu tamen relatio propriè non eſt actualis; Vnde reducitur quæſtio ad relationem actu exiſtentem, an requirat terminum actu exiſtentem: Hinc ad relationem actualem.

Respondetur Tertiò requiri extrema actu exiſtentia, ſic S. Bonauent. *cit.* cum communi D. Thom. Scot. & ſeq. Ratio eſt, quia, vt ſuprà di-

494. Instat A[illegible]
tum, & Scotiſt. Si[illegible]
ſe ſuum terminum o[illegible]
que afficit, non aute[illegible]
ſimilitudo vnius pate[illegible]
cum alia, ſicque p[illegible]
illi oppoſitæ; ergo ta[illegible]
ci, ſi comparetur alt[illegible]
fundatæ in alio term[illegible]
verbi gratiâ ſimilitu[illegible]
nitatum comparata c[illegible]
duorum alborum, v[illegible]
aliarum paternitatum[illegible]
alia relatione. Probatu[illegible]
quia per Scotum rela[illegible]
cantur ad multiplicat[illegible]
rum; Tum quia deſt[illegible]
diſparatis, tunc non a[illegible]
illæ duæ paternitates[illegible]
aliis albis, vel duabus[illegible]
tibus deſtructis; ergo n[illegible]
per ſuperadditam paternit[illegible]
tur ſimiles.

Respondetur con[illegible]
cedens, quando denomina[illegible]
uerſæ rationis ad temin[illegible]
quia ſic habent rationem q[illegible]
do, quando eſt denomin[illegible]
rationis; relatio enim ſeip[illegible]
in eodem genere ratio refe[illegible]
ratio quo, quod non pote[illegible]
quod. Et ad probationem[illegible]
multiplicationem termino[illegible]
plicantur relationes: Nos[illegible]
Doct. negamus hanc pro[illegible]
Scotiſtæ reſpondent conced[illegible]
multiplicationem terminor[illegible]
plicantur relationes in fund[illegible]
ſoluto, non in relatiuo: qu[illegible]
an ſatisfaciat dubitationi, ip[illegible]
eſt enim valdè dubium, & [illegible]
teſt videri Meldul. *diſput.* S[illegible]
art. 2. *ad* 3. *confirmat.* 4. *ar*[illegible]
cap. Et ad confirmationem R[illegible]
tur concedendo, quod deſtru[illegible]

lib. 1. *diſt.* 31. *part.* 1. *dub.* 2. Atta[illegible] [illegible], vt ait Seraph. Doct. tales rela[illegible] [illegible] non ſunt verè, & in toto rigo[illegible] [illegible] relationes, nam relatio de ſui ra[illegible] [illegible] importat ordinem, & diſtinctio[illegible] [illegible] inter extrema, ſic *lib.* 1. *diſt.* 9. *quæſt.* 2. quare loquendo de qualecunque relatione poteſt etiam veriari inter diſtincta formaliter tantùm, quatenus importatur per varias formalitates aliquis ordo.

497. Quartò Quæritur: An ratio fundandi ad hoc, vt multiplicentur relationes, debeat eſſe diverſa in fundamentis, vt ſi Deus poneret eandem albedinem numero in Petro, & Paulo, [illegible] ſufficeret ad multiplicandam ſimi[illegible] [illegible], ſeu ad conſtituendam ſimi[illegible] [illegible] veram inter ipſos: Hic au[illegible] [illegible] ratio fundandi pro fundamento proximo relationis, verbi gratiâ [illegible], quæ remotè inhæsivè eſt in ſubiecto, proximè verò fundatur in qualitate, cuiuſque ratio, quæ eſt fundamentum, eſt vnitas, & conuenientia, verbi gratiâ albedinis duorum extremorum.

Thomistæ negant tunc ineſſe veram ſimilitudinem, veramque relationem, ſed tantùm eſſe rationis, ſic D. Thom. *part.* 1. *quæſt.* 42. *art.* 1. & alij [illegible] communiter, & ob hanc rationem in Diuinis negant æqualitatem eſſe relationem realem inter Diuinas perſonas, quia eadem eſſentia eſt in [illegible] [illegible].

Affirmant ex oppoſito Scot. *lib.* 1. *diſt.* 31. *quæſt.* 6. & Scotiſt. qui[illegible] [illegible] S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 31. [illegible] *quæſt.* 2. qui [illegible] *ad* 3. [illegible] pulcherrimam hanc doctrinam [illegible] quod quædam dicuntur [illegible] relationes, quæ ſunt di[illegible] [illegible], vt Pater, & Filius, [illegible] importat reſpectum diſtin[illegible]guentem, & diſtinctionem [illegible], ſic Pater paternitate diſtinguitur [illegible] Filio; Quædam ſunt rela[illegible] [illegible] vt ſimilis, æqualis [illegible] portant reſpectum conſequentem ad diſtinctionem, & dicit [illegible] vt concepta, prima [illegible], ideſt actu faciens diſtinctionem [illegible] da concepta, ideſt conſequentem [illegible] cedentem diſtinctionem, [illegible] de mente Seraph. Doct. [illegible] *malit. ad quæſt.* 6. *in fin.*

498. Cum igitur [illegible] relatio conſequatur [illegible] morum, & ſuppoſitione [illegible] in ſe rationem fundandi [illegible], dummodò ipſa ſint [illegible] hinc ſequitur, quod [illegible] vera ſimilitudo, licèt [illegible] veniret ab eadem [illegible] dem Seraph. Doct. [illegible] formaliter eſt ordo [illegible] ſata ab vnitate vel [illegible] in pluribus ſuppoſitis [illegible] id ſufficit vnitas ſpecifica [illegible] magis & numerica [illegible] quentia, quia [illegible] maior ſimilitudo, [illegible] quia relatio denominat [illegible] non ipſam rationem [illegible] licèt vna numero [illegible] dummodò extrema [illegible] ſufficit ad ſuum [illegible] dum. Confirmatur [illegible] *lib.* 1. *diſt.* 4. [illegible] *dub.* 2. & *lib.* 1. [illegible] quia nomen [illegible] cùm dicat for[illegible] tis in ſubiecto [illegible] minatur ob [illegible] ei tribuit, [illegible] determinatio [illegible] multiplex [illegible] relatio.

Respondes [illegible]

dici ſimilia fundamentaliter
ob ipſorum diſtinctionem, non
er, quia non adeſt diuerſa ra-
ndi.

TRA; quia ex Ariſt. 5. *Met.*
Relationes maxime primi mo-
nt vnitatem in ratione fundan-
verò diſtinctionem, & plu-
niſi in extremis: Tum quia
producens, & productum,
eadem ratio fundandi paterni-
Diuinis ſcilicet potentia ge-
adeſt vera relatio, ergo &
ia, & æqualia: Tum quia
inſunt duo effectus forma-
rei diſtincti in duobus ex-
uenientes ab eadem forma;
ſunt duo ſubiecta denomi-
nominantia ipſam rationem
uerſis determinationibus;
diuerſas relationes: Hinc
præſentiæ multiplicatæ in
um erat ſimul in Italia, &
nt ſimiles, &c.

primò: Intantùm extre-
, inquantùm habent
m fundandi relationem;
rimò referuntur, ſunt
xima, ſed hoc eſt ipſa
verbi gratiâ, albedo,
numero, non poterit
m formalem pluribus
cet referri. Probatur
quia vbi non adeſt ra-
non poteſt eſſe effectus
i adeſt vnica ratio for-
vnicus effectus for-

NDETVR ex Seraph.
9. *part.* 2. *quæſt. vlt.*
rem, & Minorem,
m Conſequentiam;
ſpondetur conceden-
diſtinguendo conſe-
ratio formalis, &

...uctro Philoſ. P.I.

etiam vnicum quod, concedo, ſi eſt multiplex quod, nego; nam ad multiplicationem ipſius quod eſt, neceſſariò debet multiplicari, ſeu communicari ipſum quo; ideſt effectus formalis: Et patet in Diuinis, ait S. Doct. quia licet ipſum quo non ſit multiplicabile, eſt tamen communicabile pluribus, ob idque non impedit, quin plurificetur ipſum quod: Et hæc quoad fundamentum; quo ad terminum autem. Hinc

500. QVINTÒ Quæritur, an neceſſariò Relatio realis petat terminum realem, & actu exiſtentem: & Quæſtio eſt, an cum neceſſariò relatio reſpiciat terminum, iſte terminus neceſſariò debeat eſſe realis, & actu exiſtens.

RESPONDETVR primò, Quod Relatio tranſcendentalis poteſt terminare ad terminum etiam actu non exiſtentem, idque patet manifeſtis exemplis, nam effectus dicit dependentiam eſſentialem ad ſuam cauſam actu etiam non exiſtentem; materia ad formam actu non exiſtentem, ſed ſolùm poſſibilem, ſufficit enim diuerſitas eſſentiæ in termino.

RESPONDETVR ſecundò dari etiam relationes habentes eſſe poſſibile tantùm, vel habentes terminum in habitu tantùm, vt ab æterno Deus dicebatur Creator, Dominus ante creationem, ſic S. Bonau. *lib.* 1. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *quæſt.* 3. *ad* 3. & *lib.* 1. *diſt.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. In quo caſu tamen relatio propriè non eſt actualis; Vnde reducitur quæſtio ad relationem actu exiſtentem, an requirat terminum actu exiſtentem: Hinc ad relationem actualem.

RESPONDETVR Tertiò requiri extrema actu exiſtentia, ſic S. Bonauent. *cit.* cum communi D. Thom. Scot. & ſeq. Ratio eſt, quia, vt ſuprà di-

Ooo ctum

Digitized by Google

ctum eſt *quæſt.* 4. *in Not.* 2. Relatio prædicamentalis diſtinguitur à tranſcendentali in hoc, quod eſt accidens ſuperadditum actu referens fundamentum ad terminum; ergo requirit terminum vt exiſtentem, alioquin Mater Dei poſſet dici non ſolùm Mater Chriſti, ſed etiam aliorum, quos potuiſſet habere. Hìc tamen aduerte, quod iſte terminus ſub ratione actualis exiſtentiæ requiritur in relatione propriè dicta, & ſumpta in toto rigore: nam datur etiam relatio, quæ aliquo modo eſt realis terminans ad realem negationem, & priuationem, vt rectè docet S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *quæſt. vltim.* Creatio enim paſſiua creaturæ dicit ordinem ad non eſſe præcedens, ſic & generatio, & infirmatio, ſic & relationes non mutuæ, vt ſcientia ad obiectum ſcibile, & cum hac diſtinctione ſoluuntur omnia obiecta in contrarium.

501. Sextò quæritur. An terminus relationem terminet ſub ratione abſoluta, an reſpectiua.

Thomistæ aſſerunt ſemper quamcunque relationem terminare ad terminum ſub ratione reſpectiua, & relationis. Sic apud Complut. *diſput.* 14. *quæſt.* 6.

Alii dicunt relationes mutuas terminare ad relatiuum, non mutuas ad abſolutum.

Scotus, & Scotiſtæ docent quamlibet relationem terminare ad abſolutum, & hæc eſt ſententia S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 1. *&* *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp.* *& alibi infrà cit.* Pro cuius ſolutione.

Notandum, quod in qualibet relatione concurrunt fundamentum, relatio, & terminus, hæcque ſunt diuerſa, & habent diuerſa munera, nam fundamentum importat ſubiectum, & rationem fundandi, vt in Patre eſt humanitas, & generatio actiua, in albo eſt paries, & albedo; Relatio eſt, quæ reddit fundamentum relatiuum; terminus verò eſt id, quod terminat ipſam relationem, & ad quem terminat ipſum fundamentum, vt relatiuum eſt. Vnde referri, & terminari præcisè loquendo, ſunt diuerſæ rationes, & munera, ſicut & oppoſitio, & terminatio; nam referri conuenit relatiuo ratione relationis ipſum referrentis, conuenit & correlatiuo, non prout eſt terminus, ſed prout dicit ordinem ad aliud correlatiuum; at terminare, cùm præcisè loquendo non dicat referri, vel referre, ſeu relationem, conuenit etiam enti abſoluto, cùm dicat ſolùm terminationem dependentiæ relationis ad ipſum. Sic S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 26. *citat.* Oppoſitio item conuenit relatiuo, & correlatiuo, ſeu relationi, & correlationi, prout mutuò per relationem ſe reſpiciunt, terminatio verò vt quo, & præcisè conuenit tantùm termino, qui eſt fundamentum correlationis, & prout reſpicitur ab alio relatiuo. Hincque ſequitur, quod terminus poteſt ſumi dupliciter, ſcilicet vel vt quo, vel vt quod; priori modo eſt tantùm terminus paſſiuus relationis exiſtentis in fundamento, ob idque præcisè nullum reſpectum importat; at vt quod in relatione mutua includit etiam correlationem ſuperadditam ordinantem ipſum non vt terminum, ſed vt fundamentum talis relationis ad aliud vt ad terminum. Hinc

502. Vnica Conclusio: Relationes non ſolùm non mutuæ, ſed & mutuæ terminant ad abſolutum; Prima pars de relationibus non mutuis aſſeritur à S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 30. *art.* 1. *quæſt.* 3. vbi docet, quod relatio creaturæ ad Deum non habet reſpondentiam ex parte Dei niſi Diuinam eſſentiam,

tiam, ſic & ſcientia ad ſcibile, & menſura ad menſurabile habet pro obiecto quid abſolutum, non aliquid ſuperadditum. Sic ibidem *in corpore, & ad* 4. *&* 5. Secunda pars aſſeritur à Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quaſt.* 3. *ad* 1.

Probatur ergo prima pars ex ipſo S. Doct. ibid. Relationes tertij modi, quæ ſunt non mutuæ, terminantur ad terminum, in quo nulla eſt correſpondentia relationis, & ideò dicitur non mutua, ergo terminatur ad abſolutum, aliàs eſſet relatio mutua.

Respondent Complut. *cit. num.*79. cum cæteris Thomiſtis. In termino nulla eſt correſpondentia relationis, concedo, denominationis, nego, quæ à relatione alterius extremi prouenit, per quam formaliter conſtituitur terminus, & correlatiuum illius: Vnde hoc modo extrinſeco ſcibile denominatur relatiuum: ſic etiam Ariſt. 5. *Met. text.*15. dicit, in relatiuis tertij generis alterum extremum dicitur ad aliquid, non quia ipſum dicatur ad aliquid, ſed quia aliud dicitur ad ipſum, ideſt alterum dicitur relatiuum, quia terminat verum relatiuum.

Contra: effectus formalis relationis eſt denominare ſubiectum relatiuum, ſed implicat effectum formalem ineſſe in aliquo abſque forma inhærente, ſed hæc forma non ineſt in termino, ergo nec denominatio: Tum quia implicat relationem in vno extremo eſſe ſui terminum in alio, in quo non ineſt. Tum quia referri propriè eſt habere in ſe relationem; ergo terminus non eſt relatiuus per relationem exiſtentem in alio extremo, alioquin relatio eſſet veluti Chorda, & internallum inter extrema: Tum quia priùs ſcibile intelligitur terminare relationem, antequàm accipiat denominationem relatiuam à relatione ſcientiæ; denominatur enim, quia terminat, ergo terminatio antecedit.

Nec Ariſtoteles aliquid dicit pro Thomiſt. quia ibi expreſsè docet terminum non eſſe relatiuum, & quod non refertur, ſed tantùm poſſe ſpectare ad genus relationis, quatenùs terminat relationem.

503. Probatur ſecunda pars: Relatio mutua definitur per ſuum correlatiuum, ergo præſupponit illud tanquam quid prius: Definitio enim datur per priora; aliàs, ſi vna relatio terminaret ad alteram, vtraque deberet per alteram definiri, ſicque idem per idem. Tum quia relatio conſequitur ad extrema, aliàs vna relatio præſupponeretur alteri, quod eſt falſum, cùm relatiua ſint ſimul natura. Tum quia terminare relationem in termino eſt denominatio merè extrinſeca proueniens præcisè ex eo, quod aliud ad ipſum terminat ob rationem terminandi in ipſo exiſtentem. Tum quia ſic ratio fundandi eſt ratio, ob quam proximè vna res refertur ad aliam, ita ratio terminandi eſt ratio proxima, ob quam aliud ad ipſam referatur, ſed hæc cauſa eſt eadem in relatiuis mutuis æquiparantiæ ad fundandam, & terminandam relationem, ſic vnum album eſt alteri ſimile in albedine, ſed in ratione fundandi eſt quid abſolutum, ergo & terminandi: Vnde dicitur, Palmus eſt æqualis alteri palmo, non æqualitati illius palmi, album alteri albo eſt ſimile, non autem ſimilitudini, immò comparatum ſimilitudini eſt diſſimile.

Respondent Complut. *quaſt.* 6. *num.* 72. in termino duplicem eſſe rationem terminandi, alteram radicalem, ſiue materialem, alteram formalem, concedunt omnia ſuprà dicta de

prima ratione, negant de ſecunda, & formali, nam verum eſt dicere relationem reſultare ex poſitione termini cum fundamento, ſcilicet materialiter ſumpti; at ſi formaliter ſumitur relatio, non dependet à termino, ſed ad terminum, ideſt reſultat per formalem oppoſitionem ad terminum relatiuum, verbi gratiâ, in Patre ratio radicalis terminandi relationem eſt potentia generatiua, vel generatio ipſa, ſupra quam fundatur paternitas, eſtque radix, ob quam conuenit Patri terminare relationem filiationis, ratio verò formalis terminandi eſt paternitas, quia eſt id, per quod primò per ſe opponitur filiationi, nec eſt par ratio de fundamento, & termino, nam illud, cùm ſit cauſa relationis, præſupponi debet ineſſe ſecundùm rationem communem accidentis, at terminus conuenit relationi, vt relatio eſt, ob idque vt dicit oppoſitionem ad terminum.

504. CONTRA; Ille dicitur terminus formalis relationis, qui eſt ſufficiens ad ſpecificandam relationem; hoc enim eſt formaliter eſſe terminum relationis, ſed hoc totum habet entitas abſoluta alterius extremi, ergo.

PROBATVR Minor, id ſpecificat relationem, quod habet rationem vltimi, & finis relationis, in quem tendit relatio, ſed id eſt quid abſolutum, verbi gratiâ albedo ſpecificat ſimilitudinem alterius albi, non autem ſimilitudo ipſius termini.

CONFIRMATVR, quia ſolùm entitas abſoluta abſolutè eſt neceſſaria ad terminandam relationem, vt patet in relationibus non mutuis, ergo per ſe terminus vt talis non eſt relatiuus.

RESPONDENT Complut. formalitatem termini eſſe oppoſitionem ipſius ad fundamentum relatiuum; ob idque non poſſe dici opponi, niſi vt correlatiuus eſt.

CONTRA, vt dictum eſt, opponi alteri relatiuo, & terminare, ſunt rationes omninò diſparatæ; oppoſitioque merè accidit terminationi. Patet ex ſuprà traditis, nam opponi relatiuè eſt ad aliud tendere, terminare eſt reſpici, & ſiſtere tendentiam alterius ad ſeipſum. Tum quia concipi poteſt relationis tota eſſentia, etiamſi non concipiatur relatio in termino, vt Paternitas in Petro abſque eo, quod reſultaret filiatio in Paulo genito. Sic enim dicunt D.Thom. *3. part. quæſt. 33.* & D. Bonauent. *lib. 3. diſt.* 8. *art.* 2. *quæſt.* 2. datur in Beata Virgine relatio maternitatis creatæ ad Filium Chriſtum, & tamen non datur in Chriſto filiatio realis creata ad B. Virginem, ſed in tali caſu maternitas eſt vera relatio abſque eo, quod in termino adſit oppoſitio relationis.

RESPONDENT talem oppoſitionem conuenire relationi vt mutuæ, non vt ſic ſumptæ.

CONTRA: Relatio non dicitur mutua per rationem terminandi, ſed per rationem referendi, quia vtrumque extremum refertur ad aliud, ergo vt mutua eſt, neceſſe non eſt, vt ſit ratio terminandi, ſed ſatis eſt eſſe rationem referendi in vtroque extremo, quod verum eſt, etiamſi abſolutum ponatur terminari. Tum quia ſi ratio terminandi relatiuo modo competit ratione mutuitatis, non ampliùs competere poterit abſoluto in non mutuis. Tum quia, vt dictum eſt, terminare, & referri, ſunt rationes omninò diſparatæ.

OBIICIES primò: Quia Ariſtot. dicit relatiua dici ad conuertentiam, ideſt per relationes hic inde, at ablatâ relatione in termino non ampliùs dicuntur

Digitized by Google

dicuntur ad conuertentiam, ſic ablatâ ratione dominij tollitur ratio ſerui; ergo terminus formalis relationis eſt correlatio.

505. RESPONDET S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 26. *dub.* 8. Maiorem eſſe veram de relationibus mutuis; ſed addimus hinc rectè non inferri relationes terminari ad relatiuum; conuertentia enim reſpicit prædicationem, & multoties eſt rationis, vt in non mutuis. Et ad Min. Reſpondetur, quod ablatâ ratione dominij aufertur ratio ſerui, quod euenit non ratione terminationis ad relatiuum, ſed ob ſimultatem naturalem eorum: Immò addimus, quod ablatâ relatione dominij remanente fundamento ſcilicet poteſtate coërcendi adhuc remaneret relatio ſeruitutis, licèt non eſſet tunc reciprocatio, & mutuitas. Addimus vlteriùs, & ipſos teneri ad ſolutionem huius argumenti, cùm doceant in non mutuis non currere hanc propoſitionem, & tamen Ariſt. loquitur vniuerſaliter de omnibus relatiuis.

OBIICIES ſecundò cum Complut. Ruu. aliiſque, Relatio vt talis eſt, exercet oppoſitionem relatiuam, ſed hæc oppoſitio eſſentialiter includit rationes referendi, & terminandi, & reſpicientiam mutuam, ergo vtrumquè munus exercent relatiua, vt talia ſunt, & ſecundùm eſſe relatiuum. Probatur Minor, quia relationes ſunt rationes referendi, ideſt quare relatiua mutuò ſe reſpiciunt, & ob id relatiuè opponuntur; ergo ſecundùm eſſe relatiuum terminant, & confirmant, quia relatiua oppoſitio eſt ad correlatiuum formaliter vt ad terminum, includit enim talis oppoſitio relationem cum ſuo termino.

506. PRO reſponſione ad has, & ſimiles obiectiones, quæ ferè in idem coincidunt, aduertendum, quod in tali modo arguendi committitur æquiuocatio; Nam, vt dictum eſt ſuprà in fundamentis, aliud eſt referri duo relatiua, & mutuò ſeſe reſpicere, id enim obuenit ex ratione referendi, & ex relatione proueniente ex ratione fundandi relationem. Aliud eſt præcisè terminare relationem; terminatio enim non eſt tendentia, nec relatio ad aliud, ſed eſt formaliter ſiſtere tendentiam alterius ad ſeipſum, ob idque præcisè dicit quid abſolutum: Vnde correlatio, & eſſe duo correlatiua non eſt vnam relationem terminare ad aliam, ſed duo extrema fundare mutuam relationem, quare in forma reſpondetur concedendo Maiorem, & diſtinguendo Minorem; hæc oppoſitio eſſentialiter includit relationem, & terminationem, & reſpicientiam mutuam, concedo ſecundùm diuerſas rationes, ſcilicet ſecundùm rationem relatiuam importat rationem referendi, & ſecundùm terminationem importatur in termino tantùm ſiſtentia tendentiæ, nec aliquid aliud; Immò hinc ſequeretur non poſſe dari relationes non mutuas, ſi de ratione relationis eſſet hæc mutua reſpicientia relatiua; hinc ſicut in non mutuis datur oppoſitio tantùm terminatiua, & tamen eſt vera relatio, ſic & in mutuis quælibet præcisè conſiderata eſt terminatiua, licèt in termino adſit poſteà alia ratio fundandi aliam relationem.

OBIICIES tertiò: Relationes Diuinæ reſpiciunt formaliter ſuos terminos quoad relationes mutuas oppoſitas: Pater enim terminatur ad Filium, vt Filius eſt, & non ad eſſentiam vt ſic, ergo idem erit de creatis, quæ non minùs ſunt relationes.

VARII varias reſponſiones afferunt apud Meldul. *hic num.* 113. nam Mair.

reſpondet etiam relationes Diuinas terminari ad eſſentiam Diuinam, quod & videtur concedere S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1. attamen addit, quod terminat ad eſſentiam vt in hoc, ideſt vt in perſona diſtincta. Alij communiter negant paritatem de relationibus Diuinis, & creatis: Illæ enim ſunt conſtitutiuæ perſonarum, iſtæ conſequuntur ad conſtitutionem perſonarum.

507. At Seraphicus Doct. facilè ſe extricat ab hac difficultate docens *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſtinct.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. quod perſonæ diſtinguuntur per origines, quare priùs intelliguntur origines, & perſona generans, & generata, quàm relatæ ad inuicem. Vnde in Diuinis licèt idem ſit oriri, & eſſe, & ad alterum ſe habere, tamen ſecundùm rationem intelligendi ſunt ordinata, vt primum ſit oriri, deinde eſſe in his, quæ habent eſſe ab alio, & deinde ad alterum ſe habere.

Hinc generatio actiua intelligitur priùs terminari ad originem paſſiuam, quàm ad relationem, & ratio eſt, quia, vt dicit *lib.* 1. *diſtinct.* 5. *cit.* generans intendit producere ſibi ſimile, ideò primò terminat ad ſubſtantiam, ſed quia in Diuinis ſubſtantia non multiplicatur, hinc terminat ad primam ſubſtantiam, ſeu ad commune vt in hoc. Quare negatur antecedens in ſenſu explicato, & conſequentia.

Obiicies quartò: Relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione; ergo non poteſt intelligi paternitas, antequàm terminetur ad correlatiuum.

508. Respondetvr ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 26. *cit.* & *diſt.* 27. *artic.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *quæſt. vltim. in corp. & aliis locis citat.* verum eſt antecedens, non quia ſint in eodem ſigno relatiua, licèt ſint ſimul duratione, nam vtraque ſubſtantia generans, & generata præcedunt relationes prioritate ſigni, ſiue originis: Priùs enim eſt generari, quàm eſſe, & priùs eſſe, quàm referri, & licèt vna relatio abſque termino non poſſit adæquatè cognoſci, id euenit ob neceſſariam concomitantiam cauſarum concurrentium ad ipſam; vnum enim extremum concurrit vt fundamentum, aliud vt terminus, non tamen abſolutè cognitio vnius eſt neceſſaria ad cognitionem alterius, vt patet in non mutuis, in quibus ſufficit cognoſcere terminum abſolutum, ſed quia cùm fundamentum ſit cauſa, & terminus ſit conditio ſine qua non reſultantiæ relationis, ſic etiam & ipſius cognitionis communiter loquendo.

Qvare pro ſolutione omnium obiectorum aduertendum eſt, quod, vt dictum eſt, terminus poteſt ſumi vt quod, & vt quo: Primo modo eſt ipſe terminus, vt eſt correlatiuus: Secundo modo eſt ipſa entitas abſoluta, verbi gratiâ album, prout aliud album ad ipſum refertur vt ſimile, vt quod dicit albedinem, & ſimilitudinem, vt quo dicit ipſam albedinem tantùm, quia hoc album ſit ſimile tantùm, quatenùs reſpicit terminum, vt album eſt, non vt ſimile.

Vnde reſpicit illud album vt ſimile non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè tantùm, &c.

QVÆS

QVÆSTIO VI.

Vnde deſumenda ſit vnitas Relationis tum ſpecifica, tum numerica, ſcilicet num à termino, num à fundamento; ſeu an ad multiplicationem terminorum multiplicantur Relationes.

509. DE duplici vnitate poteſt fieri quæſtio, nempè de ſpecifica, & de numerica, & quia poteſt vtraque vnitas conſiderari dupliciter ſcilicet extrinſecè, & intrinſecè, certum eſt, quod prima tam ſpecifica, quàm numerica prouenit à ratione intrinſeca ipſius relationis, cùm enim ſit prædicamentum, ob idque habeat ſub ſe varias ſpecies, & indiuidua, ſicut & alia prædicamenta habent propriam differentiam ſpecificam, & indiuidualem, ſic & relatio, vt rectè docet S. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in fine corp. & ad* 3. *& lib.* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *in initio corp. & lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1. *& ad vlt.* Sed cùm ratio intrinſeca ſit nobis valdè ignota; hinc Philoſophi recurrunt ad rationes extrinſecas relationis ſcilicet ad fundamentum, & terminum, quæ ſunt ipſius extrema, à quibus nobis innoteſcunt ipſius natura differentiæ, & vnitas, & diſquirunt, an à termino, an à fundamento deſumenda ſit. Nec eſt quæſtio de plurimis terminis, ſeu fundamentis ſpecie diſtinctis, certum enim eſt conſtituere plures relationes ſpecie diſtinctas, vt eſt in eodem homine dominium, quatenùs habet poteſtatem coërcendi ſubditos, & paternitas, quatenùs habet filium. Vnde quæſtio potiſſima reducitur de terminis ſolo numero differentibus, & quia iſti poſſunt eſſe adæquati, & totales, & per ſe ſumpti ſufficientes ad terminandam relationem ſuæ ſpeciei, vt ſe habent plures Filij in ordine ad eundem numero Patrem, alij ſunt inadæquati, & per ſe ſumpti ſufficientes, ſed ſimul ſumpti ſufficientes ad terminandam relationem, vt relatio ternarij ad ſingulas vnitates, & plures portantes idem pondus. Quæſtio procedit de totalibus, & per ſe ſufficientibus, non verò de inadæquatis. Circa quam.

PRIMA opinio eſt Scoti, & omnium Sequacium, quos ſequuntur Suarez *diſputat.* 47. *ſect.* 17. Fonſec. 5. *Metaphyſ. cap.* 15. *quæſt.* 5. Vaſquez. *t.* 4. *in* 3. *part. quæſt.* 91. *articul.* 1. *dub.* 4. aliique plures ſuſtinentium ad multiplicationem terminorum multiplicari relationes etiam in fundamento.

SECVNDA eſt celebris opinio D. Thomæ 3. *part. quæſt.* 35. *articul.* 5. *quolib.* 1. *artic.* 2. *& quolib.* 9. *artic.* 4. Caiet. Medin. & aliorum ſequacium ibidem Ioan à S.Thom. *Log. quæſt.* 17. *art.* 6. Ruu. *hîc quæſt.* 8. ſuſtinentium vnitatem relationis deſumendam eſſe non à termino, ſed à ſubiecto, ſeu fundamento, hincque negant ad multiplicationem terminorum multiplicari relationes in fundamento.

TERTIA opinio in Concluſione coincidit cum ſecunda, licèt in principiis ſit aliqualiter differens, eſtque S. Bonauent. *lib.* 3. *diſtinct.* 8. *artic.* 2. *quæſt.* 2. aſſerentis differentiam ſpecificam deſumi non à ſubiecto in quo, ſed à principio à quo, ideſt à fundamento; numericam verò non deſumi principaliter ab eodem principio à quo, nec à termino ad quem, ſed à ſubiecto in quo: Hincque negat in Chriſto eſſe duas Filiationes, quia in Chriſto eſt vna perſona, licèt poſſit dici

dici bis natus: Pro ſolutione Quæſtionis.

510. PRIMÒ Notandum ex eodem S. Bonauent. *lib.* 3. *diſt.* 8. *cit.* quod in Seraphica doctrina differunt ſubiectum in quo, principium à quo, & terminus relationis; nam ſubiectum in quo eſt ſubiectum inhærentiæ, quod eſt commune omnibus accidentibus, & reſpectu relationis dicitur fundamentum remotum, quorum principale eſt ſubſtantia: Principium à quo formale eſt verbi gratiâ eadem ſubſtantia, quantitas, & qualitas, prout habent in ſe vnitatem, vel multitudinem.

ET hinc *lib.* 1. *diſt.* 31. *q.* 1. ait, quod identitas formaliter eſt relatio, cauſaliter eſt ſubſtantia, ſcilicet vt vna æqualitas formaliter eſt relatio, cauſaliter eſt quantitas, item ſimilitudo formaliter eſt relatio, cauſaliter eſt qualitas vt vna, hinc fundamentum eſt cauſa efficiens, & ſimul reſpiciens in ſe relationem, vel ſaltem eam efficiens in termino in quo, terminus verò eſt conditio ſine qua non præſuppoſitus ordine naturæ adhoc, vt fundamentum cauſet relationem ad terminum.

511. SECVNDÒ Notandum: quod cùm Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.*8.*art.*2. *quæſt.* 2. *ad* 2. dicat, quod aduenientibus eidem Patri pluribus Filiis remanet eadem relatio numero, nec ipſi Patri ſuperuenit noua paternitas, ſed primæ paternitati innaſcitur nouus reſpectus, quia Pater eſt plurium, quàm priùs erat: Oritur ſcrupulus magnus in intelligentia huius Seraphici dicti, quomodò innaſcatur primæ paternitati nouus reſpectus, & non potiùs patri: nam ſi vellet dicere, quod primæ relationi verbi gratiâ, paternitati tanquàm ſubiecto aduenirent nouæ relationes ad nouos filios, id abſonum valdè eſſet, quia eſſet idem ac dicere poſſe multiplicari relationes ad multiplicationem terminorum; Tum etiam quia eſſet idem dicere, quod prima paternitas poſſet eſſe fundamentum aliarum paternitatum, quod ex ſuprà traditis non poteſt eſſe: Hinc ad intelligentiam dicti Seraphici aduerte id, quod in eadem reſponſione *ad* 2. docet, nempè quia extrema relationis vel ſunt formalia, à quibus relatio eſſentialiter dependet, vel materialia, à quibus accidentaliter dependet: Prima dependentia eſſentialis eſt ſecundùm rationes quidditatiuas, & ſpecificas: Secunda eſt ſecundùm numericas conditiones, & extraneas: Albedo enim habet ſimilitudinem ad vnam, duas, vel tres albedines, vt ſunt albedines, non provt ſunt vna, vel plures, ſic & habet diſſimilitudinem ad vnam, vel plures nigredines, vt nigredines ſunt, non vt hæc, vel illæ, vel plures: Hinc cùm reſpiciat talem pluralitatem accidentaliter, poteſt manere eadem eſſentialiter variatis illis, à quibus dependet accidentaliter; & cùm in vnitate ſpecifica relatio pendeat à fundamento, ac termino formalibus, à ſubiecto verò in numerica, ſequitur, quod ſtante vno ſubiecto, erit vna numero relatio vnius ſpeciei ad quoſcunque terminos materiales, in quibus ſit eadem ratio formalis, hinc poteſt aduenire nouus reſpectus & fundamento, & relationi præexiſtenti accidentaliter abſque eo, quod quidditatiuè multiplicentur relationes.

QVARE Seraph. Doct. concludit, quod ad plurificationem fundamenti formalis multiplicentur etiam relationes ſpecie, ad multiplicationem numericam fundamenti multiplicentur etiam relationes numero, & ob id negat, quo

quod in vno fundamento ſpecie, & numero tanquàm in vno ſubiecto ſingulari poſſint eſſe plures relationes ſolo numero differentes, & ratio eſt, quia, verbi gratiâ, Paternitatis, & filiationis ſubiectum, in quo eſt ipſum ſuppoſitum, & fundamentum, à quo eſt ipſa natura per modum naturæ communicabilis; Vt autem id rectiùs percipiatur.

512. TERTIÒ Notandum, quod aduenire fundamento, & relationi præexiſtenti nouum reſpectum, poteſt intelligi dupliciter; Primò quidem intrinſecè,& ſubiectiuè; ſecundò extrinſecè,& obiectiuè; Primo modo ſi verbi gratiâ magiſterium præexiſtens ſit ſubiectum vnius noui magiſterij terminati ad nouellum diſcipulum, ita vt prima relatio comparata ad fundamentum ſit vt quo, comparata ad nouum reſpectum ſit vt quod,& nouus reſpectus ſit vt quo afficiens illam relationem eo modo, quo diximus ſuprà relationem poſſe fundari aliam relationem, in quo ſenſu non intelligendus eſt S. Doct. cùm ſuprà probatum ſit relationem poſſe fundari in relationibus diuerſæ non eiuſdem rationis, ſic ſuprà in præcedenti quæſt. in quæſito ſecundo dictum eſt ſcilicet vnam relationem poſſe fundari ſuper aliam diuerſæ rationis. Vnde ſecundo modo poteſt intelligi, ſcilicet vt extrinſecè ſuperueniat nouus reſpectus, ſeu noua reſpicientia noui termini primæ relationi, verbi gratiâ,primo magiſterio, ita quod prima relatio ſit etiam ratio reſpicienди nouum terminum nulla nouitate facta intrinſecè in ipſa, ſed tantùm extrinſecè ſcilicet in termino,quia nouum obiectum, ſeu nouus terminus ſuperuenit, & in ipſo nouus reſpectus, qui accedit magiſterio, & primæ relationi extrinſecè, & obiectiuè, non intrinſecè, & ſubiectiuè. Ratio eſt in ſuperioribus adducta, quia vbi eſt eadem ratio reſpiciendi aliud, ibi non adeſt multiplicatio relationum; at paternitas eſt eiuſdem rationis per reſpectum ad quemcunque Filium, ergo non eſt multiplicanda ad multiplicationem terminorum, quæ ſunt veluti quid extrinſecum, & tantùm conditio ſine qua non in ordine ad multiplicationem numericam, quæ prouenit extrinſecè à ſubiecto: Exemplum; ex oppoſito poteſt eſſe in relatione menſurati vt ſenſus ad ſenſibile, nam ſenſibile obiectum ex eo, quod dicitur viſum noua viſione, aut veteri, non mutatur in ſe, ſed mutatio refunditur in videntem, quamuis paries dicatur de nouo viſus: Ita ex oppoſito fundamentum relationis, atque eius relatio dicuntur de nouo reſpicere, & habere nouum reſpectum per nouitatem exiſtentem in termino, non in fundamento.

513. QVARTÒ Notandum: quod commune axioma in ſcholis eſt, quod plura accidentia numero non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; attamen in aſſignanda ratione fundamentali variant mirabiliter Philoſophi. Seraph. Doct. admittit plura accidentia ſolo numero differentia in eodem ſubiecto, quando talia accidentia non educuntur de ipſo, ſed habent aliud pro cauſa, vt ſunt ſpecies intentionales in oculo, plura lumina in aëre, licèt Meldul. *in Met. diſp.* 12. *num.* 280. fateatur ſe non ſatis intelligere, quænam ſint talia accidentia non educta à ſubiecto, in quo ſunt, ſed legat Seraphicum Doct. *lib.* 2. *diſt.* 13. *art.* 3. *quæſt.* 2. *& diſtinct.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* & *lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2. & *lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. & inter alia loca videatur *ferm.* 11. *prope finem*, vbi nihil ampliùs poteſt deſiderari, & nos

Digitized by Google

nos alibi hanc doctrinam in phyſica fusè trademus, ex quibus locis, facilé-que percipiet quiſque, quomodo id de facto eueniat. Vnde cùm accidentia, quæ educuntur à ſubiecto, & in ipſo recipiuntur, ſi ſunt eiuſdem rationis, habeant idem munus, & eundem effectum formalem in ordine ad finem, propter quem educuntur ab agente, datá vna forma accidentali cum ſuo effectu formali, ſuperuacanea eſt eductio alterius formæ conſimilis, quia ſolùm agens intendit reddere ſubiectum ſibi ſimile, & tale; hinc naturaliter non poſſunt multiplicari, ex qua doctrina patet, quomodo ſit ſuperuacanea noua paternitas; in Patre habente paternitatem antecedenter, cùm ob idem fundamentum formale ſufficienter ſit ratio ipſum hominem referendi ad vnum, & plures terminos, etiamſi aduениant noui termini. Et ſicut duæ albedines eiuſdem rationis receptæ in eodem ſubiecto amittunt ſuam diſtinctionem, quia earum vnitas extrinſeca dependet ab ipſo, ſic & duæ paternitates dependentes ab eodem, & principio, & fundamento. Et hinc dixit S. Doct. *lib.* 3. *diſtinct.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. quod quando duæ formæ eiuſdem rationis adueniunt alicui ſubiecto, ſi altera illarum præcedit naturaliter, tunc ſecunda ad nihil inſeruit quantùm ad eſſe actuale tribuendum ipſi ſubiecto, vt euenit in propoſito, & ratio eſt, quam affert *lib.* 1. *diſt.* 27. *dub.* 3. *& diſtinct.* 9. *dub.* 2. *& diſt.* 4. *quæſt.* 1. *&* 2. *&* 3. quia nomen concretum purè, cùm dicat formam per modum adiacentis in ſubiecto, etiam ab ipſo determinatur, cùm ei tribuat ſuum effectum formalem. Vnde ſi vna albedo erit in tribus ſubiectis, dicuntur tria alba, quia à tribus ſubiectis determinatur: è contrà ſi duæ albedines erunt in vno ſubiecto, vnum album duntaxat dicetur, ſicut vnus ſciens licet habeat multas ſcientias. Et in hoc ſenſu dicit ſæpè S. Doct. quod vnitas numerica accidentium deſumi habet à ſubiecto, quod eſt cauſa, & ſubiectum ipſius. Sic *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp. & lib.* 1. *diſt.* 13. *art.* 3. *quæſt.* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. *& lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& art.* 2. *quæſt.* 3. *in arg. & ad* 1. *& lib.* 4. *diſt.* 7. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in fund. & lib.* 2. *diſt.* 16. *art.* 1. *q.* 5. *ad* 3. His poſitis ſit

514. PRIMA CONCLVSIO: Relationes formaliter, & ſpecificè diſtinguuntur per proprias differentias ſpecificas non per fundamentum, aut terminum: Numericè verò diſtinguuntur per proprias differentias indiuiduales.

PROBATVR prima pars: In omni genere dicente, quid neceſſe eſt inuenire differentias per ſe diuidentes dicentes quale quid, per quas ſpecies intrinſecè, & formaliter conſtituuntur, ac diſtinguuntur, ergo & in genere relationum ſpecies conſtituuntur intrinſecè per differentias per ſe in eodem genere: Antecedens patet. Tum ex definitione generis, & differentiæ. Tum ex per ſe diuiſione generis per differentias ex Ariſt. 7. *Met. text.* 43. *&* 44. Tum quia *ex* 1. *poſt. text.* 107. prædicamentorum coordinationes ſunt impermixtæ, ergo ſpecies relationis conſtituuntur per differentias proprias, & intrinſecas, & non ex alio genere.

PROBATVR ſecundò: Quia nulla res intrinſecè, & formaliter diſtinguitur per principium extrinſecum, ſed fundamentum, & terminus ſunt principium extrinſecum omni relationi, ſpectant enim ad aliud genus.

PROBATVR ſecunda pars: Dantur naturæ communes relationum, ſicut in ſubſtantiis, ſed iſtæ differunt numero

per

per proprias differentias indiuiduales, ergo & relationes. Maior, & Minor patet *ex tract. de Vniuerſ. & de indiuiduatione ſubſtantiæ.* Conſequentia patet etiam ex traditis *ibid. de indiuiduatione accidentium.* Confirmatur, quia in quocunque inuenitur per ſe potentialitas, ibi etiam reperitur actualitas, ſeu realitas actualis. Potentia enim eſt propter actum, materiale ob formale, at in omni relatione inuenitur realitas communis potentialis, ergo & actualis, ſed hæc eſt differentia, ergo. Tum quia differentiæ indiuiduales ſunt in eodem ordine prædicamentali ipſius rei, nam in vnoquoque ordine prædicamentali datur vnum primum prædicatum in ſurſum, de quo nihil prædicatur, & vnum ſubiectum vltimum, quod de nullo prædicatur in quid, ſed ſpecialiſſimum in genere relationis prædicatur in quid de hac, vel illa relatione ſingulari ſub tali ſpecie, vt ſimilitudo alborum de hac, vel illa ſimilitudine, ſed indiuiduum totum ſpectat ad eundem ordinem intrinſecè, ergo & differentia indiuidualis. Tum quia ſicut ſe habet ſpecies ad genus, ita differentia indiuidualis ad ſpecies, ſed genus intrinſecè habet ſuas differentias ſpecificas, ergo & ſpecies indiuiduales differentias.

515. SECVNDA CONCLVSIO: Diſtinctio ſpecifica relationum extrinſecè deſumitur à fundamento, ſeu à principio à quo. Eſt S. Bonauent. *lib.* 3. *diſt.*8. *art.*2. *quaſt.*2. *in corp.* D.Thom. 3. *part.* q. 55. *art.* 5. & *quol.* 1. *art.* 2. & *quol.* 4. *art.* 4. Caiet. Nazar. licèt Thomiſtæ in diuerſo ſenſu ſumant hanc Concluſionem à ſenſu S. Doct. vt mox dicetur, eſtque contra alios Thomiſt. aſſerentes ſpecificari relationes penes terminos nempè Sonc. 5. *Met.* q. 32. alioſque apud Complut. *hic q.* 7.

PRO intelligentia huius Concluſionis recolendum eſt id, quod ſuprà diximus *in quaſt.* 4. nempè relationes conſtitui in eſſe per eſſe in ad, vel per eſſe à quo ad quem; & in hoc ſenſu ſumit S. Doct. fundamentum, prout dicit in ad ſcilicet à quo non abſolutè, ſed per ordinem ad terminum, vnde in hac Seraphica Concluſione diſcrepant nomine tantùm Scot. Suar. *diſp.* 47. *ſect.*17. Ruu. Complut. aliique, qui volunt deſumi ab vtroque ſcilicet à fundamento, & termino; Seraphicus autem Doct. ſolùm mentionem facit de fundamento, ſeu de principio à quo, quia tota relatio eſt ab ipſo, & in ipſo, ſcilicet vt ab efficiente, & vt in ſubiecto, ſic *lib.* 2. *diſt.* 26. *art.* 1. *q.* 3. ſed tamen cum ordine ad terminum; Thomiſtæ verò loquuntur non de fundamento à quo, ſed de ſubiecto in quo.

PROBATVR autem Concluſio à S. Bonau. *lib.* 3. *cit.* quia in eodem ſubiecto poſſunt eſſe plures relationes ſpecie diſtinctæ, vt dominium, & paternitas, ergo ratione ſubiecti non poſſunt diſtingui ſpecie, at diſtinguuntur ſpecie per proprias differentias ſpecificas, quæ nobis innoteſcunt per diuerſas rationes fundandi exiſtentes in fundamento à quo, ergo penes fundamentum, prout formaliter importat rationem fundandi, deſumi debent. Tum quia relationes diuerſæ ſpecie poſſunt ad eundem terminum terminari, vt v.g. idem effectus terminat relationes diuerſarum cauſalitatum, & cauſatum; vt Filius poteſt terminare cauſalitatem Patris, & Matris per vnicam relationem *lib.* 3. *diſt.* 8. *cit. fund.* 2. & ſecundum Scotum per duplicem relationem, & è contrà idem effectus fundat diuerſas dependentias, & diuerſas cauſas, ergo ratio terminandi eſt per accidens, vel ſaltem ſola conditio, non autem ratio extrinſeca diuerſitatis ſpecificæ relationum,

lationum; Hincque aptiùs Seraph. Doct. recognoſcit hanc diuerſitatem à principio à quo: Addimus tamen ex eodem Seraph. quod aliquando etiam nobis non eſt nota diuerſitas rationum fundandi; vnde tunc deſumi hæc debet à diuerſitate terminorum, vt verbi gratiâ relatio inæqualitatis inter montem magnum, & paruum, vel ad granum milij fundantur ſuper quantitatem, & diuerſificatur penes terminos. Ratio autem, quare relationis ſpecificatio ſit tam varia, eſt, quia cùm ſit minimæ entitatis, ob idque multùm nobis ignota, debet nobis innoteſcere per extrinſeca, ad quæ dicit ordinem eſſentialem, & ob id ſecundùm ſubiectam materiam, vel penes fundamentum, vel penes terminum, vel penes vtrumque.

516. Tertia Conclvsio: Vnitas, vel multiplicatio numeralis relationum accipitur principaliter à ſubiecto in quo tanquam ab extrinſeco præſuppoſito. Eſt S. Bonauent. *loc. cit. lib.* 3. *diſt.* 8. D. Thom. & ſeq. contra Scotum apud Meldul. *diſp.* 8. *num.* 87. *ſeq.*

Probatvr primò ex Ariſt. 5. *Met. text.* 16. vbi explicans, quid ſit eſſe diuerſa ſpecie, ait, quæcunque, cùm in eadem ſubſtantia, vel ſubiecto ſunt, diuerſa ſunt ſpecie; ergo ex Ariſt. ſi duo accidentia inſunt in eodem ſubiecto, ſunt diuerſa ſpecie tantùm; ex quo Textu orta eſt formoſa illa propoſitio, Impoſſibile eſt duo accidentia ſolo numero differentia eſſe in eodem ſubiecto.

Seraphicvs Doct. *loc. cit. in vltimo Not.* limitat hanc regulam, nempè debere intelligi de accidentibus, quæ habent idem pro ſubiecto, & pro cauſa ob rationes adductas *in cit. Not.* nam ſpecies intentionales, & plura lumina poſſunt eſſe in eodem ſubiecto ſolùm diſtincta numero, ſed relationes habent idem pro ſubiecto, & cauſa, ergo non poſſunt eſſe plures numero in eodem ſubiecto.

Probatvr ſecundò: ſi in vno ſubiecto ad multos terminos eiuſdem rationis poſſunt eſſe plures relationes, ergo actu coexiſtente termino ſunt plures relationes, ergo etiam actu infinitæ relationes reales realiter inter ſe diſtinctæ; conſequens eſt impoſſibile, ergo & antecedens. Probatur ſequela argumento Ochami: ſit Petrus comparatus ad Paulum in humanitate, in eis inuenitur relatio identitatis, quæ eſt prima; & realis realiter diſtincta à Petro, quia poteſt eſſe ſine relatione ad Paulum ideſt ſine termino, & ſine ipſa relatione: Secundò, ſi compararetur Petrus ad relationem ſibi inexiſtentem, ita vt Petrus ſit fundamentum, & relatio prima identitatis ſit terminus, ſequitur alia relatio diuerſitatis diſtincta realiter à Petro, ſine qua poteſt eſſe: Tertiò, ſi compararetur Petrus ad ſecundam relationem, quæ eſt diuerſitas fundata in Petro terminata ad ſecundam ſcilicet ad diuerſitatem, inſurgit tertia relatio, & alia diuerſitas, ſicque in infinitum, ergo actu erunt in Petro infinitæ relationes, & idem ſi comparo Petrum ad Ioannem, eſſent itidem infinitæ, & itidem ad alios, & alios homines: Hoc argumentum eſt efficaciſſimum contra Scotiſtas admittentes diſtinctionem realem inter relationes, & fundamentum, ratione cuius non poſſunt effugere vim huius illationis; Vide *ſuprà num.* 495.

517. Probatvr Tertiò, Quia ſequeretur, quod Pater habens plures Filios poſſet dici plures Patres, conſequens eſt falſum etiam apud Scotum, ergo & antecedens.

Respon

Respondent Scotiſtæ, quod poteſt dici pluries Pater, quia ad multiplicationem formarum non multiplicatur concretum, niſi etiam multiplicetur ſuppoſitum.

Contra primò, & probatur ſequela Maioris, Concretum, & ſuppoſitum ſunt idem in ordine ad formam, licèt habeant diuerſas rationes, & forma determinata per concretum ipſum formaliter denominat in recto, ſed plures formæ relatiuæ ſecundùm Aduerſarios inſunt formaliter in Patre, & diuerſimodè determinatæ, ergo & Pater formaliter pluries denominabitur Pater. Tum quia licèt ſit vera doctrina Scotiſtarum in formis ſubſtantialibus, quæ poſſunt terminare dependentiam termini numeralis: Vnde homo habens formam corporeitatis, & rationalem poteſt dici dupliciter compoſitum, vel pluries compoſitum; attamen in formis accidentalibus, quia iſtæ non poſſunt terminare dependentiam termini numeralis, non currit par ratio, ſed à ſolo ſubiecto deſumenda eſt ipſius numeratio.

Probatvr Quartò: Vnica potentia viſiua poteſt habere plures terminos, ſcilicet colores, vna riſibilitas plures actus, vna Nauis plures trahentes nauim vnica relatione, ergo & vna Paternitas plures Filios.

Respondent negando paritatem, nam in exemplis allatis ſunt termini inadæquati, in Paternitate adæquati.

518. Contra primò: Quia vna filiatio eſt inadæquata potentiæ generatiuæ, quia non adæquat totam vim fundamenti, ergo currit paritas.

Contra ſecundò: Quia dato, quod vnus Filius ſit terminus adæquatus, adhuc non poteſt multiplicari relatio; & probatur, quia ſimilitudo inter duas paternitates habet pro termino adæquato vnam paternitatem, & pro alio termino adæquato aliam ſimilitudinem, quæ eſt inter alias duas paternitates abſque alio reſpectu ſuperaddito, ergo eadem relatio poteſt habere plures terminos adæquatos, aliàs, vt dictum eſt in ſecunda ratione ſuprà allata, daretur proceſſus in infinitum.

Respondet Meldul. cum aliis *num.* 98. *ad* 3. negando paritatem de reſpectu, quem ſimilitudo importat ad paternitatem vt ad terminum, & ad aliam ſimilitudinem inter duas alias paternitates, quia vtraque ſimilitudo eſt ita quo, vt non poteſt eſſe quod, vnde non poteſt dici illa ſimilitudo ſimilis alteri ſimilitudini, ſicque nec multiplicari.

Contra: Quia illæ duæ ſimilitudines, vel ſint quo, vel ſint quod, ſunt realiter diſtinctæ à fundaméto, ergo diuerſæ, quod nec poſſunt ipſi Scotiſtæ negare, nempè diſtinctionem realẽ inter fundamentum, & relationem realem; quo ſuppoſito ſumamus ſimilitudinem huius paternitatis ad aliam paternitatem, hæc neceſſariò diſtinguitur à fundamento, verbi gratiâ à Petro, & termino verbi gratiâ à Paulo, deinde comparemus hanc ſimilitudinem ad aliam ſimilitudinem, quæ inhæſiuè eſt in alio Patre, verbi gratiâ in Martino; certum eſt, quod vtraque diſtinguitur realiter à ſuo fundamento, & prima ſimilitudo realiter diſtinguitur ab alia, cùm ſint in diuerſis ſubiectis, & ſi hoc eſt, ergo ſunt diſtinctæ per aliam relationem, & deinde vrget argumentum ſuprà allatum ſecundo loco: Vnde patet ipſos non poſſe effugere proceſſum in infinitum; quare ipſe Meldul. *num.* 98. *in fine* fatetur, quod hæc ratio eſt difficilis ſolutionis.

519. Contra tertiò, Cum poſterius

Digitized by Google

ſterius eſſentialiter dependet à priori, non poteſt multiplicari poſterius non multiplicato priori, ſed paternitas dependet eſſentialiter à fundamento, ergo non multiplicato fundamento, & ſubiecto, non poteſt relatio in ipſo exiſtens multiplicari. Probatur, & explicatur Maior, quando natura coniunxit principium effectiuum, & paſſiuum, ſeu receptiuum aptitudinis, ſeu etiam actus ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis, communiter iſta adæquauit; vnde rationalitas eſt principium tantùm vnius riſibilitatis, & riſibilitas vnius actus non plurium ſimul, ſic materia vnam formam poteſt ſimul recipere, vnus paries vnam albedinem, ſed fundamentum eſt principium actiuum, & ſimul receptiuum reſpectu aptitudinis ad recipiendam relationem identitatis in ſubſtantia, æqualitatis in quantitate, & ſimilitudinis in qualitate; ergo in vno fundamento eſt vnica tantùm aptitudo, & vnus actus ei correſpondens adæquans ipſam aptitudinem, ergo non datur niſi vna paternitas in Patre, &c.

Probatvr quintò: A quo aliquid habet entitatem, ab eo habet vnitatem, & multitudinem conſequentem ad entitatem; ſed relatio cauſaliter habet entitatem ſpecificam à fundamento, numericam à ſubiecto; ergo relatio in vno ſubiecto, & fundamento non niſi vna ſpecie, & vna numero eiuſdem ſpeciei.

520. Probatvr ſextò: In fundamento illimitato ideſt eſſentia Diuina non poſſunt eſſe plures relationes eiuſdem rationis ad diuerſos terminos materiales ſtante eodem formali, ergo multò minùs in fundamento limitato. Antecedens patet, quia ſpiratio paſſiua Spiritus Sancti terminat ad Patrem, & Filium ſpirantes vna numero relatione, quia eſt vnum fundamentum, ſcilicet vna voluntas, ergo.

Respondet Baſſolius negando paritatem, nam in Diuinis quælibet relatio eſt de ſe hæc propter ſummam actualitatem: In creatis verò nequaquam, ob id relationes Diuinæ eiuſdem rationis ſunt immultiplicabiles.

Contra inſurgit Ferchius *tom. 1. de Angelis quæſt. 23. num. 10.* Immultiplicabilitas in Diuinis eſt in eſſentia ratione ſummæ actualitatis, multiplicabilitas eſt in relationibus, ergo nulla reſponſio, ſed non poſſunt multiplicari numero ſolùm ob multiplicationem terminorum; ergo illa actualitas ſumma allata à Baſſolio non tollit paritatem. Vnde patet, quomodo in hac reſponſione æquiuocatur, & committitur fallacia accidentis non cauſæ, vt cauſæ, &c.

521. Probatvr ſeptimò: Idem Filius vna Filiatione reſpicit Patrem, & Matrem ex S. Doct. *lib. 3. diſtinct. 8. q. 2. art. 2. in fund.* quod ſaltem non poteſt negari de Chriſto, ergo eadem relatio non poteſt habere plures terminos adæquatos.

Dices ex S. Doct. *lib. 3. diſt. 21. art. 1. quæſt. 3. in corp.* In Chriſto poſt ſeparationem animæ erat duplex vnio ſcilicet ad animam, & corpus ob duplex extremum, ergo ex multiplicatione terminorum multiplicantur relationes.

Respondetvr ex eodem S. D. negando conſequentiam, nam vult S. Doct. contra Scotum, quod in Chriſto fuerit vnica vnio, ſed completa ex duplici vnione integrali, &c.

Obiicies primò cum Scoto, ſi filiatio (loquitur de filiatione Chriſti per ordinem ad Patrem, & ad B. Virginem) non plurificatur, quia eſt perſonæ, licèt fundamentum plurificetur, aut hoc filiationi competit, vt relatio

eſt

eſt originis, aut vt filiatio eſt: Non primum, quia in Chriſto non eſſent duæ relationes originis, ſcilicet generatio, & ſpiratio, ergo hæc immultiplicatio non eſt, quia relationes ſint originis; ergo nec in ſuppoſitis creatis, ſed id nec eſt, prout filiatio eſt. Probatur, quia non plùs repugnat multiplicari in ſuppoſito duas relationes originis, quàm duas origines, ſed in Chriſto ſunt duæ origines, ſcilicet æterna, & temporalis; ergo & duæ filiationes; origo enim eſt etiam relatio.

Ferchivs *citat. num.* 12. aduertit hoc argumentum eſſe ſpeciale de filiatione Chriſti, nec facilè poſſe aptari cæteris relationibus. Aduertit etiam diuiſionem eſſe inſufficientem, & in antecedente ſupponi falſum, nempè diuiſionem non excogitatam à Seraph. Doct. falſum enim eſt, quod dixerit relationes non multiplicari, licèt fundamentum plurificetur, nam S. Doct. docet, quod ad multiplicationem fundamenti formalis multiplicantur etiam relationes ſpecie, & etiam numero, & ad multiplicationem numericam fundamenti multiplicantur relationes numero, ſed negat ſolùm, quod in vno fundamento ſpecie, & numero tanquam in vno ſingulari ſubiecto eſſe valeant plures relationes ſolo numero differentes. Hinc in argumento eſt fallacia non cauſæ vt cauſæ, nec aliquid concludit contra nos. Vnde reſpondetur filiationem non multiplicari non ob aliquam rationem aſſignatam à Scoto, ſed quia repugnant plures relationes in fundamento ſpecie, & numero vno, & ſingulari.

522. Obiicies ſecundò: In omni ordine eſſentiali cum vnitate prioris eſſentialiter poteſt ſtare pluralitas poſterioris naturaliter non per ſe, nec adæquatè inhærentis priori, ſed ſubiectum eſt prius relatione, quæ ei inhæret non per ſe, nec adæquatè, ſed accidentaliter, ergo poteſt ſtare multiplicatio relationum in eodem ſubiecto. Maior patet in ſimili de cauſa vnica, & de multiplicitate effectuum. Et ſi reſpondeas Maior. eſſe veram de abſolutis in eodem perfectibili, vt eſt in ſubiecto reſpectu plurium perfectionum, non tamen de relationibus eiuſdem ſpeciei.

Insvrgvnt denuò pro relationibus, quia eadem ratio currit de relationibus accidentalibus. Confirmatur, quia ſicut paternitas fundatur ſuper genuiſſe, ita hæc paternitas ſuper hoc genuiſſe; ergo in eodem Patre poſſunt eſſe plures paternitates, quia poſſunt multiplicari actiones generatiuæ.

Respondetvr negando antecedens. Et ad confirmationem reſpondetur negando generationem eſſe fundamentum paternitatis ſolùmque eſt diſpoſitio præuia; fundamentum enim eſt principium à quo ſcilicet ipſa natura communicabilis per modum naturæ, ſubiectum in quo eſt ipſum ſuppoſitum, idque patet, quia generatione tranſeunte remanet relatio, & conſequenter fundamentum formale. Hinc eadem forma manente non poteſt induci noua forma eiuſdem rationis in eodem ſubiecto.

Respondetvr tandem illam Maiorem propoſitionem Scotiſticam (cum vnitate prioris poteſt ſtare multiplicitas poſterioris) eſſe vniuerſaliter falſam tum in prædicatis primi modi, & ſecundi, tum etiam in accidentalibus, patetque, quia differentia prior, v. g. rationalitas non poteſt ſtare cum multitudine ſpeciei poſterioris, ſic nec realitas generis cũ differentia, ſic nec vnum ſubiectum poteſt habere plures per ſe proprietates eiuſdem rationis, item nec ſubiectum in ordine ad accidens eiuſdem rationis,

rationis, cùm enim accidens contrahatur per duplex contrahens ſcilicet per vnum intrinſecum, ſcilicet per differentiam indiuidualem, & per aliud extrinſecum, ſcilicet ſubiectum, quod præſupponitur ipſi accidenti, vt in ipſo recipiatur, & ab ipſo determinetur; hinc patet, quam labilis ſit illa Maior propoſitio: Et ad id de multiplicatione effectuum: reſpondetur negando paritatem, nam effectus ſunt inadæquati, nec inexiſtunt ſicut relatio in ſubiecto.

523. Obiicies tertiò: Correlatiua ſunt ſimul natura, ita quod deſtructo vno, & reliquum deſtruitur, ergo deſtructa hac filiatione in hôc filio, deſtruitur hæc paternitas, ſed remanet paternitas, mortuo primo filio reſpectu ſecundi filij, ergo per aliam paternitatem diuerſam numero, quæ inæsrat in Patre.

Respondetvr concedendo Maiorem in hoc ſenſu, deſtructo termino formali deſtruitur relatio, non verò ſi deſtruitur terminus materialis: Ad probationem reſpondetur negando hunc Filium, vt talem eſſe terminum formalem paternitatis, ſed eſt natura communis communicata omnibus filiis, qua ſuperſtite in Filio aliquo, relatio ſupereſt in Patre, licèt correlatio in vno filio deſtruatur.

Dices: Non ne deſtructa relatione Filiationis deſtruitur correlatio?

Respondetvr, ſi terminus formalis in omnibus Filiis deſtruatur, deſtruetur correlatio, ſin autem, minimè, quæ reſponſio eſt deſumpta ex doctrina verè Seraphica, quam tradit S. Doct. *lib. 1. diſt. 5. art. 2. quæſt. 1.* ſic dicens; Generatio de ſua communi ratione ad ſubſtantiam terminatur, ſed attendendum, quod ſubſtantia eſt duplex, ſcilicet prima ſiue indiuiduum, & ſecunda ſiue natura communis, & de termino generationis eſt loqui vel ſecundùm productionem, vel ſecundùm intentionem; Primo modo, cùm fiat circa ſingulare, terminus generationis eſt ſubſtantia prima; ſecundo modo terminus eſt natura communis; generans enim intendit ei dare naturam communem, ſed quia in creaturis forma communis numeratur in ſuppoſitis, ideò in illis forma communis producitur, & corrumpitur, & ideò in creaturis, generatio non tantùm ſecundùm intentionem, ſed & ſecundùm productionem ad ſubſtantiam communem terminatur, & ideò vniuerſale in particulari generatur, quia numeratur: Hæc Seraph. Doct. ex quibus patet, quomodo numeratio ſe habet veluti quid extrinſecum: & terminus generationis formalis eſt ipſa natura, non hæc filiatio niſi ex conſequenti.

524. Obiicies Quartò: Paternitas eſt vltimatè talis, quatenùs eſt vltimatè ad hunc Filium, ergo deſtructo Filio non ampliùs eſt talis illa relatio.

Respondetvr concedendo totum de termino formali, negando de materiali, materialis autem eſt, ſi conſideratur per ordinem ad hunc, vel ſecundum, vel tertium Filium, formalis autem eſt ipſa natura communicata, in quocunque illa ſit, per quam Paternitas eſt ad aliud formaliter.

Obiicies Quintò: Poſito fundamento proximo relationis, & termino ponitur neceſſariò relatio; ergo poſito nouo fundamento, & nouo termino conſurgit relatio noua, ſed poſito nouo Filio ponitur noua generatio in Patre, quæ eſt nouum fundamentum, & ponitur nouus Filius, qui eſt terminus nouus, ergo noua relatio.

Respondent Thomiſtæ concedendo antecedens primum, ſi ſubie-

ctum ſit capax, negando, ſi non eſt capax, vt euenit in propoſito: ſed ex S. Doct. reſpondetur conceſſo antecedente, & negando conſequentiam; Ad probationem reſpondetur negando, quod noua generatio actiua ſit fundamentum relationis, eſt quidem diſpoſitio neceſſaria; fundamentum enim proximum relationis eſt ipſa ſubſtantia communicabilis cum potentia generatiua, quæ non multiplicatur in vnum, & in plura, ob idque poteſt plures terminos materiales habere: Hinc poſito nouo Filio ponitur nouus terminus materialis, non formalis, ſicque alio modo materiali reſpicit nouum Filium, non verò formali, & eſſentiali.

Obiicies Sextò: Pater habens plures Filios eſt terminus plurium filiationum, & non eſt ſecundùm eandem rationem terminus, ſed ſecundùm diuerſas rationes formales, nempè ſecundùm diuerſas generationes adæquatas, ergo & in ipſo vt in fundamento adſunt plures rationes formales, ſecundùm quas ordinatur ad Filios plures vt ad plures terminos.

525. Respondetvr primò negando, quod Pater ſit terminus formalis plurium relationum ſecundùm plures rationes formales, ſed tantùm materiales: Eſt enim terminus formalis ſecundùm vnam potentiam generatiuam actiuam, licèt ſecundùm plures actiones generatiuas.

Respondetvr ſecundò ex S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. quod illæ filiationes conſtituunt vnicam relationem formalem; Vna enim relatio ſecundùm eſſe formale poteſt eſſe in pluribus ſubiectis ob vnicam rationem fundandi, quæ eſt eadem natura communis participata, licèt materialiter ſint multæ plurium ſubiectorum, ſic etiam ternarius eſt in pluribus ſubiectis materialiter ſumptis; hinc negatur conſequentia.

Obiicies ſeptimò: Pater reſpicit plures Filios, hocque vel alia, & alia relatione, vel non, ſi primum, habetur intentum; ſi ſecundum, tamen ſuperadditur nouus reſpectus ex Seraph. Doct. ergo noua relatio diſtincta numero.

Respondetvr ex eodem Seraph. Doct. & ex traditis *in* 2. *&* 3. *Not.* Patrem reſpicere ſecundum, & tertium Filium non alia relatione formali, licèt alio modo materiali, ſcilicet alio reſpectu extrinſecè, & obiectiuè addito primæ relationi, ſic negatur Conſequentia.

Obiicies octauò: Vbi ſunt plura fundamenta formalia reſpicientia plures terminos, ibi ſunt plures relationes, ſed in eodem Patre ſunt plura fundamenta numero ad plures Filios, nempè plures actiones generatiuæ, vt patet etiam in Chriſto, in quo ſunt plures generationes paſſiuæ, ergo plures Filiationes ſcilicet æterna, & temporalis.

Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 8. *art.* 2. *quæſt.* 2. quod vbi ſunt plura fundamenta formalia, ibi etiam ſunt plures relationes ſpecificæ, & ob id etiam diuerſitates terminorum: Ad minorem reſpondetur ex S. Doct. *ibid. quæſt.* 2. *ad* 1. *&* 4. *&* *quæſt.* 1. *ibid.* concedendo, quod ibi ſunt plures actiones generatiuæ, & in Chriſto duæ generationes paſſiuæ, ſed negatur inde ſequi multiplicationem relationum, & maximè quando vna præſupponit, & ſubordinatur alteri; Ratio eſt, quia, vt *ibid. quæſt.* 1. dicit, actiones numerantur non præciſè ratione ſubiecti, vel termini, ſed principaliter ratione menſuræ, & minùs principaliter ratione principij, quia ſic

alio, vel alio tempore, at relatio numeratur principaliter penes ſubiectum in quo, quia reſpicit ipſum ſubiectum, vel perſonam, & minùs principaliter penes principium, & cauſam, hinc rectè Chriſtus dicitur bis natus, & Pater pluries generans plures filios, non verò habere plures relationes. Tum etiam quia generationis actio non eſt fundamentum, ſed conditio prævia, vt dictum eſt.

Obiicies nonò ex Baſſol. *lib.* 3. *diſt.* 8. *quæſt.* 1. Vno Filio deſtructo, deſtruitur Filiatio in ipſo, relatiua enim poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt, ergo & deſtruitur paternitas in Patre, & tamen manet ad alium Filium, ergo erant duæ paternitates. Confirmatur, ſicut paternitate abſolutè Pater refertur ad Filium, ita hac paternitate ad hunc Filium, & relatione oppoſita huic filiationi, ergo ſicut deſtructâ filiatione deſtruitur paternitas, ita deſtructâ hac filiatione deſtruitur hæc paternitas, & tamen manet altera ad alium; ergo.

526. Respondetvr, quod aliud eſt eſſe relatiuum; aliud relationem, relatiua poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt, concedo de formalibus, nego de materialibus, ſcilicet nego, quod relatio perimatur, etiamſi correlatio perimatur, dummodò terminus formalis, à quo relatio eſſentialiter dependet, remaneat. Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens abſolutè. Pater enim paternitate refertur ad Filium, & hac paternitate non ſolùm ad hunc, ſed ad quemcunque Filium eo, quod paternitas eſt hæc, & ſingularis à ſubiecto in quo, non à termino ad quem. Vnde paternitas vt ſic habet eſſe à principio à quo, hæc paternitas verò à ſubiecto in quo. Hinc ad conſequens negatur paritas, nam deſtructa filiatione deſtruitur paternitas formaliter, quia deeſt terminus formalis, non verò deſtructâ hac filiatione deſtruitur paternitas hæc, dummodò remaneat terminus formalis, & ſubiectum in quo, quia non dependet eſſentialiter ab hoc Filio, ſed à termino formali.

Instat hîc Fonſeca *cit.* Singulum correlatiuum poteſt eſſe formalis terminus, ſi enim moritur primus Filius, remanet adhuc paternitas ad ſecundum, ergo ſingulum eſt totale, & adæquatum.

Respondetvr concedendo antecedens, & negando conſequentiam: Ratio eſt ſuprà allata, quia terminus formalis non eſt vel vnum, vel plura correlatiua, ſed eſt ipſa natura communis communicata vel vni, vel pluribus conſeruans vnitatem diuerſam ab vnitate, & multitudine ſingularium ex S. Doct. *ſerm.* 4. *Hexaëm.* Quare deſtructo vno termino materiali non tollitur, vel ponitur totalitas, vel partialitas in termino materiali. Vnde in caſu mortis primi Filij, ſecundus eſt adæquatus terminus per accidens: ſinguli enim ſimul ſunt, in quibus totus terminus formalis eſt.

Ferchivs aliam reſponſionem affert huic obiectioni Fonſecæ dicens, quod aliud eſt totum actu, aliud totum in potentia; primum eſt ex partibus, quas omnes ſupponit vt integrantes ipſum; ſecundum eſt in partibus ita, quod tam poteſt eſſe totum in vno, quàm in omnibus, ob idque humanitas eſt totum poteſtatiuum, quod eſt totum tam in vno, quàm in pluribus, hæc enim multiplicatio eſt ei per accidens, & veluti materialis; ſic in propoſito relatio non conficitur ex pluribus ſingularibus terminis, ſed eſt tota tam in vno termino, quàm in pluribus; hæc

enim pluralitas eſt ei per accidens, & veluti materialis.

527. Obiicies decimò: Correlatiua non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari ſunt ſimul natura, immò conuenit hæc conditio correlatiuis in communi, quia conuenit ſingularibus. At hîc Pater non eſt ſimul natura cum primogenito ratione eius paternitatis, qua reſpicit ſecundum Filium, ſed eſt antecedens, & deſtructo filio ſecundo adhuc remanet illa antecedenter, ergo alia relatione.

Respondetur concedendo Maiorem de termino formali, negando de materiali, nam Pater, & hic Pater reſpicit Filium, & hunc Filium, & primogenitum, & ſecundo, & tertio non vt primo, vel ſecundo genitum, ſed vt Filium genitum ratione naturæ humanæ communicabilis, & communicatæ. Et hinc negatur Minor quoad terminum formalem, conceditur quoad materialem, reſpicit enim Pater Filium vtrumque ſub ratione communi reali non extra ſingularia, ſed in eis, ſiue vno, ſiue multis.

Instat hîc Fonſeca contra: Si Pater eadem relatione reſpicit omnes Filios, quotquot habet, & habiturus eſt, ſanè extincto primo, necdum nato ſecundo, perit illa relatio Patris; deinde nato ſecundo, iterum eadem numero rediret, ex quo ſequitur, quod forma extincta denuò viribus naturæ redeat, quod eſt contra totam Philoſophiam.

Respondetur, quod vnica forma datur relationis in Patre ad plures Filios, quos habet, & habiturus eſt ſucceſſiuè ratione vnius ſubiecti in quo: Attamen in caſu ſuppoſito negatur, quod eadem relatio redeat, ſed eſt noua relatio prima extinctâ, nec hæc obiectio facit cõtra noſtram Concluſionem.

Obiicies vndecimò cum Soncin. 5. *Met. quæſt.* 32. (licèt nobiſcum ſentiat) Nihil fit ex independente dependens ab aliquo ſine ſui mutatione, ſed Pater habens vnum Filium eſt independens ad ſecundum, qui ſi naſcitur, tunc fit dependens, ergo mutatur, ſed non mutatur ſecundùm eſſe abſolutum, ergo ſecundùm relatiuum, atque ideò per nouam relationem.

Respondetur, quod illa noua dependentia eſt accidentalis, & mutatio etiam accidentalis non quidem facta intrinſecè in Patre, ſed extrinſecè per nouum Filium: Vnde dependentia relatiui ad terminum eſſentialis eſt ad formalem, non ad materialem.

Obiicies duodecimò: Vna via eſt ſolùm inter duos terminos, ergo & relatio ſolùm inter duo, eſt enim veluti via inter ipſa.

Respondetur concedendo antecedens de terminis formalibus, negatur de materialibus: Relatio quidem ſpecificatur extrinſecè per duos terminos, ſcilicet principaliter per fundamentum, & minùs principaliter per terminum, at non indiuiduatur, ſeu numeratur per terminum. Ratio eſt, quia accidens, quod habet idem pro cauſa, & ſubiecto, eſt entis ſcilicet ſubiecti ſe habentis ad aliud, ob idque numeratur penes ſubiectum; ſic ex Ariſtot. 5. *Met.* 16. & 7. *Met.* 2.

528. Obiicies tertiodecimò: Relatio priùs reſpicit terminum, quàm fundamentum, ergo eſt in eſſe, antequàm intelligatur in ſubiecto, vel fundamento. Probatur antecedens, quia abſolutum, & reſpectiuum ſunt differentiæ entis, & in eodem ſigno conſtituentes abſolutum, & reſpectiuum; ſed accidens abſolutum priùs eſt ad ſe, quàm ſit in ſubiecto; ergo & relatio priùs eſt ad aliud, quàm ſit in fundamento. Hoc

Digitized by Google

argumentum eſt idem, quod ſuprà conficit Trombeta *in quaſt.* 4. & quod ibidem fuit ſolutum, & cui nunc iterum.

Respondetvr alio modo ad rem noſtram negando antecedens: extrema enim formalia ſunt ſimul natura, & ſi non ſint ſimul, vt poſſet probari: Fundamentum eſt prius termino quoad eſſe ſpecificum relationis; quoad eſſe numericum verò negatur, quod ſit poſteriùs termino ſingulari in genere cauſæ, cùm à termino ſingulari per accidens dependeat: Ad Probationem antecedentis.

Respondetvr primò, quod poſſet concedi in generibus ſcilicet in eodem ſigno conſtitui vtramque ſpeciem per ambas differentias, negatur de ente, quod eſt analogum; Vnde priùs deſcendet in abſolutum, quàm in reſpectiuum.

Respondetvr ſecundò, quod datâ Maiori, & Minori infertur rectè, quod abſolutum, & relatio habent eſſe ſpecificum, & indiuiduum per proprias differentias, antequàm habeant reſpectum inhærentiæ in ſubiecto in quo. Attamen quoad vnitatem, & multitudinem numeralem extrinſecè accipiunt à ſubiecto præſuppoſito, & relatio præcipuè ab ipſo ſubiecto, non à fundamento; ſubiectum enim in quo præſupponitur accidenti, à quo accipit extrinſecè vnitatem, vel multitudinem numeralem, non à termino.

Qværes: Illa diuerſitas materialis qualem diſtinctionem inferat in relationibus.

Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 8. *art.* 2. *quaſt.* 2. *ad vlt.* facere relationem ſecundùm rationem ideſt conceptum obiectiuum: Sunt enim diuerſæ formalitates.

QVÆSTIO VII.

Quodnam ſit genus generaliſſimum huius Prædicamenti, & Quomodo diuidatur in ſuas ſpecies, &c.

519. Primò Notandum, quod Genus Relationis poteſt conſiderari dupliciter: Primò intrinſecè, ſecundò extrinſecè: Primo modo intrinſecè per ordinem ad ſua inferiora, ſcilicet ad ſpecies ſubalternas, & ad indiuidua, vt euenit in quolibet alio prædicamento; & ſecundùm hunc reſpectum habet proprias differentias ſpecificas, & indiuiduales, vt diximus in ſuperioribus; ſecundo modo poteſt conſiderari per ordinem ad extrema, quæ ſunt extra ipſius quidditatem; ſcilicet per ordinem ad fundamentum, & terminum, à quibus extrinſecè poſſumus colligere varias eius ſpecies; reſpectu autem primi modi intrinſeci, hîc quæritur primò, quodnam ſit genus generaliſſimum ſiue relationis, ſiue relatiuorum: Secundò, quænam ſint eius ſpecies: Circa quod adeſt Gordianus nodus ſoluendus, nam cùm relatiua ſint eſſentialiter ad aliud tanquam ad ſuum correlatiuum, ſimulque natura, videtur, quod primò, & principaliter debeant aſſignari duo ſuprema genera nempè ipſa duo correlatiua: Cui dubitationi varij variè reſpondent, vt videre eſt apud Meldul. *hîc num.* 135. & præcipuè Thomiſtæ, qui ab ipſa valdè vrgentur, dum ponunt ſemper in quacunque relatione terminum correlatiuum, qui duas reſponſiones afferunt; Prima eſt, quod ſupremum genus huius relationis eſt conceptus ipſius

ſumptus

Digitized by Google

ſumptus in actu ſignato, non exercitè, prout importat terminum, quæ reſponſio non ſatisfacit, cùm impoſſibile ſit concipere relationem abſque termino. Secunda eſt Complut. *hic quæſt. 6.* in fine dicentium relationem præſcindere à mutuis, & non mutuis, ob idque præſcindere ab hoc, quod in correlatiuo adſit, vel non adſit vera correlatio, vel tantùm denominatio pura, vt eſt in non mutuis, quæ reſponſio nec ſatisfacit, cùm illa præciſio ab inhærentia in termino, & à non inhærentia non poſſit eſſe quid commune vtriſque: Tartaretus docet relatiuum in communi referri non tamen ſecundùm ſe, ſed tantùm prout deſcendit ad inferiora, ob idque ſecundùm ſe non includit correlatiuum, quod tamen nec ſatisfacit, cùm tàm relatiuum in communi, quàm in particulari dicit ordinem ad terminum correlatiuum.

530. Nos verò dicimus cum S. Doct. ſuprà in Quæſtione Quinta ad Sextum quæſitum allato ſupponentes relationem quamcunque terminare ad abſolutum, non ad reſpectiuum, & conſequenter totam relationem ſtare ex parte fundamenti, à quo oritur, & in quo ineſt: Primò dicimus ſupremum genus dari in hoc prædicamento tàm in concreto, quàm in abſtracto, quod vniuocè prædicatur de omnibus relationibus, quæ directè collocantur in hoc prædicamento; Eſt S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 26. art. 1. quæſt. 2. & aliis locis aliàs cit.*

Probatur, quia ſi non datur id maximè, quia relatiuum ordinatur ad correlatiuum, & hæc non ſunt vnum, ſed duo diſtincta realiter; at id non impedit: Probatur Minor, quia relatio tantùm eſſentialiter ordinat fundamentum ad terminum abſolutum ſiue formaliter, ſiue æquiualenter, ſed abſolutum non poteſt perturbare relatiuum formale, cùm non ſit de eius quidditate, ergo datur vnus conceptus vniuocus cōmunis, qui eſt ratio referendi. Addimus talem conceptum competere & relatiuo, & relationi, cùm concretum, & abſtractum non differant niſi in modo ſignificandi formam, vt notat S. Doct. *lib. 1. diſtinct. 31. art. 1. quæſt. 2.*

Dices: Dantur veræ relationes in Diuinis, & tamen non conueniunt in hoc conceptu prædicamentali, cùm non ſint accidentia; ergo falſum eſt dari genus generaliſſimum huius prædicamenti.

Respondetur concedendo Antecedens: Relationes enim in Diuinis licèt conueniant in conceptu tranſcendentaliſſimo, qui eſt ratio referendi vnum ad aliud, vt rectè docet S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 26. art. 1. quæſt. 1.* tamen cùm ſint ſubſiſtentes, & identificatæ cum eſſentia Diuina, non conueniunt vniuocè in conceptu limitato, qui eſt referre vnum ad aliud accidentaliter realiter, & ex natura extremorum, quæ referuntur, ſic negatur Conſequentia.

Contra: Idem conceptus competit etiam relationibus tranſcendentalibus; ergo nulla reſponſio:

Respondetur omnes relationes conuenire in conceptu tranſcendentali referendi vnum ad aliud: attamen tranſcendentales non conueniunt in hoc conceptu referendi accidentaliter, & extrinſecè vnum ad aliud, ſicut faciunt relationes prædicamentales: Hinc ſequitur, quod conceptus huius generis generaliſſimi eſt referre fundamentum realiter à ſe diſtinctum ad aliud, quod tantùm competere poteſt relationi prædicamentali.

531. Secundò Dicimus, quod relatio

relatio conſiderata ſuprà dicto modo vniuoco habet ſub ſe varia genera, & ſpecies ſubalternas, & ſuas differentias tam ſpecificas, quàm indiuiduas, vt dictum eſt, & poteſt fieri diuiſio hoc pacto. Relationum prædicamentalium aliæ ſunt, quæ eodem nomine nominantur, & dicuntur æquiparantiæ, vt ſimilitudo, æqualitas. Aliæ, quæ diuerſo nomine nominantur, vt paternitas, Filiatio, cauſa, effectus, & dicuntur diſquiparantiæ. Rurſus Relationum æquiparantiæ aliæ ſunt, quæ fundantur ſuper vnitatem ſiue genericam, ſiue ſpecificam, vt ſimilitudo, æqualitas; aliæ, quæ fundantur ſuper pluralitatem, vt diſſimilitudo, inæqualitas, & omnes diuiduntur in hanc, & illam indiuiduam. Relationum verò diſquiparantiæ aliæ ſunt ſuperpoſitionis, vt relationes Patris, Domini, cauſæ, producentis. Aliæ ſuppoſitionis vt relatio ſerui, ſubditi, effectus, & producti; ſic S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 30. art. 1. q 3. ad 5.* Et hæc quoad primam partem huius quæſtionis, & quoad rationem intrinſecam relationum.

532. Qvoad ſecundam partem ſcilicet quoad rationem extrinſecam relationum. Quæritur, an ſufficienter Ariſtot. per ordinem ad triplex fundamentum diuiſerit relationes, quarum primum eſt earum, quæ fundantur ſuper vnitatem, & multitudinem; ſecundum ſuper originem, & cauſalitatem; tertium ſuper menſurabile, & menſuram, & hac occaſione examinabitur hæc triplex diuiſio.

Primvm genus eſt earum, quæ fundantur ſuper vnitatem, & multitudinem; & eſt quæſtio, de qua vnitate, & multitudine ſit hîc ſermo.

Commvniter omnes docent hîc eſſe ſermonem non de vnitate, & multitudine quantitatiua, ſed de entitatiua, ſiue tranſcendentali, quatenùs dicunt conuenientiam, vel diſconuenientiam realem in prædicato communi, quæ eſt communis tum ſubſtantiæ, tum quantitati, tum qualitati, immò & cæteris prædicamentis; & idem ſupponit S. D. *lib. 1. diſt. 31. part. 1. per totam*, dum docet vnitatem in ſubſtantia fundare relationem identitatis, diſconuenientiam verò relationem diuerſitatis, in quantitate accidentali relationem æqualitatis, & inæqualitatis; in qualitate accidentali relationem ſimilitudinis, & diſſimilitudinis; ſi verò ſumitur quantitas, & qualitas non pro accidentali, ſed pro entitatiuo, & perfectionali tunc fundatur relatio entitatiua æqualitatis, inæqualitatis,& ſimilitudinis, & diſſimilitudinis entitatiuæ, & perfectionalis, qualis etiam recognoſcitur inter perſonas Diuinas. Verum quidem eſt, quod loquendo in toto rigore magis propriè ſubſtantia tantùm fundat relationem identitatis,& diſtinctionis,qualitas, & quantitas accidentalis, relationes ſimilitudinis, & æqualitatis. Et in hoc ſenſu dixit S. Doct. *lib. 1. diſt. 30. quæſt. 3. & diſtinct. 31. art. 1. quæſt. 2. & lib. 2. diſt. 1. part. 1. quæſt. vltim.* iſtas relationes fundari ſuper proprietatem accidentalem, ſcilicet ſuper quantitatem, & qualitatem.

533. Secvndvm genus relationum eſt earum, quæ fundantur ſuper originem, & cauſalitatem; de quibus Quæritur, an hoc fundamentum ſit actio productiua actualis, an potentia actiua, & paſſiua præciſa, an ſubſtantia ſimul cum potentia. Thomiſtæ communiter docent hanc relationem fundari in actione, & paſſione actuali. Scotiſtæ in potentia actiua, & paſſiua, actionem verò, & paſſionem prærequiri veluti conditiones, ad hoc vt ponantur extrema ſcilicet fundamentum,

&

& terminus, ex quorum poſitione inſurgit relatio. Meldul. *hic num.* 162. nouam inter Scotiſtas opinionem adinuenit nempè relationem, quæ eſt inter cauſam, & effectum, qui dependet à cauſa non ſolùm in fieri, ſed & in conſeruari vt lumen, ſonus adhuc poſt primum eſſe conſeruari in eſſe; at inter cauſam, & effectum, qui, poſtquàm factus eſt, non dependet à ſua cauſa in conſeruari, vt eſt Filius à Patre productus, non adeſt relatio niſi denominatiua, nempè quod ille generauit, iſte generatus eſt.

S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 7. *in expoſ. Text. & in dub.* 6. *& quæſt.* 3. *&* 4. *& lib.* 1. *diſtinct.* 27. *part.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *&* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 5. *artic.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *& lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *quæſt. vltim.* docet, quod relationes producentis ad productum fundantur ſuper originem cum hoc diſcrimine, quod in Diuinis fundamentum eſt ipſa origo præciſè abſque dependentia; at in creatis adeſt origo cum dependentia, & cum proprietate accidentali, ſic *lib.* 1. *diſtinct.* 30. *quæſt.* 3. Quid autem intelligat per originem, ſe explicat ibid. *lib.* 1. *diſt.* 7. *cit.* dicens, quod hæc origo ſumitur radicaliter ſcilicet pro ipſa ſubſtantia cum potentia generatiua, actiuaque, & cum potentia paſſiua. Ex quo priùs intelligitur ineſſe ipſam rem productam, quàm intelligatur referri, vt effectus ad ſuam cauſam. Subdit *lib.* 2. *diſt.* 30. *art.* 3. *q.* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 5. *citat.* quod in generatione creata tranſmittitur pars ex ipſo generante cum virtute ipſius generantis, ex qua conficitur genitum, & à qua eſſentialiter dependet. Hinc patet, quàm adæquatè S. Bonauent. ſaluet hanc relationem in actu inter Patrem, & Filium, licèt generatio tranſierit, cùm adſit continua dependentia quoad conſeruari ineſſe ab ipſa ſubſtantia immiſſa à generante; & hinc ſequitur, quod, vt notat S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 37. *artic.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2. 3. *&* 4. agens tribuens principia intrinſeca effectui concurrit ex conſequenti non ſolùm ad eſſe, ſed & ad conſeruationem ipſius. Hinc patet, quomodo actualiter Filius dependet à Patre generante, & actu exiſtenti. Hinc

534. Conclvsio: Relationes ſecundi modi non fundantur ſuper actionem, & paſſionem, nec ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam, prout ſtat ſub actu ſecundo reduplicatiuè, ſed fundantur in ſubſtantia, provt dicit potentiam actiuam, & paſſiuam.

Probatvr prima pars, quia remanet vera relatio non exiſtente generatione actuali, ſeu actione, & paſſione, ergo. Antecedens patet, quia remanet effectus ineſſe, & tranſit generatio. Conſequentia probatur, quia relatio non poteſt dari actu ſine fundamento actuali. Nec valet, quod reſpondent Thomiſtæ ſcilicet remanere fundamentum radicale ſcilicet ſubiectum in quo, nam ibi cùm non adſit fundamentum proximum, ſeu ratio fundandi, nec ibi poteſt eſſe relatio ab ipſo reſultans.

Probatvr ſecunda pars, quia fundamentum relationis non eſt tantùm in fieri, ſed & in facto eſſe, & conſeruari, ergo non poteſt eſſe potentia, vt eſt ſub actu. Tum quia, dum eſt ſub actu, adhuc non eſt Filius, ſed tantùm quando proles eſt perfectè organizata.

Probatvr tertia pars, quia tranſactâ generatione remanet relatio; ergo fundatur in fundamento permanente, ſed hoc non poteſt eſſe aliud niſi ſubſtantia cum ſua potentia, ergo. Tum quia remanentibus iiſdem extremis penitùs immutatis manet eadem

relatio

relatio prorſus immutata, ſed permanent ſupra dicta fundamenta immutata, ergo & relatio eadem. Tum quia fundamentum relationis eſt quid abſolutum; ergo eſt ipſa ſubſtantia cum ſua potentia; actio enim eſt relatio, ſeu quid relatiuum.

Obicies pro Thomiſtis: Id eſt principium, & fundamentum relationis, quo poſito ponitur relatio, & quo ablato aufertur, ſed poſitâ generatione actuali ponitur paternitas, & ablata aufertur: ergo.

535. Respondetur concedendo Maiorem, ſi eſt ſermo de eo, quod eſt ratio formalis, negando, ſi eſt tantùm conditio ſine qua non: Hinc negatur Minor, nam datâ actione generatiua adhuc non eſt Pater, ſed tantùm quando eſt organizata proles.

Contra: Agens non dicitur tale à potentia, ſed ſolum ab actione, ergo & relatio agentis non poterit fundari in alio, quàm in actione ordinata ad paſſum.

Respondetur actionem eſſe conditionem tantùm præuiam, vt dictum eſt, ſic negatur Conſequentia.

Obicies Tertiò: Petrus Pater viuente Filio poteſt amittere potentiam generatiuam, verbi gratiâ, ſi caſtretur, tunc enim præciditur ſeminis officina, & etiam poteſt à Deo auferri, ergo ablato hoc fundamento, ſeu ratione fundandi ampliùs non eſt Pater, & tamen verè eſt actu Pater, & Filius, ergo non fundatur in potentia generatiua.

Hvic Obiectioni variè reſpondent: DD. Meldul. reſpondet relationem deperdi quoad eſſe, non quoad denominari, vt ſuprà dixit; Rabeſanus cum Scotiſtis reſpondet verè deperdi relationem & quoad eſſe, & quoad denominari: Alij alias reſponſiones dant, quæ non carent difficultatibus maximis, vt videre eſt apud Meldul. *cit. num.* 161.

536. Nos ex doctrina Seraphica ſuprà data reſpondemus, quod remanet paternitas in eſſe, quia remanet ipſa ſubſtantia intrinſecè potens ſe communicare, & ſubſtantia communicata, illa quidem vt fundamentum, iſta vt terminus *ex lib.* 1. *diſt.* 5. *art.* 2. *quaſt.* 1. in qua adeſt dependentia ad ſuum principium, nec ablatio illius vis generatiuæ actualis aliquid officit, cùm ſit tantùm per ordinem ad nouos filios, non verò ad Filium iam genitum ex eadem ſubſtantia per originem.

Instas: In Patre non adeſt ratio fundandi relationem, ſcilicet potentia generatiua; ergo nulla reſponſio.

Respondetur ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 5. *part.* 2. *art.* 1. *quaſt.* 3. quod potentia naturalis dicitur potentia naturaliter egrediens à ſubſtantia, hocque poteſt eſſe dupliciter; Vno modo potentia egreditur à ſubſtantia cum accidente, vt potentia calefaciendi cum calore, & hæc eſt accidentalis qualitas differens à ſubſtantia: Alio modo eſt potentia, quæ immediatè de ſubſtantia egreditur, vt potentia generandi, & hæc eſt realiter idem cum ſubſtantia, & ab ea inſeparabilis: Vnde patet hanc potentiam ineſſe ſemper ſubſtantiæ, licèt cùm ſit organica, auferatur organum, per quod poterat exire in actum. Ex qua doctrina euidens fit diſcrimen inter agens homogeneum, & heterogeneum; Nam illud non attingit effectum niſi per accidens ſuperadditum: Vnde eius relatio fundatur in ſubſtantia nuda cauſæ ad effectum, Iſtud verò attingit effectum media potentia tantùm formaliter diſtincta ordinata ad effectum producendum, & quia poteſt plures effectus

diuerſæ

Digitized by Google

diuerſæ rationis producere; hinc & multiplex potentia ineſt in ipſo vt potentia generatiua, nutritiua, loco motiua, intellectiua, & volitiua: Hinc ad hoc genus ſpectant omnes relationes, quæ inſunt inter quamlibet cauſam, & effectum.

537. TERTIVM genus communiter dicitur fundari ſuper menſuram, & menſurabile: Circa quod diſquirunt, an conſtituat genus eſſentialiter diuerſum à primis duobus: Communiter aſſerunt D. D. & dicunt, quod ratio fundandi in fundamentis huius generis eſt intima cuiuſque rei perfectio, ſecundùm quod eſt menſurabilis ab alia perfectiori, quæ reſpectu eius habet rationem regulæ, & menſuræ extrinſecæ: Indeque fit, vt in re menſurata ſit vera, & realis dependentia ſaltem in genere quaſi exemplaris cauſæ, & per conſequens vera, & realis relatio, licèt in eo, quod eſt regula perfectionis alterius, nulla ſit dependentia mutua, in quo ſenſu dixit Ariſt. dari in vno quoque genere vnum, quod eſt metrum, & menſura omnium, ſic ſcientia menſuratur à ſcibili, menſurabile à menſura, ſenſus à ſenſibili, ſic Complut. *cit. hic num.* 41. Verum hæc opinio eſt falſa, maléque extorquet ſenſum, & textum Ariſt. vt rectè adnotauit Suarez *in Met. diſp.*47.*ſect.*12. & Meldul. *num.* 165. eo, quod nunquam dixerit has relationes fundari in menſura, aut dici ſecundùm rationem menſuræ, ſicut dixit de primo genere ſecundùm dici ſecundùm vnum, & multa, & de ſecundo genere dici ſecundùm potentiam actiuam, & paſſiuam: Idemque & notauit Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 30. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4. vbi notat, quod relatiua ſecundùm eſſe ſunt in duplici diſcrimine; alia ſunt talia ex parte vtriuſque termini, vt Dominus, & ſeruus; alia ex parte alterius tantùm vt ſcibile, & ſcientia, & menſurabile, & menſura, & ex parte alterius extremi reſpondet relatio ſecundùm dici, vel ſecundùm modum intelligendi tantùm, ita & *ibid. ad* 2. & 3. & ob id, quando diſtinxit genera relationum *in lib.* 1. *diſtinct.* 30. *quæſt.* 3. & *diſtinct.* 31. *art.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.*1. *quæſt. vlt.* dixit aliquas fundari ſuper proprietatem accidentalem, aliquas ſuper originem, & cauſalitatem, & aliquas ſuper dependentiam eſſentialem, nec vllam mentionem fecit de menſura: Vnde ad hoc genus ſpectant relationes tantùm non mutuæ, & denominationes in terminis earum reſultantes ex tali terminatione; & conſequenter differentia iſtius generis ab aliis deſumenda eſt ex difformi extremorum aſſignatione, nempè quatenùs vnum extremum eſt in actu, aliud in potentia tantùm, vt ſcientia ad ſcibile, menſura ad menſurabile: Hinc.

538. PRIMÒ dicimus hoc tertium genus non diſtingui eſſentialiter à primis duobus. Probatur, quia quoad eſſe habent idem fundamentum, ac alia duorum generum, vt ſcientia reſpicit ſcibile ſub ratione vel motiui, vel terminatiui, vel menſuratiui, obidque ſub ratione effectus ad cauſam, vel ſub ratione conuenientiæ ad obiectum, ſed quia in termino reſultat denominatio noua, quatenùs aliud extremum ad ipſum refertur, & terminat, hinc ratione non mutuitatis, & talis denominationis tantùm differt hoc genus ab aliis.

SECVNDÒ dicimus in hoc genere reperiri relationes tum prædicamentales, tum tranſcendentales, vt rectè docet Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 30. *cit.* nam ſcientia, prout ſuperaddit ad eſſe

Digitized by Google

eſſe qualitatiuum ptoprium reſpectum ad ſcibile, ſpectat ad Prædicamentum hoc, dependentia verò creaturæ eſt tranſcendentalis, &c. & quæcunque aliæ, quæ identificantur cum fundamento.

Tertiò dicimus Ariſt. per hos tres modos ſufficienter aſſignaſſe omnia genera relationum, quia omnes, quæ poſſunt excogitari, ad hæc tria capita reduci habent, vt rectè conſideranti patebit, & maximè ex ſuprà traditis.

QVÆSTIO VIII.

Explicantur proprietates relatiuorum.

539. Prima Proprietas relatiuorum eſt, quod habent contrarium, circa quàm quæritur, de qua contrarietate hìc ſit ſermo, & an competat omnibus relationibus tàm prædicamentalibus, quàm tranſcendentalibus, & quomodo. Hinc relictis variis aliorum opinionibus dicimus, relatiua, vt relatiua ſunt, nullam habere oppoſitionem propriam, ſed tantùm impropriè vel ratione fundamenti, vel ratione extremorum: Prima pars patet, quia formalis oppoſitio eſt reſpectu eiuſdem ſubiecti, à quo mutuò aliqua ſe excludunt, ſed relatio reſpicit duo extrema, ergo non poteſt dicere formalem oppoſitionem: Secunda pars etiam patet, quia aliqua dicuntur diſſimilia, vel inæqualia, quia fundamenta non conueniunt in vnum, ſed opponuntur aliquo modo: Vel quia fundamentum eſt relatiuum, terminus eſt quid abſolutum; Vel quia eſt formaliter inter duo extrema realiter diſtincta; hinc impropriiſſimè competit hæc proprietas relationibus tranſcendentalibus, quæ non habent extrema ſeiuncta.

Secunda Proprietas eſt ſuſcipere magis, & minùs, quæ etiam ipſis relatiuis competit ratione fundamenti, non præcisè ratione relationis.

Tertia eſt, quod relatiua dicuntur ad conuertentiam, quod tamen verificatur tantùm de relationibus mutuis, vt docet Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 26. *dub.* 8.

540. Quarta, quod ſunt ſimul natura, de qua proprietate dubitatur, in quo ſenſu ſit iſta ſimultas; Meldul. *hic num.* 184. *& ſeq.* docet talem ſimultatem debere ſumi, verbi gratiâ, Patrem, & Filium non pro denominato, ſiue pro entitatibus abſolutis: Sic enim certum eſt cauſam eſſe priorem effectum ſaltem natura, ſicque vnùm relatiuum non eſt cauſa alterius, licèt enim Pater ſit cauſa Filij non tamen eſt cauſa filiationis, cùm hæc cauſetur ex fundamento, & ratione fundandi in Filio exiſtente; intelligi igitur debet hæc ſimultas formaliter quoad denominationes relatiuas, ita quod poſito priori neceſſariò debet poni poſterius: Vnde prioritas, & poſterioritas ſunt ſimul, prout prius ad poſterius refertur, & è contrà, ita quod quidditatiuè vnum eſt prius altero, non verò denominatiuè: & in hoc ſenſu relatiua dicuntur ſimul natura ideſt exiſtentia, quatenùs implicat, vt vnum relatiuum exiſtat altero non exiſtente, quæ ſimultas non oritur ex mutua dependentia extremorum (diximus enim relationem terminari ad abſolutum) ſed ex concomitantia cauſarum concurrentium ad vtramque relationem exiſtentem in ambobus extremis. Verum tamen eſt, quod hæc ſimultas requiritur tantùm in relatiuis mutuis, & in relatione actuali, nam poteſt dari etiam relatio

Digitized by Google

latio aptitudinalis , vt ſuprà dictum eſt ex Seraphico, vt ſcientia in potentia ad ſcibile in potentia , &c.

QVINTA proprietas , vt etiam ſimul ſint cognitione , quæ ſic debet intelligi ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 26. *dub.* 8. quod ad cognitionem relatiui ſufficiat cognitio termini vt abſoluti, non quatenùs eſt correlatiuus : Vnde cognoſci poteſt Pater , provt terminat ad hunc genitum , licèt non cognoſcatur diſtinctè talis Filiatio, & licèt cauſa ſit naturaliter prior effectu , tamen id non impedit , quod non poſſint ſimul cognoſci.

ET hæc de relationibus ad laudem Dei, Beatæ Virginis , & Seraphici Doctoris Sancti Bonauenturæ.

QVINTA PARS TRACTATVS VI.

De ſex vltimis Prædicamentis.

541. ARISTOTELES parùm immoratur in tractatione horum ſex Prædicamentorum, & hoc quia potiùs ſpectant ad Phyſicam , & de ipſis , vt in proprio loco ibidem agitur. Gillebertus Porectanus autem de ipſis fuſiùs diſſeruit , ea definiens , & diuidens , & tradens eorum proprietates ; ob idque dicitur Author ſex Principiorum , quod & nos breuiſſimè faciemus remittentes ipſorum conſiderationem ad Phyſicam.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. SEx vltima Prædicamenta ſunt Actio, Paſſio, Quando, Vbi,Situs,& Habere;quorum quinque vltima ſpectant propriè ad corpora tantùm. *Breuil. part.* 1. *cap.* 4.

B. ACTIO eſt motus agentis in paſſum ; paſſio verò eſt effectus

Digitized by Google

actionis : Vnde actio neceſſariò infert paſſionem : Actio verò non eſt effectus, ſed eſt id , per quod agens agit, & producitur effectus. *Lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 1. *& lib.* 2. *diſt.* 35. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & ad* 1. *& vltim. & lib.* 3. *diſtinct.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. *& lib.* 4. *diſt.* 44. *part.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 2. *& lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *& ſerm.* 2. *de Apoſtolis, & lib.* 4. *diſt.* 20. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. *& lib.* 2. *diſt.* 35. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1.

C. Actio alia eſt ſecundùm rem ; alia ſecundùm modum tantùm : Prima eſt tranſiens ad extra : Secunda eſt immanens in agente : Prima habet terminum differentem ſecundùm rem : Secunda ſecundùm modum tantùm , ob idque eſt ſimul actio, & paſſio ſecundùm varios reſpectus, vtraque diuiditur in inſtantaneam, & ſucceſſiuam : In prima eſt ſimul fieri , & factum eſſe : In ſecunda nequaquàm : Agere autem, & facere differunt : Nam agere exigit in quid, non quid agat, eſtque proprium creaturarum. Facere exigit, quid agat, non in quid agat, eſtque propriè Dei creantis ; In Sacra Scriptura tamen aliquando ſumuntur pro eodem : Vnde agere tunc tranſmutat ſubiectum, facere producit effectum. *Lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *& lib.* 1. *diſtinct.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& lib.* 4 *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. *& lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *& lib.* 2. *diſt.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2.

D. Actio quælibet in creatis differt ab agente, non in Deo, qui eſt eſſentialiter ſua actio. *Lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 3. *& lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *articul.* 3. *quæſt.* 1. *& lib.* 2. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *dub.* 3. *& lib.* 4. *diſt.* 11. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad argum. & lib.* 4. *diſt.* 17. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 5. *& lib.* 4. *diſt.* 43. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 1. *& lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *& art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 6. *& lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2.

E. Actio, & paſſio dicunt propriè diuerſa genera, differuntque ad inuicem, & hoc maximè in creatis & in corporalibus, nam dantur actiones etiam , quibus reſpondet paſſio tantùm ſecundùm modum , vt in Dei cognitione actiua reſpondet cognoſci. *Lib.* 1. *diſtinct.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 35. *art.* 1. *quæſt.* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 1. *& lib.* 1. *diſt.* 15. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 4. *& lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *& lib.* 4. *diſtinct.* 5. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 2.

F. Qvando vt Prædicamentum eſt diſpoſitio rei ſecundùm tempus

tempus conſignificatum, ſecundùm quam res dicitur in tempore, ſeu duratione, & ſi res eſt temporalis, & corruptibilis, importat variationem cum ſucceſſione, & mutatione; ſi eſt rei æuiternæ, vt ſunt Angeli, importat durationem cum ſucceſſione tantùm, ſi eſt æternæ rei, vt eſt Deus, importat tantùm durationem. Eſſe autem in tempore dicitur dupliciter vel intrinſecè, eſtque per menſuram intrinſecam cuiuſlibet rei; vel extrinſecè, eſtque per menſuram deſumptam à motu primi mobilis. *Lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 3. *& lib.* 1. *diſtinct.* 14. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 4. *& lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 1. *art.* 1. *per totum, & lib.* 4. *diſt.*49. *art.*6. *quæſt.* 1. *ad* 4. *& lib.*2. *diſt.*1. *part.* 1. *art.*1. *quæſt.*2. *in corp. & lib.*2. *diſtinct.* 12. *art.*2. *quæſt.* 2. *ad vltim. & lib.* 1. *diſtinct.* 37. *part.* 2. *dub.* 3.

G. Vbi, ſeu eſſe in loco eſt realis diſpoſitio rei intrinſeca, & abſoluta, ſecundùm quam res ipſa eſt in loco præſens, & indiſtans, & ab eodem loco continetur, & ambitur. Vnde denominatur res eſſe in loco ex tali præſentialitate, & continentia: Quare vbi competit ſubſtantiæ corporali, & ſpirituali, illi quidem circumſcriptiuè, iſti definitiuè tantùm. *Lib.* 1. *diſt.* 37. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *& per totum articulum, & lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 2. *art.* 2. *per totum, & lib.* 4. *diſt.* 12. *part.* 1. *art.*1. *quæſt.* 1.

H. Sitvs eſt poſitio, & ordinatio partium in toto, & in loco, ſeu eſt modus ſpecialis realis intrinſecus, & abſolutus, quo totum corpus, & partes ſe habent ad totum locum, & ad partes loci. Vnde locatum dicit ipſum corpus eſſe in loco tali, & in tali modo. *Lib.* 2. *diſtinct.* 12. *art.* 2. *quæſt.* 3. *per totam, & lib.*4. *diſtinct.* 10. *part.*1. *art.* 1. *quæſt.* 4.

I. Habere, ſeu habitus eſt diſpoſitio corporum, & eorum, quæ exterius corpori accommodantur, vt eſſe veſtitum, armatum, ornatum, calceatum, ſeu eſt adhærentia vnius ſubſtantiæ ad aliam, per quam hæc dicitur eam habens, vnde hæc diſpoſitio mediat inter ipſas. *Lib.*3. *diſt.*6. *dub.*3. *& art.*1. *quæſt.*3. *in corp. & ad* 2.

Scholium ſuper Textum.

Svper Textum nihil modò ſupereſt dicendum, cùm Seraph. Doct. vtatur terminis communibus, quibus & alij in Scholis. Tum etiam quia hæc materia aliàs, vt dictum eſt, in Phyſica examinanda eſt, ſolúmque aduertendum *ad liter. A.* quod S. Doct. dicit ſex vltima Prædicamenta ſpectare pro-

priè ad corpora, obidque quia ſumit illa ſecundùm rationem ſenſibilem, non vt ſic, & ſecundùm rationem præciſam, quia ſpectant etiam ad ſpiritualia, vt aliàs adnotauimus; hîc verò infrà aliqua tantùm magis neceſſaria explicanda ſunt.

QVÆSTIO I.

Quid formaliter dicant ſex vltima Prædicamenta; ideſt an eorum ratio formalis conſiſtat in aliquo intrinſeco, vel in ſola denominatione extrinſeca, & an importet quid abſolutum, an verò puram relationem.

541. PRIMÒ certum eſt hæc prædicamenta conſiſtere in aliquo deſumpto ex adiacentia alicuius extrinſeci, ſed diſcrepant, quidnam ſit iſtud formaliter.

PRIMA Opinio eſt aliquorum Thomiſt. apud Complut. *hîc quæſt.* 1. & apud Meldul. *hîc num.* 191. aſſerentium conſiſtere in mera denominatione extrinſeca, verbi gratiâ, *vbi*, nihil aliud ſit, quàm denominatio extrinſeca, quæ prouênit ſubſtantiæ à ſuperficie continente, quando, à tempore menſurante, habitus, à veſte adiacente: Sic Heruæus *quodlib.* 1. *quæſt.* 9. Iauel. 5. *Met. quæſt.* 23. Sot. hîc, aliique, & tribuitur D. Thomæ *op.* 48. *tract.* 6. *cap.* 1. & *lib.* 3. *Phyſ. lect.* 5. & *lib.* 5. *Met. lect.* 9.

SECVNDA Opinio eſt Scoti, & Scotiſt. aſſerentium eſſe puros reſpectus, ſed extrinſecus aduenientes.

TERTIA Opinio eſt communis aliorum Thomiſtarum aſſerentium conſiſtere in entitate, ſeu modo abſoluto intrinſeco proueniente tamen ex adiacentia rei extrinſecæ, obidque includere reſpectum tranſcendentalem.

QVARTA Opinio eſt Seraph. Doct. qui ex parte conuenit cum ſecunda Scotiſt. & ex parte conuenit cum Tertia Thomiſtarum, vt patebit: Pro ſolutione quæſtionis.

PRIMÒ Notandum: quod denominatio alia eſt extrinſeca, alia intrinſeca, illa eſt à forma in alio ſubiecto exiſtente, vt paries denominatur viſus à viſione exiſtente in oculo: Iſta eſt à forma exiſtente in ſubiecto denominato, & hæc etiam eſt duplicitet: Vel enim eſt à forma emanante ab ipſo ſubiecto, vt eſt albedo in pariete: Vel ineſt in ſubiecto per aduentum alicuius extrinſeci, ſcilicet ex adiacentia alicuius extrinſeci, vt verbi gratiâ eſſe in loco eſt denominatio proueniens intrinſecè rei locatæ per continentiam, ſeu præſentiam localem ex approximatione loci ad ipſam; & hæc eſt propria ratio formalis horum ſex Prædicamentorum.

543. SECVNDÒ Notandum, quod, vt aliàs tradidimus, hæc differentia eſt inter accidens abſolutum, & reſpectiuum, quod hoc de ſua ratione formali dicit rationem referendi vnum ad aliud, ſeu à quo ad quem, ſeu in ad, ſed abſolutum accidens dicit aliquid abſolutè ad ſe, ſeu in ſe abſolutum, ſic quantitas dicit extenſionem, in quibus tamen ſecundariò includitur reſpectus tranſcendentalis inhærentiæ ad ſubiectum: Hinc.

544. PRIMA CONCLVSIO: Hæc Prædicamenta non ſunt puræ denominationes extrinſecæ, ſed formæ quædam,

dam, & accidentia extrinſeca relicta in ſubiecto ex aliquo extrinſeco: Eſt S. Bonau. qui *lib. 3. diſt. 5. art. 1. q. 4. in corp.* loquens de actione dicit, quod hæc eſt formæ in ſuppoſito, & *lib. 1. diſt. 35. dub. 4.* vbi dicit nomina ſex horum prædicamentorum dicuntur relatiuè, non quod formaliter ſignificent relationem, vt facit prædicamentalis relatio, ſed quia habent reſpectum annexum: Vnde eſſentialiter dicunt formaliter quid abſolutum, eſt & D. Thomæ, aliorumque apud Complut. *hic quæſt. 2.*

PROBATVR, Quia in his prædicamentis multæ ſunt formæ ſimul denominantes, & immutantes ſubiectum intrinſecè, quod afficiunt, ergo non ſunt denominationes puræ extrinſecæ: Conſequentia patet, quia extrinſecæ non faciunt mutationem ſubiecti: Antecedens probatur, Actio: Paſſio: Vbi, &c. ſunt termini motus, ergo immutant ſubiectum.

PROBATVR ſecundò: Quia eadem forma per eundem effectum formalem non poteſt conſtituere duo prædicamenta, ſed ſi eſſent denominationes extrinſecæ, eadem forma ſecundùm eundem effectum formalem conſtitueret duo prædicamenta; ergo. Probatur ſequela minoris: Nam viſio, prout eſt in oculo, afficit intrinſecè oculum, & ſpectat ad qualitatem, & prout denominat ſecundùm eundem effectum formalem extrinſecè parietem ſpectat ad hæc Prædicamenta per Aduerſarios: ergo non poteſt conſtituere aliud prædicamentum; ergo nec iſta ſex prædicamenta poſſunt habere duas eſſentias.

545. SECVNDA CONCLVSIO: Iſta ſex Prædicamenta dicunt formaliter quid abſolutum, ſecundariò verò reſpectum tranſcendentalem: Eſt S. Bonau. *ſuprà cit.* D. Thomæ & Thomiſt. contra Scotum.

PROBATVR primò, quia propria ratio relationis eſt *Ad*, ſeu *In Ad*, ſed iſta prædicamenta dicunt *In* abſolutum formaliter: ergo. Probatur minor, quia iſta ſex prædicamenta modificant verè, & realiter ipſum ſubiectum in quo; ergo ſi ponunt nouum modum, vt in quo, tribuunt nouum eſſe abſolutum, ſed quia conſequitur reſpectus ad aliud; hinc eſt ſimul etiam modus relatiuus, &c. quod meliùs patebit deſcendendo ad ipſa prædicamenta in particulari.

OBIICIES primò: Iſta ſex Prædicamenta habent eſſe à forma extrinſeca, ergo conſiſtunt in denominatione extrinſeca, & ob id Author ſex Principiorum *cap. 1. in fine* hæc ab aliis diſtinguit, quatenùs extrinſecùs adueniunt.

RESPONDETVR negando antecedens, ſi ſumuntur formaliter, ſi verò ſumuntur ſecundùm eſſe cauſatum ipſorum, conceditur concurrere aliquid extrinſecum tanquam ipſorum terminum; hincque poſſunt etiam dici formæ extrinſecæ ideſt ab aliquo extrinſeco dependentes, licèt in ſe ſint modi intrinſeci.

OBIICIES ſecundò cum Maſtrio *hic num. 192.* Iſta prædicamenta intrinſecè dicunt ordinem ad terminum extrinſecum, ergo ſunt relatiua intrinſecè, ſed quia terminus eſt quid extrinſecum, ideò dicuntur relationes extrinſecùs aduenientes.

RESPONDETVR negando Antecedens; dicunt quidem reſpectum intrinſecum ideſt incluſum in ſeipſis, ſed vt quid ſecundarium, eo modo quo creatura dicit relationem dependentiæ ad Creatorem.

ADDIT Meldul. ſe pudere rem tam exploratam

exploratam probare, in quo tamen decipitur ſupponendo id eſſe euidens, cùm oppoſitum à duabus Scholis Seraphica, & Angelica doceatur, & id patet etiam, quià priùs eſt rem eſſe in ſe, quàm ſit ad aliud; ergo priùs res eſt in loco, quàm intelligatur referri ad locum, facitque pro hac veritate doctrina Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in fine corp.* & clariùs *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *quæſt. vlt. in fine corp.* Priùs enim eſt rem oriri, deinde eſſe, & deinde ad alterum ſe habere.

QVÆSTIO II.

De Actione, & Paſſione, quid ſint, & quomodo conſtituant duo genera Prædicamentalia, & inter ſe diſtinguantur.

546. PRIMÒ ſupponendum ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad.* 1. quod actio grammaticaliter ſumpta idem ſignificat actiuè, quod paſſiuè per verba actiua, & paſſiua; Philoſophicè tamen loquendo non idem ſignificant; Vnde hìc ſumitur actio pro actu egrediente ab agente tendente in paſſum tam immanente, quàm tranſeunte; & paſſio pro eo, quod reſultat in paſſo ex actione agentis.

SECVNDÒ ſupponendum totam difficultatem conſiſtere in explicando, quid nomine actionis, & paſſionis hìc intelligatur.

PRIMA Opinio eſt Thomiſt. qui diuiſi ſunt inter ſe; aliqui enim actionem, & paſſionem volunt eſſe formaliter relationem tranſcendentalem; Alij communiter eſſe modum quemdam abſolutum inuoluentem relationem tranſcendentalem.

SECVNDA Opinio eſt Scotiſtarum, aſſerentium eſſe relationem extrinſecùs aduenientem.

TERTIA Opinio eſt Seraph. Doct. qui ex parte coincidit cum prima opinione, & ex parte cum ſecunda: Pro ſolutione.

547. PRIMÒ Notandum ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 15. *quæſt. vlt.* & *lib.* 4. *diſt.* 17. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. & *lib.* 3. *diſt.* 8. *art.* 2. *quæſt.* 2. quod accidens habet comparari ad duo ſcilicet ad principium à quo, ad ſubiectum in quo, & ſi eſt relatio, ad terminum ad quem: Primo modo denominat principium per modum exeuntis; ſecundo ſubiectum per modum vel tranſeuntis, vel permanentis, ſcilicet quatenùs dependet, vel non dependet à ſuo principio in fieri, & in facto eſſe: Agens verò poteſt referri ad tria; ſcilicet ad materiam, ad formam, & ad compoſitum, ratione materiæ dicitur tranſmutans; ratione formæ dicitur educens, & ratione compoſiti dicitur producens; in quibus tamen ſeruatur ordo naturalis originis, ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* Vnde materia non tranſmutatur, niſi agens tranſmutet, hincque priùs eſt agere agentis, quàm tranſmutatio paſſiua ſubiecti, & deinde conſequitur productio compoſiti; Quare materia non dicitur tranſmutata, niſi recipiat de nouo aliquid, quod ſit ab agente, hincque priùs natura, vel ſaltem origine eſt agens agere, & ſubiectum pati, quàm eſſe paſſiuam tranſmutationem, & tranſmutatum, quia, vt dictum eſt, id eſt per aliquid de nouo acceptum. Hoc totum voluit indicare S. Doct. *loc. cit. lib.* 1. *diſtinct.* 26. & *lib.* 31. *diſt.* 21. *art.* 1. *quæſt.* 3. quando dixit, priùs eſt rem oriri; ſecundò rem,

Digitized by Google

rem eſſe; tertiò referri: Primum dicit vt à quo, importatque actionem: Secundum eſt tranſmutari: Tertium eſt relatio inter producens, & productum, ſeu inter agens, & effectum. Et hinc infert S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 5. quod actio dicitur actus vt egrediens ab ipſa, obidque præcisè dicit tantùm vt à quo. Hinc

548. Prima Conclvsio: Actio præcisè, vt actio eſt, nullum habet ſubiectum propriè inhæſionis, ſed tantùm provt paſſio eſt. Eſt S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 38. *quæſt. vltim. ad* 2. vbi habet hæc verba, quod intentio (idem dic de actione) aliquando dicitur ipſa potentia agens; aliquando ipſe habitus, ſecundùm quem intenditur, & agitur; aliquando ipſum intentum, & res acta; aliquando ipſe actus intendendi, & iſte eſt propriè actio, taliſque propriè dicitur eſſe ab anima, potiùſque quàm in anima; Idem dicit *loco ſuprà cit.* ex quo ſequitur, quod habet propriè tantùm ſubiectum denominationis in agente, & provt eſt paſſio, eſt in paſſo, & provt eſt terminus. Hinc

Probatvr concluſio: Actio, vt eſt ab agente, dicit vſum potentiæ, ſed vſus potentiæ præcisè non dicit relationem, ſed quid abſolutum; ergo. Probatur Minor; quia vſus potentiæ vt ſic nullum dicit ſubiectum; ergo nec dicit reſpectum; ſic & doctiſſimè P. Gallicius *Phyſ. lib.* 3. *tract.* 1. *q.* 12. quod & fusè probat Suarez *in Metaph. diſp.* 48. *ſect.* 4. & nos in Phyſica ex profeſſo probauimus; eſt enim ibi proprius locus huius quæſtionis. Ex qua concluſione patet primò, quod actio tali pacto ſumpta eſt communis omni actioni tam Dei ad extra, quàm creaturarum, & in his tam immanenti, quàm tranſeunti, ſolúmque adeſt differentia inter iſtas duas, quod tranſiens reſpicit terminum extrinſecum, ſed non provt eſt actio præcisè ſumpta, ſed provt identificatur cum paſſione. Hinc

549. Secvnda Conclvsio: Actio, & paſſio formaliter ex natura rei diſtinguuntur, & præcisè ſumptæ identificantur ad inuicem. Eſt S. Bonauent. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 1. *&* *lib.* 1. *diſt.* 40. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. *& lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 3. *& lib.* 2. *diſt.* 35. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* quam diſtinctionem appellat ſecundùm rem, & contra Thomiſtas ipſas diſtinguentes tantùm ſecundùm rationem, & contra Scotiſtas eas diſtinguentes realiter.

Probatvr primò, quia idem motus, provt procedit ab agente, dicitur actio, & provt recipitur in paſſo, ſeu terminat ad paſſum, dicitur paſſio, ſed iſtæ ſunt diuerſæ formalitates veræ: ergo. Tum quia actioni ſecundùm rem ideſt tranſeunti reſpondet paſſio ſecundùm rem differens; actioni ſecundùm modum ideſt immanenti reſpondet paſſio differens ſecundùm modum, verbi gratiâ cognitioni actiuæ receptio paſſiua; ergo diuerſas formalitates.

Ex quibus patet actionem, & paſſionem eſſe modos abſolutos modificantes realiter ſua ſubiecta. Sic S. D. *lib.* 1. *diſt.* 35. *dub.* 4. ideſt actio modificat agens extrinſecè tamen, cùm vt ſic non habeat ſubiectum inhæſionis, ſed tantùm denominationis, quatenùs verè fit aliqua mutatio in agente, Sed de hac materia agetur fuſiùs in Phyſica, vbi etiam explicabitur, quomodo poſſit dici relatio, & quodnam relatiuum ſit ipſa actio, & paſſio.

550. Obiicies primò: Concretum, & abſtractum ſunt eiuſdem generis, ſed actiuum, & actio; paſſiuum,

& paſſio ſunt concretum, & abſtractum, & actiuum, & paſſiuum ſunt eiuſdem generis ex Philoſopho 1. *de Gen. t.* 5. ergo non conſtituunt diuerſa Prædicamenta. Maior eſt certa, quia concretum, & abſtractum differunt ſolùm in modo ſignificandi, vt quantum, quantitas, quale, qualitas.

Respondetvr ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *articul.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 1. maiorem eſſe veram, ſi ſumantur Grammaticaliter, non verò ſi Philoſophicè, vel Logicè, ſic enim dicunt diuerſa genera ob diuerſos modos ſignificandi. Tum etiam quia licèt actiuum, & paſſiuum ſint eiuſdem generis phyſici, non tamen logici, & prædicamentalis: ſunt enim diuerſæ formalitates diuerſos modos eſſentialiter importantes.

Obicies ſecundò cum Scotiſtis: Agens, & patiens diſtinguuntur realiter, ergo & actio, & paſſio in eis fundata.

Respondetvr concedendo antecedens de agente, & patiente per actionem tranſeuntem, negando, ſi vniuerſaliter ſumitur; negatur item conſequentia, nam eadem actio, prout eſt medium inter agens, & patiens, reſpectu agentis dicitur à quo, & reſpectu paſſi dicitur in quo. Sic S. Bonauent. *lib.* 4. *diſtinct.* 17. *part.* 1. *articul.* 2. *quæſt.* 2. vnde non valet paritas.

551. Tertia Conclvsio: Actio tripliciter poteſt diuidi vel ratione ſubiecti, vel ratione durationis, vel ratione principij, ex quo oritur. Si primo modo, ſic diuiditur in tranſeuntem, & immanentem: Immanens eſt, quæ non tranſit extra agens, vt intellectio, volitio, viſio, &c. Tranſiens eſt, quæ tranſit extra agens, & recipitur in paſſo, & hæc diuiditur in eam, quæ verſatur circa ſubiectum præſuppoſitum vt generatio, & in eam, quæ non præſupponit ſubiectum, in quod agit, vt eſt creatio, de qua Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *art.* 3. *per totum.* Communiter tamen DD. aſſerunt actiones immanentes non ſpectare ad hoc prædicamentum. Nos verò dicimus ſpectare, vt dictum eſt, licèt concedamus, quod terminus ipſarum ſit qualitas recepta in ipſo agente, prout eſt patiens. Si ſecundo modo, diuiditur in inſtantaneam, & ſucceſſiuam: Tertio modo diuiditur in artificialem, & naturalem, & iſtæ omnes habent ſub ſe ſpecies varias ſubalternas, & ſecundùm talem ordinem diſcurrendum eſt de paſſione: currunt enim pari paſſu: Aduerte tamen ſolùm ad hoc Prædicamentum ſpectare paſſiones, quæ ſunt effectus veræ actionis, quæ tamen magis patebunt in Phyſica, in qua eſt proprius locus, qui vult diuiſionem ſpecierum horum duorum Prædicamentorum, adeat Euſtachium in ſua logica.

QVÆSTIO III.

De reliquis quatuor Prædicamentis, & primò agitur de Vbi, & Situ, & deinde de Quando, & Habitu.

552. Primo loco ſe offert Vbi; vel eſſe in loco; de quo Nominales aſſerunt nihil aliud addere rei locatæ præter denominationem extrinſecam, ſeu negationem diſtantiæ; contra quos ſtant D. Thom. Scotus, & S. D. *cit. in Textu*; inter reales autem ſunt aliqui non admittentes vllam diſtinctionem

ctionem inter Vbi, & Situm, ſic Meldol. *hic num.* 213. aliquique alij pauci; communis aliorum D.Thomæ D. Bonauent. Scot. tenet oppoſitum: Pro cuius ſolutione.

PRIMÒ ſupponendum, quod Vbi eſt duplex aliud actiuum, quo locus actiuè continet rem locatam, & paſſiuum, quo res contenta in loco dicitur.

SECVNDÒ ſupponendum, quod Situs, ſeu poſitio dupliciter poteſt conſiderari, ſcilicet provt dicit ordinationem partium ad inuicem, & in toto, ſicque ſpectat ad quantitatem; vel provt dicit ordinationem partium ad partes loci, vel naturalem, vt eſt in elementis ſituatis in proprio loco, vel artificialem, quomodo dicitur aliquis ſedere, &c. Hinc

553. PRIMÒ dicimus Prædicamentum Vbi dicere modum abſolutum ſuperadditum rei locatæ, quo eſt præſens realiter ad locum: Situm autem eſſe modum abſolutum ſuperadditum rei locatæ ſpecialem, quo res ſpeciali modo eſt in loco. Prima pars probatur, quia Vbi acquiritur per motum, ergo eſt aliquid de nouo acquiſitum à re locata, & ipſam mutans, ergo ipſi inhærens realiter, ſed id non poteſt eſſe relatio, quia ad relationem non datur per ſe motus proprius, ergo. Secunda Pars ex dictis patet, quia cùm variis modis poſſit eſſe res in loco, ſequitur, quod adeſſe in loco alius modus ſpecialis ſuperaddi poteſt.

SECVNDÒ dicimus, quod Vbi primò diuiditur in circunſcriptiuum, & definitiuum, & ſacramentale: Primum eſt proprium corporum: Secundum proprium Spirituum: Tertium eſt ſpeciale Corporis Chriſti in Euchariſtia, & prima duo poſteà habent ſubdiuidi in plures ſpecies: Idemque dicendum de Situ, quatenùs tamen ſolùm corporibus poteſt competere, nam ſpiritibus non competit Situs, cùm ſint toti in toto, & toti in qualibet parte. Vnde Situs diuidi poteſt in rectum, & reflexum, & deinde in ſedere, ſtare, iacere, cubare, &c.

554. QVOAD alia duo ſcilicet Quando, & Habere.

TERTIÒ dicimus Quando eſſe durationem rei creatæ in communi, per quam res menſurantur quoad exiſtere in rerum natura, & permanere in eſſe: Vnde eſt quidam modus realiter ſuperadditus rei duranti, ſed talis duratio habet ſub ſe varias ſpecies, ſcilicet æuum, & tempus, & hoc in alias varias ſpecies, vt patebit in Phyſica.

HABERE, autem hîc ſumitur non per habitum, qui eſt prima ſpecies qualitatis, ſed provt dicit modum, quo aliquid ſpeciali modo eſt accommodatum ad aliquod corpus: vnde dicit adiacentiam rei exterioris in corpore, vt eſſe veſtitum, calceatum, ornatum, &c. Vide S. Bonauent. in Textu. Et Euſtachium in ſua logica, & hæc de Prædicamentis.

TRACTATVS VII.

De Poſtprædicamentis.

555. VLTIMA Pars Tractatus Prædicamentorum Ariſt. continet Poſtprædicamenta, quæ ſunt quædam explicationes aliquorum terminorum valentes à poſteriori ad perfectiorem cognitionem eorundem prædicamentorum habendam, quos à prædicamentis excluſit ob eorum incompletionem,& tranſcendentiam, ſuntque Oppoſitio, Prius, & Poſterius ſimul, Motus, & diuerſimode ſe habere: Ratio autem neceſſitatis explicationis horum terminorum eſt, quia dixit Ariſt. aliqua prædicamenta repugnare ad inuicem, vnum eſſe prius altero aliqua eſſe ſimul natura, aliqua non eſſe terminum motus, & ab vltimo prædicamento excludi aliquos modos ſe habendi; Hinc de ipſis agit, & nos breuiter eorum examen faciemus.

QVÆSTIO I.

De primo Poſtprædicamento: An rectè fuerit tradita ab Ariſtotele diuiſio oppoſitorum.

556. PRo intelligentia huius difficultatis ſupponendum eſt, quod oppoſitio, & repugnantia ſe habent vt ſuperius, & inferius, ſeu ſtrictiùs: Nam Oppoſitio ſumpta communiſſimè eſt idem ac Oppoſitio, diſtinctio, & diuerſitas: Propriè verò, & ſtrictè Oppoſitio eſt quid inferius,Repugnantia verò quid latius, & hæc eſt duplex, ſcilicet complexorum, ſiue propoſitionũ, de qua egimus in Summulis *part*. 2. *cap*. 5. alia eſt incomplexorum, & ſimplicium rerum, quæ in prædicamentis reponuntur, & hæc eſt, de qua agitur, ſicque definitur: *Repugnantia eſt relatio duorum extremorum ſimplicium, quatenùs nequeunt habere identitatem formalem, aut realem, vel quatenùs eidem*

dem rei ſingulari ſimul ſecundùm eandem rationem, reſpectu eiuſdem nequeunt ineſſe: Dicitur, *relatio*, quia Repugnantia eſt quædam diuerſitas, ſeu diſtinctio, obidque relatio, & ſi eſt inter extrema realia, & exiſtentia, eſt realis ſimpliciter; ſi vnum extremum erit non ens, erit realis ſecundùm quid, & ſi extrema ſunt ſine oppoſitione, erit relatio prædicamentalis, ſi ſunt realiter diſtincta, ſin autem, erit tranſcendentalis: Dicitur, *quatenùs nequeunt habere identitatem realem, vel formalem*, vt comprehendantur diſparata, ſed componibilia in eodem ſubiecto, vt dulcedo, & albedo in lacte: Dicitur, *vel quatenus eidem rei, vel ſubiecto ſimul ſecundùm eandem rationem nequeunt ineſſe*, vt comprehendantur repugnantia ſubiectiuè, & ſe mutuò expellentia ab eodem ſubiecto, vt album, & nigrum, quæ ſimul non poſſunt eidem ſubiecto ineſſe, licèt benè in diuerſo tempore: Ex quibus.

557. Primò reſpondetur, quod diuiſio allata ab Ariſt. oppoſitorum non eſt vniuerſalis, & adæquata, quia non comprehendit oppoſita diſparata; diſparata autem ex S. Doct. *lib.* 3. *diſtinct.* 10. *art.* 1. *quæſt.* 1. *fund.* 2. ſunt illa, quæ inter ſe repugnant ita, vt eadem ratione indeterminatè, & indifferenter cum quolibet alio diuerſo repugnent, vt eſſe animal, & eſſe Deum, & hæc vel eſt formalis tantùm, ita quod ambo licèt ſint incompoſſibilia quoad eſſe formale, tamen poſſunt eſſe in eodem ſubiecto vt albedo, & dulcedo in lacte; vel etiam eſt ſubiectiua; vt dictum eſt, vt Angelus, & corpus, quia vnum licèt non habeat oppoſitionem determinatam ad aliud, tamen mutuò ſe excludunt ab eodem ſubiecto indeterminatè: Hinc

558. Secundò reſpondetur, quod oppoſitio propriè dicta eſt inter terminos determinatè repugnantes, non verò ratione alicuius tertij, vt calor, & frigus: Hæcque rectè diuiditur in quatuor membra; nam vel eſt ſimpliciter realis inter duo entia contraria, contenta tamen ſub eodem genere, & ſic eſt oppoſitio contraria: Vel eſt realis ſecundùm quid, ita quod vnum extremum eſt poſitiuum, aliud negatiuum, nullumque ſubiectum ſibi determinans, vt inter ens, & non ens, ſic eſt contradictoria, aut extremum negatiuum reſpicit determinatè ſubiectum, ſic eſt priuatiua vt cæcitas, & viſus, aut extrema ita ſunt oppoſita, vt vnum ponat aliud ob mutuam dependentiam, & ſic eſt relatiua oppoſitio: Hinc

Opposita relatiuè ſic definiuntur ſcilicet, *ea, quæ ſecundùm id, quod opponuntur ad inuicem ſe reſpiciunt;* Dicitur *ſecundùm id quod ſunt, &c.* ad differentiam aliorum oppoſitorum, quæ licèt reſpiciant aliud extremum, tamen non ſecundùm propriam entitatem, vt album non dicitur nigri album, ſed benè Pater Filij Pater.

559. Opposita contrariè ſic definiri poſſunt ex Ariſt. *hic & lib.* 10. *Met.* 6. ſcilicet *formæ reales, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto ſe expellunt, cui viciſſim ſucceſſiuè nata ſunt ineſſe:* Dicitur *formæ reales*, per quod differunt à priuatiuè, & contradictoriè oppoſitis: Dicitur *ſub eodem genere*, &c. ſcilicet logico, & Prædicamentali, quæ enim ſunt ſub diuerſis generibus, non ſunt hoc modo contraria; Dicitur, *quæ maximè diſtant*, ideſt quatenùs ſunt poſitiua, & ſimul incompoſſibilia in eodem ordine verbi gratiâ calorem, ſaporem, &c. taleſque ſunt primæ qualitates contrariæ ex S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 14. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. Dicitur *ab eodem ſubiecto*

Digitized by Google

vt explicetur effectus formalis contrariorum, qui eſt expulſio ab eodem ſubiecto, & hinc notanter additur (*cui tamen viciſſim ſucceſſiuè nata ſunt ineſſe,*) nam cùm aliquæ formæ nequeunt reperiri ſimul in eodem ſubiecto, idque poteſt eſſe ob incapacitatem ſubiecti vt forma ſpiritus, & corporis, & albedo, & intellectio, & hæc nec ſimul, nec ſucceſſiuè poſſunt eidem ineſſe, obidque non important hanc contrarietatem, ſed debet eſſe cum capacitate ſubiecti, & ob expulſionem formalem ipſis competentem ſaltem ſecundùm ſpeciem, & ſecundùm rationem formalem ipſarum.

Opposita priuatiuè ſunt illa, quorum vnum eſt priuatio alterius, & alterum eſt habitus, ſeu forma, & habens fieri circa idem ſubiectum tempore à natura determinato, vt lux, & tenebræ.

560. Opposita contradictoriè ſunt illa, quorum vnum cùm ſit res, aliud eſt negatio eiuſdem; vel quæ ſecundùm affirmationem, & negationem opponuntur, vt ſedere, non ſedere, homo, non homo, ſicque hæ duæ oppoſitiones differunt, quod cùm priuatiua extrema connotant commune ſubiectum capax formæ priuatæ; contradictoria verò præſcindunt à communi ſubiecto.

Quæritur, quænam repugnantia propriè ſit dictis oppoſitis, ſcilicet an effectiua, an formalis.

Primò ſupponendum ex S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 14. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 4. quod repugnantia eſt duplex, alia effectiua, alia formalis: Prima, qua vna res alteri repugnat, quia poteſt producere effectum illi contrarium, vt Sol dicitur frigori contrarius, quia poteſt producere calorem, & calor dicitur effectiuè frigori in aqua contrarius, quia poteſt producere calorem in eadem aqua: Secunda verò eſt formalis, & eſt inter duo, quæ inter ſe ex ſuis rationibus formalibus repugnant, & ſunt incompoſſibilia, eo quia talis expulſio mutua prouenit ex informatione, & per exhibitionem propriæ entitatis, ideóque in genere cauſæ formalis; ſic gratia formaliter expellit peccatum ex S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 17. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad argum. & art.* 2. *quæſt.* 1. *& quæſt.* 2. *ad* 2. *& diſt.* 4. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad argum.*

Secundò ſupponendum ex Scoto, quod hæc repugnantia formalis eſt multiplex: Primò enim aliqua dicuntur formaliter repugnare, quando ſimpliciter, & omnimodè repugnant, ita quod per nullam potentiam ſimul eſſe poſſint nec in ſubiecto, nec in eodem inſtanti, taliaque ſunt contradictoria, vt inter eſſe caloris, & non eſſe, &c. Secundò, quæ ex ſuis rationibus formalibus nequeunt in vnum per ſe conuenire, neque in per ſe compoſitionem alicuius Tertij, vt homo, & lapis, taleſque ſunt formæ diſparatæ, nec ad inuicem ſubordinatæ; hæcque eſt minor prima repugnantia; nam in prima ſtatim ac aliquid ab vno extremorum recedit, immediatè eſt ſub oppoſita; non ſic in hac ſecunda. Tertiò eſt eorum, quæ ex ſuis rationibus formalibus ſpeciali, & determinato modo repugnant, ita vt non cum aliis hoc modo repugnant. Ex quo ſequitur incompoſſibilitas ipſorum in eodem ſubiecto, hacque ratione duæ dimenſiones non ſunt formaliter oppoſitæ, cùm ſint eiuſdem ſpeciei, ſic albedo, & nigredo repugnant. Quartò aliqua formaliter repugnant ratione effectuum formalium, ſiue ſint primarij, ſiue ſecundarij, ſiue ex ſeipſis formaliter repugnent, ſiue non, ſic duæ dimenſiones

Digitized by Google

ſiones formaliter inter ſe repugnant: vnde.

561. Respondetvr, quod prima repugnantia formalis eſt propria contradictoriorum: Secunda verò diſparatorum tantùm: Tertia eſt contrariorum: Quarta non eſt propriè formalis, cùm ſit ratione effectuum tantùm, vt per ſe patet.

Ex quibus ſequitur primò, quod in contrariis expulſio formæ facta ab altera fiat non in genere efficientis, ſed formalis, ſic gratia expellit culpam; ſed quia expulſio actualis poteſt aliquando impediri ob aliquod extrinſecum impedimentum, verbi gratiâ ob illimitationem ſubiecti, cùm enim omne ſubiectum ſit capax qualitatis vt octo, ob iſtam capacitatem poterunt reperiri in illo quatuor gradus caloris, vel quinque, & alij quatuor, vel tres frigoris, tunc remanente aptitudinali repugnantia, actualiter non fit expulſio, ſi autem forma eſt indiuiſibilis, vt intellectio, tunc non poteſt impediri, quin alia adueniente non expellatur.

562. Seqvitvr ſecundò, quod cùm expulſio vnius formæ contrariæ ſit effectus ſecundarius, primarius autem eſt informatio, & denominatio ſubiecti; poteſt hic ſecundus à Deo impediri, vt patet in duabus quantitatibus ſe inuicem penetrantibus: vnde cùm hic effectus ſecundarius ſit per ordinem ad ſubiectum informatio vnius contrarij, nec etiam eſt formaliter excluſio alterius, ſed tantùm conſecutiuè. Quod magis patebit in Phyſica.

563. Seqvitvr tertiò oppoſitionem contradictoriam eſſe omnium ſummam, nec enim admittere poteſt medium, ſi abſolutè ſumatur, ſcilicet ſupra genus, vt loquitur S. Bonauent. Nam infra genus, vel in genere eſt potiùs oppoſitio contraria, vt omnis homo eſt albus; omnis homo non eſt albus; nam, vt ait Scotus, ad veram contradictionem oportet, vt ſubiectum non ſit aliquod commune, quod in plura diſtribuatur, quia tunc poterit prædicatum ratione vnius ſuppoſiti affirmari, & ratione alterius negari, vt verbi gratiâ idem ſubiectum dici poteſt ſimile, & diſſimile ratione diuerſorum: quæ doctrina eſt deſumpta ex variis locis S. Doct. vt videre eſt locis citatis: Nam de his oppoſitionibus ſæpè tractat Seraph. Doct. præcipuè *lib. 2. diſt. 14. part. 1. art. 1. quæſt. 2. ad 3. & lib. 1. diſt. 24. art. 1. quæſt. 1. ad 2. & lib. 1. diſt. 43. art. 1. quæſt. 1. ad 3. & lib. 3. diſt. 3. part. 2. art. 2. quæſt. 1. fund. 5. & lib. 4. diſt. 17. part. 1. art. 2. quæſt. 1. in corp. & lib. 2. diſt. 34. art. 2. quæſt. 2. & lib. 3. diſtinct. 16. art. 2. quæſt. 2. & lib. 1. diſt. 5. art. 1. quæſt. 1. ad 5. & lib. 1. diſt. 12. dub. 1.*

QVÆSTIO II.

Explicatur Secundum Poſtprædicamentum, quod eſt Prius, & Poſterius.

564. Svpponendvm, quod Priora, & poſteriora alia dicuntur, quæ taliter inter ſe ordinata ſunt, vt vnum præcedat alterum aliquo modo. Ex quo ſequitur, quod cùm ordo ſit diſpoſitio ordinatorum, obidque relatio ex Seraph. Doct. *lib. 1. diſt. 30. dub. 3. & lib. 4. diſt. 24. part. 2. art. 2. quæſt. 2.* per conſequens prioritas, & poſterioritas erunt relationes fundatæ in extremis, quæ vt plurimùm non ſunt ſimpliciter reales, quia vt plurimùm ordo per ſe inter aliqua non importat realem diſtinctionem inter ipſa, aliquando

do tamen etiam eſt ordo inter aliqua realiter diſtincta.

Dices: Quomodo poſſunt Prius, & Poſterius relatiuè dici; ſi relatiua ſunt ſimul natura, & Prius eſt naturaliter antecedens ad poſterius?

Respondetvr poſſe ſtare Prius, & Poſterius entitatiuè; & quod denominatiuè ſint ſimul natura: Prout enim dicunt ordinem relationis inter ſe, ſunt ſimul natura. Et quia ad multa huius Poſtprædicamenti cognitio integra valde inſeruit; hinc ſequentia quæſita proponuntur.

565. Primò quæritur, quot modis ſumatur Prius, & Poſterius.

Aristoteles *hic*, *&* 5. *Met. text.* 16. quinque modos prioris, & poſterioris enumerat; Primus eſt prius prioritate temporis, ſeu duratione; Secundus prioritate conſequentiæ, vt animal reſpectu hominis; Tertius ordinis vt principiati ad principium: Quartus dignitatis, & honoris, Quintus naturæ; ſed quia Ariſt. non cognouit prioritatem ſolam originis, quam Theologi recognoſcunt in Diuinis; aliaque ſigna, quibus explicantur varij actus in Deo; ideò alium ordinem talis prioritatis, alioſque modos aſſignant iuxta varia ſcholarum principia.

Hinc cùm maximè ſit neceſſaria hæc cognitio ad explicanda varia myſteria noſtræ fidei, tum etiam multas veritates Theologicas iuxta principia Seraphica, hîc enodanda eſt hæc materia.

Seraphicvs igitur Doct. *lib.* 1. *diſt.* 20. *art.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 11. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 1. & *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 5. *& alibi pluribus locis* enumerat Prius, & Poſterius ſecundùm ordinem varium rerum, cùm ordo ſit habitudo prioris, & poſterioris.

Prius igitur dicitur primò duratione, ſeu tempore; ſic S. Petrus eſt prior S. Bonauentura: Secundò prius cauſalitate; ſic Pater eſt prior Filio: Tertiò naturæ, ſic rationalitas eſt prius natura riſibilitate: Quartò eminentia perfectionis, & dignitatis; ſic Rex prius ſubdito; Quintò prius communitate, ſic ſuperius eſt prius inferiore, vt animal homine: Sextò origine; ſic Pater eſt prius origine Filio: Septimò localitate, & ſituatione: ſic Empyreum eſt prius aliis corporibus; alia relinquuntur non conducentia ad rem noſtram: ſed quia tota difficultas reducitur ad prioritatem naturæ, & orginis: hinc.

566. Secvndò Quæritur: An iſtæ duæ prioritates differant ad inuicem, & quid vtraque ſit.

Respondetvr primò cum communi Theologorum, & Seraph. Doct. *cit.* præcipuè *lib.* 1. *diſt.* 20. quod in Diuinis tantùm admittitur prioritas originis, quæ poteſt dici etiam naturæ, vt ait S. Doct. non vt in quo, ſiue ſubiectiuè, ſed vt à quo: Vnde, ait *quæſt.* 2. in Diuinis eſt ordo naturæ, quatenùs natura dicit naturalem originem, ſeu formalem rationem generationis, qua vnum eſt ab alio, nam hoc modo dicit tantùm emanationem vnius ab alio, ſi autem diceret prioritatem naturæ ſubiectiuè, vel vt in quo, diceret etiam diuerſitatem in natura, quæ ſolùm eſt in creatis, & de hac prioritate in Diuinis, quæ eſt originis tantùm inter Hypoſtaſes abſque dependentia, non eſt difficultas, quæ ſolùm reducitur ad prioritatem, & poſterioritatem in creatis: nempè.

An prioritas naturæ in creatis ſit inter extrema, quorum vnum verè ſit in aliquo ſigno naturæ, in quo non ſit

Digitized by Google

ſit poſterius, vel tantùm ſit præſuppoſitio huius ab hoc, ſcilicet vt explicat S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 2. prius naturali intelligentia, ſiue cognitione.

Prima Opinio affirmat prius natura dici primo modo, ſcilicet vt in quo, ideſt quatenùs vnum verè eſt in aliquo ſigno, in quo non eſt poſterius, ita Formaliſtæ apud Trombetam *in tract. formalit. art.* 4. Cannonic. Fabr. *Met. lib.* 1.

Secvnda Opinio negat; cui Maſtrius *hic num.* 29. addit eſſe ſolam quæſtionem de nomine, quod tamen non eſt verum: Seraph. Doct. *loc. cit.* maximè *diſt.* 20. *art.* 2. *quæſt.* 1. & 2. agnoſcit veram prioritatem, & poſterioritatem realem, quæ tamen explicatur ſolùm per naturalem præintelligentiam ideſt per rationem obiectiuam realem antecedentem: Vt autem id intelligatur.

567. Notandvm quod prioritas naturæ poteſt ſumi primò pro prioritate inconuertibilitatis, ſeu a quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, idque accidit, ait S. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 26. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 5. in iis, quæ eſſentialiter conſequuntur ad ſe inuicem, ſcilicet, vel quoad exiſtentiam, vt cùm arguitur ab eſt ſecundo adiacente ad eſt ſecundum adiacens, vt fumus eſt; ergo ignis eſt, non è conuerſo; vel quoad eſſentiam, ideſt cùm aliquid non prærequirit aliud in ſua eſſentia, licèt iſtud in ſua eſſentia præexigat illud, vt nix eſt, ergo album eſt: non è conuerſo; ſecundò poteſt ſumi prioritas naturæ pro prioritate præſuppoſitionis, ſeu independentiæ, ſicuti dicitur aliquid præſupponi neceſſariò ad aliud, hæcque eſt multiplex; nam, vt ait Meldul. *cit. num.* 30. vel eſt inter duo ordinata ad conſtitutionem tertij, quatenùs vnum eſt prius altero, ſicut genus eſt prius differentia ad conſtitutionem ſpeciei, & priuatio præcedit formam in materia, de qua prioritate Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 1. *part.* 1. *quæſt.* *vlt.* Vel eſt inter duo in ordine ad ipſa, non verò in ordine ad tertium, ita quod entitas vnius neceſſariò præexigit aliud, non è contrà, ſic cauſa præſupponitur ad effectum, ſiue Phyſica, ſiue Metaphyſica: Illa quidem vt exiſtens antecedenter; iſta verò non neceſſariò præexiſtens, & vtraque, ait S. Bonauent. importat in poſteriori dependentiam; ſed in Phyſica importat etiam numerum; non verò in Metaphyſica: Vel etiam poteſt eſſe abſque cauſalitate, & vero influxu Phyſico, ſed tantùm Metaphyſico, ſeu emanatione, obidque tantùm præſuppoſitiuè ordine naturæ, vt intellectus præſupponitur ad voluntatem, & rationalitas ad riſibilitatem, & duo effectus ordinatè procedentes prouenientes ab eadem cauſa eodem modo, vt ſupra diximus de duplici effectu formæ reſpectu informationis ſubiecti, & expulſionis oppoſitæ formæ: Hinc

Primò dicimus, quod ſi ſumitur prioritas naturæ ſecundùm inconuertibilitatem cum vera, & reali, & phyſica cauſalitate, verè explicatur per eſſe in quo, ideſt per poſſe eſſe vnum ſine alio, non è contrà: Et patet, ait S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 20. *art* 2. *quæſt.* 1. & 2. & *lib.* 3. *diſt.* 26. *cit.* nam ſuperius poteſt eſſe ſine poſteriori, animal ſine homine, cauſa ſine effectu, licèt non è contrà: Iſta enim important, & dependentiam, & diuerſitatem, & numerum,

568. Secvndò dicimus, quod ſi ſumitur prioritas naturæ ſecundùm alios modos, ideſt in quibus non adeſt cauſalitas phyſica vnius ad aliud, licèt

Digitized by Google

adſit dependentia, explicanda eſt per ſolam præſuppoſitionem vnius ab alio præſcindendo ab hoc, quod vnum poſſit exiſtere, vel non abſque alio, pateteque in exemplis allatis; Nam in aliquibus vnum poteſt eſſe ſine alio, vt eſt verbi gratiâ informatio ſubiecti ſine expulſione formæ contrariæ; in aliis nequaquã, vt rationalitas ſine riſibilitate.

Tertiò dicimus, quod inſtans temporis verè menſuratur per duo inſtantia naturæ, nam licèt illud ſit indiuiſibile ſecundùm durationem, eſt tamen diuiſibile ſecundùm ordinem naturæ, quatenùs in eodem inſtanti aliqua ſimul habent eſſe, quorum vnum neceſſariò præſupponit aliud, vel quod ab alio emanat, vel quod eſt naturaliter poſterius, vt patet in exemplis allatis: Sic Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 1. *part.* 1. *quæſt. vlt.* vbi ait, quod in creatione paſſiua priùs natura licèt non duratione eſt creari, quàm eſſe; & *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* quod priùs eſt oriri, quàm eſſe, & priùs eſſe, quàm ad aliud referri: & *lib.* 4. *diſt.* 17. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. dicit, quod gratia, & peccatum in anima ſunt ſimul tempore extrinſeco, gratia autem eſt priùs natura in ratione expellentis culpam, & *lib.* 4. *diſt.* 11. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 5. quod ſimul tempore extrinſeco in Hoſtia ſunt panis, & Corpus Chriſti: Priùs tamen natura, & tempore intrinſeco eſt deſitio panis, & poſterius Corpus Chriſti. Vnde admittit duo inſtantia immediata intrinſeca temporis in contiguis mutationibus reſpondentia vnico inſtanti temporis communis: Quæ doctrina Seraphica verè aurea explicabitur ſuo loco in Phyſica; & *lib.* 3. *diſt.* 6. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. quod natura eſt priùs natura perſonalitate. Ex quibus patet, quod in vnico inſtanti naturæ cùm dentur plura inſtantia à parte rei cum naturali præſuppoſitione, & quorum aliqua ſint eſſentialia in primo modo, alia in ſecundo modo, etiam debeat admitti hæc pluralitas inſtantium naturæ in eodem inſtanti temporis, & *lib.* 4. *diſt.* 43. *art.* 1. *quæſt.* 6. *ad* 5. dicit, quod homines ſimul tempore reſurgent, & audient vocem Filij Dei, ſed priùs natura reſurgent, quàm audient.

569. Qvartò dicimus hanc prioritatem naturæ poſſe explicari per eſſe in quo, ſed meliùs, & propriùs per præintelligi vnum ad aliud: Ita S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 20. *cit.* & *lib.* 3. *diſt.* 6. *cit.* Primum patet, quia verè id, quod eſt priùs natura in ſuo inſtanti, verè poteſt dici, hoc eſt in vno inſtanti ſcilicet naturæ, in quo non eſt aliud; ſed quia ly *eſt propriè*, dicit exiſtentiam; hinc propriè explicatur per præintelligi, id eſt in vno inſtanti hoc intelligitur, in quo aliud non intelligitur eſſe; idque patet, quia ly *eſt*, eſt ſecundùm adiacens, cùm propriè dicat exiſtentiam, ambo ſimul eam habent.

Addimvs, quod hæc inſtantia explicantur à Theologis per varia ſigna ideſt varias rationes intelligendi, vt loquitur Seraph. Doct. loquendo in creatis; at in Diuinis varia ſigna non dicunt varia inſtantia ſecundùm rationem ordinandi, ſed tantùm ſecundùm rationem ordinatorum. Sic *lib.* 1. *diſt.* 26. *art.* 2. *quæſt.* 2. ideſt prout res ſecundùm ſe inter ſe ſunt ordinatæ, non autem, quatenùs talis ordo verè per varia inſtantia fiat in Mente Diuina, ſicut dicitur in primo ſigno Chriſtus prædeſtinatus, in ſecundo ſigno cæteri prædeſtinati, &c.

570. Obiicies: Si hæc diſtinctio inſtantium naturæ explicatur per poſſe concipi vnum prius altero; ergo eſt ens rationis tantùm.

Respondet

Digitized by Google

Respondet Amicus negando conſequentiam, quia hæc prioritas eſt vera, & explicatur per eſſe à quo, ſed hoc eſt falſum, ait S. Bonauent. nam eſt verè ſubiectiua: Prioritas autem à quo præcisè ſumpta eſt tantùm in Diuinis. Vnde reſpondetur ex Seraph. Doct. quod explicantur per præintelligi vnum, non alio intellecto obiectiuè, & à parte rei ſecundùm veram præſuppoſitionem, nec propriè poſſe dici per in, vt differant à primitate temporis.

Obiicies ſecundò: Quando cauſa dicitur prior natura effectu, id dicitur vel de ipſis formaliter ſumptis, vel vt relatiua ſunt. Non primum, quia cùm etiam effectus poſſit concipi ſine cauſa, effectus poſſet dici prius natura ſua cauſa: Nec ſecundum, quia relatiua ſunt ſimul natura.

Respondetvr cauſam dici prius natura effectu ob ſuam entitatem independentem, quam dicit in recto, ob quam intellectus habet fundamentum concipiendi vnum obiectiuè prius altero, ſicque dicunt in obliquo noſtrum modum concipiendi.

Respondetvr ſecundò ſufficere præſuppoſitionem in entitate cauſæ, ob quam non neceſſariò intellectus cogitur intelligere prius ſimul cum poſteriori; licèt è conuersò non poſſit intelligi poſterius abſque præſuppoſitione prioris.

571. Ex quibus omnibus infertur: Prius tempore ſolùm reſpicere durationem, prius natura, & origine præſcindere à duratione: Vnde in eodem inſtanti temporis dari poſſunt aliqua, quæ ſint priora, & poſteriora natura, vt patet de cauſa, & effectu: Item poſſunt dari plura inſtantia originis in eodem inſtanti naturæ, licèt non è conuerſo.

572. Hic diſquirunt, an prioritas, & poſterioritas naturæ ſaluare poſſit contradictionem.

Breviterqve reſpondetur, quod cùm ex Seraph. Doct. ſuprà *cit. ad 3. Concluſionem* detur duplex tempus, ſcilicet intrinſecum, & extrinſecum, & cùm vnico inſtanti temporis extrinſeci reſpondeant duo inſtantia temporis intrinſeci in mutationibus contiguis, hinc poſſe ſaluari contradictionem in eodem inſtanti temporis extrinſeci per plura inſtantia temporis intrinſeci, & per conſequens etiam per inſtantia naturæ, & maximè in prædicatis, quæ explicantur per intelligi vnum, & poſt aliud: Patet quia nulla mutatio inſtantanea poteſt eſſe ſine terminis, quæ ſunt forma, & priuatio; at in eodem inſtanti temporis eſt gratiæ poſitio, & culpæ expulſio, & Corpus Chriſti, & deſitio panis in hoſtia, &c. Vide *lib. 2. diſt. 1. part. 1. quæſt. vltim. & lib. 4. diſt. 11. part. 1. art. 1. quæſt. 4. ad 2.* Sed de hac materia agetur fuſiùs in Phyſica.

QVÆSTIO III.

De Reliquis Poſtprædicamentis, ſcilicet de modo ſimultatis, & de motu, & de habere.

573. Tertivm Poſtprædicamentum in ordine eſt ſimul, vel ſimultas, quod tot modis poteſt ſumi, quot prius, & poſterius. Attamen relictis aliis, ad propoſitum tantùm faciunt ſequentes modi: vnde.

Primò dicimus, quod ſimultas alia eſt temporis, ſeu durationis, eſtque eorum, quæ fiunt ſimul tempore, vel conſeruantur, & hoc poteſt eſſe vel

per menſuræ vnitatem, ſic corporalia fuerunt facta ſimul, vel per menſuræ concomitantiam, ſic ſpiritualia, & corporalia ſimul creata fuere. Sic S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 2. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vltim.* Secundò ſimultas alia eſt naturæ, eſtque eorum, quæ ſunt ſimul natura ita, quod dicantur ad conuertentiam, ſed tamen vnum non eſt cauſa alterius, vt ſunt relatiua: Tertiò vel diuiſione, vt ſunt differentiæ diuidentes genus.

574. QVARTVM Poſtprædicamentum eſt Motus. Hic autem diuiditur in generationem, corruptionem, augmentationem, alterationem, & motum ſecundùm locum, ſeu lationem: Primus eſt mutatio de non eſſe ad eſſe ſubſtantiale: Secundus eſt de eſſe ſubſtantiali ad non eſſe: Tertius eſt mutatio de vna quantitate ad maiorem: Quartus eſt de vna quantitate ad minorem: Quintus eſt de vna qualitate in aliam, vt de albo in nigrum: Sextus eſt progreſſio de vno loco ad alium, de quibus Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *articul.* 2. *quæſt.* 1. *& lib.* 2. *diſtinct.* 1. *part.* 1. *articul.* 3. *quæſt.* 1. *&* 2. & alibi ſæpè.

QVINTVM Poſtprædicamentum eſt habere ſcilicet vel quantitatem, vel qualitatem, vel veſtem, vel membrum, vel contentum, vel poſſeſſionem, vel vxorem, vel virum, vel nomen, inſeruitque ad cognoſcendum, quinam habitus ſint ſpecies Qualitatis, vel de vltimo Prædicamento. Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſtinct.* 6. *dub.* 3. reducit hos omnes modos ab Ariſtotele enumeratos ad tria capita, ſcilicet ad habere exterius, interius, & medio modo: Primum conſtituit vltimum Prædicamentum: Secundum ſpectat ad qualitatem: Tertium eſt quid commune ad omnes modos habendi, & deinde *lib.* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. reducit hoc multiplex habere ad hæc tria capita, ſcilicet ad habere formaliter, vel exemplariter, vel cauſaliter, & hoc ſat eſt de hac materia ad laudem Dei, Immaculatæ ſemper Virginis Mariæ, Seraphicique Doctoris S. Bonauenturæ noſtri Ductoris, & Magiſtri.

TRACTATVS VIII.

SECVNDA PARS

Logicæ ſpectans ad Secundam mentis Operationem, diciturque ab Ariſtot. lib. Perhiermenias, ſeu de Interpretatione.

575. IN duobus libris Perhiermenias agit Philoſophus de Signo, Nomine, Verbo, Oratione, & Enuntiatione, quæ omnia iam tradita ſunt ſufficienter in ſummulis, vtpotè neceſſaria ad cognitionem eorum, quæ hucuſque pertractata ſunt, ſed quia de propoſitione multa reliquimus, & propoſitionis munus præcipuum ſit interpretare tam conceptus mentis, quàm rerum, ideò de ea hîc aliquas Quæſtiones inſtituimus ſuper Textum Seraphicum fundatas.

TEXTVS SERAPHICVS.

A. 576. LOGICVS conſiderat nomen, vt eſt expreſſiuum conceptus, hinc definit, Nomen, Verbum, & Orationem per vocem tanquam per genus. *Lib. 1. diſt. 41. art. 2. quæſt. 2. in corp.*

B. NOMEN igitur, ſeu ſignum, ſeu terminus alius ſenſibilis, ſeu vocalis, alius mentalis, alius ſcriptus, alius medio modo ſe habet inter vocalem, & mentalem: Senſibilis attenditur in vocis prolatione, mentalis in cognitione rei, & qui medio modo ſe habet in cogitatione vo-

cis; eſtque inter ipſos ordo;nam primò homo cogitat aliquid,quid ſit: Secundò,qualiter debeat cogitatum pronuntiare,& tertiò pronuntiat, ita tamen quod mentalis eſt ſimilitudo, ſeu ſpecies expreſſa, quæ vt aliis innoteſcat, vnitur voci. *In Pſalm.* 118. *verſ.* 25. *primæ expoſ. & lib.*1. *diſt.*27. *part.*2. *art.*1. *quæſt.*4. *in corp.*

C. CVM igitur nomen conſideretur à Logico, vt eſt ſignificatiuum rei; hinc & eſt ſignum, & ſignificat ſubſtantiam cum qualitate. *Lib.* 1. *diſtinct.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 2. *& lib.* 1. *diſtinct.* 22. *articul.* 1. *quæſt.*1. *ad* 6.

D. SIGNVM autem eſt, quod ducit in aliud cognoſcendum, ſeu quod ducit in cognitionem alicuius rei: Vnde in quolibet ſigno adeſt duplex habitudo: Vna ad rem ſignificatam, altera ad potentiam, cui ſignificatur: Quare prior eſt cognitio ſigni, quàm rei; Signum autem aliud eſt ſenſibile; aliud ſpirituale: Item Signum aliud eſt demonſtratiuum, ſcilicet rei præſentis, aliud prænoſticum rei futuræ, aliud rememoratiuum, ſcilicet præteritæ, ſed meliùs diuiditur in ſignum naturale, & voluntarium ſeu ex vſu, ſeu ex inſtituto libero hominum: Hincque patet, quod in ſignis naturalibus adeſt relatio realis ad ſignatum, relatio verò rationis in ſignis voluntariis: Nomina verò ſunt ſigna ex inſtituto: De quibus hîc eſt ſermo. *Lib.* 1. *diſt.*1. *dub.* 3. *&* 4. *& lib.* 4. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.*2. *& lib.* 3. *diſt.* 1. *dub.*4. *& lib.*1. *diſt.*45. *art.*3. *quæſt.* 1. *& lib.*2. *diſt.* 14. *part.* 2. *dub.*4. *& lib.*4. *diſt.*3. *part.* 2. *art.*1. *quæſt.*2. *in fine corp.*

E. RELICTA conſideratione terminorum ſimplicium ſcilicet nominis, & Verbi, hîc tantùm agendum eſt de Propoſitione, ſeu Oratione perfecta, quæ eſt ſignum veritatis, vel falſitatis complexæ per affirmationem, & negationem: Tunc enim tale ſignum verum eſt, quando ſignat rem ſe habere, ſicut ſe habet, quia adæquantur Signum, & Signatum, & tunc eſt falſum, quando ſignat diuerſo modo, ac eſt ſignatum, ab eo enim, quod res eſt, oratio eſt vera, quæ ſignificat ipſam eſſe, & ab eo, quod non eſt, eſt falſa, quæ ſignificat ipſam eſſe, quæ verè non eſt, & ab eo, quod non eſt, eſt vera, quæ ſignificat ipſam non eſſe, & ab eo, quod eſt, eſt falſa, quæ ſignificat ipſam non eſſe. *Lib.* 1. *diſtinct.* 46. *art.* 1. *quæſt.*4. *& lib.* 2. *diſtinct.* 37. *quæſt. vltim.*

F. CVM differant inter ſe propriè ſignificare, & repræſentare: Illud enim eſt ad futura, vel præſentia, iſtud eſt ad præterita: Oratio habet

habet & ſignificare, & repræſentare; ſed vocalis, & Scripta primum habent; mentalis ſecundum: Eſt enim naturaliter repræſentatiua obiecti: Vocalis verò, & ſcripta eſt ex inſtituto hominum. *In Pſalm.* 64. *& lib.* 1. *diſtinct.* 27. *part.* 2. *artic.* 1. *quæſt.* 4. *& infrà ad literam M.*

G. Differentia igitur eſt inter terminum ſimplicem, & complexum, ſeu propoſitionem: Nam per terminum ſimplicem ſignificatur res quantum ad eſſe ſimpliciter, vt Homo: Per complexum ſignificatur res quantum ad eſſe tale. Hinc Propoſitio, cùm importet ordinem vnius rei ad alteram, cui coniungitur, neceſſariò facit compoſitionem, vel in cognitione, vel in ſermone complexionem: Hinc nec eſt vna ſimplex qualitas, ſed ex pluribus integrata. *Lib.* 1. *diſtinct.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 1.

H. Hinc Enuntiationis materia eſt ſubiectum de quo, & in quo ponitur forma ſcilicet prædicatum, quæ copulantur per copulam, ſeu Verbum. *Lib.* 1. *diſtinct.* 34. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 4.

L. Cvm igitur Enuntiatio ſit ſignificatiua, & repræſentatiua obiecti ratione mutuæ habitudinis, & vnionis, quam dicunt inter ſe prædicatum, & ſubiectum mediante copula; neceſſe eſt conſequenter, vt veluti in imagine quadam adſit adæquatio repræſentantis, & repræſentati, ſeu ſigni, & ſignati, ſed tamen non eſt neceſſe, vt adſit adæquatio rei ad rem, vt eſt in ſe, ſed tantùm ſub ratione cognoſcibilis. *Lib.* 1. *diſt.* 46. *quæſt.* 4. *& lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 5.

M. Et cùm veritas in vniuerſum ſit triplex, ſcilicet rerum, morum, & vocum: Prima eſt tranſcendentalis in rebus conſiſtens in indiuiſione rei principiorum per ordinem ad intellectum, quem habet mouere: Secunda eſt in rectitudine vitæ, & etiam in ſignis Sacramentalibus, nutibus, & vocibus ad rectitudinem ordinatis: Tertia eſt adæquatio vocis, & intellectus: Et cùm hæc adſit in propoſitione. *Serm.* 4. *&* 5. 6. *&* 7. *Hexaëm. & lib.* 4. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ſuprà ad literam F.*

N. Seqvitvr, quod in propoſitione duplex veritas neceſſariò debeat admitti; altera eſſentialis, altera accidentalis: Prima eſt, quæ ipſi competit, provt eſt ſignum, & eſt illâ, ad quam ſignificandam eſt ordinata, vel inſtituta, ſiue talis res ſignificata ſit vera, ſiue ſit falſa, & hæc dicitur veritas formalis, ſeu logica. Secunda eſt, quando etiam ipſa rçs à parte rei eſt talis, qualiter repræſenta-
tur

Digitized by Google

tur à propoſitione. *Lib.* 2. *diſtinct.* 37. *quæſt. vlt.* & *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 4.

O. Hinc cùm veritas in ordine ad rem ſit ei accidentalis, ſequitur, quod rectè poteſt mutari de vera in falſam, & è contrà: Ratio eſt, quia enuntiabile per enuntiationem non ſignificat rem, ſed modum ſe habendi, & cùm per verbum præſentis, præteriti, & futuri temporis ſignificetur res alio modo ſe habere, obidque & diuerſæ fiunt enuntiationes per illa varia tempora, & iterum cùm verbum temporis præſentis non ſignificet diſtinctè illud, vel illud præſens, ſed præſens in communi, & confusè, & vagè ſiue copulet, ſiue ſignificet: Inde fit, quod verbum tale ſiue pronuntietur hodiè, ſiue cras non habet aliam ſignificationem, ſed eundem modum, hinc eadem propoſitio, quæ modò eſt vera, poſt poteſt eſſe falſa, vt etiam ſi dicendo, antequam naſcereris, te eſſe naſciturum, id erat verum, poſtquam natus es, erit falſum. *Lib.* 1. *diſt.* 4. *art.* 1. *quæſt.* 4.

P. Et licèt Ariſt. dixerit futurorum contingentium non dari determinatam veritatem, tamen reſpectu Dei id omninò eſt falſum; nam cùm Diuina cognitio non pendeat à rebus, ſed inſit ei, quatenùs Diuina eſſentia eſt prima, & ſumma veritas expreſſiua omnium veritatum creatarum: Hinc & Deus neceſſariò cognoſcit determinatè veritatem omnium contingentium etiam futurorum. *Lib.* 1. *diſtinct.* 38. *art.* 2. *per tot.* & *lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 1. & *diſt.* 47. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad arg.*

Scholium ſuper Textum Seraphicum.

577. Primò Nota ad *literam B*, quod terminus vocalis purus ſpectat ad Grammaticum: Ille verò, qui medio modo ſe habet, ſpectat ad Logicum; eſt enim expreſſiuus conceptus interioris.

Secundò Nota, quod licèt dictum fuerit *in quæſt.* 1. *de Vniuerſ.* quod vox, ſeu nomen immediatè ſignificat res non conceptus interiores: Hic aduerte, quod per rem poteſt intelligi vel ipſa res, vt eſt à parte rei, vel ipſum obiectum vt cognitum, & in hoc ſecundo ſenſu intelligenda eſt illa doctrina, vt exponit S.Doct. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 5.

Tertiò Nota ex doctrina tradita ad *literam C*, quod cùm dicat S.D. nomen ſignificare ſubſtantiam cum qualitate, ibi non intelligit ſubſtantiam prædicamentalem, ſed rationem vt quod, & per qualitatem rationem vt quo; vt homo dicitur habens humanitatem.

Quartò Nota ad *literam D*, quod Seraph. Doct. peculiari acumine *in lib.* 1. *diſt.* 1. *dub.* 3. aſſignat hanc definitionem ſigni; *Id quod ducit in cogni-*

tionem

tionem alterius rei, & deinde *in dub.* 4. aliam affert, ſcilicet id quod ducit in cognitionem alicuius rei: Prima autem definitio eſt data à D. Auguſt. *lib.* 2. *de doctr. Chriſtiana cap.* 1. & *lib. de principiis Dialect. cap.* 5. & competit tantùm ſigno ſenſibili; ſed cùm adſint alia ſigna formalia præter inſtrumentalia, quæ ſunt ſpiritualia, à Dialecticis aſſignata eſt ſecunda definitio, quæ vtriſque competit, nam etiam creaturæ vt Angeli ducunt in cognitionem Dei, & character effectuum Sacramentorum.

Qvintò Nota ad eandem literam, quod licèt multiplicem acceptionem ſigni aſſignet, tamen ad rem noſtram propria eſt vltima ſcilicet ſigni naturaliter ſignificantis, & ex inſtituto; & maximè hoc vltimum, quod eſt vel formale, vel inſtrumentale, & ſenſibile; ſic enim comprehendit, & ſigna vocalia, ſcriptaque, & mentalia.

Sextò Nota ad eandem *literam D*, quod Seraph. Doct. duplicem relationem in ſigno recognoſcit, alteram ad rem ſignatam, alteram ad potentiam cognoſcentem, ſed primam vult eſſe potiorem, & eſſentialem; ſecundam vult eſſe conſequentem, & veluti proprietatem ſigni, in quo ferè omnes conueniunt, vt aduertunt ex Seraph. Doct. Conimbric. *hîc quaſt.* 1. *art.* 1.

Septimò Nota ad *literam F*, quod ex doctrina ibi tradita patet, quàm ſit verum propoſitionem mentalem eſſe ens reale, vocalem verò, & ſcriptam ſumptam formaliter eſſe ens rationis ſaltem materiale: Mentalis enim eſt actus intellectus, & ſpecies expreſſa.

Octavò Nota, quod S. Doct. recognoſcens duplicem veritatem in propoſitione, ſcilicet eſſentialem, & accidentalem, ipſam conſiderat, vt eſt ſignum per ordinem ab obiectum, vel intentum ab intellectu, vel ad ipſam rem in ſe conſideratam: Cætera explicabuntur in quæſtionibus ſequentibus.

QVÆSTIO I.

Expenditur Ratio ſigni, explicanturque ea, quæ ad ipſius eſſentiam ſpectant.

578. QVIA commune Logicæ inſtrumentum eſt ſignum, provt comprehendit terminos ſimplices, & complexos, & enuntiationem, & quia Ariſt. in his libris principaliter tractat de ſigno, hinc hanc quæſtionem inſtituimus, in qua explicabitur primò, quotuplex ſit ſignum: Secundò, quænam ad ipſum ſpectent.

Et quoad primum ſuppoſitis iis, quæ tradita ſunt *ad literam D*, de duplici definitione ſigni: Primò dicimus ex Seraphico Doct. *lib.* 4. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quaſt.* 2. quod ſignum primò diuiditur in demonſtratiuum, in prænoſticum, & rememoratiuum: Primum eſt, quod indicat aliud præſens, vt fumus ignem: Secundum, quod aliquid futurum demonſtrat, vt varius color ſolis, dum occidit; nam, vt dicit Virgilius, Cæruleus pluuias, Igneus euros indicat; & Tertiū, quod ſignificat aliquid præteritum; vt Iris repræſentat fædus à Deo initum in Geneſ. *cap.* 6. ſic Sacramenta ait S. Doct. *cit.* ſignificant gratiam præſentem, quam conferunt, Paſſionem Chriſti præteritam, & gloriam futuram; ſic & Sacramenta legalia præfigurabant noſtra in ſtatu gratiæ

Vnde dicit *in Pſal.* 64. quod ſignum repræſentat præterita, & præſentia, & ſignificat futura: Propria tamen diuiſio ad inſtitutum noſtrum eſt alia, quam *lib.* 1. *diſt.* 1. *cit.* tradit, ſcilicet aliud eſt naturale, aliud ex inſtituto, ſeu ad placitum, ſeu artificiale: Primum habet à natura aliquid ſignificari, vt fumus ignem; Secundum habet ex voluntate, vel ex vſu hominum, & quadam quaſi compoſitione. Et vtrumque eſt vel formale, vel inſtrumentale, ſiue ſenſibile.

Qvoad ſecundam partem eſt Quæſtio, an ratio ſigni eſſentialiter ſit relatio, & an realis, an rationis, & quibuſnam competat talis relatio.

579. Et quoad primum dubium Alex. Alenſ. 4. *part. quæſt.* 1. *in* 1. aliique exiſtimant rationem ſigni eſſe quid abſolutum, ad cuius poſitionem tamen reſultant relationes tranſcendentales ad rem ſignatam, & ad potentiam cognoſcentem.

S. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. *&* 4. & *lib.* 4. *diſtinct.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. ad finem* docet, quod ſignum eſt formaliter relatiuum; non enim eſt ſui ipſius ſignum, ſed alterius: Vnde eius fundamentum eſt ipſa entitas ſigni: Ratio formalis fundandi eſt ipſa ſignificatio, duplicemque habet comparationem, nempè ad id, quod ſignat tanquam terminum relationis, & ad potentiam cognoſcentem, cui ſignat, ſed prima eſt eſſentialis, quia eam habet in actu: Secunda habet tantùm in habitu, obidque eſt veluti proprietas conſequens ad primam, & patet vtrumque ex duplici definitione tradita *ad literam D*, in Textu, nam ſignum propriè eſt, quod facit aliquid præſens potentiæ, ergo priùs eſt terminus, ad quem eſt ſignum, ſcilicet ad ſignatum, & poſteriùs eſt ipſe reſpectus ad potentiam: Confirmatur à S. Doct. quia actualis ſignificatio eſt eſſentialis ſigno, non autem actualis cognitio: Nam hæc poteſt eſſe tantùm in habitu; ergo importat eſſentialiter ex conſequenti tantùm reſpectum ad potentiam, & hoc maximè eſt verum de ſignis ex inſtituto: Nam loquendo de ſignis naturalibus poteſt rectè ſuſtineri opinio Alenſis: Vnde concluſio eſt, quod in ſignis naturalibus ratio fundandi habeatur in ipſa actuali dependentia, & connexione neceſſaria cum re ſignificata, ſed in ſignis ad placitum non habetur ab actuali connexione neceſſaria, quæ nulla eſt intrinſecè, ſed à voluntate extrinſecè applicante vnam rem alteri, vel ſubſtituente vnam rem pro alia, quæ pro ſua abſentia cognoſci nequit. Hincque

580. Secundò dicimus, quod in ſignis naturalibus adeſt relatio realis: In ſignis ex inſtituto adeſt relatio rationis: Eſtque D. Bonauent. *citat.* Prima pars patet ex doctrina paulò ante tradita: Nam ſi ſignum naturale eſt inſtrumentale, vt in fumo adeſt fundamentum reale, nempè ipſa natura ſigni, adeſt & terminus realis realiter diſtinctus, ſcilicet ignis, vt inter effectum, & cauſam, ſi ſunt formalia, vt ſunt imagines, & ſimilitudines rerum, ipſa repræſentatio, ſeu virtus repræſentandi eſt fundamentum, obiectum verò eſt terminus: Species enim ipſæ ſunt etiam ſigna formalia mouentia potentiam ad cognoſcendum obiectum: Secunda pars etiam patet, quia relatio ſigni ex inſtituto pendet ex impoſitione, & voluntate hominum; ergo eſt relatio rationis: Hinc S. Bonauent. *lib.* 4. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad vltim.* docet, quod vox ſignificatiua eſt æqualis in omnibus hominibus quoad intelle-

ctum,

Digitized by Google

ctum, ſeu ſignationem, & modum ſignandi; tali enim modo eſt idem apud omnes nationes, licèt quoad materiale, vt vox eſt, ſit differens, ratio eſt, quam adducit *lib.* 1. *diſt.* 22. *art.* 1. *q.* 3. *ad vlt.* quia nomen licèt ſit quid ſenſibile quoad ſonum, tamen quoad ſignificationem eſt quid ſpirituale: Conceptus enim internus inducit vocem ſenſibilem.

Dices, aliquid poſſe eſſe ſignum ſui, vt verbi gratiâ conceptus formatus de conceptu communi ſeipſum repræſentat, quatenùs ſub conceptu communi cum reliquis continetur, tum & Angeli, & anima ſeparata ſe cognoſcunt per ſuas eſſentias immediate, ſed nulla res cognitiua percipit obiectum niſi immediatè aliqua ſpecie, vel ſigno, ergo eadem eſſentia eſt ſignum, & ſignatum, ergo non eſt relatio.

Respondetvr, quod aliud eſt repræſentare, aliud ſignificare actu: Primum eſt quid vniuerſalius, & competit etiam rebus, quæ non ſunt ſigna; Deus enim repræſentat vt cauſa creaturas: Significare verò in actu ſecundo eſt per aliud aliquid repræſentare: Vnde concedimus ea, quæ adducuntur in exemplo allato de conceptu ſcilicet repræſentante ſeipſum, negamus, quod ſignificet; ſic etiam Angelus ſeipſum cognoſcit repræſentando ſeipſum per actum reflexum immediatè abſque ſpecie, & ſigno.

Dices ſecundò: Imago Cæſaris ſignificat Imperatorem etiam mortuum, ergo cùm non adſit terminus actu non adeſt relatio.

581. Hvic Obiectioni varias aſſignant reſponſiones, vt videre eſt apud Ioan. S. Thom. *hîc quæſt.* 21. *artic.* 1. Sed S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 46. *quæſt.* 4. *ad* 3. dicit, quod ad rationem ſigni non eſt neceſſe, vt res ſit exiſtens, ſed tantùm vt ſit cognoſcibilis, hinc negatur conſequentia; licèt enim cognoſcibile per ordinem ad potentiam ſit aliquid rationis, tamen in ſe eſt verè cognoſcibile, obidque & terminus relationis. Ex quibus infertur, quod ad ſignificationem, ſeu repræſentationem ſigni tria requiruntur: Primum eſt, quod fiat obiectum præſens, ſeu vniatur potentiæ per emiſſionem ſpecierum à ſigno præcipuè extrinſeco productarum: Secundum eſt excitatio potentiæ ad attendendum, quid ſignificetur: Tertium eſt concurſus cum ipſa potentia ad eliciendum notitiam rei ſignificatæ, fitque ab ipſo obiecto mediante ſpecie intrinſecè recepta concurrente ad formandam notitiam ſui, & ſignati. Ex quibus reſultat relatio inter ſignum, & ſignatum, prout repræſentatur ipſi potentiæ cognoſcenti. Infertur ſecundò, quod hæc differentia eſt inter ſignum formale, & inſtrumentale, quod inſtrumentale eſt ſignum non ſignatum, formale verò eſt ſignum, & ſignatum etiam ideſt obiectiuè ſumptum: Sic D. Th. *quodl.* 4. *art.* 17. ſic v. g. conceptus hominis eſt ſpecies expreſſa repræſentans aliud à ſe, ſcilicet hominem, & eſt notior non obiectiuè, ſed formaliter, reddit enim notum ipſum hominem, quia ſine conceptu eſt latens intellectui: Vnde repræſentando, & ſignificando hominem importat relationem verè realem ad ipſum ſignatum: Signum verò inſtrumentale, vt eſt vox, vel oratio, eſt ſignum, non ſignatum, vt per ſe patet, nam requiritur, vt immittat ſpeciem ſui ad intellectum, vt concurrat cum ipſo ad notitiam ſignati: Idque eſt, quod dicit S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 2. *ad vlt.* quod non eſt neceſſe cognitum adæquari cognoſcenti in imagine, ſeu ſigno adæquatione rei ad rem, ſed ſub ratione cognoſcibilis

ſufficit talis adæquatio, quod verificatur de ſpecie expreſſa, quæ eſt imago, & ſignum obiecti, quod tamen non poteſt dici de ſpecie impreſſa, quia iſta ſolùm vnit obiectum cum potentia, non verò manifeſtat ipſum obiectum, niſi aduenìat expreſſa: Nota tamen, ne decipiaris, quod communiter S. Doct. ſpeciem expreſſam appellat notitiam impreſſam, ſcilicet in potentia receptam: Speciem verò propriè impreſſam appellat nomine ſpeciei vt ſic, vel intentionis, vel ſimilitudinis, de quo aliàs redibit ſermo ſuo loco.

QVÆSTIO II.

De Enuntiatione. Quid ſit.

582. ARIST. hìc fusè tractat poſt ſigni conſiderationem de vocum, & ſcripturarum ſignificatione, de quibus egimus ſufficienter in ſummulis; hinc de Enuntiatione ſolùm hìc agendum eſt: Tum etiam quia ex ipſius eſſentiæ explicatione patebit natura vocum, & terminorum: Quæritur igitur hìc, quid ſit Enuntiatio ſiue vocalis, ſiue mentalis ſiue ſcripta; & an ſit ens reale, vel rationis.

Et primò ſupponimus, quod traditum eſt à nobis ex Seraphico Doct. *in quæſt. prima Vniuerſal. in 2. Not.* quod voces licèt ſint adinuentæ ad ſignificandas res, ſubſtituuntur enim loco rerum; attamen cùm ſubordinentur conceptibus, ſunt etiam ſigna verbi interioris, ſeu rerum, prout ſubſtant cognitioni noſtræ ex rationibus ibidem adductis; Vnde conciliando opiniones varias D.D. poteſt dici, quod res ſunt id, quod, & conceptus id, quo, id eſt ſub conceptu mentis tanquam ſub forma, qua res exprimitur.

583. Secundò ſupponimus ex Seraph. Doct. *ſerm. 11. Hexaëm.* quod in voce adeſt quædam vis vitalis excitatiua mentis audientis ad concipiendum ſignificatum vocis, quæ vis quidem eſt realis in voce ab ipſo proferente procedens, quatenùs tamen eſt formata cum arte ad ſignificandam rem, vel conceptum interiorem, formaliter eſt actus rationis, ſeu relatio procedens ab imponente: Vnde importat vt ſic fundamentaliter quid reale, formaliter verò quid rationis; & cùm Enuntiatio, ſi vocalis eſt, ſit conflata ex pluribus vocibus, idem & ſi eſt ſcripto exarata, & ſi eſt mentalis, eſt ex pluribus conceptibus: Hinc inſurgunt varia dubia circa Enuntiationis quidditatem, de qua.

584. Quæritur primò; quænam ſit eſſentia Enuntiationis.

Respondetur propoſitionem quamcunque eſſe quoddam complexum ex pluribus partibus integrantibus ab intellectu formatum, quarum aliquid ſe habet vt materia, aliud vt forma, aliud vt vnio. Probatur, quia ſubiectum ſe habet vt materia de qua, & in qua (vt ait S. Bonauent. *lib. 1. diſt. 34. art. 1. quæſt. 2. ad 4.*) id eſt in quo ponitur prædicatum; & de quo prædicatur, & vniuntur per copulam; ergo eſt quid complexum ex pluribus partibus, ſic & S. Doct. *lib. 1. diſt. 41. art. 2. quæſt. 1.* Tum quia propoſitio eſt ordo vnius ad aliud ad conſtitutionem tertij, quod reſultat per iudicium, ſeu affirmationem, vel negationem, ſic ex S. Bonau. *lib. 4. diſt. 8. part. 2. quæſt. vlt. ad 3. & 4.* Enuntiatio enim, ait S. Doct. eſt vnum quid aggregatum ex pluribus perfectum quantum ad ſignificationem.

Qværi

585. Qværitvr ſecundò; An propoſitio ſit ens reale; an rationis.

Blancvs *diſp.* 1. *de Enunt. ſect.* 1. affirmat omnem propoſitionem ſeu mentalem, ſeu vocalem, ſeu ſcriptam eſſe ens reale; Rnu. *hic quaſt.* 2. cum aliis affirmat mentalem eſſe ens reale, cæteras eſſe ens rationis; vt pateat ſenſus Seraphici Doctoris.

Svpponendvm ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 22. *quaſt.* 1. *fund.* 3. *&* 4. quod vox eſt ſignum verbi interioris, ipſiuſque ſignificatiua: Vnde conſequenter tria in enuntiatione, quæ eſt ſignum tale, conſideranda ſunt: Primum ipſæ voces, vel ſcriptura, vel conceptus; Secundum ordinatio ipſarum in propoſitione ſecundùm rationem ſubiecti, prædicati, & copulæ; Tertium ipſe actus intellectus, per quem ordinantur, & ex eis ſic ordinatis efficitur propoſitio. Certum eſt autem, quod primum, & tertium ſunt ens reale, & veluti quid materiale in Enuntiatione: Difficultas reducitur ad ſecundum, in quo conſiſtit ratio formalis Enuntiationis: Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quaſt.* 2. *in corp.* docet, quod vox ſit ſignificatiua, & relatiua ſine ſui mutatione reali, & conſequenter vult, quod ſit relatio rationis, ſeu, vt ipſe dicit, voluntaria, quia originaliter habet ortum à voluntate inſtituentis. Addit tamen *in Serm.* 11. *Hexaëm.* in voce adeſſe quandam vim vitalem à proferente prouenientem, ſecundùm quam excitat & audientem, & repræſentat obiectiuè ipſi audienti id, quod intenditur, ſuper quod fundatur talis relatio inter nomen, & rem ſignificatam, Sic *& lib.* 3. *diſt.* 18. *dub.* 2. *&* 3. & *lib.* 2. *diſt.* 9. *art.* 1. *quaſt.* 4. & *lib.* 4. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quaſt.* 1. *ad* 2. 3. *&* 4. vbi docet, quod licèt apud gentes ſint diuerſæ linguæ, conueniunt tamen omnes in intellectu, & modo intelligendi, ideſt in ſignatione, & modo ſignandi, quia non requiritur nomen ſecundùm quod vox tantùm eſt, ſed ſecundùm quod vox ſit ſignans, & talem intellectum generans, & tali modo, & hoc eſt idem apud omnes. Ex quibus

586. Primò dicimus, quod Enuntiatio, ſi ſumitur formaliter, eſt ens rationis quidem, ſed materiale: Ratio eſt, quia vt ſic importat denominationem extrinſecam, & relationem ſigni ad ſignificatum ab humana voluntate prouenientem, ſed denominatio extrinſeca ex aliàs traditis non eſt propriè ens reale, cùm ſit tantùm terminus voluntatis primi inſtituentis, ſicut dicitur aliquid volitum, cognitum per denominationem extrinſecam; ergo non ſunt entia realia propriè.

Dices; Denominatio extrinſeca eſt ens reale: ergo & Enuntiatio; verè enim denominatio extrinſeca aduenit à forma reali in alio ſubiecto exiſtens.

Respondetvr dici entia rationis non quidem formaliter, ſed materialiter tantùm, ideſt quatenùs terminant actus rationis, licèt verè dicant aliquid ad aliud fundatum in capacitate radicali ipſarum vocum, & nominum, quatenùs ſubiacent ſecundùm potentiam obedientialem ad agens intellectuale, vt ipſis vtatur veluti ſigno.

587. Secvndò dicimus, quod Enuntiatio mentalis eſt duplex, alia formalis, alia obiectiua: Prima eſt ipſe actus intellectus, quo vnum de altero enuntiat vel affirmatiuè, vel negatiuè, & hæc eſt realis, quia eſt actus intellectus naturaliter repræſentans obiectum, & fundans relationem veritatis, & falſitatis: Secunda obiectiua poteſt

Digitized by Google

ſumi in actu exercito, ſicque dicit obiecta cognita, & ad inuicem vnita per affirmationem, vel diſiuncta per negationem, ſicque eſt vel realis, ſi eſt obiectorum realium; vel eſt rationis, ſi eſt entium rationis: Vel in actu ſignato, ſicque eſt ſecunda intentio, quia dicit ordinationem terminorum in ratione ſubiecti, copulæ, & prædicati, ſed vt ſic importat comparationem obiectorum in aliquo attributo rationis exprimente rem extra ſuum ordinem ex S. Bonauent. *lib.* 1. *diſtinct.* 25. *dub.* 3. ergo: & ſic hac diſtinctione ſatisfieri poteſt omnibus obiectis in contrarium.

Ex quibus infertur, cùm voces, & nomina ſint entia rationis habentia eſſe tantùm ex vi inſtituentium, quod malè à Socrate, & à Cratyllo apud Platonem aſſerebatur, voces naturales ſignificare res: Vnde meritò à Sancta Eccleſia damnata eſt ars diuinatoria Nomantiæ, falſum enim eſt in nominibus adeſſe vim, & maximè ex influxu Cœlorum ad ſignificandos euentus ſiue naturales, ſiue fortuitos, cùm pendeant à voluntate imponentium.

QVÆSTIO III.

Quænam Veritas, & Falſitas ſit in Enuntiatione.

588. TRIPLEX veritas in Vniuerſum poteſt conſiderari, vt dictum eſt in Textu Seraph. *ad literam M,* ſcilicet rerum, motum, & vocum: Prima eſt proprietas entis, ſpectatque ad Metaphyſicum: Secunda eſt in operationibus voluntatis, ſpectatque ad Ethicum, & Theologiam moralem: Tertia eſt in Enuntiatione, quæ, ſi eſt interna, dicitur veritas in repræſentando, ſi eſt externa, dicitur veritas in ſignificando: Sic S. Bonauent. *Serm.* 4. *Hexaëm. & ſeq.* & de hac procedit quæſtio: quæ poteſt eſſe, an iſta veritas, ſeu conformitas, ſeu adæquatio intellectus cognoſcentis cum obiecto cognito ſit per ordinem conceptus formalis cum obiectiuo, qui eſt res cognita, & vt intentionaliter ſumpta, vel eiuſdem conceptus formalis cum ipſa re, vt eſt à parte rei, vel in conformitate conceptus obiectiui cum ipſa re à parte rei ſumpta.

PRIMA opinio eſt Durandi *lib.* 1. *diſp.* 19. *quæſt.* 5. Heruæi *quol.* 3. *q.* 1. *art.* 2. *&* 3. Vaſq. *part.* 1. *diſputat.* 76. Blanc. *diſp.*1. *de Enunt. ſect.*4. Vulpes *part.* 1. *t.*2. *diſp.*32. *art.*4. aliorumque aſſerentium veritatem conſiſtere non in conformitate conceptus formalis ad rem cognitam, ſed in conformitate rei cognitæ ad ſeipſam, ſiue fundari in conceptu obiectiuo in ordine ad rem in ſe.

SECVNDA opinio aſſerit veritatem conuenire conceptui formali per ordinem ad rem cognitam, ſic Suarez *diſput.* 8. *Metaphyſ. ſect.* 1. D. Thom. Conimbric. Scotiſt. & alii apud Melduh. *hic num.*6.

TERTIA opinio eſt Seraph. Doct. aſſerentis veritatem propoſitionis formaliter conſiſtere in conformitate conceptus formalis ad rem non ſecundùm ſe, ſed ſecundùm modum, quo ſe habet ad formalem conceptum, & prout obiicitur intellectui: Pro ſolutione quæſtionis

589. PRIMÒ Notandum, quod aliud eſt loqui de veritate ſecundùm ſe, ſiue incomplexa; hæc enim proprietas eſt entis ratione indiuiſionis ſuorum principiorum: Aliud de veritate Enuntiationis, ſiue complexa, de qua diuiſione loquitur Seraph. Doct. *Serm.* 4. *Hexaëm.*

Hexaëm. & lib. 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *in fund. & lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* Res enim, vt eſt enuntiata in propoſitione, non ſumitur ſecundùm ſe abſolutè, ſed ſecundùm modum ſe habendi, id eſt prout enuntiatur in propoſitione; & cùm Enuntiatio alia ſit mentalis, alia vocalis: Vocalis ſubordinatur mentali, hinc vocalis formaliter non explicat veritatem rei ſecundùm ſe, ſed tantùm educit ad extra mentalem, vt appareat, quale iudicium de re habeat, qui eam profert, ſiue ſit verùm, ſiue falſum: Vnde Oratio per verbum modi Indicatiui indicat affectum rationalis, Imperatiui affectum iraſcibilis, Optatiui affectum concupiſcibilis; Subiunctiui vtrumque affectum: Sic *Serm.* 4. *Hexaëm.* Hinc infert S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 46. *quæſt. vltim. ad* 3. quod veritas complexa ſemper fundatur ſuper aliquid, ſed aliquando ſuper rem intellectam, & aliquando ſuper intelligentem, id eſt ſuper conceptum formalem, in quo oratio habet eſſe.

490. Secundò Notandum, quod cùm veritas propoſitionis vocalis ſit adæquatio ſigni ad ſignatum, ſiue ad conceptum formalem, conſequenter etiam dicit qualitatem non abſolutam, ſed reſpectiuam, & relationem ſuperadditam rationis: Sic S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 3. *& lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 2. *& lib.* 2. *diſt.* 37. *quæſt. vltim.* Et quia hoc ſignatum poteſt ſumi dupliciter, vel pro eo quod intenditur ab ipſo inſtituente, & concipiente interius, vel pro ipſa re, vt exiſtit à parte rei, verbi gratiâ, volo dicere mendacium, & dico, Homo eſt Aſinus, tunc tali Enuntiationi pro ſignato reſpondet ipſe conceptus intentus à me, & tunc Enuntiatio dicitur habere veritatem eſſentialem, quatenùs eſt ſignum, & ordinata ad ſignatum; & ſi dico, homo eſt animal rationale, tunc reſpondet conceptus obiectiuus, ſicuti eſt à parte rei, & tunc reſpondet veritas accidentalis propoſitionis, prout eſt ſignum: Vnde infert propoſitionem aliquando eſſe veram veritate eſſentiali, & falſam veritate accidentali. Et ſi dicam, Ariſtoteles fuit Philoſophus, & oppoſitum interius iudico, tunc propoſitio habebit veritatem accidentalem, & ei deficiet veritas eſſentialis, cùm proferam mendacium, & adſit difformitas ad actum internum, & formalem, & ratio eſt allata ſuprà, quia veritas propoſitionis eſt veritas ſigni, nec explicat rem abſolutè, ſed modum ſe habendi in conceptu formali mentis: Ex quibus patet, quod veritas propoſitionis conſiſtit formaliter in ipſa terminorum ſignificatione, quæ talis ſit, vt non repugnet vnum attribui alteri, etiam ſi verè poſitiuè in eo non ſit, ad hoc vt verbum in propoſitione habeat rationem ſimplicis copulæ connectentis tantùm duo nominum ſignificata inter ſe, quæ ſibi inuicem connecti poſſunt abſque vllo ordine ad exiſtendum vnius in alio ad differentiam propoſitionum, in quibus verbum ſignificat aliquid de nouo verè ineſſe ſubiecto, vt Philoſophus eſt doctus: Paries eſt albus; iſti enim ſignificant veritatem & eſſentialem, & accidentalem ſimul, at propoſitio præcisè poteſt ſtare ſine veritate accidentali, habereque tantùm veritatem propoſitionis vt ſigni, prout vnit prædicatum cum ſubiecto, vt Chimæra eſt: Differunt autem iſtæ propoſitiones, quod in propoſitione ſecundùm veritatem rei à propoſitione de tertio adiacente licèt inferant propoſitionem de ſecundo adiacente, vt homo eſt albus; ergo homo eſt; in propoſitionibus verò ſecundùm veritatem tantùm vnio-

nis

Digitized by Google

nis ſignificatorum non licet id inferre: Propoſitio enim de ſe præſcindit ab omni exiſtentia: His poſitis.

591. Prima Conclvsio: Veritas propoſitionis eſt complexa conſiſtens formaliter in conceptu formali, in obiectiuo verò ſolùm dependenter à formali.

Probatvr prima pars, quia veritas eſt expreſſio formalis obiecti, ſeu ſimilitudo, & conformitas ad obiectum vt cognitum, ſed talis expreſſio eſt conceptus formalis, ſeu ſpecies expreſſa, ergo in ea formaliter conſiſtit veritas: Tum quia talis conformitas eſt intentionalis, ergo conſiſtit in conceptu formali: Tum quia nullo modo differret veritas rerum tranſcendentalis à veritate enuntiationis, ſi hæc exigeret conformitatem cum ipſa re, vt eſt in ſe, ſic enim formaliter eſſet in re, non in conceptu formali.

Probatvr ſecunda pars, quia ſicut hæc cauſalis eſt vera, ideò res cognita repræſentatur, quia cognitio ipſam repræſentat, & eſſe repræſentatum in ſe dependet à repræſentatione actiua cognitionis, ita iſta eſt vera: Ideò res cognita repræſentatur conformiter, & verè, quia cognitio illam verè, & conformiter repræſentat; ergo denominatio veritatis in cognitione erit intrinſeca à veritate in ipſa exiſtente, extrinſeca verò à veritate exiſtente in re cognita; Tum quia actus voluntatis dicitur bonus formaliter non ab obiecto, ſed à bonitate in ipſo exiſtente, ſic & conceptus formalis dicitur verus in ſe à veritate ipſius actus; Tum quia creaturæ in mente Diuina habent eſſe verum obiectiuum, & tamen Diuina veritas eſt in cognitione Dei, non in creaturis cognitis, ergo idem de cognitione creata.

592. Obiicies: Oratio vocalis eſt ſignum rei verè, ſed oratio eſt ſignum rei conceptæ non cognitionis, ergo veritas conſiſtit in conceptu obiectiuo in ordine ad rem vt in ſe.

Respondent communiter negando Min. Nam oratio eſt ſignum rei in ſe, non vt conceptæ: S. Bonau. reſpondet orationem eſſe ſignum rei vt ſubordinatæ conceptui formali, à quo dependet in veritate eſſentiali, eſt & ſignum rei in ſe, à qua dependet in veritate accidentali: Vnde conformitas orationis in repræſentando rem vt conceptam eſt primaria, in repræſentando verò rem vt in ſe eſt ſecundaria.

Ex quibus infertur, quod conceptus obiectiuus dicitur verus ex hoc ſolùm, quod dependet à conceptu formali exprimente ipſum conceptum obiectiuum.

593. Secvnda Conclvsio: Veritas propria Enuntiationis eſt conformitas, & adæquatio ipſius vt ſigni cum conceptu obiectiuo ſecundùm modum, quo per expreſſionem, & ſignificationem intenditur ab ipſo exprimente, ſeu concipiente; Eſt contra omnes alios ſuprà *cit. in* 1. & 2. *opinione*; eſt tamen S. Bonau. *loc. cit.* præcipuè *lib.* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 1. & 2. vbi diſtinguit inter ſignum, & ſignatum: Poteſt enim ſignum eſſe verum, & ſignatum falſum; verum enim prædicatur de ſigno ratione compoſitionis, & de ſignato ratione attributionis: Vnde quando compoſitio eſt rectè facta, ſicuti intenditur ab intellectu, tunc habet veritatem ſigni, quare ex hoc deducitur ratio euidens probans noſtram Concluſionem, quia veritas ſigni eſt adæquatio intentionalis eſſentialiter reſpiciens non rem abſolutè, ſed modum, ſiue compoſitionem, qua res exprimitur: ergo hæc veritas eſſentialis propoſitionis habet

pro

pro obiecto, ſeu ſignato rem, prout eſt intenta ab ipſo exprimente, vt ſi dico, homo eſt Aſinus intendendo dicere mendacium, tunc in illa propoſitione adeſt adæquatio eſſentialis ad obiectum intentum.

Respondet Meld. *cit. n.* 5. hanc veritatem eſſe tranſcendentalem, licèt enim cognitio ſit falſa in repræſentando, vera tamen eſt in eſſendo; eſt enim eſſentialiter cognitio, obidque vera.

Contra, quia hæc veritas dependet ab intellectu tali, vel tali modo exprimente id,quod non eſt à parte rei, ſed quod eſt ab intellectu effictum; ergo vt talis non eſt paſſio entis; hæc enim non dependet ab opere intellectus: Hincque patet diſcrimen, quod eſt inter veritatem tranſcendentalem rerum, & repræſentatiuam enuntiationis: Nam iſta enuntiationis attenditur, vel ſecundùm modum, quo cognoſcitur, vel penes comparationem cognitionis ad obiectum cognitum exprimendo illud, ſicut intendit; tranſcendentalis verò per comparationem obiecti, vt in ſe eſt ad intellectum cognoſcentem: Vnde conſequitur ad entitatem rei; repræſentatiua verò conſequitur cognitionem, vel modum cognitionis obiecti.

594. Obiicies primò: Intellectus dicitur verus ex hoc, quod habet in ſe rem conceptam, vt eſt in ſe; ergo veritas conſiſtit in conformitate rei cognitæ, vt eſt verè in ſe, ergo & talis eſt veritas Enuntiationis.

Respondetur concedendo totum de veritate tranſcendentali rerum, negando de veritate ſigni: Hæc enim reſpicit potiùs modum, quo aliquid exprimitur, quàm veritatem rei.

Obiicies ſecundò: Oratio eſt ſignum exprimens rem, non cognitionem, immò Oratio, ſeu propoſitio eſt ipſa cognitio; ergo erit ſignum ſui.

Respondetur, Orationem eſſe ſignum exprimens rem, vel ſicuti eſt, vel ſecundùm alium modum ab intellectu effictum, & ſic habet pro obiecto vel rem, vel aliquem modum effictum ab intellectu, & id eſt proprium obiectum ſigni nempè ſignatum, vt ab intellectu conceptum, & per enuntiationem expreſſum.

Obiicies tertiò: Oratio, & propoſitio immediatè ſignificat res, vt dictum eſt *in quæſt.* 1. *de Vniuerſ.* ergo veritas ſigni conſiſtit in conformitate intellectus ad res, ſicut ſunt, non prout repræſentantur.

Respondetur concedendo de veritate accidentali ſigni, negando de eſſentiali ſigni: Sic S. Bonauent. Nam Oratio, & voces ſignificant res, ideſt obiectum intellectus, prout tamen ab intellectu concipitur tali, vel tali modo exiſtente in intellectu; ſic etiam ſignificatur albedo in abſtracto, quæ tamen à parte rei non habet eſſe abſtractum: Vnde Oratio eſt ſignum rei principaliter in repræſentando, non in eſſendo, ideſt vt eſt à mente concepta.

595. Obiicies quartò: Ab eo, quod res eſt, vel non eſt, Oratio dicitur vera, vel falſa, ſic Ariſtot. *in cap. de Quantitate*; ergo ab ipſa re ſumitur veritas Enuntiationis.

S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 46. *cit.* explicat ſenſum Philoſophi dicens, Philoſophus non dicit ab eo, quod res eſt tantùm, ſed addit, eſt, vel non eſt; ideſt ab eo, quod res eſt, eſt Oratio vera, quæ ſignificat ipſam eſſe; & ab eo, quod non eſt, eſt vera, quæ ſignificat ipſam non eſſe; & ab eo, quod eſt, eſt falſa, quæ ſignificat eam non eſſe. Explicat hoc ſuum dictum *lib.* 2. *diſt.* 37. *quæſt. vltim. in corp.* Ab eo, quod res eſt, ſicut repræſentatur, dicitur Oratio vera,

Digitized by Google

vera; & ab eo, quod non eſt, ſicut repræſentatur, dicitur falſa: Vnde propoſitio, ſi repræſentat rem, ſicuti inſtituta eſt ad repræſentandum, ſiue id à parte rei ſit verum, ſiue falſum, talis Oratio eſt vera veritate eſſentiali ſigni, & tunc deficit ei veritas accidentalis, quando res non eſt talis, ſicut repræſentatur. In primo ſenſu obiectum dicitur res à reor, reris: In ſecundo prout dicitur à ratus, rata, ratum ſecundùm doctrinam à Seraph. Doct. datam *lib.* 1. *diſt*, 25. *dub.* 3. *& lib.* 2. *diſt.* 37. *dub.* 1. Hinc conceditur conſequentia de veritate accidentali, negatur de eſſentiali ſigni.

Ex quibus infertur, quod veritas cognitionis eſt aliquid ſuperadditum ipſi actui intellectus, quia modò poteſt eſſe verus, modò falſus: Eſt enim relatio conformitatis inter actum, & obiectum cognitum, quæ conformitas eſt repræſentationis, & intentionalis, ſic etiam falſitas propoſitionis eſt inadæquatio inter ipſum conceptum formalem, vel inter ſignum, & ſignatum.

QVÆSTIO IV.

An Propoſitio poſſit de vera mutari in falſam, & è contra.

596. EX ſolutione huius Quæſtionis clareſcent ea, quæ *in præcedenti Quæſt.* dicta ſunt; ſunt enim omninò inter ſe connexa: Pro explicatione tituli

Primò ſupponendum, quod Propoſitio alia eſt de materia neceſſaria, alia de impoſſibili, alia de contingente, & hæc eſt vel de præſenti, vel de præterito, vel de futuro, & quæ eſt de præſenti, alia eſt, quæ determinatam, & certam partem temporis ſignificat, vt Petrus ſtudet per totam horam: Alia, quæ indeterminatam, & confuſam partem temporis ſignificat, vt Petrus ſtudet: Et cùm cognitio alia ſit intuitiua, ſcilicet obiecti exiſtentis, vt exiſtens eſt; alia abſtractiua, quæ ab exiſtentia obiecti abſtrahit: Hic quæritur, an Veritas ita diſtinguatur ab his propoſitionibus, & actibus, vt eadem numero enuntiatio de vera in falſam poſſit ſucceſſiue mutari, vel ſaltem à principio ſui potuerit eſſe falſa.

Secundò ſupponendum tanquam certum, quod propoſitiones neceſſariæ ita ſunt veræ, & impoſſibiles ita falſæ, vt nequeant mutari; nam earum veritas, & falſitas pendet ex neceſſitate, & immutabilitate obiecti, obidque & enuntiationes de ipſis ob neceſſariam connexionem terminorum, vel ob impoſſibilem connexionem ſunt immutabiliter vel veræ, vel falſæ: Hinc dicuntur primæ æternæ veritatis: Secundæ æternæ falſitatis, vt docet S. Bonau. *In Itiner. Ment. cap.* 3.

Quæstio igitur reducitur ad propoſitiones contingentes, & præcipuè circa enuntiationes mentales, & cognitionem complexam, præcipuè etiam procedit Quæſtio circa veritatem accidentalem, de qua ſuprà dictum eſt in ordine ad obiectum reale, an poſſit mutari de vera in falſam, & è contra.

Prima opinio eſt Hurtad. *diſp.* 9. *de an. ſect.* 3. *&* 4. Ouied. *contr.* 7. *de an. part.* 2. Smiſinch. *de Deo vno, tract.* 3. *diſput.* 1. *num.* 30. negantium omninò aliquam propoſitionem poſſe fieri de vera falſam ſiue in principio, ſiue poſt; ſed aliqua propoſitio, quæ modò eſt vera, vt Petrus currit, ſi proferatur ipſo non currente, tunc non eſt eadem propoſitio: eorum fundamentum

tum

Digitized by Google

tum eſt, quia veritatem nullo modo diſtinguunt ab ipſo actu entitatiuo, ſed idem eſſe omninò volunt.

SECVNDA opinio Nomin. eſt ferè eadem, quam, & refert, & reiicit S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* dicunt enim eandem rem indiuiſibiliter eſſe ſiue prolatam in tempore præſenti, ſiue in futuro, & nomina, & verba hæc idem omninò ſignificare ob rationem ſuprà allatam: Volunt enim veritatem, & falſitatem eſſe de eſſentia propoſitionis, obidque immutabiliter ei ineſſe.

TERTIA opinio eſt S. Bonauent. Suarez *diſp.* 8. *Met. ſect.* 2. Run. *hic quæſt.* 4. Scoti, & ferè omnium Scotiſtarum cum Meldul. *diſp.* 10. *num.* 12. eandem propoſitionem poſſe fieri de vera falſam, & è contra: Addit tamen Meldul. rectè *ibid. n.* 11. actum intuitiuum, quo videtur Petrus currere, non poſſe fieri de vero falſum: Hinc pro ſolutione Quæſtionis.

597. PRIMÒ Notandum, quod propoſitio ſignificatiua eſt de genere ſigni ex inſtituto ordinati ad ſignificandum obiectum: Vnde dicit relationem ad ſignatum: Sic S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 46. *art.* 1. *quæſt.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 37. *art.* 2. *quæſt.* 3. & *lib.* 1. *diſtinct.* 41. *art.* 2. *quæſt.* 2. Cùm autem Enuntiatio dicat ordinem ad enuntiabile, & enuntiabile ſit ipſum obiectum non ſecundùm ſuum eſſe abſolutum, ſed ſecundùm modum ſe habendi, ideſt quatenùs ab ipſo intellectu concipitur: Hinc etiam oritur, quod in propoſitione poteſt reperiri duplex veritas, alia abſoluta & accidentalis, alia reſpectiua, & eſſentialis, ſic & duplex falſitas: eſſentialis veritas enuntiationis, quæ dicitur reſpectiua, eſt illa, quæ competit ei, vt ſignum eſt, ideſt quatenùs conſtat ſubiecto, copula, & prædicato, quæ dicitur veritas complexa, & ob id enuntiabile, vt tale eſt, importat ſeipſum non ſecundùm eſſe rei, ſed ſecundùm modum ſe habendi expreſſum per enuntiationem: Vnde res ſignificata per tempus præſens, præteritum, & futurum alio, & alio modo ſe habet: Et cùm propoſitio dicat ordinem ad ſignatum, prout exprimitur vno, vel altero modo ab intellectu intento, importat etiam veritatem proportionatam ad rem, prout eſt tali modo ſignata, vel concepta, vt notat Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 41. *cit.* & *lib.* 3. *diſtinct.* 38. *dub.* 3. *& in Phar. lib.* 3. *cap.* 3. ex D. Auguſt. Ex quibus infert Seraph. Doct. vt docet *lib.* 2. *diſtinct.* 37. *citat.* quod illa propoſitio habet veritatem eſſentialem, & propriam ſigni, ſi explicat id, ad quod inſtituta eſt, licèt res ſignificata à parte rei ſit falſa; tunc enim ei deficit veritas accidentalis, cùm deficiat conformitas ad rem, prout eſt in ſe: In quo ſenſu dixit Ariſtot. ab eo, quod res eſt, vel non eſt, dicitur oratio vera, vel falſa; ideſt ab eo, quod res eſt, ſicut à propoſitione ſignatur, propoſitio eſt vera, & hinc hæc veritas dicitur reſpectiua non abſoluta, ideſt quæ eſt inter ſignum, & ſignatum intentum ab exprimente.

598. SECVNDÒ Notandum ex eodem Seraphico Doct. *lib.* 1. *diſt.* 41. & 46. & *lib.* 2. *diſt.* 37. & ex Trigoſ. ſuper Textum hunc *part.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 8. quod cùm veritas propoſitionis deſumi debeat à modo ſignificandi, ſequitur, quod res enuntiata per tempus præſens, præteritum, & futurum alio, & alio modo ſe habet Philoſophicè loquendo, licèt non Grammaticaliter, cùm Grammaticus conſideret tantùm impoſitionem nominis, & modum ſignificandi, ſic dicit, quod

quod albus, alba, album eſt vnum nomen, & vnum verbum naſcitur, natus eſt, & naſcetur, quia eſt vna ſignificatio, & vnus actus, ſic & dicunt Nomin. At Philoſophicè loquendo cùm ſint varia nomina ſignificatiua, & importentur per verbum tres menſuræ temporis differentes, ſequitur, quod res enuntiata per tempus præſens ſit ſemper eadem eodem modo prolata in quocunque tempore, vt ſi dicam, hodiè Petrus ſedet, & eandem cras proferam, eſt eadem propoſitio, & eodem modo prolata, importatque eandem vnionem terminorum, ratio eſt, quam adducit S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 41. *cit.* quia adeſt idem ſubiectum, copula, & prædicatum: Tum quia verbum temporis præſentis ſignificat in communi quodcunque tempus præſens, quandocunque proferatur, ſicut & hoc nomen homo in communi prolatum ſignificat vniuocè quemcunque hominem & præteritum, & futurum, etiamſi ſupponat modò pro Petro, poſteà pro Ioanne, ſic & verbum præſentis temporis, &c. etiamſi proferatur diuerſis temporibus; Tum quia vnitas, vel identitas enuntiabilis ſumenda eſt ex vnitate vocis, & modi ſignificandi, & rei ſignificatæ quantum ad eſſe ſignificatum: Hinc ſequitur, quod hæc propoſitio Petrus ſedet nunc, ſi eſt vera Petro ſedente, & cras proferatur Petro non ſedente, de vera mutabitur in falſam: Ex qua doctrina patet differentia inter propoſitiones neceſſarias, & contingentes, nam in neceſſariis cùm verbum ſubſtantiuum importet connexionem independentem à determinato tempore, vt homo eſt animal, ſunt etiam immutabiles quoad veritatem: At contingentes cùm importent per verbum limitationem determinatam temporis, verbum enim eſt (ait S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 22. *dub.* 3.) ſignificat in adiacentia, & concretione modum limitatum, quo vniuntur extrema, eſt enim nota eorum, quæ de altero dicuntur, ideſt ſignum compoſitionis extremorum cum tempore, hinc ab ipſo tempore dependent quoad veritatem, & falſitatem.

599. Tertiò Notandum, quod ſubſtantia actus cognitionis pendet quidem ab obiecto, non vt in ſe eſt, ſed provt eſt repræſentatum ab ipſa ſpecie, ſecundùm quam intellectus efformat propoſitionem de rebus aſſerendo, vel iudicando, & cùm ſpecies repræſentet obiectum abſque circunſtantia temporis, poteſt euenire, quod inuariatio repræſentationis obiecti in ſe permaneat variato obiecto quoad modum, vel actum, quo priùs repræſentabatur, & ob id cum variatione veritatis, verbi gratiâ, ſi ſpecies repræſentet intellectui Petri curſum, talis repræſentatio poteſt permanere etiam ceſſante curſu Petri, ſicque intellectus poterit efformare propoſitionem primò veram, poſteà falſam: His poſitis adeſt.

600. Prima Conclvsio: Actus intuitiuus, quo videtur Petrus currere, non poteſt ſucceſſiuè mutari de vero in falſum, eſt communis; Et ratio clara eſt, quia curſus Petri exiſtens ſe habet ad actum intellectus vt obiectum formale, & motiuum; iudicat enim, ſicut videt, nec mouetur ad tale iudicium ex aliqua coniectura diuerſa, vt euenit in actu abſtractiuo præſcindente ab exiſtentia, & præſentia obiecti, obidque ceſſante curſu Petri, ceſſabit & actus ab eo dependens.

601. Secvnda Conclvsio: Propoſitiones contingentes de præſenti conſignificantes certam temporis differentiam ſunt adeò veræ, vt non poſ-

ſint

ſint ſucceſſiuè in falſas mutari, vt verbi gratiâ Petrus tota hac hora diſputat, patet hæc veritas ex ſummulis Logicalibus, (vt videre eſt apud Tolet. *lib.* 2. *cap.* 4. §. *Præter has reſolutiones*) & ratio eſt, quia cùm in dicta propoſitione tempus ſe habeat vt totum quoddam determinatiuum, & obiectiuè ſimul acceptum admittit tantùm deſcenſum copulatum, & conſequenter ſi eſt falſa quoad vnam partem, tota erit falſa; ſenſus enim copulatus eſt, cùm omnia ſingularia ſub vna copula coniunctiua reſpectu vnius prædicati ſumuntur, ſed in dicta propoſitione omnes partes vnius horæ ſumuntur ſub vna copula ſaltem obiectiuè ſumptæ: ergo ſi in vna parte horæ eſt falſa, tota erit falſa.

602. Tertia Conclusio: Omnis Propoſitio contingens vera potuit in ſui principio eſſe falſa; Eſt S. Bonauent. & communis contra Nomin. Et

Probatur, quia eſt contingens; ergo obiectum ipſius potuit non eſſe, nam vt rectè docet, & infert S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 40. *art.* 2. *quæſt.* 1. *&* *diſt.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 2. *fund.* 1. ſi conſequens eſt contingens, impoſſibile eſt, quod antecedens ſit neceſſarium; Tum quia inter propoſitiones contingentes nulla eſt, quæ maiorem neceſſitatem habeat, quàm præterita: Præteritum enim non poteſt non eſſe præteritum etiam per abſolutam Dei potentiam, vt docet S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 42. *art.* 1. *quæſt.* 3. ſed tamen adhuc dicitur contingens, vt rectè, & fusè docet S. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3. ergo ab initio fuit indifferens ad eſſe, & non eſſe, & ad veritatem, & falſitatem, Contingens enim propoſitio per id differt à neceſſaria, quod poteſt eſſe & vera, & falſa, non ſic neceſſaria.

Respondent Aduerſarij, Propoſitionem dici contingentem non ob indifferentiam ad veritatem, vel falſitatem, ſed ob vnionem contingentem prædicati cum ſubiecto: Vnde tota contingentia ſe tenet ex parte obiecti non ex parte propoſitionis, obidque dicitur propoſitio contingens, non quia poſſit falſificari, ſed quia alia conſimilis de iiſdem terminis poteſt eſſe falſa: Explicat hoc dictum Hurtad. *diſt.* 9. *de an. ſect.* 4. *num.* 21. quia hæc propoſitio, verbi gratiâ Petrus cucurrit, non eſt vera comparatione Petri ſecundùm ſe conſiderati, ſed reſpectu ipſius iam currentis, vel non currentis, quæ ſuppoſitio eſt conſequens ad Petrum ſecundùm ſe, & antecedens comparatione propoſitionis; obiectum enim eſt prius, & cauſa cognitionis; ergo ſuppoſitio facta non poteſt tolli, neque obiectum mutari, neque reddi actus falſus.

603. Contra; quia hîc procedit Quæſtio de propoſitionibus non ſolùm ratione materiæ, ſed de ipſis intrinſecè, & formaliter conſideratis, quatenùs intrinſecè ſunt ſigna, ſed vt ſic non ſunt æternæ veritatis, aliàs eſſent idem cum neceſſariis, & licèt alia conſimilis poſſit efformari falſa, tamen illi eſt per accidens, ſi illa intrinſecè eſt vera, vt non poſſit eſſe falſa: Tum quia Ariſt. ex neceſſitate, & contingentia rerum infert neceſſitatem, & contingentiam propoſitionum ſecundùm veritatem, vel falſitatem. Confirmatur contra Hurtad. dicentem poſſe efformari duas propoſitiones conſimiles de curſu Petri, ſi verè currit, vnam veram, aliam falſam, ſi verè non currit, falſitas actus circa hanc ſecundam propoſitionem nullam habere poteſt cauſam, quod implicat. Probatur antecedens à Meldul. *num.* 13.

Detur aliquis, qui ex coniecturis iudicet Petrum currere, cùm reuera ſit falſum, ſed falſitas talis actus non erit ab intellectu, quia ex ſe intendit actum verum ſpecie diſtinctum ſecundùm Hurtad. producere, cui eſt applicatus, & à voluntate imperante, & à coniecturis mouentibus ad actum verum, ergo non poteſt exire in actum falſum hic, & nunc: Secundò nec erit talis falſitas ab obiecto, quia ſine intellectu non poteſt aliquid producere. Tum quia hoc obiectum eſt curſus in coniecturis veris repræſentatus, ſicque potiùs importat conformitatem, quàm difformitatem: Tertiò nec erit Deus, cùm non determinet ad errorem, ergo potiùs dicendum eſt eſſe eundem actum ſpecie, quo affirmatur curſus Petri, ſiue ita ſit à parte rei, ſiue non, ſicque intellectus motus à coniecturis fundabit relationem difformitatis, ſi non eſt à parte rei, & conformitatis, ſi eſt à parte rei talis curſus eo modo, quo paries albus fundat relationem ſimilitudinis, & diſſimilitudinis. Confirmatur, quia eadem entitas actus cognitionis non pendet ab obiecto in ſe, ſed provt relucet in ſpecie; ipſum enim exprimit, ſicut repræſentatur à ſpecie, & veritas pariter dependet ab obiecto, provt repræſentatur in ſpecie; ergo ſicut poteſt dari inuariatio repræſentationis obiecti in ſpecie cum variatione obiecti in ſe, poterit etiam inuariatio ſubſtantiæ actus eſſe cum variatione obiecti.

604. Qvarta Conclvsio: Propoſitio de præſenti cum indeterminatione partis temporis ſucceſſiuè poteſt mutari de vera in falſam.

Hic tamen aduertendum tempus eſſe quoddam totum ſucceſſiuum habens partes non ſimul, ſed ſucceſſiuas, poteſtque ſignificari determinatè, vt vna hora Petrus currit, & poteſt ſignificari confusè, & vagè, vt Petrus currit: Primo modo facit ſuppoſitionem copulatam, vt dictum eſt *in Concl. ſecunda*; ſecundo modo nec poteſt ſupponere determinatè, verbi gratiâ, Petrus currit vel in illa, vel in illa parte temporis, vt docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 41. *cit.* ſed ſe habet non vt quoddam diſgregatum, & diuiſum, ſed vt quoddam copulatum non tamen ſecundùm omnes partes ſimul, ſed ſucceſſiuè ſecundùm vnam poſt aliam: Vnde non eſt neceſſe, vt omnes diſtribuantur ſecundùm veritatem, ſicut cùm dicitur; Omnis homo currit, in qua omnes cathegoricæ ſimul verificantur, ſed vna poſt aliam, & ſecundùm propriam entitatem temporis, obidque ſunt capaces veritatis, & falſitatis ſucceſſiuè, cùm ſignificent eodem modo ſemper: Qua doctrina ſuppoſitâ.

Probatvr primò ex Ariſt. *cap. de ſubſtantia*, qui docet eandem orationem eſſe veram, ſi dicas, Petrus ſedet, ipſo ceſſante à ſeſſione tunc mutabitur de vera in falſam. Probatur ſecundò, quia ſi propoſitio contingens eſſentialiter eſt vera, vel falſa, ſequitur, quod dicat ordinem eſſentialem ad duo contradictoria, quod eſt impoſſibile. Probatur ſequela, nam cognitio falſa de curſu Petri diceret duo, ſcilicet repræſentaret curſum Petri, vt eſt cognitio, & vt eſt falſa, dicit ordinem ad negationem curſus Petri, immò deberet in ſe repræſentare intentionaliter duo contradictoria, quia, vt ſit falſa, debet repræſentare curſum exiſtentem, & eius carentiam. Probatur tertiò; ſi quis ex præcedenti motiuo iudicaret Petrum currere ipſo currente, tunc iudicium erit verum, & tunc durante eodem iudicio, ſi Petrus ceſſet à curſu, illud idem iudicium euadet falſum; ergo & eadem propoſitio.

Respondet Hurtad. *cit. num.* 25. negando conſequentiam, quia tunc indicium neceſſariò debet mutari, quia mutatur circunſtantia obiecti, ſcilicet tempus: Actus enim de præſenti ſemper connotat tempus, quo profertur; ergo propoſitio relata ad illud inſtans ſemper eſt vera, vel falſa.

605. Contra: Subſtantia actus non pendet ab obiecto in ſe, ſed vt repræſentato in ſpecie, ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 3. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *arg.* 4. *&* 5. *ad oppoſ.* ſpecies non repræſentat tempus, ideſt obiectum cum circunſtantia temporis, vt patet in ſomniis: Tempus enim ſe habet vt quid concomitans actum; ergo cùm obiectum formale actus non mutetur ideſt motiuum inducens intellectum ad tale iudicium, à quo eſſentialiter dependet, nihil officit variatio temporis. Tum quia, vt notat S. D. *lib.* 1. *diſt.* 41. *citat.* propoſitio de tempore præſenti ſemper idem tempus præſens in communi ſignificat non hoc tantùm, vel illud, ergo propoſitio non mutat aliam, & aliam ſignificationem. Tum quia intellectus in prolatione ipſius propoſitionis attendit ſolùm ad inhærentiam prædicati cum ſubiecto non cogitando actu de differentia temporis, ſed ſolùm connotando illud vagè, & indeterminatè, ſed illæ partes confuſæ in vnum ab intellectu, & connotatæ in tali propoſitione ſibi inuicem ſuccedunt, ergo & poteſt variari actus in illis de vero in falſum ſecundùm diuerſas coëxiſtentias temporis.

Respondet Ovied. cum aliis admittendo illam propoſitionem conſignificare tempus indefinitum, & confuſum, ſed negando conſequentiam, nam illa propoſitio neceſſariò eſt vel abſolutè vera, vel falſa, idque probant, quia ſi illa propoſitio explicetur copulatiuè, verbi gratiâ, Petrus currit, ideſt in hac parte temporis, & in hac, & in iſta ſic erit abſolutè vera, ſi ſemper currit; vel abſolute falſa, ſi in aliqua parte non currit; ad falſificandam enim totalem copulatiuæ ſufficit, vt vna ſola cathegorica ſit falſa: Vel poteſt explicari diſiunctiuè, erit abſolutè falſa, ſi nunquàm currit; vel abſolutè vera, ſi in aliqua ſaltem parte currit, quia ad verificandam diſiunctiuam ſufficit, vt vna pars ſit vera.

Contra: quia reſponſio non enacuat difficultatem, nam dato, quod quis ex prudenti motiuo, & probabilibus coniecturis iudicet Petrum currere non determinando, vel deſcendendo ad partes illius temporis conſignificati, ſed ſolùm implicitè, & confuſe, ſi Petrus currit in aliqua parte talis temporis, poſteà ceſſet, tunc tale iudicium erit conforme obiecto motiuo ſcilicet illis coniecturis, & tamen in vna parte erit verum, in alia falſum; aliàs ſi valeret illa regula copulatiuæ propoſitionis, tota eſſet falſa ob non exiſtentiam curſus in vltima parte illius temporis, quod non poteſt dici: Supponitur enim conforme obiecto, ſicuti eſt; neque poteſt dici debere explicari diſiunctiuè, nam abſolutè, non dubitatiuè affirmat ob motiuum, quod habet conſignificando tempus coëxiſtens illi affirmationi. Tum etiam quia, vt dicit S. Doct. in illa propoſitione permanet idem iudicium, & idem modus ſignificandi, & idem tempus in communi; ergo eſt capax veritatis, & falſitatis ſucceſſiuè: Quæ Concluſio magis patebit ex ſolutione obiectionum.

606. Obiicies primò cum Ovied. & Hurt. Hæc propoſitio, Petrus currit, eſt in materia contingente, obidque æquiualet particulari faciens hunc ſenſum, Petrus currit aliquo tempore; ergo vel

Digitized by Google

vel ſignificabit certum tempus, vel tempus indeterminatum; ſi primũ, ergo erit abſolutè tota vera, vel tota falſa: Probatur conſequentia, quia ſi illa propoſitio conſignificat certum tempus, tunc tale tempus non aliud profertur, in quo Petrus currit vel non currit, nam motiuum intellectus eſt ſpecies repræſentans obiectum pro illo tempore determinato, in quo coniecturæ illud oſtendunt, non pro futuro: Si ſecundum; ergo ad ipſam verificandam ſufficit, vt in aliqua parte temporis Petrus currat, vt quando dicitur, Aliquis homo currit, eſt tota vera, ſi vnus homo currit.

Respondetvr ex doctrina Seraphica traditâ ſupra *ex lib.* 1. *diſt.* 41. illam propoſitionem æquiualere particulari, & conſignificare tempus præſens, ſed indeterminatum, in quo permanet illa propoſitio, non quidem conſignificando illud vt totum ſimul, ſed ſucceſſiuè ſecundùm coexiſtentiam, quam dicit ad illam propoſitionem, & cùm eodem modo ſemper ſignificet; hinc negatur, quod ſemper ſit abſolutè vera, vel abſolutè falſa, ſed poteſt in vna parte eſſe vera, & in altera falſa, cùm ſeruetur, vt dictum eſt, idem modus ſignificandi; obidque negatur, quod ſit eadem ratio de illa propoſitione, Aliquis homo currit, & de iſta Petus currit: Ratio differentiæ eſt, quia in hac propoſitione Aliquis homo currit, ly *Aliquis homo* ſupponit pro rebus permanentibus, quæ cùm ſimul ſint, in iis etiam poteſt fieri deſcenſus diſiunctiuus, quia poteſt illis prædicatum conuenire: At in iſta Petrus currit, ly *currit*, dicit totum quoddam ſucceſſiuum habens partes non ſimul, ſed ſucceſſiuas, tuncque ſi ſignificatur confuſè, & vagè, vt in dicta propoſitione, non poteſt fieri deſcenſus diſiunctiuus vel in hac, vel in alia parte, cùm illud totum ſit quoddam copulatum ſucceſſiuum conſignificatum cum curſu Petri: Vnde ſtante dicta propoſitione ſemper permanet eadem indeterminatio, obidque poteſt admittere veritatem, & falſitatem, ſi mutetur actio, & permaneat conſignificatio temporis: Hinc ad probationem primæ, & ſecundæ partis argumenti reſpondetur concedendo illam propoſitionem conſignificare tempus præſens, ſed indeterminatum, & vt totum quoddam ſucceſſiuum non quidem repræſentatum per ſpeciem, ſed tantùm conſignificatum cum actu expreſſo per verbum, ſed indeterminatè, & confuſè.

Instat primò hîc Ouied. *cit. num.* 6. & dicit hanc ſuam rationem eſſe magni ponderis, adhoc vt propoſitio in hoc inſtanti ſit vera, Petrus ſemper currit, debet ſupponi illius obiectum non ſolùm in hoc inſtanti, ſed & in omni tempore importato per copulam, eo modo quo per copulam importatur, ſed in hoc inſtanti ſupponitur obiectum propoſitionis exiſtens, ergo ſemper debet ſupponi exiſtens, aliàs non adeſſet conformitas actus cum toto obiecto, ſed obiectum ſignificatum dicit durationem non ſolùm præſentem, ſed præteritam, & futuram; ergo adhoc vt ſit vera, debet in omni inſtanti currere, & ſi non currit, erit ſemper falſa.

607. Respondetvr concedendo totum diſcurſum de propoſitione conſignificante certam temporis partem, vt dictum eſt ſuprà *in Concl.* 2. negando de conſignificante tempus indeterminatum, & confuſum: Tunc enim non requiritur obiectum exiſtens pro quacunque parte temporis, cùm intellectus attendat ad inhærentiam prædicati cum ſubiecto, in qua connotatur

notatur tempus à verbo, ob id etiam confusè conſignificatur.

INSTANT ſecundò Aduerſarij cum Oviedo *num.* 3. Nos confundere vnum inſtans præteritum cum futuro, & præſenti. Actus enim importatus per verbum, vt Petrus currit, ſignificat vnum inſtans præſens abſtrahendo ab hoc, vel illo, ſicque idem ſignificat & præſens, & præteritum, & futurum, ita quod præteritum dicitur præſens, quatenùs iam fuit præſens, & futurum, quatenùs erit, ſicque dicendo, Petrus currit, poſt tranſactum curſum eſt idem ac dicere, Petrus cucurrit, ergo ſi referatur ad nouum inſtans, non erit ampliùs eadem propoſitio, ſed alia, obidque ſemper ſequitur, quod non poteſt eſſe vera, & poſt falſa.

HVIC obiectioni reſpondetur ipſum Oviedum confundere ipſos terminos, dum dicit, quod verbum præſentis temporis ſignificet etiam præteritum, & futurum, nam, vt dicit S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 41. *cit.* præſens ſolùm ſignificat præſens, vt tale eſt, & in communi, & eodem modo; obidque cùm importet non abſolutè rem, ſed modum, quo explicatur res eſſe in tempore, ſemper eodem modo ſignificat ſcilicet indeterminatè, & confusè pro omni tempore: Vnde deficiente obiecto, ſcilicet curſu Petri, erit illa propoſitio, quæ priùs erat vera, poſteà falſa. Obiectio autem Oviedi eſt vera de propoſitione ſignificante certam temporis differentiam, vt Petrus hac hora currit; falſa autem de ſignificante tempus indeterminatè, vt Petrus currit, quia in hac obiectum non ſupponitur exiſtens pro quacunque temporis differentia per copulam importata, vt Petrus currit. Intellectus enim attendit ſolùm ad inhærentiam prædicati cum ſubiecto non attendendo ad aliquam differentiam temporis: Vnde deficiente obiecto in aliqua parte temporis redditur falſa: Et ad illud, in quo vim maximam faciunt. Propoſitio ſicut ſignificat actionem determinatam, ita & conſignificat tempus determinatum. Reſpondetur negando ipſam abſolutè, & paritatem; ratio eſt, quam affert S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 27. *part.* 1. *dub.* 3. quia differunt nomen concretum, & verbum in modo ſignificandi; nam concretum ſignificat formã, & concernit ſuppoſitum informatum per eam; at verbum ſignificat actum vt egredientem, ob id in quadam diſtantia conſignificando tempus particulare, ſed indeterminatè, &c. Vnde verum eſt, quod permanentibus iiſdem coniecturis permanet idem iudicium, cui tempus ſecundùm diuerſas partes coëxiſtit ſucceſſiuè, nec tamen ſpecies repræſentat obiectum diſtinctè cum omni circunſtantia, præcipuèque temporis, ſed hoc datur intelligi ex ſignificato verbi, & ob id ex vera fit falſa illa propoſitio, cùm remaneat eadem ſignificatio actionis in eodem tempore indeterminato.

608. INSTANT tertiò: Ex varietate obiecti variatur actus cognitionis: ergo ceſſante curſu Petri, variatur cognitio, & actus, & ob id propoſitio: Confirmatur, quia illa propoſitio, Petrus currit, eſt repræſentatiua formaliter curſus actu exiſtentis; ergo ablato curſu non eſt ampliùs eadem propoſitio.

RESPONDETVR, variato obiecto formaliter variatur cognitio, concedo, variato materialiter tantùm, nego; ad Minorem illa propoſitio, Petrus currit, repræſentat curſum Petri vt præſcindentem ab exiſtentia exercitè, & vt eſt ens nominaliter, concedo, vt exiſtentem exercitè, & vt eſt ens verbaliter, nego; nam curſus Petri vt cognitus, & dependens à ſpecie eſt obiectum formale

male propoſitionis ſcilicet in eſſe obiectiuo non vt exiſtens, & exercitè niſi materialiter, & per accidens, ſicque cognitio vt vera variatur non vt cognitio ſecundùm ſubſtantiam ſumpta, & vt abſtractiua, ſeu vt reſpicit obiectum pro materiali; primo modo repræſentatur curſus vt ens verbaliter, ſecundo vt ens nominaliter, & vt ſic.

Instant quartò: Hæc propoſitio, Chriſtus eſt in hoſtia, eſt contingens de præſenti conſignificans tempus confusè, & poteſt permanere vſque ad corruptionem ſpecierum, quo tempore deſinit eſſe Corpus Chriſti in hoſtia, tunc ſic ſi illa propoſitio poſſet euadere falſa, ſequeretur fidem ſupernaturalem concurrere ad actum falſum, quod implicat. Probatur ſequela, quia priùs ille actus erat fidei ſupernaturalis, & verus, quia exprimebatur res, ſicuti erat; ergo ſi poſt deſitionem adhuc idem actus permanet, & euadit falſus, fides infuſa concurret ad illum actum falſum, ſed id eſt abſurdum, ergo dicendum eſt actum quoad ſubſtantiam deſinere ad deſitionem obiecti à parte rei; ergo & idem dicendum de qualibet alia propoſitione contingenti.

690. Respondetvr ex doctrina, quam tradit Seraph. Doct. *lib. 3. diſtinct. 24. art. 1. quæſt. 1. ad 3. & vlt.* & clariùs *artic. 2. quæſt. 3.* quod fides inclinat intellectum ad illam propoſitionem in vniuerſali, Chriſtus eſt in hoſtia, non autem ad propoſitionem de hac, vel illa, niſi ſub conditione ſaltem implicita, cùm dependeat à fide, & intentione peculiari Sacerdotis, & ideò poteſt ei ſub eſſe falſum, quare cùm illa propoſitio ſit circa hoſtiam in particulari, poteſt eſſe vera, vel falſa: Sic & Meldul. *cit. num. 23.*

Dices: Si deficerent omnes hoſtiæ particulares in Mundo, tunc illa propoſitio vniuerſalis poſſet reddi falſa, ſic reddit vis argumenti.

Respondetvr negando ſequelam, nam etiam ſi deficerent omnes hoſtiæ, tamen illa propoſitio vniuerſalis eſſet vera per virtutem infuſam fidei, ſcilicet quod Chriſtus eſt ſub omni hoſtia ritè conſecrata.

Instant iterum: Si Iudæus ante Chriſti natiuitatem dixiſſet, Chriſtus naſcetur ex motiuo fidei infuſæ, & continuaſſet hunc actum vſque ad Chriſti Natiuitatem, ſi eſſet omninò eadem, propoſitio tunc eſſet falſa; ergo vrget vis argumenti ſuprà poſiti.

610. Respondetvr ex S. Doct. *lib. 3. diſt. 24. art. 1. quæſt. 3. in corp.* & *art. 2. quæſt. 3.* quod cùm fides ſecundùm ſubſtantiam reſpiciat complexum, ſeu enuntiabile implicitum non concernendo determinatam temporis differentiam, immò eſt quid indifferens ad omne tempus, ſicut Chriſtum fuiſſe paſſurum, hinc illa propoſitio, Chriſtus naſcetur, prout eſt de fide implicitâ, & ſecundùm ſubſtantiam importat Chriſti Natiuitatem tantùm, licèt explicitè importet determinatam temporis differentiam, hinc de propoſitione contingente Chriſtus naſcetur, prout concernit tempus, poterat fieri neceſſaria, & tranſire in præteritum, & de vera in falſam; concernentia enim temporis determinati eſt quid ſecundarium, & per accidens ad propoſitionem vniuerſalem de fide: Idem & docet *lib. 1. diſt. 41. quæſt. vlt.* & *diſtinct. 46. quæſt. 4.* & *diſt. 38. quæſt. vltim.* quam reſponſionem adamuſſim dat & Meld. *cit. num. 24.* citans Scot. *lib. 3. diſt. 25. quæſt. 1. ad H.* quam & ipſe mutuauit à S. Doct. *lib. 3. diſtinct. 24. artic. 2. citat.*

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

An propoſitiones de futuro contingente ſint determinatè vera, vel falſa, ſeu an detur de futuris contingentibus determinata veritas.

611. QVÆSTIO hæc eſt Theologica, & à Theologis agitatur in tractatu de ſcientia, ſeu præſcientia Dei, vbi traditur modus, quo Deus cognoſcit futura contingentia, ſed quia eam tangit Ariſtot. *in fine* 1. *lib. Perhierm.* etiam à Logicis proponitur; nos verò difficilioribus omiſſis, quæ altiorem indaginem exigunt, hîc aliqua faciliora ſubiiciemus.

PRIMÒ autem ſupponendum ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 38. *art.* 2. *quaſt.* 1. *ad* 4. quod per determinatam veritatem propoſitionis contingentis intelligitur veritas accidentalis ipſius, de qua ſuprà *in quaſt.* 3. eſtque conformitas ipſius propoſitionis cum ſuo ſignificato, quatenùs vel dicit ordinationem ad id, quod verè, & abſolutè euenturum eſt, licèt poſſit eſſe oppoſitum, vt Anti-Chriſtus erit, vel ad id, quod verè non eueniet, eueniret tamen, ſi aliqua conditio poneretur ineſſe, vt ſi Petrus non erit ſtultus, vacabit ſtudio Theologiæ: Primum dicitur futurum abſolutum, ſecundum futurum conditionatum.

612. SECVNDÒ ſupponendum propoſitionem poſſe dici determinatè veram dupliciter vel de ineſſe tantùm, vel de poſſibili etiam: Prima ſignificat prædicatum ineſſe ſubiecto cum poſſibilitate ad oppoſitum, vt Anti-Chriſtus erit, & hanc Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 38. *art.* 2. *quaſt.* 1. *ad* 2. appellat propoſitionem de ineſſe non ſimpliciter: Secunda, quando excluditur potentia ad oppoſitum, vt homo eſt animal, his duabus determinationibus opponuntur duæ indeterminationes de ineſſe, & de poſſibili: Prima dicit indifferentiam ad eſſendum, vel non eſſendum: Secunda dicit indifferentiam ad poſſe eſſe, & non eſſe, prima nulli rei competere poteſt, quia vel eſt, vel non eſt, obidque determinata determinatione de ineſſe; cum qua determinatione tamen poteſt ſtare indeterminatio de poſſibili, cùm enim res contingens eſt, poteſt non eſſe, & cùm non eſt, poteſt eſſe, ſicut & dicitur ſuo modo de cauſa libera quoad agere, & non agere.

TERTIÒ ſupponendum, quod hîc non procedit Quæſtio de propoſitione de præſenti, vel de præterito, vtraque enim determinatè eſt vera, vel falſa, nec etiam de quolibet futuro, ſcilicet non de futuro neceſſario, nec de conditionato, ſpectat enim ad Theologum, ſed de contingente, & abſoluto: Item nec eſt ſermo de propoſitionibus vniuerſalibus, quia moraliter loquendo ſunt falſæ, videtur enim impoſſibile, quod prædicatum contingens ab omnibus indiuiduis remoueatur, vel omnibus conueniat, nec de particularibus, ſunt enim determinatè veræ, vt aliquis homo currit, ſed eſt ſermo de ſingularibus, vt Petrus curret; & quæritur, an tales Propoſitiones de futuris contingentibus ſint determinatè veræ, ſcilicet determinatione de ineſſe, quæ ſtat cum indeterminatione de poſſibili, idest cuius obiectum verè erit, ſed cum poſſibilitate ad oppoſitum. Quibus poſitis ſit.

613. Vnica Conclvsio: Propoſitiones de futuro contingente abſoluto ſunt vel determinatè veræ, vel determinatè falſæ, ita vt hæc Propoſitio, Petrus cras leget, habet determinatam veritatem, vel falſitatem. Eſt communis Seraph. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 38. *per totam præcipuè artic.* 1. *quæſt.* 1. *&* 2. Scoti *lib.* 1. *diſtinct.* 39. & aliorum, & eſt determinata de fide à Sixto IV. & habetur in Sacra Scriptura, vt Dan. III. *Deus nouit omnia, antequàm fiant*, & Apoc. 21. *Et abſterget Deus omnem lacrymarum ab oculis eorum*, & pluribus aliis locis, & in pluribus prophetiis, aliter Deus poſſet mentiri, & nos decipere.

Probatvr autem ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *cit. art.* 2. *quæſt.* 1. Deus præſcit res, ſecundùm quod ſunt euenturæ, & non ſolùm ſub diſiunctione, quod forent, vel non forent, id enim & nos præſcimus; eſtque hæc cognitio confuſa, & imperfecta; ſed Deus nihil præſcit niſi verum, quod enim non eſt verum, non eſt cognoſcibile; ergo. Tum quia hæ propoſitiones vel ſunt conformes, vel difformes determinatè proprio obiecto, quando proferuntur, vt Anti-Chriſtus erit, ſcilicet in certo tempore futuro, nec medium poteſt dari; ergo.

Dices: Vt effectus ſit futurus, requirit determinationem cauſæ liberæ ad illum producendum, & ſi eſt indeterminata, non poteſt dici, quod effectus ſit futurus, vel non futurus, ergo eſt indeterminatus.

Respondetvr propoſitionem, licèt nunc proferatur, in quo cauſa eſt indeterminata, ſignificare obiectum pro tempote futuro, in quo neceſſariò cauſa eſt determinata.

614. Obiicies primò: Futurum vt contingens de ſua ratione formali eſt indifferens ad vtrumlibet, ergo de ſua ratione formali eſt indeterminatum; ergo nec concipi poteſt vt determinatum, ſic etiam docet de vero contingente Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 7. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 4.

Respondetvr ex doctrina, quam tradit *ibid.* Seraph. Doct. tum *in lib.* 1. *diſtinct.* 38. *art.* 2. *per totum*, & *diſt.* 39. *art.* 2. *quæſt.* 2. quod contingens futurum eſt indeterminatum quoad exiſtentiam, & etiam quoad indeterminationem de poſſibili; non autem quoad futuritionem, & determinationem de ineſſe; vnde negatur conſequentia.

Contra: Ergo propoſitio de futuro contingente vera poterit fieri falſa, ſi poteſt oppoſitum euenire, ſed quod eſt verum, eſt ſemper verum, & æternæ veritatis; ergo contingens non habet determinatam veritatem.

Respondetvr ex S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad arg.* negando conſequentiam; nam vt docet *ibid.* & *quæſt.* 2. *ad* 5. futurum contingens, ideò eſt contingens, quia habet poſſibilitatem ad oppoſitùm, & ideò eſt futurum, quia importat non exiſtentiam, ſed futuritionem, quæ neceſſariò eueniet neceſſitate tamen non abſoluta, ſeu conſequentis, ſed conſequentiæ, ſcilicet ex ſuppoſitione determinationis agentis.

Contra inſtabis ſecundò; ergo poteſt Deus decipi, ſi poterit euenire oppoſitum.

Probatvr conſequentia, quia poterit rem cognoſcere, aliter ac ſit.

615. Respondetvr ex Seraph. Doct. *ibid.* negando Conſequentiam, futuritio enim ſtat cum poſſibilitate ad oppoſitum; nam, vt ait Scotus, non benè infertur, res poteſt non eſſe; ergo Deus poteſt cognoſcere rem, aliter

aliter ac ſit, ſed benè ſequitur; ergo poteſt cognoſcere rem non eſſe; ſi enim res non eſt futura, non poteſt terminare actum Diuinæ cognitionis: Prius enim futurum eſt futurum per decretum Diuinæ voluntatis determinantis illud producere, & poſteà intellectus illud concipit, vt futurum.

CONTRA inſtabis tertiò: Præſcientia Dei eſt neceſſaria, ergo quod præſcitur, neceſſariò eueniet; ergo non poteſt eſſe oppoſitum.

RESPONDETVR, in Deo præſcientiam eſſe neceſſariam, ſed connotatum eſt contingens, obidque ex parte connotati præſcientia Dei non eſt neceſſaria, quia potuit oppoſitum præſcire: Sequitur ergo ex dictis, quod cùm effectus priùs debeat produci, antequàm cognoſcatur, & hoc in aliqua differentia temporis, cui dicatur præſens, poſteà quia hæc pars alias habet partes antecedentes, reſpectu quarum dicitur futura, ideò etiam effectus dicitur futurus, & ob id futuritio conſequitur naturam effectus, ſicque ſi effectus erit contingens, & ipſe erit futurus contingenter; & cùm præſcientia Diuina conſequatur ipſum eſſe effectus in ſuo proprio eſſe connaturali; hinc nec hæc ponit illam neceſſitatem.

DICES: Ariſtotelem negaſſe hìc propoſitiones de futuris contingentibus non habere determinatam veritatem, quia nullum eſſe determinatum habent nec in ſe, nec in cauſis; ergo ſecundùm Ariſt. & veritatem non ſunt determinatè veræ.

RESPONDETVR expoſitores variè interpretari Ariſtotelem.

ALII enim dicunt ipſum aberraſſe à fide, & etiam à veritate naturali: Sic Vaſquez, Suarez, Conimbric. aliique.

ALII exponunt Ariſtot. negaſſe quoad nos non ſimpliciter, ſeu conſiderando ipſa futura non in ſeipſis, ſed vt in cauſa, quæ ante determinationem ipſius habent eſſe indeterminatum, & in hoc ſenſu verum eſt; at abſolutè loquendo de futuris in ſe, & reſpectu intellectus non dependentis in cognoſcere à rebus ad extra, vt eſt in Deo, omnia cognoſcit in æterno exemplari ſuæ veritatis infinitæ, vt docet Seraph. Doct. *loc. cit.*

Digitized by Google

TRACTATVS IX.

TERTIA PARS LOGICÆ.

De Priori, & Poſteriori Analyſi.

616. ANALYSIS Græcè idem eſt ac Latinè reſolutio, eſtque regreſſus à compoſito ad ſimplicia ipſum componentia; hæcque eſt duplex: Alia Phyſica, quando compoſitum naturale diſſoluitur in partes reales, vt mixtum in Elementa; homo in corpus, & animam: Alia Logica, ſcilicet quando compoſitum rationis diſtribuitur in ſuas partes, vt quando reſoluitur definitio in genus, & differentiam, & ſyllogiſmus in ſua principia, & circa hanc Logicam Analyſim verſatur tota hæc tertia pars Logicæ, obidque agitur in ea de ſecundis intentionibus dirigentibus tertiam operationem intellectus: Hancque diuiſit Ariſt. in duas partes: In prima per duos libros agit de priori Analyſi, ſcilicet de partibus componentibus ſyllogiſmum quoad formam: Et in ſecunda de poſteriori Analyſi, ſcilicet de partibus ſyllogiſmi quoad materiam, ſicut triangulus ex parte formæ reſoluitur in tres lineas, & lineæ in partes, & puncta, ex parte verò materiæ in tria ligna, vel in tria inſtrumenta materialia, ſic & ſyllogiſmus ex parte formæ reſoluitur in figuras, & modos; ex parte materiæ in propoſitiones vel neceſſarias, vel probabiles, vel ſophiſticas, & iſtæ in terminos ſimplices, ſed quia de his omnibus egimus fusè in tertia parte Summularum, & maximè de ſpectantibus ad formam;

formam ; hinc in ſequentibus ſolùm tangemus, & explicabimus neceſſaria adhoc, vt percipiantur principia ſcientificæ cognitionis, eiuſque effectus : Nec hìc afferemus Textum Seraphicum, vt in ſuperioribus, ſed maioris breuitatis cauſa ipſum Textum omittendo, mentem S. Doct. aperiemus in ſequentibus Quæſtionibus.

QVÆSTIO I.

An omnis ſcientifica cognitio fiat ex præëxiſtenti cognitione, & qualem cauſalitatem hæc ad illam habeat.

617. PROPONITVR hæc Quæſtio occaſione Textus Ariſt. in quo docuit *lib. 1. Poſter. cap. 1.* omnem doctrinam, & diſciplinam fieri ex præexiſtenti cognitione : Vnde docet duas præcognitiones requiri ad ſcientiam, & doctrinam capeſcendam, & tria præcognita ; Præcognitiones, ait Ariſt. ſunt duæ ſcilicet, an ſit, & quid ſit ſubiectum, de quo habetur ſcientia, ſcilicet an ſit, & quid ſit nominis, & rei.

PRÆCOGNITA ſunt tria, ſcilicet Subiectum, Paſſio, & Principia : Subiectum eſt id, de quo eſt ſcientia, Principia ſunt præmiſſæ in demonſtratione, ex quibus infertur Concluſio ſcientifica ; Paſſio eſt proprietas, quæ demonſtratur de ſubiecto in Concluſione, verbi gratiâ, vt habeatur ſcientifica cognitio huius Concluſionis, Omnis homo eſt riſibilis, neceſſe eſt, vt præcognoſcatur, an ſit, & quid ſit homo, deinde quænam ſit cauſa riſibilitatis, ſcilicet rationalitas, & deinde Paſſio, ſcilicet riſibilitas: Hinc Philoſophi occaſione huius doctrinæ Ariſtotelicæ diſquirunt, an omnis cognitio neceſſariò prærequirat cognitionem præmiſſarum, & conſequenter qualem cauſalitatem habeant præmiſſæ in ordine ad Concluſionem ; an verò immediatè ex notitia terminorum poſſit haberi talis notitia : Quæſtioque procedit non ſolùm de Scientia, ſed & de Fide, & Opinione.

PRIMA opinio aſſerit quamcunque notitiam intellectiuam ſiue complexam, ſiue incomplexam, ſilicet ſiue terminorum, ſiue propoſitionum, & ſyllogiſmorum requirere præëxiſtentem aliquam cognitionem ſaltem ſenſitiuam : Ita Moderni quidam, quos tacito nomine referunt Tolet. Conimbric. Ruu.

SECVNDA opinio aſſerit hanc eandem concluſionem de notitia intellectiua complexa tantùm ſiue mediata, vt eſt concluſionis, ſiue immediata, vt eſt propoſitionis : In illa quidem prærequiri notitiam præmiſſarum, in iſta terminorum : Sic D. Thomas, & ſeq. apud Complut. hìc : qui tamen addunt cum Ioan. à S. Thoma, quod licèt id ſit verum de quacunque notitia doctrinali, ad mentem tamen Ariſt. verificari tantùm de notitia probatiua, ſeu diſcurſiua, idque & docent Scotus, & ſeq. Venetus, Ægidius, aliique DD.

& hæc eſt germana opinio Seraph. Doct. vt mox patebit: Pro cuius ſolutione.

618. PRIMÒ Notandum, quod per doctrinam, & diſciplinam intelligitur vna, & eadem notitia actualis, quæ vt à Doctore, & Magiſtro procedit, dicitur doctrina, provt recipitur, dicitur diſciplina, ſic ex Seraph. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 24. *dub.* 2. *& Serm.* 2. *Hexaëm. & alibi:* Notitia verò huiuſmodi eſt duplex, alia ſenſitiua, quæ habetur per ſenſus vel interiores, vel exteriores, & dicitur ſciëntia per inuentionem habita, & S. Doct. *cit.* alia intellectiua, eſtque duplex vel incomplexa, ſcilicet terminorum ſimplicium; vel complexa, eſtque propoſitionum; & hæc complexa eſt etiam duplex, alia immediata, quæ habetur per cognitionem terminorum, eſtque principiorum cognitio, alia mediata, quæ habetur per aliam complexam, eſtque concluſionum cognitio diſcurſiua, de quibus S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. Quare cognitio mediata complexa habetur vel per Syllogiſmum; vel per Enthimema; vel per Exemplum, & inductionem; de quibus *lib.* 3. *diſtinct.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 2.

619. SECVNDÒ Notandum: Præcognitionem poſſe ſumi dupliciter, vno modo largè pro omni eo, quod neceſſariò requiritur ad formationem propoſitionum, & cuiuſlibet ſyllogiſmi, & ad illationem concluſionis, vt ſunt modi, figuræ, vis illatiua, medium, & ſic non ſumitur hìc ab Ariſt. ſpectant enim ad formam ſyllogiſmi non præcisè ad materiam, de qua hìc eſt ſermo; Alio modo ſtrictè pro omni eo, quod debet neceſſariò præcognoſci ad hoc, vt ſyllogiſmus demonſtratiuus ſit illatiuus ſcientificæ concluſionis; & ſic ſumitur ab Ariſt. hoc loco: Vnde duplex eſt præcognitio ad id neceſſaria, nempè quia eſt, & quid eſt, vel vt loquitur S. Doct. *in ep. Princ.* 5. *ſcript. in initio, & lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* Si eſt, & quid eſt: Prima reſpicit exiſtentiam rei ſiue actualem, ſiue poſſibilem in rerum natura: Secunda quidditatem, & hæc eſt vel nominis, & dicitur interpretatio nominis; vel eſt rei, & dicitur definitio eſſentialis, primum quid nominis efficit conceptum confuſum rei, ſecundum ſcilicet quid rei efficit diſtinctum, vt docet S. Bonauent. *lib.* 1. *diſt.* 8. *cit.* & vtrumque eſt vel incomplexum, ſignificatque eſſe rei, vel eſſentiæ, vel exiſtentiæ: Vel complexum, ſignificatque veritatem propoſitionis, & præmiſſarum, Præcognita verò nempè res, circa quas intellectus concipit duas dictas propoſitiones, an ſit, & quid ſit, ſunt tria: Subiectum, Paſſio, ſeu Prædicatum, & Dignitas ſeu Principium; Ratio eſt, quia concluſio demonſtrationis potiſſimæ conſtat ex ſubiecto, & paſſione; ergo quia cognitio terminorum præſupponitur cognitioni propoſitionum, Subiectum, & Prædicatum, ſeu Paſſio debent præcognoſci, & quia concluſio ex principiis infertur, etiam præmiſſæ debent præcognoſci.

620. TERTIÒ Notandum ex S. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 14. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. & *lib.* 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 2. *& alibi ſæpè*, quod diſcurſus eſt proceſſus intellectus à prius natura cognito ad poſterius natura notum: Vnde tria ad perfectum diſcurſum requiruntur: Primum eſt cognoſcere hoc ſine hoc: Secundum eſt cognoſcere hoc poſt hoc: Tertium eſt cognoſcere hoc per hoc; verbi gratiâ, cognoſcuntur præmiſſæ ſine concluſione, & concluſio poſt præmiſſas, & per ipſas tanquam per

cauſam

Digitized by Google

cauſam inferendi, & eſſendi, vt dicit S. Bonauent. *Serm.* 4. *Hexaëm.* His poſitis eſt

621. Prima Conclvsio: Fides ſiue humana, ſiue Diuina non habetur ex præëxiſtenti cognitione rationis. Eſt communis cum S. Doct. *lib.* 3. *diſtinct.* 23. *art.* 1. *quaſt.* 1. & *lib.* 2. *diſt.* 23. *art.* 2. *quaſt.* 3. *in corp. & op. Princip. S.Script.* vbi docet, quod ſcientia eſt à ratione, fides ab authoritate, & teſtimonio alterius; ergo non habetur ex præëxiſtenti cognitione: Si verò intelligatur de quacunque cognitione in reuelante, vel etiam in credente id eſſe verum, quia eſt à fide digno, tunc poteſt dici fieri ex præëxiſtenti cognitione, ſed id non eſt ad rem noſtram, qui loquimur de notitia ſcientifica.

622. Secvnda Conclvsio: Principiorum primorum cognitio, ſeu habitus non habetur ex præëxiſtenti cognitione alterius habitus acquiſiti, ſeu ex notitia mediata, ſed ſolùm per lumen inditum in anima ſuppoſita perceptione terminorum, & ipſis mediantibus cognitione, an ſit: Eſt S. Bonau. *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *quaſt.* 2. & *lib.* 4. *diſt.* 6. *part.* 1. *art.* 1. *quaſt.* 1. *& op. Itiner. Ment. cap.* 3. *& Serm.* 3. *Hexaëm.* Durand. *lib.* 2. *diſp.* 24. *quaſt.* 1. *&* 3. *& diſp.* 33. *quaſt.* 1. *ad* 2. Valent. *part.* 2. *diſp.* 4. *quaſt.* 3. *part.* 1. qui vltimus conuenit in concluſione cum Seraph. Doct. ſed non in modo, eſtque contra Ruu. *tract. de habitu princip. quaſt.* 3. Suarez, alioſque ſuſtinentes talem habitum eſſe acquiſitum, & ſuperadditum.

Probatvr autem hæc concluſio ex S. Doct. *cit.* quia nulla adeſt neceſſitas talis habitus ſuperadditi: ergo. Antecedens patet ex experientia, quia ſtatim ac intellectus percipit terminos, aſſentitur abſque difficultate vlla veritati primorum Principiorum: Tum etiam quia ſicut potentia affectiua ob ſuum pondus, ſeu inclinationē naturalem tendit in bonum, & refugit malum, ita & intellectus in verum notum lumine naturali: Addimus tamen cum eodem Seraph. Doct. talem habitum poſſe aliqualiter dici acquiſitum ex præëxiſtenti cognitione, quatenùs exigit receptionem ſpecierum ipſorum terminorum ſignificantium veritatem primorum principiorum, ſunt enim occaſio, vel conditio, ſine qua intellectus cum illo lumine innato eam non percipiet.

623. Obiicies primò: Intellectus eſt veluti tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, vt ait Ariſt. apud S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 39. *cit.* ergo talis habitus, ſeu lumen non adeſt naturaliter in eo.

Respondet idem Seraph. Doct. Ariſt. notanter dicere nihil eſſe depictum in intellectu, ideſt abſtractum, & per id non negat, immò ſupponit talem habitum innatum non abſtractum à rebus.

Obiicies ſecundò: Natura non dat habitus, ſed tantùm potentiam ad operandum, quæ per habitus poſteà facilitatur in operando, ſed iſte habitus nihil aliud eſt niſi potentia intellectiua: ergo.

Respondetvr, naturam non dare habitum perfectum, ſed benè inchoatum in intellectu, & voluntate ad operandum, perfici verò exercitè per receptionem ſpecierum terminorum, ſic negatur Minor, & conſequentia.

624. Tertia Conclvsio: Perceptio doctrinæ, & diſciplinæ fit neceſſariò ex præëxiſtenti cognitione: Concluſio hæc poteſt intelligi de propoſitionibus

poſitionibus reſpicientibus primam, & ſecundam operationem intellectus, & propriè ad mentem Ariſt. de concluſione ſcientifica reſpiciente tertiam operationem: Prima pars patet, quia præmiſſæ ſyllogiſmi demonſtratiui præexigunt notitiam terminorum, & primorum principiorum vniuerſalium: De tertia operatione, ſeu de concluſione per ſe ſatis certum eſt, & magis patebit vtraque pars ex ſequenti concluſione.

625. QVARTA CONCLVSIO: Cùm tria ſint præcognita, ſcilicet Subiectum: Paſſio, & Dignitas, ſeu Principium, & duæ cùm ſint præcognitiones, ſi eſt, & quid eſt vel nominis, vel rei, rectè infertur.

PRIMÒ, quod de dignitatibus, ſeu principiis ſiue virtualiter, ſiue formaliter ingredientibus in demonſtratione præcognoſcitur ſolùm, quia eſt, & non quid eſt ſiue nominis, ſiue rei. Eſt S. Doct. & communis; nam, vt docet Seraph. Doct. *citat. in ſecunda concluſione*, ad hoc vt intellectus aſſentiatur principiis, ſufficit apprehenſio terminorum, obidque & per eoſdem ipſum ſi eſt, & veritas eorundem principiorum cognoſcitur. Tum quia eorum eſſe, cùm non ſit ſimplex, ſed aggregatum, non habet vnum quid rei, vel nominis, obidque nec vnicã definitionem.

SECVNDÒ, quod de Paſſione, ſeu prædicato in demonſtratione præcognoſcitur tantùm quid nominis. Ratio eſt, quia eius eſſe probatur in concluſione, ſed ſi eſt, præſupponitur ad quid rei; ergo ſi nõn præcognoſcitur, ſi eſt, nec & quid eſt rei. Tum quia cùm Paſſio identificetur cum ſubiecto, nullum eſſe reale diſtinctum habet.

TERTIÒ, quod de ſubiecto præcognoſcitur, & ſi eſt, & quid eſt; ratio eſt, quia eſt medium demonſtrandi paſſionem de ſubiecto in concluſione; ergo ſi omninò ignoratur, nec poterit applicari, nec poterit inferre connexionem effectus cum ipſa.

DICES: Quod quæritur, non præſupponitur, ſed de ſubiecto quæritur quid rei, verbi gratiâ, quid ſit homo, quid Deus, quid Logica, Phyſica, &c. ergo; aliàs idem ſciretur, & non ſciretur.

RESPONDETVR duplicem eſſe proceſſum, ſcilicet inquiſitiuum, & demonſtratiuum, de primo vera eſt Maior, & Minor; non de ſecundo, de quo hîc eſt ſermo.

626. QVÆRES: an omni intellectui competat talis præcognitio.

RESPONDETVR non competere Deo, cùm vnico actu ſimpliciſſimo omnia cognoſcat; Angelis autem competit ratio diſcurſiua, & illatio vnius ex alio; ſic ex S. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1. *& lib.* 2. *diſtinct.* 23. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp. & lib.* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *q.* 3. *ad* 2. Sic & Scot. contrà Thomiſtas plures: Angelis enim competit vis compoſitiua, iudicatiua, & collatiua; cognoſcunt enim quod homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis.

DICES, Angelos vnico intuitu hæc omnia cognoſcere; ergo non hoc ex hoc, & poſt hoc.

627. RESPONDETVR negando antecedens, cognoſcunt quidem hæc omnia ſimul tempore, ſed non vnico actu.

QVINTA CONCLVSIO: Præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis; tum in genere cauſæ materialis, tum formalis, ſed propriè efficientis. Eſt S. Bonau. *Serm.* 4. *Hexaëm.* vbi ait, quod ſe habent ad concluſionem ſecundùm cauſam eſſendi, & inferendi, quod dictum explicat *lib.* 1. *diſt.* 38. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2.

ad 2. *& quæſt.* 2. *arg.* 1. *ad oppoſ. & in corp.* ſecundùm productionem, & conſecutionem, & *lib.* 1. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. *& lib.* 3. *diſtinct.* 23. *quæſt.* 1. docet habitum concurrere effectiuè cum potentia ad actus; De cauſa materiali ſatis patet, quia concluſio conficitur ex eadem materia præmiſſarum; idem de cauſa formali, cùm præmiſſæ ſint ratio formalis, qua intellectus aſſentitur concluſioni: De efficiente verò probatur. Tum quia aſſenſus præmiſſarum complet potentiam intellectiuam ad hoc, vt poſſit aſſentiri concluſioni. Tum quia aſſenſus concluſionis virtualiter continetur in aſſenſu illarum, & ab illo iſte eſſentialiter dependet. Tum etiam quia aſſimilantur iſti aſſenſus in eſſe vel Phyſico, vel Metaphyſico, vel intentionali. Tum etiam cùm ſpecies concurrat effectiuè cum intellectu ad actus, etiam ſpecies præmiſſarum id efficient.

Obiicies primò: Intellectus per ſolam illuminationem, & notitiam præmiſſarum eſt cauſa ſufficiens ad eliciendum actum concluſionis; ergo alia concauſa effectiua non eſt illi addenda.

628. Respondetvr diſtinguendo antecedens, intellectus per ſolam notitiam præmiſſarum ipſum ſolùm informantem eſt ſufficiens, &c. nego; illum informantem, & ſimul concurrentem effectiuè, concedo: Aſſenſus enim præmiſſarum dicit ordinem ad intellectum, vt cauſa formalis informans; & ad concluſionem vt concauſa efficiens ſimul cum intellectu.

Obiicies ſecundò: Cauſa actu non exiſtens non poteſt producere effectum, ſed aſſenſus præmiſſarum iam tranſiit, quando fit in concluſione; ergo: neque enim poſſunt eſſe duo actus ſimul in intellectu diuerſi.

Respondetvr negando Minorem: Ad probationem reſpondetur, duo actus non ſubordinati non poſſunt eſſe ſimul in intellectu, concedo, ſubordinati, nego, vt ſunt iſti; quando enim fit aſſenſus concluſionis, tunc etiam permanet in virtute, immò actu aſſenſus præmiſſarum cùm ſint in eodem inſtanti temporis. Ex qua doctrina ſoluitur illa quæſtio, quam alij proponunt, an præmiſſæ debeant priùs cognoſci, quàm concluſio.

Respondetvr enim priùs natura quidem cognoſci, non verò priùs tempore, dummodò ſint diſpoſitæ in ſyllogiſmo, habentque connexionem ſub ratione vnius habitudinis, & hoc ex vi notæ illationis ipſas copulantis.

Obiicies tertiò: Aſſenſus naturalis non poteſt cauſare aſſenſum ſupernaturalem; ergo nec antecedens cauſare concluſionem, vt in hoc Enthimemate: Animal rationale eſt homo; ergò Chriſtus eſt homo; antecedens eſt naturale, concluſio ſupernaturalis.

Respondetvr cauſari talem concluſionem ex altera minori ſubintellecta, quod Chriſtus eſt animal rationale, quæ eſt de fide.

QVÆSTIO II.

An, & quomodo neceſſitetur intellectus per aſſenſum præmiſſarum ad aſſenſum concluſionis.

629. Primò ſupponendũ hanc quæſtionem nullum locum habere apud aſſerentes aſſenſum præmiſſarum eſſe eundem actum, quo aſſenſus fit in concluſione: Nos verò, qui cum S. D. ſuſtinemus eſſe diuerſos actus, iure meritò proponimus hanc quæſtionem.

Secvndò Notandum, quod ſenſus Quæſtionis eſt, an quando intellectus euidenter apprehendit præmiſſas veras, & ex illis ſequi concluſionem, poſſit non aſſentiri concluſioni.

Tertiò Notandum: Neceſſitatem in intellectu ſecundùm duplicem conſiderationem poſſe conſiderari, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium; quoad ſpecificationem eſt neceſſitas eliciendi vnum actum abſque eo, quod poſſit elicere ſuum oppoſitum; quoad exercitium eſt neceſſitas eliciendi exercitè actum abſque eo, quod poſſit ſuſpendere ſe ab omni actu: Primæ neceſſitati reſpondet oppoſita libertas contrarietatis; ſecundæ libertas contradictionis: Hinc quæritur, an intellectus habito aſſenſu præmiſſarum poſſit non aſſentiri concluſioni, ſiue ſuſpendendo ſuum actum, ſiue producendo actum diſſenſus poſitiuum; His poſitis ſit:

630. Prima Conclvsio: Habito per intellectum aſſenſu adhæſiuo, ſeu iudicatiuo præmiſſarum diſpoſitarum in modo, & figura non poteſt non ſequi aſſenſus concluſionis, nec etiam poteſt alio à voluntatis imperio diſtrahi. Eſt Seraph. Doct. qui *lib.* 1. *quæſt.* 2. *ad vlt. in proœm.* docet in homine dominari violentiam rationis, & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp. & ad vlt.* & *lib.* 2. *diſtinct.* 25. *art.* 1. *quæſt.* 5. *ad* 3. & *lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 2. *quæſt.* 3. *ad* 3. & *Serm.* 1. *in Hexaëm.* docet, quod quantumcunque voluntas velit oppoſitum, neceſſariò intellectus aſſentitur veritati illatæ per demonſtrationem, vel per medium, euidens eſt & Scoti, & communis; licèt quoad ſecundam partem ſcilicet, quod poſſit alio diſtrahi Rum. cum aliquibus aliis teneat contra noſtram ſententiam oppoſitum.

Probatvr primò: Intellectus non poteſt non aſſentiri obiecto euidenter cognito vt vero, ſed per præmiſſas cognitas euidenter cognoſcit obiectum concluſionis, ergo: Minor eſt clara, dummodò præmiſſæ ſint rectè diſpoſitæ: Maior probatur, quia potentia naturalis, & non impedita poſitis omnibus neceſſariis ad agendum non poteſt non agere, qualis eſt intellectus propoſito obiecto: ergo.

Respondent poſſe diſtrahi, & impediri à voluntate imperante.

631. Contra: Voluntas non poteſt impedire oculum à viſione obiecti debitè propoſiti ex hoc, quod eſt potentia naturalis, & obiectum naturale debitè diſpoſitum, ſed currit eadem ratio de intellectu in ordine ad aſſenſum concluſionis; ergo: Probatur minor, quia non poteſt aſſignari inſtans, quo intellectus aſſentiat præmiſſis, & non aſſentiat concluſioni; ſunt enim ſimul tempore, nec illud obiectum eſt obiectum voluntatis; ergo voluntas non poteſt in illud oblatum intellectui, vt non cognoſcatur: Tum quia verum eſt obiectum aſſenſus, falſum diſſenſus; ergo cognito vero vt vero, non poteſt circa illud intellectus elicere actum diſſenſus, nec circa falſum actum aſſenſus: Idque eſt verum circa quodcunque verum, ſiue neceſſarium, ſiue contingens, & probabile, dummodò cognitum ſit vt tale; ſi verò adeſſet aliqua inaduertentia, ſeu incertitudo in aſſenſu præmiſſarum, vt euenit vt plurimùm in probabilibus, tunc intellectus poteſt alio à voluntate diſtrahi, vel imperari.

Obiicies Poteſt intellectus alio diſtrahi à voluntate in aſſenſu præmiſſarum: ergo & in aſſenſu concluſionis: Probatur conſequentia; non minùs eſt obiectum naturale ille aſſenſus, quàm iſte.

Respon

Digitized by Google

Respondetvr negando conſequentiam, & paritatem: Tum etiam quia nec poteſt intellectus alio auerti à voluntate ab aſſenſu præmiſſarum, ſi cognitæ ſunt vt veræ, licèt antequam cognoſcantur, poſſit auerti, & alio diſtrahi; at cognitis præmiſſis, in quibus virtualiter includitur concluſio, neceſſariò aſſentitur concluſioni.

QVÆSTIO III.

Quid ſit Demonſtratio, & quotuplex.

Diximvs in ſummulis ſyllogiſmum principaliter diuidi in demonſtratiuum, Topicum, & Sophiſticum. Nunc inquirimus de Demonſtratiuo quid ſit, & quotuplex.

632. Qvoad primam partem duplicem definitionem demonſtrationis aſſignat Ariſt. Prima eſt: Demonſtratio eſt *ſyllogiſmus faciens ſcire, ſeu ſcientialis, ſeu apodicticus*, vt notat Seraph. Doct. *in dict. ſol. tit.* 8. *cap.* 5. & *lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 2. *quæſt.* 2. *in corp.* & hæc eſt definitio data per cauſam finalem conſtans ex genere, & differentia; Secunda definitio eſt potiùs materialis & eſt hæc: Demonſtratio eſt *ſyllogiſmus conſtans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, & cauſis concluſionis:* Quæ definitio infrà explicabitur.

Qvoad ſecundam partem dicimus duplicem demonſtrationem rectè aſſignari, nempè à priori, & à poſteriori: Prima dicitur demonſtratio propter quid: Secunda dicitur quia: Hìc autem diſquirunt Philoſophi, an rectè ſit aſſignata hæc diuiſio, & an vtrique competant definitiones ſuprà aſſignatæ.

Prima opinio tollit de medio demonſtrationem, quia à vera ratione demonſtrationis perfectè & verè parientis ſcientiam, eſtque aliquorum antiquorum Auic. Alex. Themiſt. Simplic. Complut. *diſp.* 18. *quæſt.* 4. Maſij. 1. *poſt cap.* 10. *ſect.* 1. *quæſt.* 1. Conimbric. *quæſt.* 1. *art.* 3. quos refert Meldul. *diſp.* 13. *num.* 10.

Secvnda opinio eſt Auuer. Zimar. aliorumque addentium tertium membrum demonſtrationis, primum eſt quia, ſecundum propter quid; & tertium demonſtrationem ſimpliciter, ſeu potiſſimam; prima, dicunt, oſtendit, quod res ſit; ſecunda oſtendit cauſam, propter quam res ſit ſupponens rem eſſe, tertia vtrumque demonſtrat.

Tertia, & communis opinio eſt omnium aliorum aſſerentium duas tantùm ſpecies vniuocas demonſtrationis dari, Eſtque Seraph. Doct. qui *Serm.* 4. *Hexaem.* docet demonſtrationem eſſe vel per cauſam inferend tantùm, vel per cauſam inferendi, & eſſendi ſimul, idemque eſt ac à poſteriori, & à priori, vt mox patebit: Idem & D. Thomas, Scotus, & alij: Pro ſolutione Quæſtionis

633. Primò Notandum ex eodem S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 38. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. & *quæſt.* 2. *in corp.* & *Serm.* 4. *Hexaem.* quod cùm ſcire ſit rem per cauſam cognoſcere; cauſa verò ſcientiæ concluſionis eſt vel ſecundùm rationem eſſendi, & ſimul inferendi, vel ſecundùm rationem inferendi tantùm: Prima importat notitiam præëxiſtentem præmiſſarum in eſſe cauſæ ſecundùm ſe, & quoad nos: Secunda tantùm quoad nos: Primo modo demonſtrationi propter quid tantùm competunt definitiones allatæ: Secundo modo competunt etiam demonſtrationi quia; nam licèt paſſio, ſeu effectus verè non cauſet rem ſignificatam in con-

cluſione, cauſat tamen veram ſcientiam ratione illationis in nobis.

634. SECVNDO Notandum, quod Demonſtratio propter quid, ſiue per veram cauſam eſt duplex: Alia per cauſam proximam, & immediatam, & conuertibilem cum ſuo effectu: Alia per cauſam remotam, & inadæquatam, quæ non eſt conuertibilis cum ſuo effectu, ſed illum excedit, conuertibilis autem cum ſuo effectu eſt illa, quæ ſemper eſt cum effectu, & vice versâ, vt rationalitas, & riſibilitas. Non conuertibilis verò eſt, quæ non ſemper eſt cum tali effectu, vel è conuerſo, vt eſt calor, & ignis, animalitas cum riſibilitate; & hæc ſecunda valet negatiuè, vt omne riſibile eſt animal, paries non eſt animal; ergo non eſt riſibilis: Prima verò cauſat perfectam ſcientiam, non ſic ſecunda, quæ cauſat ſcientiam ſecundùm quid: Secunda Demonſtratio verò à poſteriori etiam eſt duplex: Altera per effectum proximum, & conuertibilem cum ſuo effectu, vt eſt rationalitas per riſibilitatem: Altera per effectum remotum, vt omne riſibile eſt animal, omnis homo eſt riſibilis; ergo eſt animal: Hæc autem demonſtratio à poſteriori poteſt exerceri quatuor modis: Primò per effectum, ſiue conuertibilem cum ſua cauſa, ſiue non: Secundò cùm per effectum poſteriorem demonſtratur prior, & è conuerſo, vt riſibilitas per admirabilitatem: Tertiò cùm per notiora quoad nos deuenitur in notiora natura, ſicque per experientiam deuenitur in notitiam cauſarum, & hoc modo multi adinuenerunt ſcientias, vt notat Seraph. Doct. *lib. 3. diſtinct. 14. art. 3. quæſt. 2. ad 3. & 4.* Quartò cùm per negationem alicuius effectus infertur negatio cauſæ, vt per negationem ſenſibilitatis infertur negatio animalis; aduertit tamen S. Bonau. *lib. 1. diſt. 40. quæſt. vlt. ad 6.* requiri ad rigoroſam ſcientiam conuertibilitatem cauſæ, & effectus.

635. PRIMA CONCLVSIO: Diuiſio Demonſtrationis in propter quid, & quia eſt ſufficienter, & adæquatè aſſignata: eſt Ariſt. hic, & aliis pluribus locis, qui diuidit ſyllogiſmum facientem ſcire in hæc duo membra: eſt & S. Bonau. *lib. 3. diſt. 24. art. 2. q. 3. in fund. 2. aliiſque locis citatis.*

PROBATVR primò, quia omnis demonſtratio eſt vel per cauſam, vel per effectum; ergo. Probatur antecedens, omne neceſſarium verum non euidens ex terminis poteſt per illud demonſtrari, quod eſt euidens, & cum quo habet neceſſariam connexionem, ſed datur aliquod verum neceſſarium non euidens ex terminis habens talem connexionem neceſſariam ad aliquod verum acceptum à cauſa, & ad aliquod verum acceptum ab effectu; ergo omnis demonſtratio vel eſt per cauſam, vel per effectum. Maior patet, quia omne non euidens poteſt demonſtrari per aliquod euidens: Minor etiam patet, quia non minorem connexionem habet effectus cum cauſa, quam cauſa cum effectu; ergo aliquod verum ſumendum eſt ab euidentia cauſæ, & aliud ab euidentia effectus.

PROBATVR ſecundò: Definitiones datæ ab Ariſt. competunt vtrique demonſtrationi; ergo eſt diuiſio vniuoca, & adæquata: Probatur antecedens, quia ſiue ſit à priori, ſiue à poſteriori, vtraque parit ſcientiam, & euidentem notitiam connexionis extremorum ſubiecti, & paſſionis, & vtraque eſt ex veris, primis notioribus, &c. ſcilicet vel ſecundùm ſe, vel quoad nos, vel vt dicit S. Doct. vel ſecundùm rationem eſſendi, & inferendi in demonſtratione propter quid, vel ſecundùm rationem inferendi

Digitized by Google

ferendi tantùm in demonſtratione quia; ergo, &c.

Obiicies primò: Datur tertium membrum demonſtrationis; ergo falſa concluſio. Probatur antecedens, quia datur demonſtratio quia, datur & demonſtratio propter quid, ſcilicet, in qua non ſolùm ponitur cauſa, ſed exprimitur, quod illius eſt cauſa; & datur demonſtratio in qua, non exprimitur talis cauſa, vt omne animal rationale eſt riſibile, & omne animal eſt riſibile, quatenùs eſt rationale; ergo.

Respondetvr negando antecedens, ad probationem reſpondetur, quod in vtraque demonſtratione propter quid continetur cauſa vel explicitè, vel implicitè; ſic negatur conſequentia.

Obiicies ſecundò Ariſt. *cap.* 10. docere demonſtrationem per cauſam remotam eſſe non propter quid, ſed quia; ſed hæc non eſt perfecta ſcientia, cùm ſcire ſit rem per cauſam cognoſcere. Tum quia procedere ab effectibus ad cauſam non poteſt fieri niſi per experimenta ſenſus, quæ ſunt fallacia, nec poteſt cognoſci neceſſaria connexio inter effectum, & cauſam, niſi præhabeatur cognitio talis cauſæ; ergo demonſtratio quia non eſt vera demonſtratio.

636. Respondetvr ad Maiorem Ariſt. loqui comparatiuè, dum dicit demonſtrationem per cauſam remotam eſſe quia, non propter quid: Cùm enim diſtinxerit has duas demonſtrationes per cauſam primam, & immediatam, & mediatam; hinc poſuit hanc in numero demonſtrationem quia, per id tamen non ſit, quod largè loquendo non ſit etiam propter quid: Et ad minorem reſpondetur ipſam negando. Ad probationem reſpondetur ſcire rem per cauſam verificari de vtraque, vt dictum eſt in ſecundo argumento concluſionis, & ad aliud de cognitione per experimentum, reſpondetur ex S. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 3. 4. *&* 5. quod ſicut eſt verum, quod ex multis ſenſibilibus fit vna memoria, & ex multis memoriis vna experientia, & ex multis experientiis vnum vniuerſale, quod eſt principium ſcientiæ, ſicque negatur, quod per effectus via inductionis omnium ſingularium non habeatur ſcientia non ſolùm propoſitionis de ſecundo adiacente, ſed etiam de tertio adiacente, ſcilicet non ſolùm circa an ſit cauſa, ſed etiam an habeat connexionem cum tali effectu neceſſariam.

Obiicies tertiò: Scientia quietat intellectum, ſed demonſtratio quia non quietat intellectum, ergo: Maior eſt certa, quia ſcire eſt propter ſe: Minor etiam patet, quia obiectum demonſtrationis quia eſt, an ſit, non verò propter quid ſit; ergo.

Respondetvr quietare intellectum quoad proprium obiectum, quod attingit, & ſolùm relinquit dubium circa propter quid, quod ad ipſum non ſpectat, ſed id ſufficit ad rationem ſcientiæ, licèt non perfectiſſimæ; obidque aduertit S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 17. *part.* 1. *q.* 4. *fund.* 3. quod aliqualis ſcientia debet haberi, quod illa cauſa ſit cauſa talis effectus; vt habeatur perfecta ſcientia.

637. Secvnda Conclvsio: In ſecunda definitione ponuntur omnes conditiones requiſitæ ad perfectiſſimam demonſtrationem: Probatur & explicantur ſingulæ: Prima conditio eſt, quod ſit demonſtratio ex veris, cùm ex ipſis debeat ſequi veritas concluſionis; ex falſo enim non ſequitur verum.

Dices: Ex falſo ſequitur etiam vera concluſio, vt omne animal rudibile eſt ſenſitiuum

ſenſitiuum, homo eſt rudibile animal, ergo eſt ſenſitiuus.

RESPONDETVR concluſionem eſſe veram ratione formæ ſyllogiſticæ tantùm; falſam verò ratione materiæ, quia ſenſibilitas non oritur præcisè ex eo, quod aliquid ſit rudibile animal.

SECVNDA conditio, quod ſit ex præmiſſis primis, & immediatis, ſeu vt gloſat S. Bonauent. ex indemonſtrabilibus, & per ſe notis; Sic *lib.* 1. *diſt.* 45. *art.* 2. *quæſt.* 2. *arg.* 3. *&* 4. *&* 5. *& ad arg. & diſtinct.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 4. *arg.* 3. *ad oppoſ.* & ratio eſt, quia concluſio debet reſolui in ſua principia prima, ne detur proceſſus in infinitum, ergo debent præmiſſæ eſſe primæ, & immediatæ ſaltem virtualiter.

638. HIC autem diſputant DD. quænam ſit propoſitio per ſe nota, ſeu prima, & immediata; Thomiſtæ dicunt talem eſſe omnem propoſitionem, quæ ſcitur abſque adiutorio alterius propoſitionis, obidque propoſitio, in qua definitio prædicatur de definito, cum ſint vnum, & idem, eſt per ſe nota, ſic & in qua propria paſſio prædicatur de ſubiecto, & cùm ſint talia prædicata de intrinſeca ratione ſubiecti, & licèt poſſint probari aliqualiter, id eſt tantùm quoad noſtrum modum concipiendi, & cognoſcendi, non ſecundùm rem ipſam; hinc diſtinguunt propoſitionem in per ſe notam quoad ſe, & quoad nos; & in per ſe notam quoad ſe tantùm, quæ ſcilicet non cognoſcitur ab omnibus.

S. BONAV. *lib.* 3. *diſt.* 11. *dub.* 1. & *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *quæſt.* 2. & *lib.* 1. *diſt.* 1. *dub.* 15. Scotus item *lib.* 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 2. docent illam propoſitionem eſſe primam, & immediatam, & per ſe notam, in qua ratio prædicati clauditur in ratione ſubiecti, ideſt quæ non habet euidentiam ab alio, ſed per ſe, & ex terminis propriis, de quæ etiam S. Doct. *lib.* 2. *diſtinct.* 39. *art.* 2. *quæſt.* 2. vbi docet, quod huic propoſitioni per ſe notæ aſſentitur intellectus vi ſui luminis innati, & apprehenſionis terminorum; taliſque eſt propoſitio hæc, Deus eſt. Immò addit S. Doct. *lib.* 1. *diſt.* 8. *cit.* quod in rigore nulla propoſitio eſt per ſe nota in creatis de rebus creatis, in qua exiſtētia prædicatur de eſſentia, ſed ſolùm illa Deus eſt, cùm ſoli Deo inſit neceſſitas eſſendi, nec poteſt non eſſe, nec cogitari non eſſe non verò in creatura id hoc pacto inueniri poteſt; vide ibid. S. Bonau. Attamen loquendo non in toto rigore, propoſitiones, in quibus prædicatum eſt definitio ſubiecti, ſunt per ſe notæ, quia ſunt indemonſtrabiles per aliud, & etiam in quibus propria paſſio prædicatur de definitione ſubiecti, vt animal rationale eſt riſibile non verò ſi prædicatur de definito, cùm per definitionem poſſit demonſtrari de ipſo.

TERTIA conditio eſt, quod ſint ex prioribus, ideſt natura ipſa concluſione, cùm ſint cauſa ipſius, quæ eſt vltima conditio, vt ſuprà dictum eſt.

QVARTA conditio eſt, quod ſint notiores, cùm debeant cauſare notitiam concluſionis.

639. QVÆRES, an debeant præmiſſæ eſſe veriores, ideſt an detur magis, & minus in veritate: Pro reſponſione

SVPPONENDVM, quod veritas poteſt ſumi formaliter, ſcilicet pro adæquatione, & commenſuratione actus cum obiecto: Sic S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 38. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 4. *& diſt.* 40. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. Secundò poteſt ſumi ex parte fundamenti, & cauſarum talis veritatis, quæ ſunt neceſſitas, infallibilitas, certitudo, & euidentia, ob quæ magis, vel minùs mouetur intellectus ad aſſenſum.

SVPPO

Svpponendvm ſecundò ex traditis veritatem propoſitionis aliam eſſe eſſentialem, quatenùs eſt ſignum ad ſignatum ſub ratione ſignati, aliam accidentalem, quatenùs verè à parte rei reſpondet id, quod ſignificatur: Vnde propoſitio, vt eſt ſignum, habet gradualem repræſentationem: Hinc

Respondetvr veritatem ſumptam formaliter conſiſtere in indiuiſibili; ſumptam verò, fundamentaliter eſſe maiorem in præmiſſis, quàm in concluſione: Eſt S. Bonauent. *cit.* Prima pars eſt certa, quia ſicut ens in ratione entis, & vt ſic conſideratum non recipit magis, vel minus, ſed tantùm ratione fundamenti, ſcilicet vt in hoc, vel hoc, ſic & veritas: Sic S. Bonau. *lib.* 1. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 3. *part.* 1. *dub.* 4. Secunda pars eſt Ariſt. qui 4. *Met. t.* 18. notat magis mentiri, qui dicit quatuor eſſe mille, quàm qui dicit eſſe quinque. Tum quia præmiſſæ ſunt magis infallibiles, cùm infallibilitas primò, & per ſe eas afficiat, & ſecundariò concluſionem, tum ob maiorem certitudinem, & euidentiam.

640. Qværes ſecundò, quid ſit in demonſtratione circulus, & an ſit admittendus.

Respondetvr primò circulum eſſe cognitionem circularem, qua probamus vnam cognitionem per aliam, quæ priùs per illam probabatur: Sic ex S. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 2. *q.* 3. *fund.* 2. Dicitur autem circulus ſumpta metaphora à circulo mathematico, in quo ab vno puncto ad idem punctum per gyrum fit regreſſus: Duplex autem communiter agnoſcitur circulus in demonſtratione, formalis, & vniformis vnus, materialis, & difformis alter: Primus eſt, quando ad probandam vnam propoſitionem vtimur alia propoſitione per hoc ſolùm, & præcisè, quod per illam fuit cognita, vt ſi diceretur, hoc animal eſt Leo, ergo rugibile, deinde probaretur antecedens per conſequens præcisè cognitum ex vi antecedentis ſic dicendo, eſt rugibile, ergo eſt Leo. Circulus materialis, & difformis eſt ille, in quo licèt vtamur concluſione ad probandum antecedens, ſeu præmiſſas, tamen talem concluſionem cognoſcimus ratione alterius medij diuerſi à præmiſſis, vt ſi diceretur, homo eſt rationalis, ergo riſibilis, deinde probaretur antecedens per conſequens cognitum per aliud medium, ſic dicendo, eſt riſibilis, ergo eſt homo, & hic modus eſt valdè vtilis, vt notat S. Doct. *lib.* 3. *citat.* ſicuti primus eſt vitioſus, idque quia idem ſecundùm idem eſſet notius, & ignotius. Quod verò ſit vtilis ſecundus circulus: patet etiam, quia ſicut via procedendi à cauſa ad effectum eſt optima, ſic & ab effectu ad cauſam ex hoc, quod ſicut cauſa eſt notior natura effectu, & effectus eſt nobis notior ipſa cauſa. Tum quia fit mutatio ad demonſtrationes diuerſi generis, & difformes, quæ ſunt optimæ: Hic inſerunt Plures DD. tractatum de habitibus, & de ſcientia, ſed quia hæc materia propriam ſedem habet *in lib. de anima*; hinc ſuperſedendum ab hac tractatione cenſeo, ſolúmque aliqua perfunctoriè de effectu demonſtrationis, & ſyllogiſmi Topici infrà ſubiiciemus.

QVÆSTIO IV.

De effectu Demonſtrationis, ſcilicet de Scientia, an ſit, & quid ſit.

541. Sophistæ apud Ariſtotel. *lib.* 1. *cap.* 1. *Poſter.* negabant omnem

omnem ſcientiam in hoc mundo: Plato verò putabat omnem ſcientiam inditam fuiſſe in anima ab initio ſuæ creationis, ſed ex conſortio ſenſuum omnium oblitam, & deinde ſuccedentibus occaſionibus ab externis rebus excitari, & eorum, quæ ſciebat, reminiſci, vnde inferebat noſtrum ſcire eſſe quoddam reminiſci, contra quos arguit Ariſt. & probat iſtos fuiſſe errores patentiſſimos contra experientiam, & rationem: addimus & contra fidem; Primò enim patet quemlibet poſſe habere certam, & euidentem cognitionem ſe eſſe hominem, animal, ſenſitiuum, vnum, &c. Secundò, quia ſub Leone decimo *in Concil. Later.* ſententia allata Platonis fuit condemnata tanquam error contra fidem. Tum quia multa de nouo cognoſcimus, quæ nunquam ſciuiſſe reminiſcimur. Tum quia ſi reminiſceremur obiecti, reminiſceremur etiam actus, quo tale obiectum cognouiſſemus, vterque enim remanet in memoria, ſed quando aliquid de nouo cognoſcimus, non recordamur aliàs didiciſſe, ergo non datur ſola reminiſcentia, ſed de nouo acquiritur ſcientia: Hinc ſupereſt explicare, quid ſit: Vnde

642. SVPPONENDVM eſt, quod ſcientia alia eſt actualis; alia habitualis: Prima eſt actualis cognitio proueniens ab actuali demonſtratione: Secunda habitualis eſt cognitio, quæ in habitu remanet in intellectu, & hæc vel eſt vnius concluſionis, vel eſt aggregatum diuerſarum concluſionum ſcientificarum, quæ conſeruantur in intellectu per ſuas ſpecies in ordine ad vnum aliquod obiectum vniuerſale: His poſitis

643. PRIMÒ dicimus, quod ſcientia *eſt cognitio intellectualis rei per cauſam, per quam ita res eſt, vt non poſſit aliter ſe habere.* Sic Ariſt. *hìc t.* 5. & communiter omnes DD. cum Seraph. Doct. *infrà cit.* & præcipuè *in comp. Theol. lib.* 5. *cap.* 19. Explicatur hæc definitio: Dicitur (*cognitio intellectiua,*) ad excludendas alias cognitiones ſenſitiuas, ſolùm enim eſt in intellectu, vt rectè aduertit S. Bonauent. *Serm.* 5. *Hexaëm.* & *lib.* 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *q.* 4. *in corp.* Dicitur (*per cauſam,*) quia hæc cognitio debet eſſe ita euidens, vt habeat cauſam talis euidentiæ, quod euenit, dum videns connexionem duorum cum vno tertio arguit connexionem inter ſe: Dicitur, (*per quam res ita ſe habet,*) quia ſcientia debet eſſe neceſſaria ex parte obiecti, ita quod aliter eſſe non poſſit. Sic *lib.* 1. *diſt.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & *lib.* 3. *diſt.* 24. *art* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. Ex quibus patet conditiones ad ſcientiam eſſe ſequentes: Prima, quod ſit notitia vera; ſcire enim falſum non eſt ſcire, vt docet S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 45. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2. Secunda, quod ſit certa: Tertia, quod ſit euidens.

644. HIC autem quæritur, quænam differentia ſit inter certitudinem, & euidentiam.

RESPONDETVR ex S. Doct. *lib.* 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *q.* 4. & *lib.* 1. *diſt.* 40. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 5. & *lib.* 2. *diſt.* 4. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 2. quod certitudo eſt firma adhæſio intellectus alicui veritati abſque formidine de oppoſito: Hæcque eſt duplex: Alia eſt obiectiua, & dicitur neceſſitatis, & infallibilis ab obiecto intrinſecè proueniens: Alia moralis, eſtque infallibilis ab extrinſeco tantùm, id eſt qua inducitur intellectus ad tali veritati firmiter adhærendum, vel ex imperio voluntatis ob aliquod motiuum, vel verum, vel vanum, ſed apparens vt in hæreticis vel ob teſtimonium alicuius maximæ authoritatis, & hæc eſt fides vel humana, vel Diuina, illa

Digitized by Google

illa quidem innititur teſtimonio hominum, iſta Dei teſtimonio: Prima certitudo appellatur à S. Doct. ſpeculationis, & neceſſitatis: Secunda appellatur adhæſionis: Addit & tertium membrum certitudinis *lib. 2. diſt. 4. citat.* quam appellat probabilitatis, quando ſcilicet habet intellectus rationes ad vnam partem, nullas autem, aut paucas ad alteram: Prima certitudo eſt, quæ requiritur ad perfectiſſimam ſcientiam: Secunda ſufficit ad ſcientiam minùs perfectam: Euidentia verò ex eodem S. Doct. *lib. 3. diſt. 23. art. 1. quæſt. 4. fund. 3.* & *lib. 1. diſt. 8. part. 1. art. 1. quæſt. 2. in corp.* eſt aperta, & clara cognitio, qua intellectus clarè videt obiecti veritatem, connexionemque prædicati cum ſubiecto, & hæc eſt duplex ſcilicet in ſe, eſtque primorum principiorum, & in probando, eſtque propria concluſionis illatæ ex ſuis principiis, & dicitur euidentia, ideſt extra videntia, & aperta viſio: Illa quidem eſt euidentia immediata, iſta mediata, propriaque ſcientiæ: An verò talis euidentia requiratur ex parte obiecti, & etiam ex parte intellectus, eſt in quæſtione; Thomiſtæ volunt ſufficere ex parte obiecti, obidque ſuſtinent Theologiam eſſe ſcientiam in rigore: S.Bon. *lib. 1. diſt. 17. part. 1. art. 1. q. 2. fund. 3. & ad 3. & vlt. & lib. 1. diſt. 41. art. 2. quæſt. 2. & op. Itiner. ment. cap. 3.* docet, quod duplex eſt apprehenſio; alia, qua quis ſcit, alia qua quis ſcit ſe ſcire; hæc ſecunda eſt perfecta ſcientia, quia euidentia eſt ex parte obiecti, & ex parte potentiæ, quæ differentia tamen eſt potiùs de nomine, quàm de re, nam loquendo de ſcientia minùs perfecta ſufficit euidentia ex parte obiecti, & ineuidentia cum certitudine ex parte intellectus, in quo ſenſu S. Doct. appellat Theologiam ſcientiam: Datur igitur duplex euidentia in ſcientia, alia ex parte obiecti, quatenùs aptum eſt ſe manifeſtandi clarè intellectui, altera ex parte potentiæ clarè percipientis obiectum.

645. QVARTA conditio eſt, quod ſit de obiecto neceſſario, quæ neceſſitas non eſt abſoluta ideſt quoad rei exiſtentiam, ſolus enim Deus habet talem neceſſitatem, ſed ſecundùm quid, & complexa, quatenùs importat neceſſariam connexionem terminorum præſcindentem ab omni tempore, & exiſtentia. De qua neceſſitate agit S. Bonauent. *in op. Itiner. Ment. cap. 3.* & *lib. 1. diſt. 39. art. 1. quæſt. 2. ad 3.* & *lib. 3. diſt. 23. art. 1. quæſt. 1. ad 2.* & *quæſt. 4. & 5.* & *lib. 3. diſt. 24. quæſt. 1. ad 2. & 3.* Poteſt enim etiam ineſſe in rebus contingentibus, vt ſubtiliter probat S. Doct. *in op. Itiner. cit.*

QVINTA, quod ſit de obiecto vniuerſali, nam ſingularium non eſt ſcientia. Ratio eſt, quia ſcientia oſtendit paſſionem de ſubiecto proprio, obidque in vniuerſali ipſi competente, &c. Sic S.Bonau. *lib. 1. quæſt. 1. proœm.*

SEXTA, quod ſit cauſata per ſyllogiſticum diſcurſum, ſeu, vt loquitur Seraph. Doct. *quæſt. 2. proœm. lib. 1.* per modum inquiſitiuum, & per euidentiam rationis, & conſequentiæ, obidque per demonſtrationem, quæ conditio tamen, vt dicit Scotus *quæſt. 3. prol.* non eſt de ratione ſcientiæ vt ſic, quia dicit imperfectionem, & in ſeipſa, & in intellectu: Vnde non competit talis modus ſcientiæ Diuinæ, nec Beatis, &c.

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

Quomodo, & vnde ſpecificantur Scientiæ, vel vnde deſumant ſuam vnitatem, vbi aliqua de obiecto, & ſubiecto Scientiæ traduntur.

646. LICET iſte tractatus de Scientia à nobis remittatur *ad tract. de anima* vbi agetur de habitibus potentiarum; tamen proponitur hæc quæſtio, cùm ſit cognitu neceſſaria ad rectè percipienda multa, quæ in quæſtionibus Logicæ procem. tradita ſunt, & quæ infrà in Phyſica tradentur. Nec hîc agitur de propria vnitate intrinſeca ſcientiæ, quæ ad ipſius eſſe conſequitur; hæc enim eſt cognitu difficilis, ſed de extrinſeca, quæ ex obiecto deſumitur, & per quam nobis innoteſcit prima.

PRIMA opinio eſt Thomiſt. communiter apud Ioan. à S.Thoma, ſcilicet diſtinguentinm ſciẽtias ex abſtractione diuerſa à materia, pro qua intelligenda aduertendum, quod duplex eſt abſtractio: Alia totalis, qua ſuperius abſtrahitur ab inferiori, abſtractumque fit potentialius, & minùs intelligibile, quia abſtrahit à differentiis actualibus, & ſpecificis: Actus enim eſt notior potentia, & de iſta non eſt ſermo: Alia eſt, qua forma abſtrahitur à materia, & quod eſt actu ab eo, quod eſt potentiale, & dicitur formalis abſtractio, ſicque abſtractũ eſt magis intelligibile, quia depuratur à conditionibus materialibus, quæ impediunt intelligibilitatem: Triplex autem eſt materia; prima eſt ſingularis importans, quidquid ſpectat ad ſingularitatem rerum ſenſibilium, vt hæc caro, hîc calor, &c. Secunda eſt ſenſibilis importans omnes ſenſibiles qualitates, vt calor, frigus, color, &c. Tertia eſt intelligibilis, quæ eſt ſubſtantia, ſeu materia corporea, & dicitur intelligibilis, quia ſolo intellectu percipi poteſt: Hinc diuidunt ſcientias in tria membra. Primum eſt Phyſica, quæ abſtrahit à materia ſingulari; conſiderat enim ſenſibilia in vniuerſali: Secundum eſt Mathematica, quæ abſtrahit à materia ſingulari, & ſenſibili; conſiderat enim quantitatem non vt albam, nigram, &c. Tertium eſt Metaphyſica, quæ res à materia corporea abſtractas conſiderat: Hinc ex hac triplici immaterialitate obiectiua importante diuerſa lumina, principia, & intelligibilitates deſumitur diſtinctio ſpecifica ſcientiarum apud Thomiſtas.

647. S. DOCT. è contra tum *in q. proœm. lib.*1. tum *lib.*3. *diſt.* 23. *art.* 1. *q.*3. *& diſt.* 24. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.* & cum ipſo Scotus *lib.*1. *q.*3. *prol.* aliique ferè omnes conſiderant in obiecto duplicem rationem, nempè materialem vnam, & dicitur ratio, quæ & à S. Bonauent. *lib.* 1. *quæſt. proœm.* appellatur ſubiectum radicale, & integrale, & formalem alteram, & dicitur à S. D. ſubiectum vniuerſale; nam importat formaliter rationem, ſub qua mouetur intellectus ad illud conſiderandum: Hinc dicunt ſcientias ſpecificari penes diuerſum modum, ſub quo conſiderantur obiecta, v. g. ſub ratione mobilitatis Phyſica conſiderat ens, & ſub ratione modi ſciendi Logica idem ens conſiderat; & ſub ratione ſanabilis Medicina conſiderat hominem, idque debet eſſe neceſſarium neceſſitate veritatis obiectiuæ, & quoad eſſentiam ita, quod aliter non poſſit eſſe. Item ad ipſum vt ad ſcopum totius ſcientificæ fabricæ omnia,

omnia, quæ tractantur in illa ſcientia, debent habere ordinem, & attributionem, vel vt principia, vel vt paſſiones, vel vt partes componentes. Item & debet eſſe vnum vel vnitate ſpecifica, vel generica, vt vnitatem tribuere poſſit ſcientiæ, vide quæſt. prœm. de ſubiecto Logicæ: His poſitis ſit

648. VNICA Concluſio: diſtinctio, & ſpecificatio ſcientiarum non prouenit ab abſtractione à materia, ſed ex vnitate, vel diſtinctione obiecti formalis.

PRIMA pars probatur: Intellectus attingit quodcunque obiectum per abſtractionem ſpecierum obiecti, non verò ipſius obiecti à materia, ſed hæ ſpecies ſunt æquè ſpirituales vel quaſi ſpirituales carentes materia, & ſummam abſtractionem habent a materia, ſint de quocunque obiecto; ergo per abſtractionem talem non poſſunt diuerſificari ſcientiæ: Maior eſt certa ex tract. de anima ſenſitiua, & de intellectione; Minor eſt communis etiam cum Seraph. Doct. *lib.* 4. *diſt.* 10. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 5. *in corp.* & *lib.* 3. *diſt.* 23. *dub.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 17. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 18. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 4. *& Serm.* 5. *Hexaëm*: ergo cùm ſemper ſit eadem abſtractio per talem, non poſſunt ſpecificari ſcientiæ.

PROBATVR ſecundò, quia hæc præciſio vel dicit actum intellectus abſtrahentem, vel dicit denominationem prouenientem in obiectum ab ipſo actu abſtrahente, ſed neutrum poteſt dici; ergo: Probatur Minor: non primum poteſt dici, quia ille actus à ſcientia non attingitur, ſolúmque ſe habet, vt approximatio obiecti ad ſcientiam: Nec ſecundùm, cùm ſit mera denominatio extrinſeca; ergo nullo modo.

RESPONDENT dicere abſtrahibilitatem obiectiuam paſſiuam, quatenùs obiectum fundat diuerſam immaterialitatem ſecundùm diuerſas rationes formales abſtrahibiles à materia, ſicque immaterialitas, quæ relinquitur in obiecto ex ſeparatione materiæ, per quem ſit actu intelligibile, pertinet ad obiectum ſcientiæ: vnde ſecundum diuerſam immaterialitatem obiecti deſumuntur etiam diuerſa media probandi Paſſiones de ſubiecto ſcientiæ; ſic Ioan. à S. Thom. *quæſt.* 27. *art.* 1. & Complut. *tract. de ſcientiis q.* 4. *num.* 48.

CONTRA primò, quia talis præciſio formaliter dicit conceptum quemdam negatiuum, quatenus intelligitur id, quod eſt præciſum differenter ab eo, à quo eſt præciſum, quæ præciſio eſt communis omnibus ſcientiis: Tum quia talis præciſio non eſt ratio, cur de ſubiecto demonſtrentur paſſiones; hæc enim ſola eſt ratio ſcibilitatis in obiecto, ſed potiùs ſe habet vt conditio intelligibilitatis obiecti, non vt ratio formalis; Confirmatur, quia Theologia non abſtrahit à materia ſingulari, demonſtat enim concluſiones de hoc numero Chriſto, de hac numero carne: Item Arithmetica abſtrahit aliquando ab omni materia, vt patet in numero Angelorum: Item & Metaphyſica agit de ente materiali, & de multis, quæ etiam tractantur in Phyſica; Phyſica item conſiderat materiam vt ſic, ebidque vt abſtrahentem ab omni ſenſibilitate; ergo diuerſitas ſcientiarum non deſumitur à diuerſa abſtractione.

649. PROBATVR ſecunda pars, quia ſcientia in ſua entitate dependet ab obiecto; ergo & in ſua vnitate: Tum quia per rationem formalem obiecti, & ſecundùm modum, ſub quo attingitur, & ſumitur medium probandi paſſiones de ſubiecto, & diuerſificatur ſcientia ab aliis, vt patet in ente mobili, ſeu corpore naturali in modo ſciendi, &c.

Digitized by Google

Obiicies: Intantùm res intelligitur, inquantùm vnitur intellectui, ſed talis vnio fit per abſtractionem à materia, ergo per talem abſtractionem vnitur intellectui, & intelligitur, ſed diuerſa immaterialitas càuſat diuerſam vnionem; ergo & intelligibilitatem, & ſcientiam.

Respondetvr concedendo totum primum ſyllogiſmum, ſed negando talem immaterialitatẽ eſſe rationem formalem obiecti, ſeu ſcibilis, & ſcientiæ, cùm talis abſtractio ſit omnibus ſcientiis communis, & obiectis etiam, vt dictum eſt ſuprà. Tum etiam quia etiam indiuidua materialia ſunt intelligibilia. Tum etiam quia falſum eſt intelligibile idem eſſe, ac eſſe ſpirituale: Nam entia materialia cognoſcuntur vt talia: Vnde concludendum eſt, quod opinio Thomiſt. eſt gratis, & ſine fundamento poſita, quod & aliqualiter fatentur Complut. *cit. num.* 61. in fine dicentes hanc ipſorum doctrinam non conuincere intellectum, nec poſſe comprehendi ob defectum noſtrum, & difficultatem ipſius: At in noſtra ſententia facilè intelligitur talis vnitas: ergo eſt vera.

QVÆSTIO VI.

De Diuiſione ſcientiæ in ſubalternantem, & ſubalternatam.

650. Notandvm communniter diuidi cum Ariſtotele ſcientias in diſparatas, & ſubalternatas: Primæ ſunt omninò inter ſe diſparatæ tum in concluſionibus, tum in principiis, tum in obiecto, tum in modo procedendi: Secundæ ſunt inter ſe ſubordinatæ ita, vt vna eſt ſubaltera, inter quas illa, quæ eſt ſuperior, dicitur ſubalternans; inferior verò dicitur ſubalternata, ita fusè Seraph. Doct. *lib.* 1. *quæſt.* 2. *Proœm. ad* 4. & quia multæ ſunt huiuſmodi ſcientiæ, hinc conditiones ſubalternationis hîc diſquirendæ ſunt: Quare

Respondetvr primò, quod communiter tres conditiones aſſignantur: Prima eſt, vt obiectum ſubalternatæ contineatur ſub obiecto ſubalternantis: Secunda, vt principia ſubalternatæ ſint concluſiones in ſubalternante probatæ, & per demonſtrationem illatæ: Tertia, vt ſubiectum ſubalternatæ addat aliquam differentiam accidentalem aliquo modo diſtrahentem. Sic Seraph. Doct. *cit.* Aliæ conditiones ab aliis aſſignatæ in dictis continentur.

Secvndò dicimus, quod licèt principia proxima ſubalternatæ ſint cõcluſiones ſubalternantis, tamen etiam principia ſubalternantis ſpectant ad ſubalternatam aliquo modo, & remotè.

Tertiò dicimus, quod ſubiectum ſubalternatæ debet contineri ſub obiecto ſubalternantis non vt ſpecies, vel vt pars eſſentialis, ſed vt quid modificatum, & diſtractum ad aliam ſpeciem, ſic linea ſpectat ad mathematicum, viſuale ad perſpectiuum.

651. Qvartò dicimus differentiam accidentalem ſuperadditam obiecto ſubalternatæ non eſſe eſſentialem, nec paſſionem, ſed merè accidentalem, eſſeque rationem formalem ipſius, hancque per ſe reſpicere obiectum ſubalternantis, vt principium, & radicem alicuius effectus. Eſt S. Bonau. *cit.* qui dicit non quamlibet determinationem trahentem in partem facere ſubalternationem ſcientiæ, ſed determinationem quodammodo ideſt accidentaliter diſtrahentem.

Probatvr, quia ſi quælibet determinatio faceret ſubalternationem, omnes

omnes ſcientiæ eſſent ſubalternatæ Metaphyſicæ, cùm ab ipſa recipiant vniuerſaliſſima principia, & cùm omnes agant de ente, vel rationis, vel mobili, &c. ſed conſequens eſt falſum. Nam omnes habent ſua principia diſparata, & ſua propria obiecta tum materialia, tum formalia: Vnde concluditur, quod ſolùm per differentiam accidentalem differunt ſubalternatæ ſcientiæ à ſubalternante: Sic Arithmetica tractat de numero: Muſica de eodem numero vt ſonoro: Sic Medicina ſubalternatur Phyſicæ, Geometria Mathematicæ, ſicque de aliis.

QVÆSTIO VII.

De Opinione, & Fide.

652. EX ſyllogiſmis Topicis pariter cognitio probabilis, quæ dicitur Opinio, & de qua quæritur, quid ſit, & qualiter differat à Scientia, & Fide; & an poſſint eſſe ſimul, & ſemel de eodem obiecto: Quoad primam partem quæſtionis.

Primò dicimus Opinionem eſſe *aſſenſum propoſitionis, ſeu alicuius partis contradictionis determinatum cum formidine alterius partis:* Dicitur (*aſſenſus*) per quod cōuenit cum Scientia: Dicitur (*determinatus*) per quod differt Opinio à dubio, & ſuſpicione. (Dubium autem eſt, quando in neutram partem intellectus determinatur, ſed veluti in æquilibrio manet, in quo caſu non licet operari cum dubio iuris, benè autem facti, & de quo Baſſeus Noſter verbo dubium *num.* 9. Suſpicio verò eſt, quando inclinatur in vnam partem, ſed ex leuibus coniecturis, obidque non habet determinatum aſſenſum, & eſt inclinatio in iudicium temerarium.) Dicitur (*cum trepidatione, &c.*) per quod differt à ſcientia, quæ trepidatio ſumitur obiectiuè tantùm, idest aptitudinaliter, non actualiter, idest quatenùs obiectum eſt contingens, & poteſt ſubeſſe falſum: Datur enim, quod aliquando quis actu firmiter abſque formidine actuali alicui Opinioni adhæreat, & hoc quia ad id mouetur vel ex multiplici experientia, vel ob inconſiderationem fallibilitatis obiecti, vel per temeritatem, & pertinaciam vt in ignaris, pertinacibus, & hæreticis: Differt etiam à Fide, quia Opinio, cùm ſit aſſenſus alicuius propoſitionis vel immediatus ex ipſa terminorum perceptione, vel mediatus ex principiis probabilibus illatus: Fides verò eſt aſſenſus fundatus in teſtimonio alterius.

653. Vnde Fides alia eſt humana, quæ innititur teſtimonio humano; alia eſt Diuina, quæ innititur teſtimonio Diuino, & ob id affert ſecum aliquando contingentiam, & ſemper infallibilitatem: De quâ materia agitur *in* 3. *diſt.* 23. *& ſeq.* vt videre eſt apud S. Bonau. quoad ſecundam partem: An poſſint ſimul, & ſemel eſſe Scientia, Fides, & Opinio de eodem obiecto; eſt celebris quæſtio, quæ tamen habet proprium locum tum in tract. de viſione beata, tum in tract. de fide.

Prima opinio omninò negat ſiue quoad actum, ſiue quoad habitum. Sic Thomiſtæ apud Meldul. *diſp.* 13. *n.* 11.

Secvnda opinio eſt aſſerentium poſſe eſſe quoad habitum, non verò quoad actum, ita quod ſimul, & ſemel exeant tales habitus in actum, eſtque S. Bonauent. *lib.* 3. *diſt.* 24. *art.* 2. *q.* 3. Alenſ. aliorumque plurium tum veterum, tum recentiorum.

654. Horvm fundamentum eſt, quod affert S. Doct. quia tales habitus ſiue illuminationes intellectus, licèt ſint

ſint diuerſæ, ſunt tamen compoſſibiles: Probaturque. Tum quia neceſſariis rationibus quis poteſt cognoſcere Deum vnum eſſe, & deinde per fidem idem cognoſcere; ſic in eodem intellectu eſt duplex notitia de eodem, & per demonſtrationem à priori, & per cognitionem à poſteriori ſicut & ſimul poteſt eſſe notitia ſenſitiua, & intellectiua; idemque dicendum eſt de Opinione: Poteſt enim quis habere notitiam propoſitionis neceſſariæ per rationes probabiles, & deinde conſurgere ad ſcientiam certam. Tum quia intellectus eſt indifferens ad moueri per diuerſa motiua vera ad operandum.

Obiicies primò: Habitus fidei, & luminis gloriæ ex hoc, quod vnus eſt clarus, alter obſcurus, non poſſunt ſimul ſtare; ergo ita dicendum de Opinione, Fide, & Scientia.

Respondetur negando cauſalem antecedentis: Non enim ſe inuicem ſimul compatiuntur lumen gloriæ, & actus fidei ob claritatem, & obſcuritatem; nam ſuo loco probabimus id infuiſſe in intellectu B. Virginis in via, ſed quia in gloria euacuatur omnis imperfectio; at in via poſſunt eſſe perfecta, & imperfecta cognitio per diuerſa motiua.

QVÆSTIO VIII.

Quid ſit Error, & Opinio Erronea.

655. Respondetur ex S. Doct. *lib.* 1. *diſtinct.* 27. *quæſt.* 4. & *lib.* 2. *diſt.* 23. *art.* 2. *quæſt.* 2. & *lib.* 2. *diſt.* 15. *dub.* 3. & alibi, quod Error eſt cognitio omninò falſa, quæ nec neceſſariò, nec probabiliter apparet vera. Vnde non ſufficit ad Errorem, quod ſit id falſum, ſed requiritur, vt ita quis iudicet, & aſſentiat per intellectum, ita eſſe verùm, ſicuti enuntiatur, qui aſſenſus vel eſt cum formidine, vel eſt cum certitudine, ſeu firmitate neceſſaria, ſic videmus aliquos ſubire mortem ob dogmata falſa, ab ipſis tamen exiſtimata vera, & neceſſaria: Hinc ſequitur, quod poteſt dari Opinio falſa, quæ ſit tamen probabilis, quia ſcilicet ab omnibus, vel à pluribus ſapientibus eſt credita, & aſſerta: Poteſt & vice verſà dari Opinio vera, quæ tamen exiſtimatur falſa; & poteſt dari Opinio probabilis, quæ exiſtimetur certa, & neceſſaria: Propoſitio verò Erronea eſt, quæ nec neceſſariò, nec probabiliter, ſed apparenter tantùm apparet vera, &c.

Et hæc tandem dicta ſufficiant pro complemento huius noſtræ longæ nauigationis, & itineris de vniuerſa Seraphici Doctoris Logica, quæ omnia cedant in laudem Dei Vnius, & Trini, Trini in perſona & Vnius in eſſentia: in honorem Beatæ Virginis Mariæ ſemper Immaculatæ, & in decus Seraphici Doctoris Sanctiſſimi Bonauenturæ Magiſtri, ac Ductoris à quoad proſequendum inceptum iter ad Paradiſum deliciarum per ſecundum Flumen, nempè Gehon Phyſicale inuitamur.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
OMNIVM RERVM, ET VERBORVM
QVÆ IN HAC PRIMA PARTE Curſus Philoſophici ad Mentem Sancti Bonauenturæ continentur.

Prior numerus numerum marginalem, poſterior verò Paginam denotat cum hoc diſcrimine tamen, quod Verbum ſum. ſignificat Summulas, Proœm. quæſtiones Proœmiales, reliqui autem numeri ſine tali annotatione cæteros numeros in margine notatos ſignificant.

A

Abſolutum.

ABSOLVTVS terminus quid ſit. ſum. num. 13. pag. 17
Abſolutum eſt prius reſpectiuo. n. 120. p. 173

Abſtractum.

Abſtractum, & concretum quid ſint. ſum. n. 12. & n. 550. p. 16. & 505
Abſtracta quomodò prædicantur de concretis. n. 158. & ſeq. p. 205
Abſtractio à materia ſingulari, ſenſibili, & intelligibili quænam ſit. n. 647. & ſeq. p. 556.
Abſtrahaibilitas à rebus qualiter fiat. n. 649. p. 557.

Accidens.

Accidens multipliciter definitur. n. 308. & 320. & ſeq. pag. 320. & 328
Accidens realiter diſtinguitur à ſubſtantia. n. 320. p. 322
Accidens aliud eſt Metaphyſicum, aliud Logicum. n. ibidem p. ibid.
Accidentis inhærentia eſt eiuſdem proprietas. n. 312. & ſeq. p. 324
Accidens relatiuum habet duplicem reſpectum, ſcilicet ad ſubiectum in quo,

Digitized by Google

quo, & ad terminum ad quem. n. 216. p. 250.
Accidentia in abſtracto dicunt partem, in concreto verò dicunt totum. n. 292. & ſeq. p. 308
Accidentia in abſtracto non ſunt ſpecies niſi nomine. n. 293. p. 308
Accidens pro per ſe ſignificato, & pro denominato quid ſit. n. 312. p. 324.
Accidens aliud abſolutum, aliud relatiuum. n. ibidem. p. 324
Accidens eſt principium originale inhærentiæ. n. 315. p. 325.
Accidens quomodò eſt poſterius ſubſtantia. n. 316. p. 326.
Accidens quintum prædicabile quid ſit, & quomodò conſtituitur. n. 317. & ſeq. p. 326. & ſeq.
Accidentis definitio competit ſubſtantiis, quæ prædicantur modo accidentali. n. 321. p. 329
Accidens prædicabile reſpicit aptitudinem, non actum. n. 319. p. 328
Accidens vnum numero exiſtens in pluribus ſubiectis non eſt vniuerſale. n. 318. p. 327
Accidens ſeparatum non recipit nouum modum perſeitatis. n. 316. p. 326.
Accidentia plura numero in eodem ſubiecto an poſſint dari. n. 513. p. 481.
Accidentia habent propriam indiuidualitatem. n. 386. p. 385.
Accidentia conſtant ex genere, & differentia ratione ſubiecti, quod connotant. n. 398. & ſeq. & 410. p. 396. & 407.
Accidentia ſunt ſimplicia, nec conſtant ex materia, & forma. n. 407. p. 404.

Actus. Actio.

Actio quid ſit, & quotuplex. n. 546. & 551. p. 504. & 506.
Actio, & paſſio ſunt idem realiter, diſtinguunturque formaliter ex natura rei. n. 547. & ſeq. p. 504. & ſeq.
Actio præciſè ſumpta nullum connotat ſubiectum, ſed dicit tantùm ve à quo. n. 548. p. 505.
Actio quomodò poteſt eſſe quo, & quod, ſcilicet Actio, & effectus. n. 492. p. 468.
Actus, & potentia quot modis ſumuntur. n. 305. p. 317
Actu eſſe, & exiſtere, quomodò differunt. n. 53. p. 128.

Æqualitas.

Æqualitas eſt relatio fundata in vnitate. n. 202. p. 239.

Æquiuocum.

Æquiuoca quid ſint, & quotuplicia. n. 326. & ſeq. p. 336.

Alienatio.

Alienatio Logica quid ſit. ſum. n. 25. p. 25.

Alietas.

Alietas, pluralitas, diſtinctio, diuiſio, & non identitas differunt. n. 76. p. 145.

Ampliatio.

Ampliatio Logica quid ſit. ſum. n. 25. p. 25.

Analogia.

Analogia quid ſit. n. 333. & ſeq. p. 340.
Analogia proportionis, & attributionis explicatur ad mentem Seraphici Doctoris. n. 335. & ſeq. p. 341.
Analogia triplex. n. 336. & ſeq. p. 342
Analogia qualem communitatem habeat. n. 341. & ſeq. p. 346
Analogia mediat inter Æquiuoca, & Vniuoca, ſtatque ſemper cum aliquo ex iſtis extremis. n. 346. & ſeq. p. 349. & ſeq.

Analyſis.

Analyſis eſt reſolutio Syllogiſmorum,
aliaque

aliaque Phyſica, alia Logica. n. 617. p. 543.

Angelus.

Angeli poſſunt facere ens rationis. n. 3. p. 93.

Angelus alatus non eſt ens rationis. n. 13. p. 98.

In Angelis eſt compoſitio vera ex genere, & differentia, materia, & forma. n. 120. & ſeq. & n. 280. ad 287. p. 173. & 296. & ſeq.

Angeli ſunt capaces vniuerſalitate Logica. n. 228. & 257. p. 250. & 281.

Angeli differunt numero. n. ibidem. p. ibidem.

Angeli habent veram quantitatem. n. 399. & ſeq. p. 398. & ſeq.

Angeli an diſcurrant. n. 627. p. 546

Antepræodicamenta.

Antepræodicamenta quot ſunt. n. 323 p. 331.

Appellatio.

Appellatio Logica quid ſit. ſum. n. 25. p. 25.

Arithmetica.

Arithmeticæ abſtractio qualis. n. 649. p. 557.

Ars.

Ars breuis, & facilis inueniendi medium. ſum. n. 45. p. 53

Ars, & ſcientia qualiter differant. Proœm. n. 16. p. 78.

Axioma.

Axiomata, & maximæ quid ſint. ſum. n. 48. p. 56.

Axioma, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe, explicatur. n. 124. & 176. p. 177. & 220.

B

S. Bonauentura diuerſis terminis ab vſitatis nunc in ſcholis tradit varias diſtinctiones. n. 84. & ſeq. p. 151

S. Bonauenturæ opiniones ſingulares fundamentales ſuorum principiorum inter alias ſunt ſequentes. p. 184.

Primò, admittit diſtinctionem formalem diuerſimodè à Scoto maximè in Diuinis. n. 130. & ſeq. p. ibid.

Secundò, Vnitatem communem diſtinctam formaliter ab indiuidualitate 166. & ſeq. p. 213. & ſeq.

Tertiò, Compoſitionem ex genere, & differentia eſſe veram, & realem, deſumique ex materia, & forma, & hinc hanc recognoſcit in Angelis. n. 278. p. 295.

Quartò, Principium indiuiduationis Phyſicæ eſſe materiam, & formam, Metaphyſicæ eſſe differentiam indiuidualem. n. 364. & ſeq. p. 369. & ſeq.

Quintò, Quantitatem communem corporeæ, & ſpirituali conſtituere genus generaliſſimum, vnde recognoſcit quantitatem veram in Angelis. n. 392. p. 392.

Sextò, Numerum prædicamentalem in Angelis eiuſdem rationis, ac in cæteris rebus etiam corporeis. n. 412. & ſeq. p. 408.

Septimò, Ad multiplicationem terminorum non multiplicari relationes. n. 510. & ſeq. p. 480.

C

Circulus.

CIRCVLVS vitioſus in demonſtratione qualis. n. 641. p. 553

Cognitio.

Cognoſci materialiter quid ſit. n. 247. p. 272.

Compoſitio.

Compoſitio vera exigit partes diſtinctas. n. 117. & 122. & 279. p. 170. & 175. & 296.

Compoſitio realis, & rationis qualiter differant. n. 283. p. 299
Compoſitio ex genere, & differentia eſt vera, ſumiturque ex materia, & forma. n. 279. & ſeq. p. 296
Compoſitio eſt in Angelis ex materia, & forma, ex genere, & differentia. n. 120. & ſeq. & n. 279. & ſeq. p. 173. & ſeq. & 296. & ſeq.
Compoſitio ex realitatibus abſolutis repugnat Deo, non ex relatiuis, & quomodò. n. 120. ad 126. & 284. p. 173. & ſeq. & 300.

Conceptus.

Conceptus alius formalis, alius obiectiuus. n. 113. & 132. p. 1.8. & 186.
Conceptus formalis repræſentat obiectum cognitum. n. 172. & 578. p. 218. 510. & ſeq.

Concretum.

Concretum, & abſtractum quid ſint. ſum. n. 12. & n. 150. & 513. & 550. p. n. 16. & 201. & 481. & 505.
Quomodò ad inuicem prædicantur. n. 158. & ſeq. p. 346.

Concluſio.

Concluſiones ſcientificæ qualem connexionem habeant in terminis. Proœm. n. 20. p. 80.

Connotatiuum.

Connotatiuum quid ſit. ſum. n. 12. p. 16.

Conſtitutum.

Conſtitutum eſt poſterius conſtituente. n. 370. p. 373.

Contradictio.

Contradictio quid exigat. n. 67. & 127. 563. p. 140. & 180. & 511.

Contrarietas.

Contrarietas quænam exigat. n. ibid. p. ibidem. Vide *Oppoſitio.*
Contraria conueniunt in tertio. n. 201. p. 239.

Corpus.

Corpora duo poſſunt eſſe in eodem loco. n. 397. p. 395.

D

Definitio.

DEFINITIO quid ſit, & quotuplex. ſum. n. 6. & 19. & 119. p. 12. & 20. & 172.
An ſit conceptus formalis, an obiectiuus. Proœm. n. 15. p. 76.
Definitio per additamentum quenam ſit. n. 242. p. 269.
Definitio abſoluti eſt differens à definitione relatiui. n. 246. p. 272.

Denominatiua, & denominatio.

Denominatiua quæ ſint, & quot. n. 365. & ſeq. & 542. p. 370. & 502.
Denominatiua, adiectiua, & vniuoca differant. n. 366. p. 371.
Denominatio alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca. n. 12. & 14. & 542. p. n. 92. & 98. & 502.
Denominatio extrinſeca non datur, abſque intrinſeca. n. 466. p. 450.
Denominationes ſunt diuerſæ ad diuerſos terminos. n. 494. p. 440.

Demonſtratio.

Demonſtratio quid ſit, quotuplex, & quænam ſint ipſius conditiones. n. 632. & ſeq. p. 549.
Demonſtratiuus ſyllogiſmus. Vide *Syllogiſmus.*

Deus.

Deus non præſcindit ab attributis Diuinis præciſione obiectiua. num. 127. p. 180.
In Diuina natura non poteſt affingi vniuerſalitas Logica. n. 55. & 188. & 197. & 217. & 221. & 257. p. 130. & 229. & 235. & 251. & 253. & 281.
Deus non admittit diuerſitatem formalem in abſolutis, ſed tantùm in relationi

relationibus. n.125.& ſeq. & 284. p. 178. & 300.
Deus non eſt in genere, licèt aliqua prædicata prædicamentalia de ipſo prædicantur. n.351. & 361.p.360. & 366.

Differentia.

Differentia eſt tertium prædicabile diſtinctum. n.270. ad 272. p.289. ſeq.
Differentia multipliciter diuiditur. n.273. p.292.
Differentia ſumpta primo, & ſecundo intentionaliter quænam. n.274. p.292.
Differenria, & diverſitas differunt. n.273. & ſeq. p.292.
Differentia ſuperior an contineat inferiores, & an contineatur in genere. n.276. & ſeq. p.294.
Differentia an deſumatur à forma, an à toto compoſito n. 278. & 282. & 286.& ſeq.p.295.& 298.& 302.
Differentiæ ſpecificæ an recipiant magis,& minus. n.294. p. 309.
Differentia indiuidualis eſt principium indiuiduationis. n. 379. p.378.
Differentia indiuidualis differt formaliter à natura. ibidem.
Vide *Individuum*.
Differentiæ plures indiuiduales inſunt in compoſito, & coadunantur in unum. n.390. p.389.
Differt verbum, quomodò reſoluatur. n 78. p. 146.
Differentiæ ut plurimùm denominantur à poſteriori. n.388. p. 386.

Diſparata.

Diſparata quænam ſint. n.557.p.509.

Diſtinctio, & Diviſio.

Diſtinctio eſt relatio poſitiua. n. 78. & 80. & ſeq. p.146. & 148.
Diſtinctio opponitur identitati. n.88. & ſeq. p.153.
Diſtinctiones, & Identitates Thomiſt. & Scotiſt. quænam. n.43. & ſeq. p.122. & ſeq.
Diſtinctio alia realis, alia formalis, alia rationis. per totum tractatum formalitatum. p.116.& ſeq.
Diſtinctio realis quænam, & quotuplex. n.95. & ſeq. p.156. & ſeq.
Diſtinctio eſſentialis quotuplex n.91. & 101. & 107. p.154. & 160. & 164.
Diſtinctio modalis eſt idem ac realis, fusè explicatur. n.97. & ſeq. p.157. & ſeq.
Diſtinctio realis poteſt eſſe inter inſeparabilia n.96. 98.& ſeq. & 104. p.156. & 158. & 162.
Diſtinctionis realis varia ſigna enarrantur. n.104. p 162.
Eius ratio formalis aſſignatur. n 105. & 113. & 132. p. 162. & 168. & 186.
Diſtinctionis realis tres gradus dantur. n. 107. p.164.
Diſtinctio realis datur in Diuinis ratione ſuppoſitorum. n.100. p.159.
Diſtinctio, & diuiſio qualiter differant. n.79. p.145.
Diſtinctio ut modus, ut res, ut concepta, ut exercita, quid ſint apud Seraph. Doct. n.109. p.166.
Diſtinctio formalis ſtat cum diſtinctione eſſentiali. n.122. p.175.
Diſtinctio vera in Diuinis non eſt, ubi non eſt oppoſitio relatiua. n.126. p.179.
Diſtinctio formalis in Diuinis non eſt inter attributa, ſed tantùm inter relationes, & eſſentiam. n. 127. & ſeq. p.180. & ſeq.
Diſtinctio formalis apud Seraphicum Doctorem qualis, & quibus nominibus appelletur. n.130. p.134.
Diſtinctio rationis quid ſit, quotuplex; quænam cum fundamento in re, & quænam ſine fundamento:

Vbi de preciſionibus obiectiuis. n. 131. & ſeq. p. 185.
Diuiſio, & diſtinctio differunt. n. 79. p. 147.
Diuiſio logica quid, & quotuplex ſit. ſum. n. 6. & 36. p. 12. & 42.
Diuiſio an ſit conceptus formalis, an obiectiuus. Procem. n. 15. p. 76.

Doctrina, & Diſciplina.

Doctrina, & Diſciplina quid ſint. n. 619. p. 544.

E

Ens.

ENs, & nihil habet medium. n. 70. p. 141.
Ens pro terminis habet eſſe, & nihil. n. 68. p. 141.
Ens eſt analogum, vniuocum Deo, & Creaturæ. n. 344 p. 347.
Ens quomodò deſcendat ad inferiora. n. 345. p. 348.
Ens rationis quid ſit, & quotuplex. n. 1. per totum tractatum. p. 91.
Ens rationis dari probatur. ibidem. n. 2. & 6. p. 92. & 94.
Ens rationis qualem eſſentiam, & veritatem habeat. n. 3. & ſeq. p. 93, & ſeq.
Ens rationis eſt quid effictum. n. 5. & 22. & ſeq. & 34. p. 93. & 105. & 113.
Ens rationis quomodò cognoſcitur. n. 7. & 8. & 12. p. 94. & ſeq. & 97.
Ens rationis, & reale non habent medium. n. 11. p. 97.
Ens rationis formaliter in quo conſiſtat. n. ibidem uſq. ad 15. p. 97. & ſeq.
Ens rationis abſolutum, & reſpectiuum quale. n. 15. & 25. p. 99. & 108.
Ens rationis cum fundamento, & ſine fundamento, grammaticale, & Logicum quid. n. 17. p. 101.
Ens rationis primæ, & ſecundæ intentionis quid. n. 18. p. 102.
Entis rationis cauſæ ſunt intellectus, voluntas, ſenſus interni, & externi, ſed diuerſimodè. n. ibidem & ſeq. & 30. & ſeq. p. ibidem. & 110.
Entis rationis ſubiectum eſt potentia ipſum efficiens. n. 19. p. 103.
Ens rationis fit ab intellectu quocunque actu. n. 20. & ſeq. p. 105.
Ad Ens rationis requiritur aliqua comparatio. n. 23. & ſeq. p. 106.
Entis rationis imperfectiones. n. 34. p. 113.
Ens rationis non poteſt fieri à Deo ſi licet cognoſcatur ab ipſo. n. 35. & ſeq. p. 114.
Poteſt quidem fieri à quocunque intellectu creato. ibidem p. ibidem.
Entia materialia, & ſpiritualia habent aliquid commune. n. 287. p. 303.

Enunciatio.

Enunciatio quid ſit, eius forma, & vnio explicatur. ſum. n. 27. & n. 585. p. 29. & 525.
Vide *Propoſitio.*
Enunciatio an ſit ens reale, an rationis. n. 586. & ſeq. p. ibidem.
Enunciatio mentalis quid. n. ibidem. p. ibidem.
Enunciatio ordinatur ad exprimendum conceptum. n. 590. & 593. p. 527. & 528.

Eſſentia, & Exiſtentia.

Eſſe de eſſentia, & eſſe eſſentiam valdè differunt. n. 312. p. 324.
Eſſentia, & exiſtentia differunt formaliter. n. 49. p. 126.
Eſſentia, & exiſtentia ſunt terminus phyſicæ cauſalitatis. n. 50. p. ibid.
Exiſtere, & eſſe actu differunt n. 53. p. 128.

Extenſio.

Extenſio quantitatis triplex. n. 395. p. 394.
Vide *Quantitas.*

Facultas

F

Facultas.

FACVLTAS organica, & inorganica qualiter differant. Procem. n.15. p.76.
Facultatis organicæ obiectum quodnam. Procem.n.13. p.75.

Fallacia.

Fallaciæ Syllogiſmorum traduntur. ſum.n.52. p.59.

Fides.

Fides non habetur ex præexiſtenti cognitione. n.621. p.545.
Fides qualis facultas.n.ibidem. p.ibid.
Fides, opinio, & ſcientia, an poſſint ſimul ſtare. n.655.p.560.

Figura.

Figura, & modus ſunt ſpecies qualitatis, earum natura, & differentia explicatur. n.444. p.430.

Forma, & Formalitas.

Forma alia partis, alia totius, quid, & quotuplex.n.51. & 54.p.126. & 128.
Forma aduenit materiæ ab extrinſeco. n.179. p.222.
Forma partis, ſeu totius non eſt principium indiuiduationis. n. 377. p.377.
Forma totius eſt formalitas, & quomodò. n.51.& 54. p.126.& 128.
Formæ plures eiuſdem rationis an poſſint eſſe in eodem ſubiecto. n.513. p.481.
Formalitatum tractatio ſpectat ad Metaphyſicum, & quare tractatur in Logica. n.41. p.116.
Formalitates Thomiſtarum, & Scotiſtarum ſummariè traduntur. n. 41. p.116.
Formalitas eſt entitas Metaphyſica, nec eſt terminus phyſicæ cauſalitatis. n.50. p.126.
Definitur. n.55.& ſeq. & n.122.p.175.
Formalitas dicitur ratio, natura, & forma. n.52. p.127.
Formalitatum ſubiectum exiſtentiæ, & prædicationis quodnam. n. 57. p.132.
Formalitates dantur in omnibus rebus phyſicis. n.58 p.133.
Formalitates in creatis faciunt compoſitionem. n.59. p.133.
Formalitates ſunt entitates obiectiuæ adæquatæ. n.119. p.172.

G

Generatio.

GENERATIONIS terminis eſt natura communis ut in hoc.n 169. & 173. & 371. p. 215. & 218.& 374.

Genus.

Genus quid ſit, explicatur ipſius natura, & definitio.ſum.n.17.& 238. & ſeq.& 245.p.18.& 265 & 271.
Genus abſtrahit à ſpeciebus. n. 145. p. 196.
Genus quot modis poſſit ſumi.n.238. & ſeq. p. 265. & ſeq.
Genus an contineat ſpecies,& differentias. n. 276. & 291. & 299. & ſeq. p.294.& 308. & 313. & ſeq.
Genus cùm ſit pars, quomodò prædicetur in recto de ſpecie n. 244. & 247. & 251.p.270. & 272. & 275.
Quomodò reponatur in Prædicamentis. n.362. p.367.
Genus in prædicatione an dicat rem, an ſecundam intentionem. n.245. p.271.
Genus eſt totum poteſtatiuum. n.249. & ſeq. p.273.
Genus logicum, & ſpecies an poſſit ſaluari in unico inferiori. n. 264. p.285.
Genus habet indifferentiam obiectiuam,

uam,non ſubiectiuam.n.282.& ſeq. p.298. & ſeq.
Genus deſumitur à materia, differentia à forma. n.286.p.302.
Genus ſubalternum propriè quid ſit. n.343. p.347.
Genera ſubalterna quomodò poſſunt habere unam rationem communem. n.386. & ſeq. p.385. & ſeq.
Generum nomina quomodò de Deo prædicantur. n.361. p.366.

Geometria.

Geometriæ obiectum quodnam ſit Procem. n.8. p.72.

Gradus Metaphyſicus.

Gradus Metaphyſici non important ſubſtantias diuerſas ipſis reſpondentes. n.55. & ſeq. & 58. p.130. & 133.

Grammatica.

Grammatica quid ſit, eius obiectum quodnam. ſum. n. 1. & ſeq. & Procem. n.8. & ſeq. p. 11. & ſeq. & 72. & ſeq.

H

Habere, & Habitus.

HABERE prædicamentale quid ſit, & quotuplex. n.554. p.507.
Habere poſt prædicamentale quid. n.574. p.516.
Habitus intellectuales quot ſint. Procem. n.16. p.78.
Habitus præcedit priuationem. n. 22. p.105.
Habitus, & diſpoſitio eſt ſpecies qualitatis,eius natura explicatur.n.432. uſq. ad 436. p. 422. &. ſeq.
Habitus principiorum habetur per lumen innatum. n.622. p.545.
Quid ad ipſa cognoſcenda præexigatur. n.625. p.546.
Habitus concurit effectiuè. n. 367. & ſeq. p. 371.

I

Identitas.

IDENTITAS oppoſita diſtinctioni quid,& quotuplex. n. 76. p.145.
Identitas, & vnitas differunt. n. 75. & ſeq. p. ibidem.
Identitas realis, formalis, & rationis explicatur. n.87.p.152. & ſeq.
Identitas realis quotuplex. n. 111. p. 167.
Identitas formalis ratio quænam. n.113. p.168.
Identitas rationis ratio formalis. n. ibidem p. ibidem.
Identitas non infertur ex inſeparabilitate. n.96.& ſeq. p.156. & ſeq.
Non identitas eſt ſuperior diſtinctioni. n.95. p. ibidem.
Identitas non interuenit in negatione. n.77. p.146.

In.

In, dicitur adhæſiuè, & inhæſiuè, & quomodò. n.57.p.132.

Indiuiduum, & Indiuidualitas.

Indiuiduum quid ſit. n. 266. p.286.
Indiuiduum poteſt ſumi primo, & ſecundo intentionaliter.n.364 p.369.
Indiuiduum vagum quid ſit. n. 388. p.386.
Indiuidualitatis definitio non competit Diuinæ naturæ. n. 192.p. 231.
Indiuidualitas quomodò venire dicitur ab extrinſeco,& etiam ab intrinſeco. n. 179.& 235. p.222. & 262.
Indiuiduum dicit communitatem analogam. n.266. p.286.
Indiuiduationis principium phyſicum eſt materia, & forma; Metaphyſicum eſt differentia indiuidualis. n.367. uſq.ad 370. p. 371. & ſeq.
Indiuidualis differentia differt formaliter à natura.n.379. p.378.
Indiuidualitas eſt ſubſtantialis,& accidentalis

dentalis diuerſimodè. n.380.p.379
Indiuidualitates plures ſunt in eodem compoſito. n.381. & ſeq. & 390. p.380. & 389
Indiuidualitas vna eſt in omnibus gradibus Metaphyſicis. num. 381. & 384. & ſeq. p.380. & 383. & ſeq.
Indiuidualitas eſt quid poſitiuum. n.382. p.381
Indiuiduatio accidentium vnde oriatur. n.384.p.383
Indiuidualis differentia dicitur materia. n.388. p.386
Indiuidualitas, vnitas ſuppoſitalitas, & perſona differunt. n.365.p.370

Inhærentia.

Inhærentia accidentis quid. Vide *accidens.*

Inſtans.

Inſtantia naturæ, & temporis explicantur. n. 368. & 373. p. 372. & 375

Inſtrumentum.

Inſtrumentariæ facultatis obiectum quodnam. Procem. n.13.p.75

Intellectus.

Intellectus obiectum aliud motiuum, aliud terminatiuum. n.481.p.461
Intellectus actus intuitiuus dependet ab obiecto præſente. n.600.p.532
Intellectus neceſſitatur ad aſſenſum Concluſionis ex cognitione præmiſſarum. n.630.& ſeq.p.548
Intellectus operationes non ſunt obiectum formale Logicæ. Procem. n.15. p.76.
Intellectus vis qualis in effingendo ens rationis. n.2.p.92
Intellectuales habitus quot ſint. Procem. n.16.p.78
Intellectus in omnibus ſuis actibus facit ens rationis. n.3.11 6.20.& 23. p.93.& 100.& 105.& ſeq.
Intellectus actus rectus, & reflexus quis. n.21.p.105
Intellectus actus an omnes contineant veritatem. n.24.& 26.p.107.& 109
Intellectus quot modis poſſit decipi. n.26.p.107

Intentio.

Intentio prima, & ſecunda quos actus exigat. n.18.p.104

L

Linea.

Linea eſt ſpecies quantitatis. n.409. p.406

Logica.

Logica quid ſit. Sum. n.1. & 2.p.69
Logica quotuplex. Procem. num. 1. p. ibid.
Logica quot modis neceſſaria. ibidem. n.2.& 3. p. ibidem.
Logicæ obiectum quodnam. ibidem. n.11. & ſeq. p.74.
Logica eſt facultas organica. ibidem. n.15.p.76
Logica docens, & vtens differunt: & an vtraque ſit ſcientia. Procem. n. 18. & ſeq. p. 79.
Logica an ſit ſcientia realis. n. ibidem p. ibidem.
Logica an ſit ſpeculatiua. ibidem.n.26. & ſeq. p. 84
Logicæ vnitas qualis.ibidem. n.29.& ſeq. p.86.

M

Materia.

Materia, accidentia, & humanitas Chriſti non habent propriam exiſtentiam ſecundùm Thomiſtas. n.52. p.127
Materiæ indifferentia comparatur cum indifferentia naturæ. n.180.p.213
Materia ſignata quantitate, non eſt principium indiuiduationis. n.374. p.376
Materia eſt principium quantitatis n.375. p. ibidem

Materia eſt incommunicabilis vt quo, non vt quod. n.376.p.377
Materia qualem vnitatem habeat.num. 381.&413. p.380,& 409

Maxima.

Maxima, & differentia,ideſt Maximæ quænam ſint. ſum.n.48.& ſeq.p.56. & ſeq.
Maximæ loca quænam. ſum. ibidem. p. ibidem

Medium.

Medium qua arte inueniendum in ſyllogiſmo. ſum.n.45.p.53

Metaphyſica.

Metaphyſicæ abſtractio qualis. n.649. p.557
Metaphyſica non eſt ſubalternans cæteris ſcientiis. n.652. p.559
Metaphyſicum ens haber eſſe ab enre phyſico. n.293. p.308

Modus.

Modi intrinſeci, & extrinſeci quinam ſint. n.91.ad 94. p.154.& ſeq.
Modi extrinſeci entis habent propriam exiſtentiam. num.97.& ſeq. p.157. & ſeq.
Modi dicendi per ſe, & per accidens quinam. n.149. p.200

Motus.

Motus non eſt ſpecies quantitatis, ſed eſt Poſtprædicamentum. n.409.& 574. p.406. & 516

Multiplicitas.

Multiplicitas, diuerſitas, diuiſio,& ſeparatio differunt. n.76.p.145

N

Nomen.

NOMEN an ſignificat immediatè rem, an conceptum. n.166 & 168. & 172. & 578. & 583. & 590.& 593. p.213. & ſeq. & 217. & 221. & 524. & 527. & 528.
Nomen quomodò ſignificat ſubſtantiam cum qualitate. ſum. num.26.& 559. p.27. & 509
Nominales vnde dicti. n.166.p.213

Numerus.

Numerus eſt ſpecies quantitatis.n.412. & ſeq. p.408
Numerus alius numeratus, alius numerans. n.414. p.410
Numerus ſumptus phyſicè, & metaphyſicè qualis. n.ibid.p.ibid.
Numerus prædicamentalis eſt communis omnibus per ſe entibus etiam Angelis. num.413. & 419. p.409. & 412
Numerus non ſemper ex diuiſione continui oritur. n.420.p.ibid.
Numerus non eſt propriè in diuinis. n.422. p.414.
Numerus eſt ſimul in pluribus ſubiectis per modum vnius. n.ibidem.p. ibidem.

Natura.

Natura communis in creatis diſtinguitur formaliter ab indiuidualitate. n.121. & 144. & 171. & 187. vſq. ad 191.p.174.& 195.& 216.& 228. & ſeq.
Item eius vnitas. n.199.p.237
Natura communis eſt de ſe formalis terminus generationis. n.169.p.215
Natura de ſe non eſt ſingularis, nec vniuerſalis. n.175.& 207.p.219.& 244.
Naturæ indifferentia explicatur.n.175. 180. & 184. & 186. & 195. p.220. 223. & 226. & 228. & 234.
Natura non poteſt ſeparari ab indiuidualitate. n.177. p.220
Eſt tamen prior indiuidualitate. n.178. p.221
Naturæ indiuidualitas venit ab intrinſeco, & tamen dicitur extrinſeca ipſi, forma verò venit materiæ ab extrinſeco. num.179.& 235.p.222. & 262

Natura

Digitized by Google

Natura vnius indiuidui an poſſit eſſe in alio. n.179.p.222
Natura ad hanc indiuidualitatem à Deo determinatur. n. 180.p.223
Natura triplicem ſtatum habet. n. 182. & 194.p.225. & 233.
Natura quomodò ſit communicabilis, & incommunicabilis n.189.p.230
Duæ naturæ præciſæ an ſint numerabiles. n.191.p.231
Naturæ communis perfectiones, & imperfectiones enarrantur. num.207. p.244.
Naturæ diuinæ communitas quomodò differt à creata, nec eſt capax vniuerſalitate. n.78.& 197.& 217. & 221. & 226. & ſeq. & 257. p. 146. & 235.& 251 & 253. & 257. & 281

Neceſſitas.

Neceſſitas quotuplex. Proœm. n. 2. p. 69

Negatio.

Negatio conſequitur ad vnitatem poſitiuam. n.65.p.138

Nomanthia.

Nomanthia quàm vana. num.588. p.526.

Nomen.

Nomen non poteſt imponi niſi ad proportionem cognitionis de ſe. n.168. p.214.
Nomina vniuerſalia non ſunt nudæ voces. n.171. p.216

O

Obiectum.

OBIECTVM Logicæ. Vide *Logica.*
Obiectum cognitum repræſentatur per conceptum formalem. num. 172. p. 217

Opinio.

Opinio quid ſit. n.653.p.559
Opinio, fides, & ſcientia, an poſſint eſſe ſimul. n.655 p.560
Opinio erronea quænam ſit. n.655.p. 560

Oppoſitio.

Oppoſitio, & repugnantia differunt. n.555. p.508.
Oppoſitio propria quænam. n.558. p. 509
Oppoſitio contradictoria, contraria, relatiua, & priuatiua quænam ſunt. n.30.& n.ibidem. p. 33.& ibid.
Oppoſitio formalis, & effectiua quænam. n.560. p.510
In oppoſitis expulſio vnius contrarij eſt effectus ſecundarius. n.562. p. 511

Oratio.

Oratio quid, & quotuplex. ſum.n.27. p. 29
Oratio eſt ſpecies quantitatis. n.423. p.415
Orationis veritas. Vide *Veritas.*
Oratio eſt ſignum rei ſubordinatæ conceptui formali. n.593. p.528
Oratio quomodò dicitur vera ab eo, quod res eſt, & è contra falſa. n.596 p. 530

P

Pars.

PARTES integrales habent propriam differentiam indiuidualem. n.390. p. 389.
Partes quot in diuiſione. Vide *Diuiſio.*
Partes Phyſicæ, & Metaphyſicæ quomodò differant. n. 280. p. 296.

Paſſio, & paſſibilis Qualitas.

Paſſio, & paſſibilis Qualitas quid ſunt. n.442. p.428.

Paſſio, & Actio.

Paſſio, & Actio non differunt realiter, & quotuplex. n.545.p.503

Digitized by Google

Perſona, & Perſonalitas.
Perſona in communi dicit communitatem vniuocam analogam. n. 269. p. 282.
Perſonalitas quando differat à ſuppoſitalitate, & indiuidualitate. n. 365. p. 370
Philoſophia.
Philoſophiæ rationalis diuiſio traditur. Proœm. n. 1. p. 69
Plato.
Platonis opinio de vniuerſalibus expenditur. n. 166. p. 213
Pluralitas, & diſtinctio.
Pluralitas, & diſtinctio differunt. n. 76. & 170. p. 145. & 215.
Poſtprædicamenta.
Poſtprædicamenta quot ſint. n. 555 p. 508
Potentia, & Impotentia.
Potentia, & Impotentia eſt ſpecies qualitatis, explicatur eius natura. n. 437. & ſeq. p. 425.
Potentia obiectiua, & Logica quænam. n. 99. p. 159
Potentiæ aliæ organicæ, aliæ inorganicæ. n. 27. p. 109
Potentiæ quot modis poſſint decipi. n. 26. p. 109
Potentiarum ſenſitiuarum munera quænam. n. 28. p. 109
Potentiæ omnes animæ poſſunt facere ens rationis. n. 30. p. 110
Potentia, & actus quot modis ſumi poſſunt. n. 305. p. 317
Praxis.
Praxis quid ſit, & quid ſcientia practica, & quomodò differat à ſpeculatiua. Proœm. n. 24. & ſeq. p. 107
Præciſio.
Præciſio quotuplex, & qualis inſit in analogia. n. 340 p. 345
Præciſiones formales, & obiectiuæ quænam ſint. n. 144. & ſeq. p. 195
Prædicamentum, & prædicatio.
Prædicabilium numerus quinarius. ſum. n. 17. & 234. & ſeq. p. 18. & 261.
Vide verbo *Vniuerſale.*
Prædicabilitas eſt paſſio vniuerſalium. n. 217. p. 251.
Prædicamentum quid ſit, quotuplex, eiuſque conditiones. n. 349. vſq. ad 352. p. 352. & ſeq.
Quęnam res ponantur in prędicamentis. ſum. 18. n. 351. & 362. ſum. 19. p. 356. & 367
Prædicamentorum Tractatus habet anteprædicamenta, & poſtprædicamenta. n. 322. p. 330
Prædicatio alia identica, alia formalis, alia diſparata, alia per inhærentiam, alia cauſalis, alia per denominationem, alia abſoluta, alia relatiua. n. 151. & ſeq. p. 201. & ſeq.
Prædicatio concreti abſtracti ſecundarum intentionum de primis explicatur. n. 154. p. 203
Prædicationes identicæ, & formales quænam. num. 52. & 152. & 268. p. 127. & 202. & 288.
Prædicatum quid ſit. ſum. n. 7. p. 12
Ad ſubiectum quot modis ſe poteſt habere. n. 149. p. 200
Prædicatum vniuocum, & vniuocè prædicari differunt. n. 236. & 330 p. 263. & 337.
Præſcientia.
Præſcientia contingentium in Deo eſt infallibilis, & certa. n. 616. p. 542
Prius, & prioritas.
Prioritas, prius, & poſterius quid ſit, & quotuplex, & qualis adſit inter relatiua. num. 564. & ſeq. p. 511.
Prius natura, & origine an differant. n. 566. p. 512.
Prioritas inconuertibilitatis quænam ſit. n. 567. p. 513.
De

De prioritate naturæ vide plura ibidem. n. 564. ad 573. vbi de variis ſignis naturæ, & temporis. p. 511. & ſeq.

Priuatio.

Priuatio conſequitur habitum. n. 62. p. 136.

Proportio.

Proportio, & proportionalitas quid ſint. Vide *Analogia.*

Propoſitio.

Propoſitio quid, & quotuplex. ſum. n. 27. & ſeq. p. 29

Eius materia, forma, qualitas, & quantitas. ibidem. 28. p. ibid.

Propoſitionis proprietates enarrantur. ibidem. n. 30. p. 33

Propoſitio modalis exceptibilis, & exponibilis. ibidem. n. 34. p. 40

Propoſitionum reſolutio qualis. ibidem. n. 35. p. 41

Propoſitio mentalis eſt ens reale, vocalis eſt ens rationis. n. 578. p. 521

Propoſitionis veritas. Vide *Veritas.*

Propoſitio vera an poſſit mutari in falſam, & vice verſa. n. 597. & ſeq. p. 532

Propoſitio quomodò conſignificet tempus. n. 606. & ſeq. p. 535

Propoſitiones de fide quomodò ſemper ſint veræ. n. 610. p. 538

Propoſitio per ſe nota quænam. n. 638 p. 552

Proprium, & proprietas.

Proprium eſt quartum prædicabile, eius natura explicatur. num. 295. & 306. p. 310. & 318.

Proprium quotuplex. n. 298. & ſeq. p. 313

Proprii munera explicantur. n. 300 p. 313.

Proprietas eſt inſeparabilis à ſubiecto, à quo diſtinguitur tantùm formaliter. n. 302. & ſeq. p. 315

Proprietas emanat metaphyſicè à ſubiecto. num. 304. p. 317

Proprietas an recipiat magis, & minus. n. 305. p. 317

Proprietates terminorum propoſitionum quænam. ſum. num. 20. & 30. p. 22. & 33.

Q

Qualitas.

QUALITAS genus generaliſſimum explicatur. num. 424. & ſeq. p. 416.

Qualitas non rectè diuiditur ab Ariſtotele. n. 426. & 428. p. 418. & ſeq.

Qualitatis multiplex acceptio. n. 427. p. 419

Qualitatis diuiſio prima eſt in ſubſtantialem, & accidentalem. num. 430. & ſeq. p. 420.

Qualitatis quatuor ſpecies, ipſarumque natura explicantur. num. 432. p. 422.

Qualitatis proprietates quænam. n. 446. p. 432.

Quando.

Quando prædicamentale quid, & quotuplex. n. 554. p. 507

Quantitas.

Quantitatis ratio formalis diuerſimodè à variis aſſignatur. num. 392. p. 392

Quantitas molis, ſeu corporea non rectè ab Ariſtotele, & communi aſſignatur genus generaliſſimum. n. 394. p. 393.

Quantitas multipliciter ſumitur. n. 38. p. 114.

Eius ratio formalis quænam apud Seraphicum Doctorem. num. 404. p. 402.

Digitized by Google

Quantitas vt communis corporeæ,& ſpirituali eſt genus generaliſſimum. n.39. & ſeq. p.115.
Quantitatis triplex extenſio expenditur. n.395.p.394
Quantitatis ſpiritualis ratio explicatur, eſtque in Angelis n. 397.& 399. p. 395. & p.398.
Inter quantitatem molis, & ſpiritualem,quale diſcrimen. n.397.& 403. p. 395. & 402
Quantitatis multiplex diuiſio tum corporeæ, tum ſpirituali traditur. num.405. & ſeq. p.403.& ſeq.
Ipſius ſpecies enumerantur, & explicantur. n.ibidem.p.ibid.
Item & eius proprietates. num.398. p.396.
Impenetrabilitas non eſt ipſius proprietas vera. n.ibidem. p.ibid.
Quæ ſunt eadem vni tertio,ſunt eadem inter ſe. Vide *Axioma.*

R

Ratio.

RATIO quot modis ſumi poteſt. n.48. p. 125

Relatio, Relatiuum.

Relatio quid ſit. n.447. & ſeq. p.433 & ſeq.
Relatio, correlatio, relatiuum correlariuum, extremum, fundamentum, ratio fundandi, terminus, quid ſint. n.450. p.438
Relationis multæ ſpecies enumerantur. n.451.p.439
Relationis realis conditiones. n.ibid. p.ibidem.
Relatio prædicamentalis, & tranſcendentalis quænam ſint, & quodnam diſcrimen. n. 451. & 453. vſq. ad 459.& 530. p. 439. & ſeq. & 493
Relatio ſecundùm eſſe, & ſecundùm dici, mutua,& non mutua quænam. n. 451. p.439.
Nullum creatum relatiuum eſt ſua relatio. n.456.p.444
Relatio genus generaliſſimum quænam. n.460. p.446
Relatio qualiter differat à connotatiuis cæteris accidentibus. n.460. & 463. & 483. p. ibidem & 448. & 463.
Relatio eſt quid diſtinctum realiter ab extremis contra Nominales, n.454. vſq. ad 491. p.443. & ſeq.
Relationis ratio *In*, & *Ad* an ſit ipſi intrinſeca. n. 470.& 483.p.453.& 463.
Relatio an poſſit ſeparari à fundamento. n.471. p.454
Relatio an mutationem inducat in fundamento. n.473.p.455
Ad relationem an detur motus.n.ibid. p. ibidem.
Relationes reales verè producuntur,& habent propriam exiſtentiam. n.97. & ſeq. & 106. & 473. & 477. p. 157. & 163. & 455.& 458.
An relatio referatur, & an relationis detur relatio,& quomodò. n.83.& 474. & 490. pag. 150. & 456. & 467
Nec datur proceſſus in infinitum. n.476.& 492.& 516.& 526.p.457. & 468.& 484. & 490
Relationibus dicitur plenus Mundus. n.476. & ſeq. p.457.
Relationes non ſunt per ſe ſenſibiles. n. ibidem. p.ibid.
Relationes non multiplicantur ad multiplicationem terminorum. n. 477. & 497. ad 499. & 517. & ſeq. p. 458. & 472. & ſeq. & 484.
Relationes producens non agit in diſtans. n. 477. p.458
An Deus poſſit facere, quod non reſultet

Digitized by Google

ſultet relatio poſitis extremis. num. 479. p. 460
Relatio non poteſt cognoſci ſine cognitione termini. n. 481. p. 461
Relationum triplex genus datur, & expenditur fusè. num. 482. & 496. & 529. & ſeq. p. 462. & 471. & 492. & ſeq.
Relatio eſt entitas ſimplex exiſtens in fundamento, nec eſt inter vllum medians inter extrema, connotatque ipſa extrema. n. 484. & 486. & ſeq. p. 463. & ſeq.
Relatio realiter diſtinguitur à fundamento. n. 127. p. 180
Quodnam ſit fundamentum, & ſubiectum. n. 484. p. 463
Relationis fundamentum non poteſt eſſe non ens ſeu negatio. n. 188. p. 229.
Relationis fundamentum eſt quid abſolutum. n. 135. p. 188
Item & terminus. n. 502. & 507. p. 474. & 478.
Habent diuerſa munera. num. 501. p. 474.
Relationis ratio fundandi poteſt eſſe vnica ad multiplicem relationem. n. 497. & 499. p. 472. & ſeq.
Relationis terminus importat oppoſitionem, & terminationem ſecundùm diuerſas terminationes. n. 501 & 504. p. 474. & 476.
Relationis ſubiectum in quo, principium à quo, & terminus ad quem quænam ſint. n. 510. p. 480
Relationes habent proprias differentias ſpecificas, & indiuiduales, & vnde n. 509. & 514. & ſeq. p. 479. & 482.
Relatio alia eſt diſtinctiua terminorum, alia relatiua diſtinctorum. n. 497. p. 472.
Relatio dominij quid exigat. n. 555. p. 508.
Relatio tranſacta generatione quomodò remaneat. n. 533. p. 494
Relationes creatæ faciunt compoſitionem non in Deo, & quare. n. 108. & 128. p. 165. & 181.
Relationes in Deo ſunt quatuor. n. 491. p. 468.
Relationes in Deo tranſeunt in Diuinam eſſentiam ſecundùm rationem *In*, & retinent formaliter *Ad*, & quomodò. n. 128. & 483. & ſeq. p. 181. & 463.
Relationes creatæ quomodò denominant Deum. n. 488. p. 465
Relatiua quomodò ſunt ſimul natura. n. 508. & 540. p. 498.
Relationis proprietates expenduntur. n. 539. p. ibidem.
Qualis oppoſitio ſit inter relationes. n. ibid. p. ibidem.
Relatiuum quomodò definiatur, & poteſt habere plures definitiones. n. 61. & ſeq. p. 135. & ſeq.
Definitur per ſuum fundamentum. n. 474. p. 456.

Res.

Res dicitur à reor, & à ratus. n. 8. p. 95
Res priùs eſt in ſe, quàm ad alterum. n. 545. p. 503.
Res diuiditur in rem, & formalitatem, ſeu realitatem. num. 52. pag. 127.
Res, & realitas quid ſint, & quomodò differant. n. 56. p. 136

Reſolutio.

Reſolutio propoſitionis, & Syllogiſmorum quid, & quotuplex. n. 617. p. 543.

Reſtrictio.

Reſtrictio terminorum quid ſit. ſum. n. 25. p. 25.

Rethorica.

Rethorica quid, & quænam contineat. ſum. n. 3. & 4. p. 11. & ſeq.

S

Scire, & Scientia.

SCIRE quid ſit, & quotuplex. Proœm. n.3. & n.619.& 642. & ſeq. p. 69. & 544. & 554.

Scientia, & ars liberalis differunt. Proœm. n.5.p.70

Scientiæ ſubiectum, & obiectum quale,& quotuplex. Proœm.n.6.& ſeq. & 646. p.72. & 556.

Scientiæ conditiones quęnam.Proœm. n.17.p.79.

Scientiæ præcognitiones neceſſariæ quænam. n.618.& ſeq.p.544

Scientiæ euidentia quænam. n. 644 p. 554

Scientiarum diſtinctio ſpecifica vnde. n.649. p. 557.

Scientia dependet ab obiecto. n.650. p. 558

Scientia ſpeculatiua, & practica quænam.Proœm. n.25. p.84

Scientiæ vnitas vnde. Proœm. n. 29. & ſeq. p.86.

Scientiæ ſubalternæ,& diſparatæ quænam. num.651. & ſeq. pag. 558. & ſeq.

Scientia, fides, & opinio an poſſint eſſe ſimul. n.655.p.560

Senſus.

Senſus interni, & externi quinam, & an poſſint facere ens rationis. n. 31. p.111.

Signum.

Signum quid, & quotuplex. ſum. n. 8. & 568. ad 582. p. 14. & 513.

Signum quomodò ſignificet. n. 578. & ſeq. p.521.

Signi conditiones quales. num. 582. p. 524

Syllogyſmus.

Syllogiſmus quid ſit. ſum.n.46.& ſeq. p.54. & ſeq.

Syllogiſmi materia, & forma ibidem. n.40. p.46

Figuræ, & regulæ.ibid. n.41. & ſeq. p. 46

Ipſius principia. ibidem. num. 42. p.48

Reductio, & reſolutio.ibidem. n.44.& n.617. p. 52.& 543.

De multiplici Syllogiſmo. ſum. n. 47 p. 55

Similitudo.

Similitudo eſt relatio realis. n. 467. p. 451

Similitudo fundatur in vnitate. n.89 p. 148

Simultas.

Simultas quid, & quotuplex. n.573. p. 5:5

Situs.

Situs prædicamentum quid, & quotuplex. n.552.& ſeq. p. 506

Species.

Species eſt ſecundum prædicabile. n.249. p.273

Speciei definitiones traduntur, & exponduntur. n.254.p.280

Species quomodò conſtituatur. ſum. n.18.& n.254.& 260. p.19.& 280. & 283

Species prædicabilis neceſſariò exigit multiplicabilitatem indiuiduorum. n.257. p.281.

Species primò, & ſecundò intentionaliter quid. n.261.p.284

Species in vnico indiuiduo an poſſit dari. n.264.p.285

Species quomodò dicitur eſſe totum indiuidui. n.427. p.419

Subſtantia

Subſtantia prædicamentum quid. n. 356. & ſeq. p.361. & ſeq.

Subſtantia multipliciter ſumitur. n. 359. p.362. & 364.

Subſtantia prima,& ſecunda quænam. n.359. & 361. p.364. & 366.

Subſtantia

Subſtantia dicitur à per ſe ſtando, & à ſubſtando. n. ibidem. p. ibid.
Subſtantia ſumpta primò, & ſecundò intentionaliter. n. 359. p. 364
Subſtantia prædicamentalis ſumpta ſecundò intentionaliter exigit naturam multiplicabilem. n. ibid. p. ibid.
Et hinc non eſt in Deo. num. 361. p. 366
Subſtantiæ proprietates expendantur. n. 363. p. 368
Subſtantia poteſt ſuſcipere magis, & minus, & quomodò. n. ibid. p. ibid.
Subſtantiæ indiuiduatio. Vide *Indiuiduatio.*

Superficies.

Superficies eſt ſpecies quantitatis. n. 405. p. 403.

Suppoſitum, Suppoſitalitas, & Suppoſitio.

Suppoſitum, & ſuppoſitalitas quid ſit, & quomodò differt à perſonalitate. n. 365. p. 370.
Suppoſitio quid, & quotuplex. ſum. n. 20. p. 22.

Suſpicio.

Suſpicio, & dubium differunt. n. 653. p. 559.

T

Tempus.

TEMPVS eſt ſpecies quantitatis n. 408. p. 406.
Temporis, & naturæ prioritas, & poſterioritas explicatur. num. 565 p. 512

Terminus.

Terminus quid ſit, & quotuplex. ſum. num. 7. & 575. pag. 13. & 577
Terminorum proprietates quænam. ſum. n. 25. p. 25.
Terminorum aliquorum explicatio traditur. n. 55. p. 130

Totum.

Totum eſſentialiter includit partes, & tamen ab ipſis realiter diſtinguitur. n. 107. p. 164.

V

Vbi.

VBI prædicamentum quid, & quotuplex. n. 552. p. 506

Verbum.

Verbum quid ſit. ſum. n. 26. p. 27

Veritas.

Veritas triplex rerum, verborum, & morum. n. 589. p. 526
Veritas propoſitionis, & rei differunt. n. 590. & 593. & 595. p. 527. & ſeq.
Veritas propoſitionis alia eſſentialis, alia accidentalis. n. 591. p. 528
Veritas propoſitionis vnde deſumitur. n. 599. p. 532
Veritas propoſitionis an poſſit deperdi, & fieri falſam. n. 404. p. 402
Veritas determinatæ propoſitionis quotuplex. n. 394. p. 393
Veritas propoſitionis contingentis quænam. n. 612. p. 539

Vnitas, Vnum.

Vnitatem rei tribuit, qui tribuit entitatem. n. 520. p. 486
Vnitas prioris an poſſit ſtare cum multiplicitate poſterioris. num. 522. p. 487.
Vnum, & multa quomodò opponuntur. num. 60. & 66. p. 134. & 139
Vnitas quid, & multiplex. n. ibidem. & 183. & 185. pag. ibid. & 225. & 227
Vnitas tranſcendentalis, & ſolitudinis quænam. n. 62. p. 136
Vnitas eſt paſſio entis. n. 61. 63. & 65. p. 135. & ſeq. & 138.

Digitized by Google

Vnitas eſt perfectio ſimpliciter,& quid poſitiuum connotans negationem. num. ibidem. & 200. p. ibidem. & 237
Vnitas diſtinguitur formaliter ab ente. n.190. & ſeq. p.230
Continetur implicitè in ente. n.ibid. p.ibidem.
Vnum dicit quo, non quod. n.183 p. 225.
Vnitatis indiuiſio in ſe, & à ſe explicatur. n.72.& ſeq.p.144
Vnitas in ſubſtantia, quantitate, & qualitate qualis. n.74.p.145
Vnitas, & identitas differunt. n.75. & ſeq. p.145
Vnitas quotuplex apud Scotum, & quæ ſit vnitas identitatis. n.114.& ſeq. p. 169. & ſeq.
Quænam apud Seraphicum Doctorem. n.115. & ſeq.p.170
Vnitas ſimplicitatis eſt ſumma omnium.n.ibidem. p. ibidem.
Vnitas naturæ diuerſa ab indiuidualitate defenditur. n.199.& ſeq.p.237 & ſeq.
Vnitas vniuerſalis alia eſt vera, & hæc eſt duplex, alia efficta. num. 210. 213. & 215. pag. 246. & 248. & 250

Vniuerſale.

Vniuerſale quid, & quotuplex.n.165. p.211.
Vniuerſale quomodò prædicetur de ſingulari. n.174.p.218
Vniuerſalia nomina non ſunt nudæ voces. n.171. p.216
Vniuerſalia non ſunt in ſingulari per informationem,ſed per identitatem. n.180. p.223
Vniuerſale aliud Metaphyſicum,aliud Logicum, primum eſt duplex, & differt à Logico n.221. & 228.pag. 253.& 258.
Vniuerſale logicum continet plures rationes,definiturque. n.208.& 216 p.244. & 250
Vniuerſale Logicum in ſtatu præciſionis quodnam eſſe habeat. num.209 p.245.
Vniuerſale Logicum qua vnitate eſt vnum, etiam & Metaphyſicum. num. 210. & 214. & ſeq. p.246.& 248
Vniuerſalis Logici ratio formalis eſt eſſe *In*, Paſſio vera *De*. n. 216. & ſeq. p. 250. & ſeq.
Vniuerſalis Logici prædicabilitas qualis. n.217.p.251
Vniuerſale Logicum eſt propriè in intellectu, ſitque per ſolum actum reflexum intellectu agente, ac poſſibili. n.222.& ſeq.p.254.& ſeq.
Vniuerſalis Logici conditiones quænam. n.226. p.257.
Vniuerſalis Logici fundamentum eſt ſola natura multiplicabilis,non natura Diuina, ſed quælibet alia creata. n.228. & ſeq. vſq.ad 232.p.258 & ſeq.
Vniuerſalia Logica ſunt quinque, & quare. num.236. & 246.pag.263 & 272.
Vniuerſalium diuiſo in quinque ſpecies expenditur. num.ibidem. pag. ibidem.
Vniuerſale eſt genus, ad genus, ſpeciem, &c. n.234.& 237.& 246.p. 261.& 264. & 272.
Vniuerſale Logicum exigit inexiſtentiam actualem effictam in pluribus. n.189. p.230

Vniuocum.

Vniuocatio alia Phyſica, alia Metaphyſica, & Logica, & quænam. n.282. p.298.
Vniuocum quid, & quotuplex. n.326 & ſeq. p.336

Vniuoca

Vniuocatio exigit conceptum obiectiuum. n.330.p.337
Vniuocatio ſimul cum analogia datur. n. ibidem & ſeq.p.ibidem
Vniuocatio alia perfecta, alia imperfecta. n.ibidem.p. ibidem.
Vniuoca, & denominatiua differunt. n.332. p.339
Vniuocum prædicatum, & vniuocè prædicari differunt. n.310.& 330. p.322.& 337.

Vox.

Vox quid ſit. n.584.p.524
Vox habet quandam vim vitalem. n.ibidem. p.ibidem.
Vox an immediatè ſignificet res, an conceptum formalem. num.168. p.214

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Digitized by Google